T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBRI, QUI SUPERSUNT, OMNES,

CUM NOTIS INTEGRIS

LAUR. VALLAE, M. ANT. SABELLICI, BEATI RHENANI, SIGISM. GELENII, HENR. LORITI GLAREANI, CAR. SIGONII, FULVII URSINI, FRANC. SANCTII, J. FR. GRONOVII, TAN. FABRI, HENR. VALESII, JAC. PERIZONII, JAC. GRONOVII;

EXCERPTIS

PETR. NANNII, JUSTI LIPSII, FR. MODII, JANI GRUTERI;

NEC NON INEDITIS

JANI GEBHARDI, CAR. AND. DUKERI,

ET ALIORUM:

CURANTE

ARN. DRAKENBORCH,

QUI ET SUAS ADNOTATIONES ADJECIT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ACCEDUNT

SUPPLEMENTA DEPERDITORUM T. LIVII LIBRORUM

A JO. FREINSHEMIO CONCINNATA.

EDITIO NOVA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

TOMUS DUODECIMUS. PARS PRIOR.

STUTGARDIAE,

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS WUERTEMBERGICAE.

LIPSIAE IN COMMISSIS APUD C. H. F. HARTMANNUM.

MDCCCXXVI.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBRI, QUI SUPERSUNT, OMNES.

TOMUS DUODECIMUS.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM AB URBE CONDITA LIBRI.

EPITOME LIBRI QUADRAGESIMI SECUNDI.

Q. Fulvius Flaccus censor templum Junonis Laciniae tegulis marmoreis spoliavit, ut aedem, quam dedicabat, tegeret. tegulae ex senatusconsulto reportatae. Eumenes, Asiae rex, in senatu de Perseo, Macedoniae rege, questus est: cujus injuriae in populum Romanum referuntur. ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus consul, cui id mandatum erat, in Macedoniam transiit, levibusque expeditio-

Q. Fulvius Flaccus censor templum Junonis Laciniae tegulis marmoreis spoliavit] Praenomen omittitur in Voss. Norvic. et edd. ante Sigonium: praenomen et nomen in Boenderm. Tum *Junonis Lacta sine tegulis* Exc. Pithoei. *Junonis Locrinae* Voss. Lov. 2. in margine, et Boend. cum ed. Campani. Sed *Juno Lacinia* jam saepe ante memorata est. Memoratur et infra cap. 3. Hinc *exspoliavit* Leid. V. ad 38, 14, 10. Mox *quam dedicabant* (* pro *dedicaverat*) Voss. *quam dedicabat* Leid. et Lovel. 2. quod recepi. Nondum enim dedicaverat, sed adhuc aedificabat templum, teste Livio cap. 3.

Asiae rex in senatu de Perseo, Macedoniae rege, questus est] *Asiae rex a sede Perseo*, etc. *quaesitus est* Boend. *Asiae rex de Perseu* Voss. *Asiae rex de Perse* Berg. V. hoc lib. ad cap. 25, 2. Mox *ob quam rem bello ei indicto* Voss.

Cui Macedonia decreta erat] Tres membr. *cui mandatum erat*. Scribe *ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus consul, cui id mandatum erat, in Macedoniam transit.* J. FR. GRON. *cui Macedonia mandata erat* Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. *cui mandatum erat* Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithoei. Mox *transit*, pro *transiit*, Voss. et Leid. Vide ad Epit. Liv. 103.

Levibusque expeditionibus, equestribus proeliis, in Thes-

nibus, equestribus proeliis, in Thessalia cum Perseo parum felici eventu pugnavit. Inter Masinissam et Karthaginienses de agro fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus. Legati missi ad civitates socias et reges rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta septem millia ducenta triginta unum. Res praeterea adversus Corsos et Ligures prospere gestas continet.

salia cum Perseo parum felici eventu pugnavit] *levibus expeditionibus* sine copula Leid. Boend. et ed. Camp. quorum primus insuper omittit voces *equestribus proeliis*. Dein *in Thessalia cum Perseo eventu pugnavit* Voss. et Exc. Pithoei. *in Thessalia prospero cum eventu pugnavit* Leid. *in Thessalia cum Perseo prospero eventu pugnavit* Berg. *in Thessalia cum Perseo felici eventu pugnavit* Lov. 2. Boend. Norv. et edd. ante Paris. anni 1578.

De agro fuit dies ad disceptandum a senatu datus]Membr. Barber. *de agro fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus*. J. FR. GRON. Neque diem certum, nam hoc est *diem dare* et *dicere*, neque arbitrum datum dicit Livius. Vide ad c. 23, 24. DUK. *de agro quaestio fuit*; *dies eis a senatu ad disceptandum datus* Boend. quod recipi posset, modo legeretur *dictus*, pro *datus*. *de agro fuit ei dies a senatu ad disceptandum datus* ed. Campani. et ita Berg. nisi quod pronomen *ei* desit. *de agro fuit arbiter in senatu ad disceptandum datus* Lovel. 2. Gronovii codici consentit Leid. cujus etiam lectionem receepi. At *arbitri dati* Livius non meminit; verum nec *diei dati*, vel dicti. Tantum c. 24. nomine senatus Masinissae nunciatur, *ut de iis, de quibus Karthaginienses querantur, legatos quam primum ad senatum mittat*: Karthaginiensibus, *ut ad disceptandum veniant*. Saepe auctorem Epitomarum a Livio diversa tradere, antea observavimus.

Rogandos, an in fide permanerent] Membr. Barber. *rogandos, ut in fide permanerent*. J. FR. GRON. *ad socios rogandos, civitates et reges, ut in fide* Boend. et ed. Camp. *ad socias civitates regesque rogandos, ut in fide* Berg. *ad civitates socias et reges rogandos, ut in fide* Lovel. 2. Leid. Norvic. omnesque edd. ante ultimam Gruteri, quae perperam *an in fide* exhibuit. Mox *est* deest in Boend. et Lov. 2.

Civium capita CCLVII millia CCXXXI] *CCLXIX. m. et XV.* ego contra exemplarium auctoritatem ex ipsomet Livio castigo. DELRIUS. *CCLVII^m et CCXXI* Boend. *CCCLVII millia CCXXXI* Lov. 2. *ducenta quadraginta septem millia et ducenta triginta unum* Leid. et Berg. Alium numerum edidit Livius cap. 10. Hunc tamen, quem exhibet Epitome, veriorem putat Pighius in Ann. ad A. V. IↃLXXIX. pag. 356.

T. LIVII PATAVINI

LIBER QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

I. L. Poſtumius Albinus, M. Popillius Laenas quum 1
omnium primum de provinciis exercitibusque ad se-
natum retuliſſent, Ligures utrique decreti sunt: ut 2
novas ambo, quibus eam provinciam obtinerent,
legiones, (binae singulis decretae) et sociùm Latini
nominis dena millia peditum et sexcenos equites,
et supplementum Hispaniae tria millia peditum Ro-
manorum scriberent, et ducentos equites. Ad hoc 3
mille et quingenti pedites Romani cum centum equi-
tibus scribi juſſi; cum quibus praetor, cui Sardinia
obtigiſſet, in Corsicam transgreſſus bellum gereret;
interim M. Atilius, vetus praetor, provinciam obti- 4
neret Sardiniam. Praetores deinde provincias sor-

§. 2. *Dena millia peditum et sexcentos equites*] Displicet, duplicis generis numeros jungi. *decem millia*, hanc exercitus consularis ordinationem referens, memorat Pighius in Annal. ad A. V. DCLXXX. pag. 359. verum illi lectioni adversantur edd. Lego igitur *dena millia peditum et sexcenos equites*. Id autem permittunt typis descripti, *et DC equites* exhibentes; pro quo demum Paris. anno 1573. *et sexcentos equites* dederunt. V. ad 32, 28, 11.

Et supplementum Hispaniae] Sic et 26, [11, 5.] *Milites sub vexillis in supplementum Hispaniae profectos audivit*. Solet alias dicere *in Hispaniam*. Infra [cap. 10, 12.] *Postulantibus deinde, ut novos exercitus scribere, aut supplementum veteribus liceret, utrumque negatum est. Praetoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum, M. Junio in citeriorem, Sp. Lucretio in ulteriorem.* 29, [13, 8.] *Ad novas scribendas in Bruttios legiones, et in caeterorum exercituum supplementum.* 43, [12, 2.] *In incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam, quod res desideraret supplementi, decerni.* Quod ne cui fraudi sit, priori-

5 titi sunt, A. Atilius Serranus urbanam, C. Cluvius Saxula inter cives et peregrinos, N. Fabius Buteo Hispaniam citeriorem, M. Matienus ulteriorem, M. Furius Craſſipes Siciliam, C. Cicerejus Sardiniam. 6 Priusquam magiſtratus proficiscerentur, senatui placuit, L. Poſtumium consulem ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire; cujus ingentem modum poſſidere privatos, paullatim profe- 7 rendo fines, conſtabat. Hic, iratus Praeneſtinis, quod, cum eo privatus sacrificii in templo Fortunae faciundi cauſſa profectus eſſet, nihil in se honorifice, neque publice, neque privatim, factum a Praeneſtinis eſſet, priusquam ab Roma proficisceretur, literas Praeneſte misit, ut sibi magiſtratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi diverteretur, ju- 8 mentaque, quum exiret inde, praeſto eſſent. Ante hunc consulem, nemo umquam sociis in ulla re one- 9 ri aut sumtui fuit. ideo magiſtratus mulis tabernaculisque et omni alio inſtrumento militari ornaban-

bus duobus locis τὸ *Hispaniae* accipiat dandi casu. J. FR. GRONOV. V. ad 28, 37, 4.

§. 4. *A. Atilius Serranus*] *Attilius* Froben. anno 1535. et alii ante Sigonium, qui dedit *Atilius*, ut eſt in prima ed. Tum *Seranus* Frob. anno 1531. Sed rectius *Serranus* quadriennio poſtea. V. ad 34, 54, 4.

§. 5. *Cn. Fabius Buteo*] Scribe *Num. Fabius*, ut dixi. SIG. Vide ad lib. praec. cap. ult. §. 5. Mox *Matienius* poſtrema Gruteri ed. Vide ibid.

§. 7. *Ut sibi magistratus obviam exiret*] Is, qui summo magiſtratu apud Praeneſtinos fungebatur. Praeneſte municipium erat. Feſtus v. *Municipium*, et Flor. 3, 21, 27. In eo unus summum magiſtratum videtur geſsiſſe, ut Tusculi L. Mamilius dictator, Liv. 3, 18, 2. Lanuvii Milo dictator, Cic. pro Mil. 10. *magistratus Lanuvinus* Liv. 41, 16, 1. quod item de uno accipio: nam *magistratum* numero singulari de pluribus, id eſt de collegio multorum, non recte dici, docent Gronov. ad Livii 34, 61. et Graevius ad Juſtin. 2, 10. DUK.

Ubi diverteretur] Forte *deverteretur*, et §. 10. *deverti*, pro *diverti*. V. supra ad 1, 51, 8.

tur, ne quid tale imperarent sociis. privata hospitia 10
habebant; ea benigne comiterque colebant: do-
musque eorum Romae hospitibus patebant, apud
quos ipsis diverti mos esset. Legati, qui repente 11
aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter
qua faciundum erat, imperabant: aliam impensam
socii in magistratus Romanos non faciebant. Inju- 12
ria consulis, etiamsi justa, non tamen in magistratu
exercenda, et silentium, nimis aut modestum, aut
timidum, Praenestinorum jus, velut probato exem-
plo, magistratibus fecit graviorum in dies talis gene-
ris imperiorum.

II. Principio hujus anni legati, qui in Aetoliam 1
et Macedoniam missi erant, renunciarunt, *sibi con-
veniendi regis Persei, quum alii abesse eum, alii ae-
grum esse, falso utrumque, fingerent, potestatem
non factam. Facile tamen adparuisse sibi, bellum* 2
*parari, nec ultra ad arma ire dilaturum. Item in
Aetolia seditionem gliscere in dies, neque discordia-*

§. 8. *Ante hunc consulem*] Tamen jam ante hunc praetores nonnullos provincialibus sumtui fuisse indicio est, quod 32, 27, 4. de Catone praetore Sardiniae scribit Livius: *Fugati ex insula foeneratores, et sumtus, quos in cultum praetorum socii facere soliti erant, circumcisi.* Vide Sigon. 2. de Ant. jure Provinc. 5. DUKERUS.

§. 11. *Singula jumenta*] Hinc originem cursus vehicularis arcessendam esse, putat Spanhem. Dissert. 13. de Praestant. et us. Numism. pag. 562. DUKERUS.

Iter qua faciendum erat] Parvum est, sed tamen monendum, ita demum edidisse Vascos. Gryph. anno 1548. et Basil. anno 1554. quos Sigonius ac recentiores secuti sunt; quum primae edd. legant *faciundum*. Supra hoc cap. *Sacrificii in templo Fortunae faciundi caussa*. V. ad 26, 36, 11.

§. 12. *Injuria consulis, etiamsi justa, non tamen in magistratu exercenda et silentium*] Scribe, ut et visum Schelio nostro [Dissert. ad Polyb. cap. 5. pag. 1211.] *Ira consulis, etiamsi justa*. J. FR. GRON. Minus a vulgato recedit altera Schelii conjectura. *In ira consulis, etiamsi justa, non tamen in magistratu exercenda, silentium,*

3 *rum principes auctoritate sua coërceri potuisse.* Quum bellum Macedonicum in exspectatione esset, priusquam id susciperetur, prodigia expiari, pacemque Deûm peti precationibus, quae editae ex fatalibus 4 libris essent, placuit. Lanuvii classis magnae species in coelo visae dicebantur; et Priverni lana pulla terra enata; et in Vejenti apud Rementem lapidatum; Pomptinum omne velut nubibus locustarum 5 coopertum esse; in Gallico agro, qua induceretur

deleta conjunctiva *et. Exercere iram*, ut *exercere victoriam*, de quo v. ad 6, 22, 4. et *exercere inimicitiam*, de quo vide Cortium ad Sall. Catil. 49, 2.

§. 3. *Pacemque Deûm peti precationibus, quae editae ex fatalibus libris essent*] Lege *pacemque Deûm peti precationibus, qui editi ex fatalibus libris essent.* Mox enim, *editumque ab decemviris est, quibus Diis, quibusque hostiis sacrificaretur.* J. FR. GRON. Decemviros ex libris Sibyllinis edidisse Deos, quibus sacrificaretur, satis constat. Vide Liv. 21, 61. 40, 45. et alibi. Eosdem tamen ex libris fatalibus etiam precationes edidisse, et in votis concipiendis verba praeiisse, indicat Liv. 41, 21, 10. 11. *Senatus decrevit, uti decemviri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem unum supplicatio fuit, et Q. Marcio Philippo verba praeeunte, populus in foro votum concepit.* etc. Q. Marcium Philippum, qui verba praeiit, decemvirum sacrorum fuisse, ad eum locum dictum est. Ob hanc igitur causam vulgatum servandum puto; in quo adsentientem habeo Crevierium, qui urguet verba finalia hujus capitis, *sacrificatum est, ut decemviri scriptum ediderunt.* Recipiendam non esse Gronovii emendationem, ostendit etiam vox *precationibus*, quae supervacua erit, nisi ad eam referantur verba sequentia. Tum enim sufficisset *pacem Deûm peti.*

§. 4. *Classis magnae species in coelo visae dicebantur*] Saepiusne? an legendum *visa dicebatur.* J. FR. GRON. Nihil mutandum, docet ipse Livius 24, 44, 8. *Et alia ludibria oculorum auriumque credita pro veris: navium longarum species in flumine Tarracinae, quae nullae erant, visae.* JAC. GRON. Cl. Perizon. ad marginem Livii observat, non exacte convenire *species navium visae* et *species classis visae.* Hic enim voci *species* jungi nomen singulare *classis*; adeoque indicari unius classis plures species, aut unam classem saepius visam: ibi vero jungi vocabulum plurale *navium*, id est visas esse species plurium navium. Idem dicendum de exemplo, quod obcurrit 24, 10, 10. *Hadriae aram in coelo, speciesque hominum circa eam cum candida veste visas esse.* Non displicet itaque J. Fr. Gronovii conjectura. Supra 8, 6, 9. *In quiete utrique consuli eadem dic-*

aratrum, sub exsiſtentibus glebis pisces emersiſſe. Ob haec prodigia libri fatales inspecti, editumque 6
ab decemviris eſt, et quibus Diis, quibusque hoſtiis sacrificaretur, et ut supplicatio prodigiis expiandis fieret: altera, quae priore anno valetudinis populi 7
cauſſa vota eſſet, ea uti feriaeque eſſent. itaque sacrificatum eſt, ut decemviri scriptum ediderunt.

III. Eodem anno aedis Junonis Laciniae detecta. 1
Q. Fulvius Flaccus censor aedem Fortunae Equeſtris,

tur visa species viri majoris, quam pro humano habitu.

In Vejenti apud Rementem] Locusne fuerit in Vejenti agro, nomine *Remens*, an Livius scripserit *apud Cremeram*, nemo facile dixerit. CLUVER. 2. Ital. Ant. 3. p. 537. Doujatius suspicatur, tractum aut locum quemdam agri Vejentis consecratum fuiſſe memoriae *Remi*, fratris Romuli, et inde *Rementem* adpellatum eſſe, ut Romae *Remuriam*. Ita a Lauris agrum *Laurentem*, et populum *Laurentes* dictum eſſe. Omnia locorum nomina ἅπαξ λεγόμενα tentare, temerarium puto, et unico invito cod. vulgatum mutari displicuit. Non tamen Doujatii etymologiam probo. Unde enim ex nomine Remi Albani, adeoque Latini, nomen nactus erit locus in Vejenti?

§. 5. *Sub exsistentibus glebis pisces emersisse*] Suspectum eſt *existentibus*, pro quo melius legi puto *exstantibus*. Nam artro inducto glebae ex sulco exſtant et eminent. In Plinio quidem 17. H. N. 15. vulgo legitur, *ut cacumine existant*. Sed hoc quoque non scio, quam recte. Eodem libro enim cap. 14. dicit, *duos digitos insito exstante* et 13, 25. *Harum cacumina exstant*. DUK. Interdum *exsistere* et *exstare* a librariis commutari, vidimus ad 3, 38, 2. Ceterum pisces foſſiles variis locis inveniuntur. Mela 2, 5. *Grajis nostrisque etiam auctoribus, verine ignorantia, an prudentibus etiam mendacii libidine, visum est tradere posteris, in ea regione piscem e terra penitus oriri, quia, ubi ex alto huc usque penetravit, per ea foramina ictu capulantium interfectus extrahitur.* ubi vide Voſſium. Adde Strab. 4, 182. et ibi Casaub. 12, 562. Athen. 8, 1. 11. et Plin. 9. H. Nat. 57. Prodigium itaque conſtitiſſe videtur in eo, quod inventi sint, ubi inveniri non solebant. Per Galliam enim, in qua secundum Melam, Strab. et Athen. inveniuntur, intelligenda eſt Transalpina; hic vero *ager Gallicus* eſt Cisalpinus.

§. 7. *Quae priore anno valetudinis populi caussa* etc.] Lib. praec. c. 21, 11. *Si morbus pestilentiaque ex agro Romano emota esset, biduum ferias ac supplicationem se habiturum.*

§. 1. *Aedes Junonis Laciniae detecta*] Ita primus edidit Sigonius, quem recentiores omnes secuti sunt. Priores *aedis Ju-*

quam in Hispania praetor bello Celtiberico voverat, faciebat eniso ſtudio, ne ullum Romae amplius aut
2 magnificentius templum eſſet. Magnum ornamentum se templo ratus adjecturum, si tegulae marmoreae eſſent, profectus in Bruttios, aedem Junonis Laciniae ad partem dimidiam detegit. id satis fore ratus
3 ad tegendum, quod aedificaretur. Naves paratae fuerunt, quae tollerent atque asportarent, auctoritate censoria sociis deterritis id sacrilegium prohi-
4 bere. Poſtquam censor rediit, tegulae, expositae de navibus, ad templum portabantur. quamquam,
5 unde eſſent, silebatur, non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus eſt: ex omnibus partibus poſtulabatur, ut consules eam rem ad senatum referrent. Ut vero arceſſitus in curiam censor venit, multo infeſtius singuli universique praesentem lace-
6 rare: *Templum augustissimum regionis ejus, quod non Pyrrhus, non Hannibal violassent, violare parum*
7 *habuisse, nisi detexisset foede, ac prope diruisset. Detractum culmen templo, nudatum tectum patere im-*

nonis; quod mutandi cauſſa non eſt. V. ad 4, 25, 3.

§. 5. *Ortus est; ex omnibus*] Malo *Fremitus igitur in curia ortus, et ex omnibus partibus postulabatur.* J. FR. GRON. *est* atque *et* a librariis commutari, vidimus ad 7, 40, 1. Hic tamen vulgatum commode servari poteſt.

§. 7. *Nudatum tectum patere imbribus*] Magis probarem *nudatum tecto*, scil. templum. Tectum semper patet imbribus, et imponitur aedificiis ad arcendas pluvias, ne iis putrescant, quae sub tecto sunt. 27, 4, 11. *Jovis aedis culmen fulmine ictum, ac prope omni tecto nudatum.* Et 45, 28, 10. *Nudare tegulis muros urbis.* DUKER.

Sarta tecta exigere sacris publicis, et loca tuenda] *sacris publicis* poteſt eſſe casus tertius, pro ad sacra publica, id eſt, ut in iis sacra publica fieri poſſint: Sed locus mihi salebrosus videtur. Non scio alios de sartis tectis aedium sacrarum ita loqui, aut, quum de hac parte muneris censorii agitur, *loca* simpliciter dicere pro locis publicis, quo-

bribus putrefaciendum. censorem, moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis, et loca tuenda, more majorum traditum esset; eum 8
per sociorum urbes diruentem templa, nudantemque tecta aedium sacrarum, vagari: et, quod, si in privatis sociorum aedificiis faceret, indignum videri posset, id Deûm inmortalium templa demolientem facere: et obstringere religione populum Romanum, ruinis templorum templa aedificantem: tamquam non iidem ubique Dii inmortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi exornandique. Quum, priusquam re- 10
ferretur, adpareret, quid sentirent Patres, relatione facta, in unam omnes sententiam ierunt, ut hae tegulae reportandae in templum locarentur, piacularia- 11
que Junoni fierent. Quae ad religionem pertinent, cum cura facta: tegulas relictas in area templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemtores nunciarunt.

IV. Ex praetoribus, qui in provincias ierant, N. 1
Fabius Maffiliae moritur, quum in citeriorem Hispa-

rum tutela ad curam censorum pertinebat. Adde, quod nonnihil scabri in hoc sermone est, *cui sarta tecta exigere, et loca tuenda traditum esset:* etsi non omnino dissimilia sunt, quae 26, 32. et 27, 5. leguntur. Livius fortassis aliquid de sartis tectis *aedium* sacrarum, et locorum *publicorum* scripserat, ut Cic. 13. Epist. Fam. 1. *Sarta tecta aedium sacrarum locorumque communium tueri.* et 1. Verr. 50. *Quum consules aedes sacras locavissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere.* DUKER.

§. 8. *Id Deûm inmortalium templa demolientem facere*] Vox *templa* exsulat ab omnibus ante Curionem edd. ut ad voces *Deûm inmortalium* ex praecedenti repetendum sit *aedificia*. Falso autem monet Hearnius, *τὸ demolientem* abesse ab edd. Bas. et Sig. unde deceptus Crevierius conjicit *id in Deûm inmortalium templis facere.*

§. 1. *Cn. Fabius Massiliae moritur*] *N. Fabius*, ut dixi. SIGON. Vide ad lib. praec. cap. ult. §. 5.

§. 2. *Inter se sortirentur, uter citeriorem*] Locus sine dubio

2 niam iret. Itaque, quum id nunciatum a Massiliensibus legatis esset, senatus decrevit, ut P. Furius et Cn. Servilius, quibus succedebatur, inter se sortirentur, uter citeriorem Hispaniam prorogato impe-

mancus. Quod ex diuturna observatione Livianae orationis intelligi potest. Possem sexcentos proferre locos, quibus Livius ita locutus sit, *compararent inter se, aut sortirentur.* Verum paucis quibusdam ero contentus, quae sunt in extremis his libris. Lib. 41, [6, 1.] *Senatusconsultum factum est, ut consules inter se compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret.* et hoc lib. [c. 31, 1.] *Senatusconsultum inde factum est, ut consules inter se provincias compararent sortirenturve.* et lib. 43, [12, 1.] *Primo quoque tempore provincias, aut comparare eos inter se Italiam et Macedoniam, aut sortiri placuit.* et lib. 45, [17, 5.] *Aut compararent eos inter se, aut sortirentur.* Cum igitur et ex his locis, et ex iis, quae supra a me collecta sunt, satis constet, non consueviſſe dicere Livium, *sortiri inter se,* sed *comparare*, non est dubium, quin legendum sit, *inter se comparārent aut sortirentur:* praesertim vero, quum subsequatur: *Sors opportuna fuit.* quasi dicat: ex duabus propositis rationibus una opportuna fuit. SIG. Locus sine dubio mancus Sigonio, quod ex diuturna observatione Livianae orationis intelligi possit. Sexcentis locis ita loquutum Livium, *compararent inter se, aut sortirentur.* Unde quum constet, non consuevisse dicere *sortiri inter se,* sed *comparare,* non est ei dubium, quin legendum sit, *inter se comparārent aut sortirentur.* Fateor equidem, *comparare inter se* frequentius auctori nostro esse, et saepe haec duo conjungi, *compararent aut sortirentur:* non tamen video, quare *sortiri inter se* non aeque dicere potuerit, ac divinus Poëta

Vis igitur inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur?

Et Cicero de Fato [c. 20.] *Num sortiuntur inter se, quae declinet, quae non?* Aut ipse lib. 23, [32, 1.] *Consules inter sese jusserunt, Fabio exercitum tradi, cui M. Junius Pera praefuerat, Ti. Sempronio volones, qui fierent, et sociorum viginti quinque millia.* Non video deinde, quare non possit aliquibus praecipi sortitio sine comparatione, aeque ac comparatio potest praecipi sine sortitione; aut verbum *sortiri* solum poni sine mentione alterius, perinde ut *comparare* potest poni sine mentione alterius. Hujus autem testimonium est apud nostrum lib. 4, [46, 3.] *Tandem ita comparatum est, ut alternis diebus summam imperii haberent.* Lib. 8, [20, 3.] *Comparare inter se provincias jussi, et Mamercinus, cui Gallicum bellum evenerat.* Habes et lib. 23, 24, 5. 26, 8, 8. 40, 47, 1. Cur non et hic sexcentis illis locis abutitur, et haec sine dubio manca statuit? Jam manifestus est error, quod verba, quae proxime sequuntur: *Sors opportuna fuit*, in suam sententiam detorquet, et interpretatur: ex duabus propositis rationibus, sortitionis nempe vel comparationis, una opportuna

rio obtineret. Sors opportuna fuit; P. Furius idem, 3
cujus ea provincia fuerat, remaneret. Eodem anno,
quum agri Liguſtini et Gallici, quod bello captum
erat, aliquantum vacaret, senatusconsultum factum,

fuit. Quis enim non videat, rectius interpretari illa verba Livium ipsum? quum subjungit: *P. Furius idem, cujus ea provincia fuit, remansit.* Fuit ergo ideo sors opportuna, quod non Cn. Servilium ex ulteriore provincia transire in citeriorem jussit, sed P. Furium, in qua jam erat, retinuit. Sed inprimis auctor se salvum praeſtat illis, quae dixerat 28, 45, 9. *Hi et sortirentur inter se comparare ntve, uter in Bruttiis duabus legionibus, quas consul reliquisset, rem gereret.* Ubi iterum Sigonius urget sexcenta sua loca, ut persuadeat, quod profert ex vet. lib. *sortirentur, inter seve compararent.* Poteſt ita fuiſſe in libro illo depravato toties: neque enim fidem tanti viri suspectam reddere velim: sed certe omnes noſtri sartam tectam servant vulgatam. J. FR. GRON. Formulae iſtius, qua consules jubebantur *provincias inter se comparare aut sortiri*, plura exempla v. ad 28, 45, 9. et apud Briſſon. de Formul. 2. pag. 265. Recte tamen Gronovium adversus Sigonium vulgatum hoc loco defendisse reor: non ubique enim Livium comparationem et sortitionem junxiſſe, sed ut hic solam sortitionem, ita alibi comparationem solam mandaſſe observavit. Exemplis, quae protulit, adde illud ex 29, 20, 9. *Cum tribunis plebis actum est, ut compararent, qui duo cum praetore ac legatis irent.* quem locum librarii antea pariter corruperant, subſtituentes *actum est, aut compararent inter se, aut sortirentur.* Sed verba adjecta ex auctoritate optimorum codd. *ὁ πάνυ* deleri juſſit.

§. 3. *Sors opportuna fuit; P. Furius idem, cujus ea provincia fuerat, remaneret*] Lege *remansit.* J. FR. GRON. Si quid mutandum, nimium a vulgato recedit *remansit*, quod *τῷ remaneret* subſtituendum censet Gronovius. Cel. Perizonius, unica litera deleta, ad oram Livii conjecit *remanere.* Pighius, hiſtoriam hanc narrans in Annal. ad A. V. ıɔlxxx. pag. 162. inserta particula legit *ut P. Furius.* Et ita Exc. Pithoei apud Hearnium, quod Crevierius quoque probavit. Videri igitur poteſt *τὸ ut* excidiſſe ob similitudinem ultimarum literarum vocis praecedentis. V. ad 39, 37, 19. Id praeferendum videtur Gronovii conjecturae. Doujatius vulgatum servandum, et voculam *ut* commode subintelligi poſſe contendit.

Ut is ager viritim divideretur] Ex sequentibus patet, divisum fuiſſe inter cives et socios nominis Latini. Licet autem res a se geſtas augens C. Claudius supra 41, 16, 9. senatui scripserit, agrum a se captum *multis millibus hominum dividi viritim* poſſe, non tamen omnibus civibus ac sociis Latinis suffecit. Forte igitur excidit hic numerus civium sociorumque, inter quos viritim divideretur: quo errore potius §. 5. infectum eſſe, Cl. Crevierius arbitratur. Contra Doujatius putat, agrum inter veteranos exercitus Liguſtici et Gallici, legionarios et sociales, dividi juſſum fuiſſe, et Livium accusat, qui apertius id

4 ut is ager viritim divideretur. Decemviros in eam rem ex senatusconsulto creavit A. Atilius praetor urbanus, M. Aemilium Lepidum, C. Cassium, T. Aebutium Carum, C. Tremellium. P. Cornelium Cethegum, Q. et L. Appulejos, M. Caecilium, C. Salo-
5 nium, C. Munatium. Diviserunt dena jugera in singulos, sociis nominis Latini terna. Per idem tempus, quo haec agebantur, legati ex Aetolia Romam venerunt de discordiis seditionibusque suis, et Thessali legati, nunciantes, quae in Macedonia gererentur.

1 V. Perseus, jam bellum vivo patre cogitatum in animo volvens, omnes, non gentes modo Graeciae, sed civitates etiam, legationibus mittendis, pollicendo plura, quam praestando, sibi conciliabat.
2 Erant tamen magna ex parte hominum ad favorem ejus inclinati animi, et aliquanto quam in Eumenem pro-

narrare neglexit. Supra 32, 1, 6. *Militibus, qui in Hispania, Sicilia, Sardinia stipendia per multos annos fecissent, agrum adsignandum curaret.* Sed potius culpam in librarios confero.

§. 4. *T. Aebutium Carum*] Ita legendum docuit Pighius in Annal. ad A. V. IDLXIV. p. 291. eamque lectionem Gruteri postrema ed. recepit, et recentiores aliorum servarunt. Antea vulgabatur *T. Ebutium Parrum*, nisi quod interim Sigonius recte *Aebutium* per diphthongum scripsisset. V. ad 2, 19, 1. *T. Aebutius Carus* supra memoratur 39, 55, 8. et is forte *T. Aebutii praetoris* nomine indicatur 41, 6, 5. *Parrus* inter cognomina gentis Aebutiae numquam memoratur.

§. 3. *Quae sub ditione ejus urbes essent*] Ultimam vocem ignorant edd. principes. Eam primus interposuit Curio. Quamvis vero interim Sigonius omiserit, postea tamen iterum in contextum inrepsit. Quum autem sine damno abesse possit, hinc ejicere non dubitavi.

Fortunam secum mutatam vellent] Acidalius Divinat. in Plauti Captiv. cap. 1. Latinitatis rationem ferre negat, ut verbo *mutare* praepositio *cum* addatur. Sed recte Gronov. eum aliosque, qui ita sentiunt, errare docuit ad Plauti Prolog. Captiv. vers. 28. laudatis locis Ovidii 7.

propensiores: quum Eumenis beneficiis muneribus- 3
que omnes Graeciae civitates et plerique principum obligati essent: et ita se in regno suo gereret, ut, quae sub ditione ejus, urbes nullius liberae civitatis fortunam secum mutatam vellent contra Persea fa- 4
ma erat post patris mortem uxorem manu sua occidisse: Apellem, ministrum quondam fraudis in fratre tollendo, atque ob id requisitum a Philippo ad supplicium, exsulantem, arcessitum post patris mortem ingentibus promissis ad praemia tantae perpetratae rei clam interfecisse. intestinis externisque 5
praeterea multis caedibus infamem, nec ullo commendabilem merito, praeferebant vulgo civitates tam pio erga propinquos, tam justo in cives, tam munifico erga omnes homines regi, seu fama et maje- 6
state Macedonum regum praeoccupati ad spernendam originem novi regni; seu mutationis rerum cupidi; seu quia eum objectum esse Romanis volebant.

Met. 59. Sallust. in Jug. 44. et Justin. 1, 11. Quibus adde illud Ovidii 3. Met. 196.

Cum pedibusque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus.

Similiter antiqui dixerunt *commutare rem re aliqua*, et *cum re aliqua*. Vide Turneb. ad Cic. 1. Agrar. 5. Ceterum non tantum dicimus, mutare rem, quam accipimus, cum re, quam damus, quomodo Livius hic loquitur, sed etiam mutare rem, quam damus, cum re, quam accipimus, ut Ovidius loc. laud. Vide Gronov. ibid. Adde, quae notantur ad 5, 30, 3

§. 6. *Ad spernendam originem novi regni*] Ita primus edidit Gronov. anno 1663. eamque lectionem servarunt, qui postea Livio manus admoverunt. Priores praeferunt *ad spernendum originem*. Vide ad 40, 49, 1.

§. 7. *Ea contagione, velut tabes, in Perrhaebiam quoque id pervaserat malum*] Recte, si recidas *id malum*. Sed si hoc nimium est, scribe: *et contagione, velut tabes, in Perrhaebiam quoque id pervaserat malum* J. FR. GRONOVIUS. Mitior longe medicina est, quam Gronovius secundo loco proponit, *ea* in *et* mutans, quam *id malum* recidens. Solent au-

7 Erant autem non Aetoli modo in seditionibus, propter ingentem vim aeris alieni, sed Theſſali etiam: ea contagione, velut tabes, in Perrhaebiam quoque 8 id pervaserat malum. Quum Thessalos in armis eſſe nunciatum eſt, Ap. Claudium legatum ad eas res 9 adspiciendas componendasque senatus misit. Qui, utriusque partis principibus caſtigatis, quum injuſto foenore gravatum aes alienum, ipsis magna ex parte concedentibus, qui onerarant, levaſſet, juſti crediti 10 solutionem in * annorum pensiones diſtribuit. Per eumdem Appium eodemque modo compositae in

tem *ea* atque *et* a librariis in codd. scriptis confundi. V. ad 3, 54, 15. 5, 17, 4. 6, 14, 11. 8, 37, 9. 9, 23, 14. et alibi.

§. 8. *Legatum ad eas res adspiciendas componendasque misit*] Malis forsan, *Quum Thessalos in armis esse nunciatum esset, Ap. Claudium legatum ad eas res inspiciendas componendasque senatus misit.* J. FR. GRONOV. *Inspicere rem* et *res* multis locis dicit Livius. 4, 36, 4. *Ad rem inspiciendam tribuni militum proficiscuntur.* 21, 6, 3. *Placuissetque, mitti legatos in Hispaniam ad res sociorum inspiciendas.* et 26, 35. 27, 21. 36. Juſtinus 34, 1, 4. *Legatos se ad inspiciendas res sociorum in Graeciam missuros.* Sic *inspicere legem* Liv. 3, 25, 4. *inspicere aes alienum* 6, 27, 8. quod ibid. c. 31, 2. dicit *noscere. inspicere legiones* 29, 1, 12. *inspicere singulos milites* ibid. cap. 24, 13. *inspicere urbem* Juſtin. 38, 8, 11. Adde, quae ad Livii 26, 51, 8. dicta sunt. *Adspicere* quidem eadem significatione eſt in Livii 39, 48, 5. *Jussus idem in Peloponneso sociorum res adspicere.* et infra c. 6, 4. *Quinque legati ad regem missi, qui res in Macedonia adspicerent.* et c. 37, 4. *Inde Boeotiam atque Euboeam adspicere jussi.* Non inprobo tamen sententiam Gronovii, quem loca illa fugisse non credo, etsi nihil ad ea adnotavit. Si ea sana sunt, *inspicere* et *adspicere* fere omnibus locis scriptorum veterum, quibus *res* aliquae *inspici* dicuntur, permutari poſſunt, quod non velim adfirmare. *Adspicere* minus eſt, quam *inspicere*, et non habet significationem animi intenti ad rem aliquam accurate considerandam, et penitus noscendam. DUK. *inspicere res* sollemnem in hac re locutionem eſſe, negari nequit. Vide de ea ad 34, 62, 16. Non tamen propterea vulgatum damnare, vel in animum inducere audeo, *adspicere* de minus intento dici. Praeter loca, quae ex Livio laudantur, eadem locutio obcurrit hoc lib. c. 67, 11. *Dubitari inde, utrum Demetrias prius adgredienda foret, an in Boeotia adspiciendae res.* ita ex unico codice ibi prima pluresque aliae edd. 26, 51, 8. *Nunc ope-*

Perrhaebia res. Aetolorum cauſſas Marcellus Delphis per idem tempus hoſtilibus acta animis, quas inteſtino geſſerant bello, cognovit. Quum certatum 11
utrimque temeritate atque audacia cerneret, decreto quidem suo neutram partem aut levare, aut onerare voluit: communiter ab utrisque petiit, abſtinerent bello, et oblivione praeteritorum discordias finirent. Hujus reconciliationis inter ipsos fides obsidibus ul- 12
tro citroque datis firmata eſt. Corinthum, ut ibi deponerentur obsides, convenitur.

VI. A Delphis et Aetolico concilio Marcellus in 1

ribus adspiciendis tempus dabat, quaeque in officinis, quaeque in armamentario ac navalibus fabrorum multitudo plurima in singulos dies ingenti certamine faciebat. 32, 5, 10. *Quum situm omnem regionis adspexisset, maxime idoneum ad muniendum locum credidit esse praeter amnem Aoum.*

§. 9. *Injusto foenore gravatum aes alienum*] Hic locus quoque valet adversus Salmasium, qui de Usur. cap. 2. pag. 33. et cap. 5. pag. 121. *foenus* improprie et per abusum pro usura, quae pecuniae creditae praeter sortem accedit, dici contendit. Sed illius argumenta confutavit Gronovius 4. de Pecun. vet. 1. et Mant. Pecun. vet. 1. DUKER.

Crediti solutionem in annorum pensiones distribuit] Edd. principes *in . . annorum pensiones:* unde patet, excidiſſe notam numeralem, qua indicabatur, quot annorum pensionibus creditum solvendum esset: ut etiam Crevierius ex conjectura deprehendit. Ea vero ex ingenio reſtitui nequit.

§. 10. *Quas intestino gesserant bello*] Suspicor, *τὸ gesserant* addidiſſe aliquem supplendae sententiae, quum jam *τὸ quas* corrupte legeretur: scripsiſſe autem Livium: *hostilibus actas animis, quasi intestino bello.* Non enim bellum verum fuit, sed factionum rabies. J. FR. GRON. Audacior videtur Gronovii sententia,, quam ut ei adsensum praebeas. Mallem *quaeque intestino;* ut particula *que* excideriť ob similitudinem vocis praecedentis. Vide ad 39, 16, 13. Ponit Gronovius, non verum bellum, sed factionum rabiem fuisse; et ita *discordias seditionesque* vocavit Livius cap. praec. At de eadem re supra habuimus 41, 25, 4. *Inde gravius de integro bellum exarsit.* Et mox hoc cap. *Abstinerent bello, et oblivione praeteritorum discordias finirent.* Et plane ἐμφύλιον πόλεμον vocat etiam Polyb. de Virtut. et Vitiis pag. 1451.

§. 1. *Marcellus in Peloponnesum trajecit*] Hunc in Graeciam, illos, de quibus paullo poſt dicit, in Syriam miſſos fuiſſe, haud dubie in iis narraverat,

Peloponnesum trajecit, quo Achaeis edixerat con-
2 ventum. Ubi, conlaudata gente, quod constanter vetus decretum de arcendis aditu finium regibus Macedonum tenuissent, insigne adversus Persea odium
3 Romanorum fecit: quod ut maturius erumperet, Eumenes rex, commentarium ferens secum, quod de adparatibus belli omnia inquirens fecerat, Romam
4 venit. Per idem tempus quinque legati ad regem missi, qui res in Macedonia adspicerent. Alexandriam iidem ad Ptolemaeum renovandae amicitiae
5 causa proficisci jussi. Legati erant hi, C. Valerius, Cn. Lutatius Cerco, Q. Baebius Sulca, M. Cornelius
6 Mammula, M. Caecilius Denter. Et ab Antiocho rege sub idem tempus legati venerunt: quorum princeps Apollonius, in senatum introductus, multis ju-

quae ex lib. 41. perierunt. Sed quod Marcellus Achaeis *conventum in Peloponnesum* edixisse dicitur, satis obscurum est. Nam quomodo in Peloponnesum, in qua omnes Achaei sedes habebant? Videtur excidisse nomen loci, quo eos convenire voluit. DUK. Similiter sentit Crevierius.

§. 5. *Cn. Lutatius Cerco*] Puto legendum *C. Lutatius*. Neque enim *Cnaeum* praenomen esse Lutatiorum reperi. Supra in Capitolinis consulibus est *Q. Lutatius C. F. C. N. Cerco*. SIGON.

§. 7. *Quod stipendium serius quoad diem praestaret*] Hoc Sigonio et Gronovio non displicuisse, ex eorum silentio colligo. non possum hoc genus loquendi aliorum scriptorum auctoritate confirmare. Nam pro eo, quod in Plauti Pseud. 2, 2, 28. legitur *dies praestituta est, quoad referret*, Pasferatium maluisse *quam ad referret*, scribit Pareus in Lexic. Plaut. Ea conjectura hic quoque locum habere potest. DUKER. Vocem *quoad* pro quantum ad, quod adtinet ad, apud probos linguae Latinae scriptores non obcurrere, inter plerosque viros doctos constat. Unus eam defendere conatus est Andr. Borrichius in Append. non modo ex hoc loco Livii, sed et ex altero Varr. 7. de Ling. Lat. 93. *Haec sigillatim triplicia esse debent, quoad sexum, multitudinem, casum*. quibus addere potuisset tertium ex ejusdem Varr. 1. de Re rust. 9. *Sic magna tria discrimina terrae, quod refert, utrum sit macra, an pinguis, an mediocris. quoad culturam, pinguis foecundior ad multa, macra contra*. Respondit Mariang. in Auctar. ad Gramm. Philos. pag. 17. barbaros ex *quod ad* fecisse *quoad*; et hunc soloe-

ſtisque cauſſis regem excusavit, *Quod stipendium serius quoad diem praestaret. id se omne advexisse,* 7 *ne cujus, nisi temporis, gratia regi fieret. Donum praeterea adferre, vasa aurea quingentûm pondo. Pe-* 8 *tere regem, ut, quae cum patre suo societas atque amicitia fuisset, ea secum renovaretur: imperaretque sibi populus Romanus, quae bono fidelique socio regi e[illegible]ent imperanda. se nullo usquam cessaturum officio Ea merita in se senatus fuisse, quum Romae esset,* 9 *eam comitatem juventutis, ut pro rege, non pro obside, omnibus ordinibus fuerit.* Legatis benigne re- 10 sponsum, et societatem renovare cum Antiocho, quae cum patre ejus fuerat, A. Atilius praetor urbanus juſſus. Quaeſtores urbani ſtipendium, vasa au- 11 rea censores acceperunt: eisque negotium datum

cismum indoctorum librariorum opera duobus Varronis locis insediſſe. De loco hoc Livii Vorſtius olim Gronovium consuluit, qui in Epiſtola anno CIↃIↃCLXX scripta, quam Vorſtius Valerio Max. praefixit, respondit, se legendum censere *serius quam ad diem*; alibi autem in talibus malle *quod ad*. Hanc conjecturam probavit Vorſtius, cujus verba in libro de Latinit. mer. suspect. cap. 32. digna sunt, quae hic legantur. „Fortassis pro *quoad*, „ut Gronovius conjecit, legen„dum *quam ad diem*. Sane *se*„*rius quoad diem* non poteſt es„se *serius secundum diem*: fo„ret enim locutio plane inepta. „Si quidem quod serum, aut se„rius eſt, id non aliter quam se„cundum diem, vel secundum „tempus serum, aut serius eſſe „poteſt: atque ita *τὸ quoad diem* „plane supervacuum eſſet. Si au„tem, ut vult Gronovius, *serius* „*quam ad diem* legatur, locu„tio plane concinna erat. *Ad* „*diem pecuniam solvere* dice„bant veteres, si conſtituta die „solveretur. Subaudiebant enim „*dictam*, vel *constitutam*: quae „vocabula interdum et diserte „adjiciebant. etc. Ergo *serius* „*quam ad diem*, quod apud Li„vium eſt, erit pro *serius quam* „*ad dictam diem, serius quam* „*par erat*. Ego etiam Gronovii „conjecturae subscribo.“ Facile autem *quâ ad diem* in *quoad diem* corrumpi potuit; ut observat Cellar. in Discuſſ. Append. Danic. pag. 90. Unde vero factum eſſe dicemus, Gronovium in ultimis curis hujus conjecturae non meminiſſe?

§. 10. *A. Atilius praetor urbanus*] Ita primum editum vidi Lugd. anno 1551. Omnes enim priores, et quaedam poſteriores per notas exhibent *A. Atilius pr.*

BIBLIOTECA NAZIONALE VE ROMA

eſt, ut ponerent ea, in quibus templis videretur: legatoque centum millium aeris munus miſſum, et aedes liberae hospitio datae, sumtusque decretus,
12 donec in Italia eſſet. Legati, qui in Syria fuerant, renunciaverunt, in maximo eum honore apud regem eſſe, amiciſſimumque populo Romano.

1 VII. In provinciis eo anno haec. C. Cicerejus praetor in Corsica signis conlatis pugnavit: septem millia Corsorum caesa; capti amplius mille et septingenti. Voverat in ea pugna praetor aedem Ju-
2 noni Monetae. Pax deinde data petentibus Corsis, et exacta cerae ducena millia pondo. Ex Corsica
3 subacta Cicerejus in Sardiniam transmisit. Et in Liguribus in agro Statiellati pugnatum ad oppidum Caryſtum. Eo se magnus exercitus Ligurum contu-
4 lerat. Primo sub adventum M. Popillii consulis moenibus sese continebant: deinde, poſtquam oppidum obpugnaturum Romanum cernebant, progreſſi
5 ante portas, aciem ſtruxerunt: nec consul (ut qui id ipsum obpugnatione comminanda quaeſiſſet) mo-

urb. Ex quo ambiguum manet, utrum Livius dederit *praetor urbis*, an *praetor urbanus*. Utrumque enim ei in usu eſſe, dictum eſt ad 25, 1, 11.

§. 11. *Centum millium aeris munus*] Vide Perizon. de Aere Gravi pag. 116. DUK. Vide ad cap. 19. 6.

Aedes liberae hospitio datae] *Aedes liberas* interpretor, quae nulli alii vel inquilino, vel habitatori servirent, quasque is, cui dabantur, et qui in eis collocabatur, solus cum sua familia incoleret. Sic a Plauto *locus liber* dicitur, ubi remotis interpellatoribus et interventoribus aliquis voluptati, remotis arbitris, operam dare poteſt: nam sic in Poenulo scribit 1, 1, 49.

Locum sibi velle liberum praeberier,
Ubi nequam faciat clam.

Iterum 3, 3, 25.

Liberum ut commonstraremus tibi locum et voluptarium.

TURNEBUS 30. Advers. 32. De *aedibus liberis* vide ad Livii 30, 17, 14. et 35, 23, 11. DUKERUS.

ram certamini fecit. Pugnatum est amplius tres horas, ita ut neutro inclinaret spes. Quod ubi consul 6
vidit, nulla parte moveri Ligurum signa, imperat equitibus, ut equos conscendant, ac tribus simul partibus in hostes, quanto maximo possent tumultu, incurrant. Pars magna equitum mediam trajecit 7
aciem, et ad terga pugnantium pervasit. Inde terror injectus Liguribus. diversi in omnes partes fugerunt. perpauci retro in oppidum, quia inde se ma- 8
xime objecerat eques. et pugna tam pervicax multos absumserat Ligurum, et in fuga passim caesi sunt. Decem millia hominum caesa traduntur; amplius 9
septingenti passim capti; signa militaria relata octoginta duo. Nec incruenta victoria fuit. amplius tria 10
millia militum amissa; quum, cedentibus neutris, ex parte utraque primores caderent.

VIII. Post hanc pugnam ex diversa fuga in unum 1
conlecti Ligures, quum majorem multo partem civium amissam, quam supersesse, cernerent, (nec enim plus decem millia hominum erant) dediderunt sese;

§. 2. *Voverat* etc. *aedem Junonis Monetae*] Casus dandi requiritur. sic enim semper loquitur. Res exemplis non eget. *Junoni* igitur scribe. SIGON. V. tamen ad 32, 6, 7.

Exacta cerae duccna millia pondo] Ita constanter omnes editi. Crevierius tamen malebat *ducenta*. Sed v. ad 4, 16, 6.

§. 3. *In agro Statiellati pugnatum ad oppidum Carystum*] *Statellati* hic et alibi omnes edd. usque ad postremam Gruteri, qui primus *Statiellati* recepit. In eo secutus est Cluverii sententiam 1. Ital. Ant. 10, 82. Dein *Caristum* ed. Basil. anni 1554. et quaedam aliae: quarum forte orthographiam Cluverius probavit. Omnes priores et recentiores scribunt per vocalem Graecam *Carystum*: quomodo etiam nomen urbis Euboïcae scribitur supra 31, 45, 10. et 32, 16, 8. et 17, 1.

§. 1. *Nec enim plus quam decem millia hominum erant*] Ita Clericus edidit; nescio quam ob caussam, quum omnes reliquae edd. *τὸ quam* ignorent, et Livius saepe particulam illam o-

2 nihil quidem illi pacti. speraverant tamen, non atrocius, quam superiores imperatores, consulem in
3 se saeviturum. At ille arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipsos bonaque eorum vendidit: literas-
4 que senatui de rebus ab se gestis misit. Quas quum A. Atilius praetor in curia recitasset, (nam consul alter Postumius, agris recognoscendis in Campania
5 occupatus, aberat) atrox res visa senatui: *Statiellates, qui uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus Romanos, tum quoque obpugnatos, non ultro inferentes bellum; deditos in fidem populi Romani omni ultimae crudelitatis exemplo laceratos ac*
6 *deletos esse: tot millia capitum innoxiorum, fidem*

mittere soleat. V. ad 41, 12, 8. Recte eam Crevierius expunxit: qui insuper observat, vel hic numerum justo majorem esse, vel numerum caesorum in pugna justo minorem. In proxime enim praecedentibus dictum esse, Statiellates in proelio multo majorem civium numerum amisisse, quam supereſſet.

§. 5. *Statiellates, qui uni*] Editi ante Gruter. *Statellates* Vide ad cap. 7, 3.

§. 7. *Quas ob res placere senatui, M Popillium*] Suspicor legendum: *Quas ob res S. C. factum est, placere senatui*, etc. Dixit enim, atrox res visa senatui est, Statellates Ligures, deditos in fidem populi Romani, armis et libertate spoliatos esse. Quare S. C. factum est, placere senatui, M. Popillium consulem Ligures in libertatem restituere, etc. De hoc S. C. ita paulo post [cap. 9, 4.] *Postulare a Patribus, ut S. C. in se factum tolli juberent.* Haec autem verba, *ob eas res placere senatui, ut* etc. solennia esse senatusconsultorum, adparet ex senatusconsultis Philippicarum apud Ciceronem. SIG. Scriptus *Quas ob res placere senatui.* Sigonius ex conjectura *Quam ob rem senatusconsultum factum est, placere.* Hujus partem adoptarunt, partem neglexerunt vulgatae architecti. Ego vero et in scripto delere malim τὸ *senatui*: tantum, abest, ut deesse aliquid putem aut non intelligam senatusconsultum factum esse, etsi factum esse non exprimatur. J. FR. GRON. Vulgatae architecti, de quibus Gronovius hic, vel potius ipse Sigonius in contextu Liviano edi curavit *Quas ob res senatusconsultum factum est, senatui placere.* In prioribus Scholiorum Sigonii edd. conjectura ejus operarum errore ita proponitur *Quam ob res senatusconsultum.* Quod eo inscio postea ab aliis emendatum est *Quam ob rem*, quum ipse potius conjicere voluisse videatur

inplorantia populi Romani, ne quis umquam se postea dedere auderet, pessimo exemplo venisse: et distractos passim justis quondam hostibus populi Romani pacatis servire. Quas ob res placere senatui, 7 *M. Popillium consulem Ligures, pretio emtoribus redditio, ipsos restituere in libertatem: bonaque ut iis, quidquid ejus recuperari possit, reddantur curare.* 8 *Arma primo quoque tempore fieri in ea gente. consulem de provincia decedere, quum deditos in sedem suam Ligures restituisset. Claram victoriam vincendo obpugnantes, non saeviendo in adflictos, fieri.*

IX. Consul, qua ferocia animi usus erat in Ligu- 1 ribus, eamdem ad non parendum senatui habuit.

Quas ob res, tum quia in contextu ita edidit, tum quia in hoc scholio *ob eas res* solemnia senatusconsultorum verba esse agnoscit: quare ita in scholio ejus emendavi. Formulam *Quas ob res* inlustravit Brisson. de Form. 2, 172. alteram *placere senatui* ibid. pag. 194.

§. 8. *Arma quoque tempore fieri in ea gente*] Corrige, *Arma primo quoque tempore fieri*. Nam de consule paulo ante dixit: *At ille arma omnibus ademit*. Quae ergo arma a consule Liguribus adempta fuerant, ea primo quoque tempore fieri censuit senatus, et factum consulis improbavit. Nota dicendi forma est. SIG. Credo *finiri*. Nec enim sensus alioquin est 23, 34, 3. *Tempus esse id jam agi, ut bellum in Hispania finiretur*. Et sic quoque legendum videtur 44, 34, 9. *Aut victoria egregia, aut morte memorabili finituros bellum*. non *inituros*, ut vulgo. JAC. GRON. Formula *primo quoque tempore* innumeris locis apud Livium obcurrit. Vide 2, 48, 1. 3, 40, 14. 40, 26, 8. 28, 10. 29, 13. 42, 18, 3. 27, 2. 28, 1. 43, 7, 4. 8, 7. 11, 3. 12, 1. 16, 12. 44, 17, 2. 21, 8. 28, 15. 45, 17, 5. et alibi. Similiter *primo quoque die*. V. ad 4, 58, 8. Expositio vero verbi *fieri*, quam Sigonius dedit, ferri nequit. Si enim id vellet Livius, non opus fuisset, nova arma fieri, quum ademta reddi possent. Crevierius opinatur, ideo senatum jussisse arma fieri in ea gente, ut rescinderet id, quod fecerat consul, qui non tantum arma Statiellatibus ademerat, sed procul dubio nova etiam fabricari vetuerat. Gronovius *finiri* pro *fieri* scribendum conjicit, et *arma finiri* pro bellum finiri accipit. *Finire bellum* dixit etiam supra 28, 7, 14. *Quum de finiendo Aetolico bello ageretur*. Verum quamvis *arma* pro bello, praesertim apud poëtas, saepe ponantur, exemplum tamen ex prosaïco scriptore requiro, unde

2 Legionibus extemplo Pisas in hibernacula missis, iratus Patribus, infestus praetori, Romam rediit: senatuque extemplo ad aedem Bellonae vocato, mul-
3 tis verbis invectus est in praetorem: *qui, quum ob rem bello bene gestam, uti Diis inmortalibus honos haberetur, referre ad senatum debuisset, adversus se pro hostibus senatusconsultum fecisset, quo victoriam suam ad Ligures transferret, dedique iis prope*
4 *consulem praetor juberet. Itaque multam ei se dicere: a Patribus postulare, ut senatusconsultum in*
5 *se factum tolli juberent: supplicationemque, quam absentes ex literis, de bene gesta republica missis, decernere debuerint, praesentes honoris Deorum primum caussa, deinde et sui aliquo tandem respectu,*

finire arma eo sensu usurpari constet. Locus nondum sanus videtur.

Vincendo obpugnantes] Joh. Clericus conjecit, scribendum *pugnantes*. Non enim de obpugnatione urbium aut castrorum agi: quod probavit Cl. Crevierius.

§. 1. *Qua ferocia animi usus erat in Liguribus*] Pro in Ligures, adversus Ligures. Supra 5, 11, 16. *Minime convenire, quibus iratos quisque Deos precatus sit, in iis sua potestate non uti.* Val. Max. 5, 1, 1. *Clementia in Perse usus est.* Similiter Sallust. Catil. 52, 3. *Cavere ab illis, quam, quid in illis statuamus, consultare.* et §. 12. *Sint sane liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerarii.* ubi vide Cortium, et Ccl. Burm. ad Ovid. 9. Met. 274. Adde, quae notavi ad 28, 43, 8.

§. 2. *Infestus praetoribus, Romam rediit*] Lege *praetori*. A. enim Atilium intelligit. Itaque addit: *Invectus est in praetorem, qui adversus se pro hostibus senatusconsultum fecisset.* SIGONIUS.

§. 4. *Ob bello rem bene gestam*] Ita ultima Gruteri editio, eamque secutae recentiores. Priores legunt *ob rem bello bene gestam*; quod sine caussa loco motum restitui.

§. 5. *Quam absentes ex literis*] Lege, *quam absenti sibi ex literis de bene gesta republica missis decernere debuerint, praesenti honoris.* J. FR. GRON. Pithoeus, teste Hearnio, conjecit *absente se ex literis*, et mox *praesente honoris.* Posses etiam *quam absentis ex literis, de bene gesta republica missis, decernere debuerint, praesenti sibi honoris.* Doujatius vulgatum tuetur, et *absentes* intelligit, nempe a se consule, sive ab eo loco, ubi ipse

decernerent. Nihilo lenioribus, quam absens, sena- 6
natorum aliquot orationibus increpitus, neutra impetrata re, in provinciam redit. Alter consul Postu- 7
mius, consumta aestate in recognoscendis agris, ne visa quidem provincia sua, comitiorum caussa Romam rediit. consules C. Popillium Laenatem, P. Ae- 8
lium Ligurem creavit. Praetores exinde facti C. Licinius Crassus, M. Junius Pennus, Sp. Lucretius, Sp. Cluvius, Cn. Sicinius, C. Memmius iterum.

X. Eo anno lustrum conditum est. Censores e- 1
rant Q. Fulvius Flaccus, A. Postumius Albinus. Postumius condidit. Censa sunt civium Romanorum 2
capita ducenta sexaginta novem millia et quindecim. Minor aliquanto numerus, quia L. Postumius consul 3

erat. Nec displicere videtur Crevierio, qui notat, tam abfuisse senatum a Popillio, quam Popillium ab senatu. Ambo vero non adverterunt, Gronov. etiam *praesenti*, pro *praesentes*, emendasse.

§. 6. *In provinciam rediit*] Ita Gronov. anno 1665. edidit, et ejus exemplo reliqui. Priores omnes *redit*. Vide ad 36, 35, 2.

§. 8. *Praetores deinde facti*] *exinde* editiones ante Dan. Heinsii Elzevirianam, quod restitui. Supra 31, 4, 4. *Praetores exinde facti Q. Minucius Rufus*, etc. 37, 47, 8. *Praetores exinde facti duo Q. Fabii*, etc. 40, 35, 2. *Praetores exinde facti Ti. Sempronius Gracchus*, etc.

M. Junius Poenus] *Pennus*, ut ante. SIG. V. ad 29, 11, 13.

C. Memmius iterum] Primam illius praeturam Pighius ex verosimili conjectura ponit in A. V. DCLXXVIII. cujus anni comitia et nomina praetorum lib. 41. desiderantur. DUKER.

§. 1. *L. Postumius Albinus*] *A. Postumius* ex censura Capitolina, et Livio supra [41, 27.] SIG. Hanc conjecturam recepi. Receperat etiam Sigonius; sed sequentes priorem lectionem male revocarunt. *L. Postumius Albinus* hoc anno consul fuit. Supra 41, 28. 42, 1. Hinc censuram gerere non potuit. A. autem et L. Postumii Albini fratres fuisse videntur; ambo enim in fastis dicuntur *A. F. A. N.*

§. 2. *Ducenta sexaginta novem millia et quindecim*] Epitome hujus lib. numerat *ducenta quinquaginta septem millia ducenta triginta unum*, quae qua ratione commode in concordiam redigantur, non video. Pighius in Annal. ad A. V. DCLXXXIX. pag. 356. veriorem pronunciat lectionem Epitomes, ea motus ratione, quod Livius subjungat, civium numerum *multo mino-*

pro concione edixerat, qui sociùm Latini nominis ex edicto C. Claudii consulis redire in civitates suas debuiſſent, ne quis eorum Romae, sed omnes in suis civitatibus censerentur. Concors et e republica censura fuit. omnes, quos senatu moverunt, quibusque equos ademerunt, aerarios fecerunt, et tribu moverunt: neque ab altero notatum alter probavit. Fulvius aedem Fortunae Equeſtris, quam proconsul in Hispania, dimicans cum Celtiberorum legionibus, voverat, annos sex poſt, quam voverat, dedicavit: et scenicos ludos per quatriduum, unum diem in

rem solito fuiſſe. Luſtro autem priore, ut teſtatur auctor Epit. 41. *Censa sunt civium capita ducenta septuaginta tria millia ducenta quadraginta quatuor.* At mihi dubium eſt, uter numerus verior sit: eo enim, quem Epit. libri praecedentis edit, minor eſt, non modo quem Epitome hujus libri, sed et ipse Livius hic praefert: neque Livius *multo*, sed *aliquanto minorem* fuisse tradit. Sufficere igitur videtur, quatuor millibus et quod excurrit minorem civium numerum hoc, quam proximo, luſtro censum fuiſſe.

§. 3. *Ne quis eorum Romae, sed omnes in civitatibus suis censerentur*] Ita primus Curio edidit. Et tale quid sensus exigit. Priores typis excusi legunt *Romae, et omnes.* Solent autem voculae *et* ac *sed* in Mſtis confundi. Vide ad 40, 58, 1. Forte tamen minori mutatione legi poteſt *Romae, at omnes.* Haec autem particulae similiter a librariis confunduntur. Vide ad 36, 35, 7.

§. 4. *Neque ab altero notatum probavit*] Corrigo: *neque ab altero notatum alter probavit.* Sic lib. 45, [15, 9.] *Neque ullius, quem alter notaret, ab altero levata ignominia.* Hac de ratione censoria sic Cicero pro Cluent. [43.] *Atqui ipsi inter se censores sua judicia tanta esse arbitrantur, ut alter alterius judicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat; ut alter de senatu movere velit, alter retineat; alter in aerarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet.* SIG. Vox *alter*, quam Sigonius addidit, operarum neglegentia in una tantum deeſt ed. Basil. anni 1554.

§. 5. *Annos sex post, quam voverat*] Cl. Jac. Perizon. in margine Livii scribendum conjecit *annos octo.* Voverat aedem consulibus A. Poſtumio Albino Lusco et C. Calpurnio Pisone. V. lib. 40, 40. conlato cap. 35. Illi autem secundum Faſtos Capitol. consulatum obtinuerunt A. V. IↃLXXIII. nunc vero dedicatur L. Poſtumio Albino et M. Popillio Laenate consulibus, qui in iisdem Faſtis eſt A. V. IↃLXXX. Inter utrumque annum intersunt sex medii anni, et nihil in Livio

circo fecit. L. Cornelius Lentulus decemvir sacro- 6
rum, eo anno mortuus est. in locum ejus subfectus
A. Postumius Albinus. Locustarum tantae nubes a 7
mari vento repente in Apuliam inlatae sunt, ut exa-
minibus suis agros late operirent. ad quam pestem 8
frugum tollendam Cn. Sicinius praetor designatus,
cum imperio in Apuliam missus, ingenti agmine ho-
minum ad colligendas eas coacto, aliquantum tem-
poris absumsit. Principium insequentis anni, quo 9
C. Popillius et P. Aelius fuerunt consules, residuas
contentiones ex priore anno habuit. Patres referri 10

mutandum erit, si in numerandis annis omittamus et illum, quo vota, et illum, quo dedicata aedes est. Ita Livium numerare solitum fuisse, docet Sigon. ad 25, 15, 19. et 40, 52, 4. V. etiam, quae dixi ad 33, 44, 2. 34, 44, 2. et 38, 52, 7. Sunt tamen etiam exempla, ubi alterum terminum numero comprehendere Livius solet. V. ad 4, 20, 8. et 34, 1, 3. Ad priorem autem Livii locum alii docuerunt, eum interdum utrumque terminum numeraſſe; quod etiam exemplis probare conatur Dodwell. de Cyclis Diſſ. 10. §. 26. pag. 493. ubi docet, *tertium annum*, *diem* vocari, licet inter utrumque terminum unus tantum dies medius sit. Exemplis ejus adde alia Livii 44, 3. 4. 5. 45, 1, 6. cap. 9, 3. Video, quid Perizon. in errorem induxerit, ut ita emendaret. Primo enim numeravit alterutrum tantum annum, quo aedes vel vota vel dedicata est; deinde dedicationem retulit in annum sequentem, quo C. Popillius Laenas et P. Aelius Ligus consules fuere, quia eorum creationem Livius jam cap. praec. memoravit. At posterius male. Cn. Sicinius, qui eodem tempore praeturam, quo illi consulatum, obtinuit, postea hoc cap. adhuc *praetor designatus* vocatur; et ulterius eodem cap. sequitur: *Principium insequentis anni, quo C. Popillius et P. Aelius fuerunt consules, residuas contentiones ex priore anno habuit.* Inde autem demum gesta istius anni referre incipit.

Et scenicos ludos per quatriduum] Voverat ludos Jovi optimo maximo et aedem Fortunae Equestri 40, 40. Ludos Jovi fecit in consulatu, 40, 45. Hi, quos nunc edit, fuerunt ludi dedicationis aedis Fortunae Equestris: nam, dedicationis templorum. causſa ludos fieri, mos erat. V. 40, 52. DUKER.

§. 6. *In locum ejus subfectus A. Postumius Albinus*] Non intelligo A. Postumium virum consularem, hujusque lustri censorem. Vix enim verisimile videtur, sacerdotium illud, licet inter praecipua sacerdotia Romae habitum fuerit, nunc demum in virum provectae aetatis tantaeque dignitatis conferri: sed intelligi potest alius, quem Cic. 4. Academ. 45. praetorem fuisse re-

de Liguribus, renovarique senatusconsultum volebant, et consul Aelius referebat. Popillius et collegam et senatum pro fratre deprecabatur; prae se ferens, si qui decernerent, interceſſurum, collegam
11 deterruit. Patres, eo magis utrique pariter consulum infenſi, in coepto perſtabant. Itaque, quum de provinciis ageretur, et Macedonia, jam imminente Persei bello, peteretur, Ligures ambobus consu-
12 libus decernuntur. Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popillio referretur. Poſtulantibus deinde, ut novos exercitus scribere, aut supplementum ve-
13 teribus liceret, utrumque negatum eſt. Praetoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum: M. Junio in citeriorem, Sp. Lucretio in
14 ulteriorem. C. Licinius Craſſus urbanam jurisdictio-

fert P. Scipione et M. Marcello consulibus sive A. ɔɔLXXXVIII. consulem vero cum Lucullo, sive A. V. ɔɔCII.

§. 8. *C. Sicinius praetor designatus, cum imperio in Apuliam missus*] Sigon. disput. poſter. cum Gruchio pag. 748. hoc non *imperium magistratus*, sed *imperium militare* fuiſſe contendit, quia Sicinius magiſtratum nondum inierat, sed tantum praetor designatus erat. Respondit ei Gruchius cap. 33. Refutat. ad poſter. Sigonii disput. Quae Sigonius cap. ult. de Lege Curiata reponit, non videntur evertere sententiam Gruchii. DUKER. *C. Sicinius* operarum errore primae exhibuerunt Gruteri edd. pro quo Hearne et Crevier. recte reſtituerunt *Cn. Sicinius*, ut habent edd. antiquiores. Et ita vocatur cap. praec. et mox hoc ipso cap.

§. 11. *Incoepto perstabant*] Dividendae voces sunt *in coepto*. Et lib. 45, [15, 7.] *in bene coepto perseverare* aït. SIGON. Etiam conjici poteſt *in incepto*. 32, 23. *Pertinacius Quintius in incepto perstabat*. Adde Jac. Gronov. ad 8, 33, 6. DUK. *in coepto*, divisis vocibus, ut Sigonius scribendum monuit, omnes edd. ante Basil. anni 1554. quae librariorum lapsu una voce *incoepto* dedit.

§. 15. *Consules, ob ea irati senatui, Latinis feriis*] Non moverem, si haec verba cauſſis irarum ſtatim subjicerentur, non interjectis, quae de provinciis praetorum proxime praecedunt. Nunc suspicor ab Livio relictum: *Consules obirati senatui*. Quo verbo usus et l. 1, [31, 3.] *Aut Romana sacra susceperant aut fortunae, ut fit, obirati cultum reliquerant Deûm*. Seneca de

nem, Cn. Sicinius inter peregrinos erat sortitus, C. Memmius Siciliam, Sp. Cluvius Sardiniam. Consules, ob ea irati senatui, Latinis feriis in primam quamque diem indictis, in provinciam abituros esse denunciarunt; nec quidquam reipublicae acturos, praeterquam quod ad provinciarum administrationem adtineret. 15

XI. Attalum, regis Eumenis fratrem, legatum ve- 1
niſſe Romam, Valerius Antias his consulibus scribit, ad deferenda de Perseo crimina, indicandosque adparatus belli. Plurium annales, et quibus credidiſſe malis, ipsum Eumenem veniſſe tradunt. Eu- 2
menes igitur, ut Romam venit, exceptus cum tanto honore, quantum non meritis tantum ejus, sed beneficiis etiam suis, ingentia quae in eum congeſta

Tranq. anim. (2.) *Et ex hac deinde aversatione alienorum processuum et suorum desperatione obirascens fortunae animus, et de saeculo querens.* Appulejus in Apologia [p. 275. ed. Elmenh.] *Cum etiam hi, qui sibi delicti alicujus conscii sunt, tamen, cum male audiunt, commoveantur et obirascantur.* Eſt et apud Cicer. ad Attic. [6, 3.] *obiratio.* Prorsus τὸ *ea* insiticium ab ignorantibus id verbum videtur. J. FR. GRON. Appulej. in Florid. pag. 357. *Summum argumentum amoris frequentibus delectari, cessantibus obirasci.* Gronovio adversari videtur Perizon. qui ad marginem Livii notavit, quae de provinciis interponuntur, per occasionem dicta esse, quia et illis supplementum negatum fuit aeque ac consulibus. Verba igitur *Praetoribus quoque in Hispaniam* etc. *Sp. Cluvius Sardiniam* quasi per parenthesin interjecta esse, et ad ea, quae verba illa praecedunt, referendum, quod sequitur, *Consules ob ea irati senatui. ob ea*, nempe quod provincia Macedonia, et vel novos exercitus, vel supplementum veteribus scribere negaretur. At Gronovii emendationem probavit Celeberr. Graevius ad Cic. 6. ad Att. 3.

In provinciam abituros se denunciarunt) Ita Frob. editio anni 1535. sed prima legit *abituros esse denunciarunt* sine praenomine, quod commode intelligi poteſt. Supra hoc cap. §. 10. *Prae se ferens, si quid decernerent, intercessurum, collegam deterruit.* Et deinde §. 12. *Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popillio referetur.* c. 17, 8. *Facturum pollicitus proficiscitur.* c. 24, 7. *Si aliquid possent Ma-*

erant, existimaret deberi populus Romanus, in se-
3 natum est introductus. *Caussam veniendi sibi Romam fuisse*, dixit, *praeter cupiditatem visendi Deos hominesque, quorum beneficio in ea fortuna esset, supra quam ne optare quidem auderet, etiam ut coram*
4 *moneret senatum, ut Persei conatis obviam iret.* Orsus inde a Philippi consiliis, *necem Demetrii filii* retulit, *adversantis Romano bello; Bastarnarum gentem excitam sedibus suis, quorum auxiliis fretus in*
5 *Italiam transiret. Haec cum volutantem in animo, obpressum fato, regnum ei reliquisse, quem infestissimum esse sensisset Romanis. itaque Persea, haereditarium a patre relictum bellum, et simul cum imperio traditum, jamjam primum alere ac fovere omni-*

sinissae honoris caussa, et fecisse, et facturos esse. cap. 26, 8. *Pollicitosque, omnia, quae populus Romanus imperasset, praestaturos.* c. 38, 5. *Singulis enim civitatibus de se ipsis consulendi potestatem facturos.* c. 55, 3. *Ne Romani quidem ab nuunt, magna sua cum clade fuisse pugnaturos.* 43, 16, 15. *Juravit, si collega damnatus esset, comitem exsilii ejus futurum.* 44, 14, 7. *Iis pollicitum, deprecatorem apud senatum futurum.* 45, 13, 15. *Masinissam meminisse, regnum a populo Romano partum, auctumque, et multiplicatum habere.* cap. 44, 6. *Quum praetor senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset.* Eodem cap. §. 10. *Responsum est, legatos ad rem inspiciendam missuros.* Vide Gronov. ad 40, 42, 3. et quae notavi ad 1, 23, 5.

§. 3. *Supra quam ne optare quidem auderet*] Addendam esse vocem *quidquam*, monet Clariss. Crevierius.

Ut Persei conatis obviam iret] Observat Doujatius, Livium minus usitata inflexione *conatis* dixisse pro *conatibus*. Eadem etiam utitur supra 21, 50, 9. *Statum deinde insulae et Karthaginiensium conata exposuit* Et ita Silius, perpetuus Livii imitator, 12, 434.

Verterat et mentem Tyria ad conata Tarentus.

Caesar 1. Bell. Gall. 3. *Perfacile factu esse illis probat, conata perficere.* V. Nic. Heinsium ad Vell. Paterc. 2, 35. et Vorstii Indic. Corn. Nepot. voce *Conata.*

§. 5. *Jamjam primum alere ac fovere*] Lege *tanquam primum alere.* L. 34, [58, 8.] *Quan-*

nibus consiliis. Florere praeterea juventute, quam 6
stirpem longa pax ediderit, florere opibus regni, florere etiam aetate. Quae quum corporis robore ac viribus vigeat, animum esse inveteratum diutina arte atque usu belli. Jam inde a puero, patris contuber- 7
nio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantum, adsuetum, missum a patre in expeditiones multas variasque. Jam ex quo ipse accepisset regnum, mul- 8
ta, quae non vi, non dolo, Philippus, omnia expertus, potuisset moliri, admirando rerum successu tenuisse. Accessisse ad vires eam, quae longo tempo- 9
re, multis magnisque meritis pareretur, auctoritatem.

XII. *Nam apud Graeciae atque Asiae civitates ve-* 1
reri majestatem ejus omnes. nec, pro quibus meritis,

doquidem, inquit, honesta pensamus, sicut aut sola aut prima pensari decet. J. FR. GRONOV. Non adsequor, cur hoc loquendi genus durius, quam pro Liviana elegantia, Crevierio visum sit.

§. 6. *Usu belli jam inde a puero*] Ita edidit Jac. Gronov. anno 1679. operarum errore omissa majori distinctione post vocem *belli*; quam non modo servant priores editores, sed ipse etiam in minori editione, quae eodem tempore lucem vidit. Distinctionem etiam omiserunt Clericus et Crevierius: quorum hic insuper et majorem interpunctionem post vocem *contubernio* interposuit.

§. 9. *Quae longo tempore, multis magnisque meritis pararetur, auctoritatem*) Ita demum inveni in ed. Basil. anni 1554. Priores praeferunt *pareretur*: quod non est, cur displicere debeat. *Parere* passim pro adquirere, nancisci, consequi adhibetur. 6, 25, 6. *Sibi gloriam ingentem peperit.* 21, 63, 4. *Res* etc. *invidiam apud nobilitatem suasori legis Flaminio. favorem apud plebem alterumque inde consulatum peperit.* 30, 14, 7. *Multo majus decus, majoremque victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo habemus.* 34, 44, 5. *Gratiam ingentem apud eum ordinem pepererunt.* 42, 61, 10. *Similem gloriam ex hoste pariendi occasionem optabant.* Vide Cel. Duker. ad Livii 27, 45, 5. et Bentlej. ad Ter. Eun. 1, 2, 69. Solent autem verba *parere* et *parare* passim confundi. Vide ad 5, 6, 1.

§. 1. *Nam apud Graeciae atque Asiae civitates vereri ma-*

pro qua munificentia tantum ei tribuatur, cernere:
2 *nec dicere pro certo posse, utrum felicitate id quadam ejus accidat, an, quod ipse vereatur dicere, in-*
3 *vidia adversus Romanos favorem illi conciliet. Inter ipsos quoque reges ingentem auctoritate; Seleuci filiam duxisse eum, non petentem, sed petitum ultro; so-*
4 *rorem dedisse Prusiae precanti ac oranti: celebratas esse utrasque nuptias gratulatione donisque innume-*

jestatem ejus omnes] Vulgatum defendi posse, haud ignoro. Vide tamen, an praestet, una voce deleta legi, *Nam Graeciae atque Asiae civitates vereri majestatem ejus omnes.* Infra cap. 13, 3. *Cernebam nobilissimas Asiae et Graeciae civitates, in dies magis nudantes judicia sua.* c. 14, 5. *Omnibus civitatibus Graeciae atque Asiae curae erat, quid Persei legati, quid Eumenes in senatu egisset.* Insuper *Asiae cives* ed. princeps, pro quo proxima anni 1535. *civitates* reposuit.

§. 3. *Seleuci filiam duxisse eum*] Philopatoris, qui fuit Antiochi Magni filius, Demetrii Soteris pater. Nomen ejus Laodice. Marmor Arundellianum [p. 277.] *Ὁ δῆμος ὁ Δηλίων βασίλισσαν Λαοδίκην βασιλέως Σελεύκου, γυναῖκα δὲ βασιλέως Πέρσεως, ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ εὐσεβείας τῆς περὶ τὸν ἱερὸν καὶ εὐνοίας εἰς τὸν δῆμον τῶν Δηλίων.* Hinc potest juvari Seldenus, qui notat, Laodicen aut hujus uxorem, aut illius filiam alibi occurrere, se non meminisse: uxorem autem Persei, sed sine nomine, appellari Plutarcho [in vita Paulli p. 269.] Ex Livio tanto amplius scimus, Seleuci filiam fuisse. J. FR. GRONOV. Sponsam Persei Laodicen dictam esse, omisso tamen Patris nomine, monet etiam Polyb. Exc. Legat. num. 60. ex edit. Gronovii pag. 1224. nam in prima Ursini non habentur. *Καὶ γὰρ ξύλων πλῆθος εἰς ναυπηγίαν ἐδίδοτο παρὰ τοῦ Περσέως τοῖς Ῥοδίοις· καὶ σελγίδα χρυσῆν ἑκάστῳ τῶν * φρακτήτων ἐδεδώρητο, τῶν νεωσὶ γεγυμφαγωγηκότων ἀντῷ τὴν Λαοδίκην.* Ad quem locum jam Ursinus hunc Livii laudavit. Forte ibi legendum *σελγίδα χρυσῆν ἑκάστῳ τῶν καταφράκτων ἐδεδώρητο*, quod redderem *strigilem auream cuilibet cataphractorum equitum donaverat.* *σελγίδα* ibi vertitur nunc *taeniam.* Haec autem uxor Laodice diversa fuisse videtur ab illa, quam post patris mortem manu sua occidisse dicitur supra cap. 5.

Sororem dedisse Prusiae precanti ac oranti] Legendum *et oranti.* V. ad 10, 36, 17. Prusiam Persei sororem uxorem habuisse, Livius etiam infra innuit cap. 29. Haec autem prima ejus uxor fuisse videtur, ex qua suscepit filium Nicomedem, patri in regno succedentem. Postea enim et aliam uxorem duxit, Diegyllis Thracis filiam; unde sustulit liberos, quorum causa ex priori natum Nicomedem interficere voluit: sed is patrem occupans interfecit. Vide Justin.

rabilium legationum, et velut auspicibus nobilissimis populis deductas esse. Boeotorum gentem, captatam Philippo, numquam ad scribendum amicitiae foedus adduci potuisse: tribus nunc locis cum Perseo foedus incisum literis esse: uno Thebis, altero ad Delum, augustissimo et celeberrimo in templo, tertio Delphis. in Achaïco concilio vero, nisi discussa res per paucos Romanum imperium intentantes esset, 5 6

34, 4. et Appian. in Mithrid. p. 172. et 174. Ex hac posteriori uxore procreatus videtur Prusias, cognominatus *Monodes*; de quo vide Valer. Max. 1, 8. ext. 12. et Fest. voc. *Monodes*. Vide ad Epit. 50.

§. 4. *Utrasque nuptias gratulatione* etc.] Appianus: *Διέβαλλε δὲ αὐτοῦ καὶ τὰς ἐπιγαμίας βασιλικὰς ἄμφω γενομένας, καὶ τὰς νυμφαγωγίας ὅλῳ τῷ Ῥοδίων σόλῳ παραπεμφθείσας.* URSIN. Est in Appiani Legat. 25. qui sine dubio e Polybio descripsit. Nam eadem, quae Appianus, quod recte animadvertit Ursinus, habet etiam Livius; hic autem Polybium interpretatus est, non Appianum. Sed Livius hic *auspices* de suo, orationis hoc quasi emblemate exornandae caussa, videtur addidisse, ad auspices, qui apud Romanos ad nuptias adhibebantur, respiciens; a quibus tamen sponsas ad sponsos deductas fuisse, ut apud Graecos ab iis, qui *νυμφαγωγοὶ* dicebantur, fortassis nusquam traditum est. Nec valde usitatum genus loquendi est *nuptias deductas esse*, pro sponsas deductas esse; nam ita interpretatus est Graeca Polybii *τὰς νυμφαγωγίας παραπεμφθείσας*. DUKER. De auspicibus in nuptiis vide Briffon. de Rit. Nupt. pag. 37. et Hotom. de Vet. Rit. Nupt. cap. 12.

§. 6. *Altero ad Sidenum, augustissimo et celeberrimo in templo, tertio Delphis*] Videtur legendum *ad Delum* ex Suida [*v. Περσεύς,*] qui de Perseo ait: *καὶ τούτων ἐξεδίει προγραφὰς εἰς τε Δῆλον καὶ Δελφούς.* SIG. Locus Suidae, a Sigonio laudatus, descriptus est ex Polyb. cujus fragmentum exstat in Excerpt. Peiresc. pag. 1440. Verum ex eo, aeque atque ex Suida, inspecto patet, huc non pertinere. Narrat enim Polybius, Persea post mortem patris, renovata cum Romanis amicitia, Graecos omnibus modis sibi conciliare conatum esse, ideoque eos, qui vel aeris alieni caussa, vel judicio damnati, vel ob majestatis crimina ex Macedonia profugerant, revocasse, et edicta de ea re proposuisse *εἰς τε Δῆλον, καὶ Δελφούς, καὶ τὸ τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἱερόν.* Ita enim plenius, quam Suidas, locum Polybii exhibet codex Peiresc. nisi quod praeferat *τῆς Σιτωνίας Ἀθηνᾶς*, perperam in voce sequenti repetita ultima articuli *τῆς* litera, pro quo recte *Ἰτωνίας* legit Valesius. Licet autem de alia re Polybius, de alia Livius agant, veram tamen puto Sigonii conjecturam, nisi forte

eo rem prope adductam, ut aditus et in Achajam
7 *daretur. At, Hercule, suos honores, cujus merita*
in eam gentem privatim, an publice, sint majora, vix
dici posset, partim desertos per incultum ac negle-
gentiam, partim hostiliter sublatos esse. Jam, Ae-
tolos, quem ignorare, in seditionibus suis non ab Ro-
8 *manis, sed a Perseo praesidium petiisse? His eum*
fultum societatibus atque amicitiis eos domesticos
adparatus belli habere, ut externis non egeat; trigin-
ta millia peditum, quinque millia equitum: in decem
annos frumentum praeparare, ut abstinere et suo et
9 *hostium agro frumentandi caussa possit. Jam pe-*
cuniam tantam habere, ut decem millibus mercena-
riorum militum, praeter Macedonum copias, stipen-
dium in totidem annos praeparatum habeat: praeter
10 *annuum, quod ex metallis regiis capiat, vectigal. Ar-*
ma vel tribus tantis exercitibus in armamentaria con-
gessisse. Juventutem, ut jam Macedonia deficiat,

legendum sit *ad insulam Delum*, pro *ad Sidenum*.

§. 7. *Suos honores* etc.] Qui tamen postea, Attalo Eumenis fratre operam dante, restituti sunt. Vide Polyb. Exc. Peiresc. pag. 1445. et Exc. Legat. num. 74. De his honoribus vide etiam Vales. ad Exc. Peiresc.

§. 8. *In decem annos frumentum praeparare*] Confer. Plutarch. in Aemil. Paull. pag. 259. Ceterum *praeparatum* scribendum conjicit Crevier. et ex praecedentibus supplendum esse *habere*.

§. 9. *Ut decem millia mercenariorum*] Quem fugere potest, scribendum esse *decem millibus*? J. FR. GRON. Recte. Forte olim per notas scriptum fuerat *ut X.* ∞, vel *ut X. M.* quod perperam postea a librariis *ut decem millia* redditum est, pro *millibus*. Eos alibi saepe ita erraſſe, vidimus ad 25, 9, 16. 32, 23, 10. 36, 1, 8. Similiter eos in reddendis aliis numerorum notis lapsos esse, vidimus ad 40, 18, 5. et 42, 18, 7. ut et in quibusvis vocibus per compendium scriptis ad 10, 10, 2. Cl. Ant. Perizon. ad marginem Livii notavit, etiam legi posse *ut in decem millia*.

Ex metallis regiis] Id est, locis, unde metalla eruuntur, me-

velut ex perenni fonte unde hauriat, Thraciam subjectam esse.

XIII. Reliquum orationis adhortatio fuit. *Non* 1
ego haec, inquit, *incertis jactata rumoribus, et cupidius credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, adfero ad vos, Patres conscripti; sed comperta et explorata, haud secus quam si speculator missus a vobis subjecta oculis referrem. Neque, re-* 2
licto regno meo, quod amplum et egregium vos fecistis, mare tantum trajecissem, ut vana ad vos adferendo fidem abrogarem mihi. Cernebam nobilissi- 3
mas Asiae et Graeciae civitates, in dies magis denudantes judicia sua, mox, si permitteretur, eo processuras, unde receptum ad poenitendum non haberent. Cernebam Persea, non continentem se Mace- 4
donicae regno, alia armis occupantem, alia, quae vi subigi non possunt, favore ac benevolentia complectentem. Videbam, quam inpar esset sors, quum ille 5

tallifodinis. Supra 39, 24, 2. *Metalla etiam et vetera intermissa recoluit, et nova multis locis instituit.* 42, 52, 12. *Se et pecuniam et frumentum, praeter reditus metallorum, in decem annos seposuisse.* 45, 18, 3. *Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque praediorum rusticorum tolli placebat.* c. 29, 11. *Metalla quoque auri et argenti non exerceri, ferri et aeris permitti.* c. 30, 3. *Prima pars Bisaltas habet, fortissimos viros, et multas frugum proprietates, et metalla* c. 40, 2. *Tantum pecuniae partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis coacervatum fuerat.* Justin. 8, 3. *Auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat.* Vide Goesii Indicem in Rei agrar. script. v. *Metalla.* Pari modo Graeci utuntur voce μέταλλα. Pausan. Att. 1. Ἔνδα ποτὲ Ἀθηναίοις ἦν ἀργύρου μέταλα.

§. 10. *Vel tribus tantum exercitibus*] Corrigo *vel tribus tantis.* quo de dicendi genere libro priore dictum est. SIGONIUS. Vide ad 39, 44, 3.

§. 5. *Quum ille vobis bellum, vos ei securam pacem praestaretis*] Notari jubet hoc Muretus: verbum enim *praestandi* non convenire ad utrumque. At ego ajo, Livium scripsisse: *cum ille*

vobis bellum, vos ei securam pacem praestaretis: quamquam mihi quidem non parare, sed gerere pene
6 *bellum videbatur. Abrupolim, socium atque amicum vestrum, regno expulit. Artetarum Illyrium, quia scripta ab eo quaedam vobis comperit, socium*
7 *item atque amicum vestrum, interfecit. Euersam et Callicritum Thebanos, principes civitatis, quia liberius adversus eum in concilio Boeotorum locuti fuerant, delaturosque ad vos, quae agerentur, professi*
8 *erant, tollendos curavit. Auxilium Byzantiis adversus foedus tulit, Dolopiae bella intulit, Thessaliam*

vobis bellum pararet, vos ei pacem praestaretis. Cur ita? quia sequitur: *quamquam mihi quidem non parare, sed gerere paene bellum videbatur.* Est enim correctio, tamquam minus quam res est, dixisset. Oportuit igitur etiam eum dixisse, quod corrigit. J. FR. GRON. Ut integrae vocis interjectio, ubi nulla lacuna adparet, eo tolerabilior videatur, cogitandum est, partem hanc Livii ex unico cod. evulgatam esse; multisque de caussis vocem ex cod. illo excidere potuisse, et passim voces ex quibusque codd. excidisse. V. ad 36, 19, 13.

§. 6. *Abrupolim, socium atque amicum vestrum*] Appianus in Exc. Legat. [num. 25.] *Καὶ τῶν ὑμετέρων φίλων καὶ συμμάχων Ἀβρόυπολιν μὲν ἀφῃρεται τὴν ἀρχήν· Ἀρτέταυρον δ' ἐν Ἰλλυριοῖς καὶ δυνάστην ἔκτεινεν ἐπιβουλεύσας, καὶ τοὺς ἐργασαμένους ὑποδέδεκται.* Non est dubitandum, quin a Polybio sumserit Livius, unde Appianus etiam fere ad verbum accepit. URSINUS ad Exc. Legat. p. 121. De hoc, et Artetaro rursus est cap. 40. 41. Adde Sylburg. et Kuhn. ad Pausan. 7, 10. DUKER. Prima et reliquae edd. hic *Abrupolim* praeferunt; sed infra c. 40. et 41. omnes ante Sigonium *Abrypolim.* Veriorem autem esse hujus loci lectionem docent, quae Ursin. ad Exc. Legat. pag. 121. notavit. Fuisse hunc Abrupolim *Σαπέων* vel *Σαπαίων βασιλέα*, ex Pausan. in Achaïc. cap. 10. patet.

Artetarum Illyrium] Eum *Ἀρτέταυρον ἐν Ἰλλυριοῖς δυνάστην* vocat Appian. in Exc. Legat. num. 25. pag. 364. Si autem Ursini emendationem loci Pausaniae, quam ad d. l. Appiani proponit, recipimus, Perseus Artetarum in exsilium pepulit, quem tamen interfectum esse Livius hic, infra cap. 40. 41. et Appian. referunt. Doujatius male *Aretarum* edidit, eumque a Polybio *Arthetaerum* vocari dixit. At in Polyb. nulla ejus mentio obcurrit. Forte scribere voluit, eum ita ab Appiano vocari. Verum ita errorem operarum in ed. Gronov. anni 1679. *Ἀρτέταιρον* pro *Ἀρτέταυρον* fideliter expressit.

et Doridem cum exercitu pervasit, ut in bello intestino deterioris partis auxilio meliorem adfligeret. Confudit et miscuit omnia in Thessalia Perrhaebia- 9
que spe novarum tabularum, ut manu debitorum obnoxia sibi optimates obprimeret. Haec quum vo- 10
bis quiescentibus et patientibus fecerit, et concessam sibi Graeciam esse a vobis videat; pro certo habet, neminem sibi, antequam in Italiam trajecerit, armatum obcursurum. Hoc quam vobis tutum aut hone- 11
stum sit, vos videritis: ego certe mihi turpe esse duxi, prius Persea ad bellum inferendum, quam me

§. 7. *Euersam*] Malo *Euercam*, quod nomen Graecum est. HENR. VALESIUS. Conjecturam hanc Clericus in contextum recepit, quum tamen infra cap. 40. *Euersam* servarit. Crevierius utrobique edidit *Euercam*. Sane *ἐυερκὴς* nomen Graecum est; verum inde *Euercam* casu quarto formari nequit: ut enim a Graeco *Δημοσθένης* Latini fecerunt *Demosthenem*, ita ab *Ἐυερκὴς* faciendum erat *Euercem*.

Callicritum] Puto legendum *Callicratem*, quem nominat Pausanias in Laconicis (immo in Achaïc. cap. 10.) Achaeorum res ad Romanos trahentem. URSIN. Fulvius legendum putat *Callicratem*, quem nominat Pausanias in Laconicis res ad Romanos trahentem. At Callicrates ille satis ex Polybio notus Achaeus fuit; hi Thebani principes. J. FR. GRON. Recte Gronov. *Callicritum* adversus Ursinum defendit. Non modo enim Callicrates ex Polybio satis notus Achaeus fuit, at hic memoratus dicitur Thebanus fuisse; verum etiam ex variis locis ejusdem Polybii constat, Callicratem Achaeum finito bello Macedonico, quo Perseus a Romanis captus est, diu superfuisse. Vide Exc. Legat. num. 94. 105. et 139. et quidem paullo ante bellum Achaïcum *κατὰ τὴν Ῥοδον τελευτᾷ νόσῳ*, teste Pausan. in Achaïc. 12. At Callicritus, antequam bellum Macedonicum cum Perseo gereretur, interfectus erat, ut ex hoc loco, et cap. 40. constat; et quidem tali casu, qui excusationi Persei, Thebanos illos *naufragio periisse*, verisimilem praetextum praebere poterat. V. infra infra cap. 41. Quin etiam *Callicritus* quidam Boeotorum legatus Romam missus memoratur apud Polyb. in Exc. Legat. num. 38. Formatur autem id nomen ut *Theocritus*, *Damocritus*, et plura similia.

Thebanos, principes civitatis] Forte *Thebanae principes civitatis*. J. FR. GRONOVIUS.

§. 8. *Dolopiae bella intulit*] Quot, quaeso? haud dubie *bellum*. J. FR. GRONOVIUS.

§. 11. *Vos videritis*] Vide Priscaeum ad Euang. Matth. 27, 4. N. Heins. ad Nas. 1. ex Pont. 2,

socium ad praedicendum, ut caveretis, venire in Ita-
12 *liam. Functus necessario mihi officio, et quodam modo liberata atque exonerata fide mea, quid ultra facere possum, quam uti Deos Deasque precer, ut vos et vestrae reipublicae, et nobis sociis atque amicis, qui ex vobis pendemus, consulatis?*

1 XIV. Haec oratio movit Patres conscriptos. ceterum in praesentia nihil, praeterquam fuisse in curia regem, scire quisquam potuit: eo silentio clausa curia erat. bello denique perfecto, quaeque dicta
2 ab rege, quaeque responsa essent, emanavere. Persei deinde regis legatis post paucos dies senatus datus est. Ceterum, praeoccupatis non auribus magis, quam animis, ab Eumene rege, omnis et defensio
3 et deprecatio legatorum respuebatur: et exasperavit animos ferocia animi Harpali, qui princeps legationis erat. Is, *velle quidem et laborare*, dixit, *regem, ut purganti, se nihil hostile dixisse aut fecisse, fides*
4 *habeatur: ceterum, si pervicacius caussam belli quaeri videat, forti animo defensurum se. Martem commu-*

9. et Celeb. Burm. ad Petron. Satyr. 61.

§. 3. *Exasperavit animos ferocia animi Harpali*] Lege *ferocia nimia Harpali*. J. FR. GRONOV. Livium a repetendis vocibus, quibus modo usus erat, non abhorrere, multis exemplis me supra ad 1, 3, 9. docuisse memini. Hic tamen vulgatum displicet, et probo Gronovii conjecturam; sive error natus sit ex trajectione literarum, sive voci *nimia* male adhaeserit litera ultima praecedentis *ferocia*, et contra ejus ultimam eliserit similitudo primae in voci sequenti *Harpali*.

Harpali, qui princeps] Appianus [Exc. Legat. num. 25.] Ἁρπαλόντε πεμφθέντα παρὰ Περσέως εἰς ἀντιλογίαν Εὐμένους καὶ Ῥοδίων τινὰ πρεσβευτήν. URSIN. ad Exc. Legat. pag. 122. Eodem *Harpali* nomine appellatus est, qui cum pecunia Alexandri Athenas aufugit. Vide Justin. 13, 5. Diod. Sic. 17, 619. et Plutarch. in Phocion. 751. et in Demosth. 857. Ejus etiam meminit Dinarchus in Orat. contr. Demosth.

§. 6. *Et legatio Rhodiorum*

nem esse, et eventum incertum belli. Omnibus civitati- 5
bus Graeciae atque Asiae curae erat, quid Persei legati, quid Eumenes in senatu egisset: et propter adventum ejus, quem moturum aliquid rebantur, miserant pleraeque civitates, alia in speciem praeferentes, legatos. et legatio Rhodiorum erat, ac Satyrus 6
princeps, haud dubius, quin Eumenes civitatem quoque suam Persei criminibus junxisset. Itaque 7
omni modo per patronos hospitesque disceptandi cum rege locum in senatu quaerebat. Quod quum 8
contigiſſet, libertate intemperantius invectus in regem, quod Lyciorum gentem adversus Rhodios concitasset, graviorque Asiae esset, quam Antiochus fuiſſet; popularem quidem ac gratam populis Asiae 9
(nam eo quoque jam favor Persei venerat) orationem habuit: ceterum invisam senatui, inutilemque sibi et civitati suae. Eumeni vero conspiratio ad- 10
versus eum, favorem apud Romanos fecit. ita omnes ei honores habiti, donaque quam ampliſſima data, cum sella curuli atque eburneo scipione.

erat] Videtur deeſſe *Inter caeteras et legatio Rhodiorum:* aut quid simile. J. FR. GRON. Vir doctus malebat, *Et legationis Rhodiorum erat Satyrus princeps.* An forte *Et legatio Rhodiorum venerat, ac Satyrus princeps.*

§. 8. *Quod quum contigisset*] Aliter Appianus Legat. 25. Senatus legatum Persei et Rhodiorum *βουλομένους εἰς ὄψιν τὸν Ἐυμένη διελέγχειν, παρόντος μὲν ἔτι τοῦ Ἐυμένους οὐ προσήκατο· μεταξάντος δὲ ἐδέξατο.* Si hoc verum eſt, hic particula negans excidit, et legendum eſt *non contigisset.* Prima syllaba vocis *contigisset* facile absumere potuit *τὸ non.* DUKER.

Libertate intemperantius invecti] Lege *intemperanti.* Appianus [ibid.] *ἀγανακτοῦντες καὶ παῤῥησίᾳ χρώμενοι πλέον.* J. FR. GRON.

§. 10. *Favorem apud Romanos fecit*] Forte *auxit.* Jam enim ante satis erat favorabilis. J. FR. GRON.

§. 11. *Quanta eximia celeritate poterat*] Lege *quanta ma-*

1 XV. Legationibus dimiſſis, quum Harpalus, quanta eximia celeritate poterat, regreſſus in Macedoniam nunciaſſet regi, nondum quidem parantes bellum reliquiſſe se Romanos, sed ita infeſtos, ut facile ad-
2 pareret, non dilaturos; et ipse, praeterquam quod et ita credebat futurum, jam etiam volebat, in flo-
3 re virium se credens eſſe. Eumeni ante omnes infeſtus erat: a cujus sanguine ordiens bellum, Euandrum Cretensem, ducem auxiliorum, et Macedonas tres, adsuetos miniſteriis talium facinorum, ad caedem regis subornat: literasque eis dat ad Praxo hospitam, principem auctoritate et opibus Delphorum.

xima. Ut lib. 10, [29, 9.] *Quanto maximo possent impetu incurrerent.* Et [c. 39, 9.] *Quanta maxima vi posset, Cominium oppugnare.* Sic et Muretus. J. FR. GRON. *quantus maximus* paſſim apud Livium obvium eſt. Exempla obcurrunt 22, 3, 6. 23, 16, 12. 24, 21, 4. 35, 5. 27, 41, 9. 43, 12. 49, 1. 28, 1, 6. 36, 2. 30, 25, 8. 37, 59, 1. 42, 7, 6. 44, 27, 12. V. etiam ad 7, 9, 8. et 9, 10, 10. Ex aliis exempla vide apud Celeb. Burm. ad Suet. Caes. 44. et Cortium ad Plinii 3, 21, 6. *quanta maxima celeritate* eſt apud Liv. 21, 41, 4. *Quanta maxima celeritate potui, in radicibus Alpium obvius fui.* 28, 8, 2. *Eo, quanta maxima posset celeritate, tenderet.* 36, 44, 4. *Ipse, quanta maxima celeritate potest, concitat naves.* Curt. 4, 8. *Ad cujus interitum vindicandum, quanta maxima celeritate potuit, contendit.*

§. 3. *Ad Praxo hospitam*] Cl. Periz. in marginem Livii adscripsit: *F. Πράξων erit nomen.* quo quid voluerit, non intelligo. *Praxo* eſt nomen muliebre, etiam infra obvium cap. 17. Eodem modo ut *Archo* 40, 4. *Sappho*, et similia.

§. 4. *Delphos adscensurum*] Similiter mox, *adscendentibus ad templum.* An tamen legendum *escensurum*? et mox *escendentibus*? V. ad 29, 11, 5.

Progressi cum Euandro] Forte *Praegressi.* J. FR. GRONOV. V. supra ad 9, 10, 7.

§. 5. *Ad templum a Cirrha*] De *Cirrha*, utrum eadem sit, ac *Crissa*; an vero duo diversa oppida fuerint, vide Palmer. Graec. Antiq. 6, 3, 4. Maasvic. ad Polyaen. 6. Strateg. 13. Viros doctos ad Front. 3, 7, 6. et Hiſtoir. de l' Academ. Royal. des Inscript. tom. 3. pag. 89.

Labe terrae in aliquantum altitudinis diruta erat] Non nihil dubito, an Latine dicatur *aliquid in altitudinem diruere*: quia, quae diruuntur, non in altitudinem, quasi specu et hiatu quodam, considunt, sed per planum disjiciuntur et dispergun-

Satis constabat, Eumenem, ut sacrificaret Apollini, 4
Delphos adscensurum. Progressi cum Euandro insidiatores, nihil aliud ad peragendum inceptum, quam loci opportunitatem, omnia circumeuntes, quaerebant. Adscendentibus ad templum a Cirrha, 5
priusquam perveniretur ad frequentia aedificiis loca, maceria erat ab laeva semitae paullum exstans a fundamento, qua singuli transirent; dextra pars labe terrae in aliquantum altitudinis diruta erat. post maceriam se 6
abdiderunt, gradibus adstructis, ut ex ea, velut e muro, tela in praetereuntem conjicerent. Primo a mari 7
circumfusa turba amicorum ac satellitum procedebat:

tur. Fortassis melius sit *derupta erat*. 38, 2, 13. *Deruptior tumulus*. 30, 2, 3. *Rupes deruptae*. Vel *desederat*. Cic. 1. de Divin. 35. *Ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint, terraeque desederint*. et cap. 43. *Labes agri Privernatis, quum in infinitam altitudinem terra desedisset*. Liv. 30, 2, 12. *Arpini campestri agro terra in ingentem sinum consederat*. 32, 1, 3. *Terra Velitris trium jugerum spatio caverna ingenti desederat*. DUKER. Lib. 30, 38, 8. *In Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit. Labes terrae*, ut apud Justin. 30, 4. *Idem motus terrae Rhodum multasque alias civitates gravi ruinarum labe concussit*. Vide Brisson. Lexic. ea voce.

§. 7. *Primo a mari circumfusa turba*] An *Primo agmine circumfusa*? J. FR. GRONOV. Pro *Primo a mari* non legerem hic cum viro Celeb. *Primo agmine*. nam venerunt a Cirra, maritimo loco, ut est in praecedentibus. ideo dicit *a mari*. Sequitur etiam *deinde*, quae vox respondet τῷ *primo* adverbialiter posito. LAMB. BOS. Adversus Gronovium vulgatam scripturam defendunt etiam Doujatius et Crevierius. Et recte. Cirrha enim ad mare sita navale erat Delphensium. Pausan. in Phocic. 37. *Ἐς δὲ Κίρραν τὸ ἐπίνειον Δελφῶν ὁδὸς μὲν σαδίων ἑξήκοντά ἐστιν ἐκ Δελφῶν*. Quod autem Appian Exc. Legat. num. 25. dicit *ἐκ Κίρρας ἐς Δελφοὺς ἀνέβαινε*, id Plutarch. de Fratern. am. p. 489. (quem locum opportune observavit Crevier.) vocat, *διασόμενοι βαδίζοντα πρὸς τὸν θεὸν ἀπὸ θαλάσσης*. Quomodo tamen Gronov. qui passim cavere solet, ne Livius voces, quibus modo usus est, repetat, hic *Primo agmine* emendare potuit, quum mox sequatur *agmen*?

§. 8. *Cum quo institutus regi sermo erat*] Ita primus edidit Vascos. At priores legunt *regis sermo*, perperam prioris vocis fini adhaerente litera initiali sequentis. Vide ad 28, 25, 2. *insti-*

8 deinde extenuabant paullatim anguſtiae agmen. Ubi ad eum locum ventum eſt, qua ſingulis eundum erat, primus semitam ingreſſus Pantaleon Aetoliae prin-
9 ceps, cum quo inſtitutus regi sermo erat. Tum insidiatores exorti saxa duo ingentia devolvunt: quorum altero caput ictum eſt regi, altero humerus so-
10 pitus. ex semita proclivi in declive multis super prolapsum jam saxis congeſtis, et ceteri quidem etiam amicorum et satellitum, poſtquam cadentem videre, diffugiunt, Pantaleon conſtanter inpavidus mansit ad protegendum regem.

1 XVI. Latrones, quum brevi circumitu maceriae decurrere ad conficiendum saucium poſſent, velut perfecta re, in jugum Parnasi refugerunt eo cursu, ut, quum unus non facile sequendo per invia atque ardua moraretur fugam eorum, ne comprenso indi-
2 cium emanaret, occiderint comitem. Ad corpus regis primo amici, deinde satellites ac servi concurrerunt, tollentes sopitum vulnere ac nihil sentientem.
3 Vivere tamen ex calore et spiritu remanente in prae-

tutus regi pro a rege. Vide ad 6, 11, 4.

§. 9. *Altero humerus sopitus*] *Sopitum* dicit Livius id, cui sensus ablatus eſt, propterea, quod somno consopiti nihil sentimus. Iterum [cap. seq.] *Tollentes sopitum vulnere ac nihil sentientem*. TURNEBUS 30. Advers. 32. Supra 1, 41, 5. *Jubet bono animo esse, sopitum fuisse regem subito ictu*. 8, 6, 2. *Inpactus imo ita est saxo, ut sopiretur*. Quae loca et aliorum alia laudat Gronov. 4. Obs. 8, 120.

Ex semita proclivi in declive etc.] Mihi *et* ante *ceteri* delendum, et locus ita diſtinguendus videtur: *altero humerus sopitus. Ex semita proclivi i. d. m. s. p. j. saxis congestis, ceteri quidem*. DUK. Cl. Jac. Perizon. ad oram Livii emendat et diſtinguit, *sopitus. Ex semita proclivi i. d. m. s. p. j. saxis congestis, et ceteri quidem e. a. et s. p. cadentem videre, diffuguunt, P. c. i. m. a. p. regem et latrones* etc. *in juga Parnassi refugerunt*. Sane interpunctio haec melior eſt, et vel cum Dukero particula *et* delenda eſt ante *ceteri*, vel cum Pe-

cordiis senserunt; victurum exigua ac prope nulla spes erat. Quidam ex satellitibus, secuti latronum 4
vestigia, quum usque ad jugum Parnasi, nequidquam fatigati, pervenissent, re infecta redierunt. Adgressi 5
facinus Macedones, ut inconsulte, ita audacter coeptum, nec consulte et timide reliquerunt. Compo- 6
tem jam sui regem amici postero die deferunt ad navem: inde Corinthum: a Corintho, per Isthmi jugum navibus traductis, Aeginam trajiciunt. Ibi adeo 7
secreta ejus curatio fuit, admittentibus neminem, ut fama mortuum in Asiam perferret. Attalus quoque celerius, quam dignum concordia fraterna erat, credidit. nam et cum uxore fratris, et praefecto 8
arci, tamquam jam haud dubius regni haeres, est locutus. Quae postea non fefellere Eumenem: et, 9
quamquam dissimulare et tacite habere id patique statuerat, tamen in primo congressu non temperavit, quin uxoris petendae praematuram festinationem fratri objiceret. Romam quoque fama de morte Eumenis perlata est.

rizonio inserenda ante *latrones*, ut verba cohaereant. Praeterea redundare credit Crevierius vel *proclivi*, vel *in declive*.

§. 1. *In jugum Parnassi refugerunt*] Ita demum J. Fr. Gronov. edidit, quem recentiores secuti sunt. Superiores omnes unico sibilo hic et mox scribunt *Parnasi*; quam orthographiam restitui. Vide, quae notavi ad Silii 15, 311. Adde Casaub. ad Persii prologum v. 2. et Broukhus. ad Prop. 2, 23, 13.

§. 9. *Dissimulare et tacite habere id patique*] Forte *tacitum habere id patique*. Supra 7, 1, 5. *Non patientibus tacitum tribunis, quod pro consule uno plebejo tres patricios magistratus* etc. *nobilitas sibi sumsisset*. Et ita *tacitum ferre*, de quo vide Gronov. ad 1, 50, 9.

Quin uxoris petendae praematuram festinationem] Sic Plutarch. in Apophthegm. [pag. 184.] Ὁ δὲ Εὐμενὴς φιλοφρόνως ἀσπασάμενος αὐτὸν, καὶ πρὸς τὸ οὖς εἰπών· Μὴ σπεῦδε γῆμαι πρὶν πελευτήσαντα ἰδῇς. SIG. Uxor illa erat Ariarathis Cappadociae regis filia. Vide Liv. 38, 39. et

1 XVII. Sub idem tempus C. Valerius ex Graecia, qui legatus ad visendum ſtatum regionis ejus speculandaque consilia Persei regis miſſus erat, rediit; congruentiaque omnia criminibus ab Eumene adlatis 2 referebat. simul et adduxerat secum Praxo a Delphis, cujus domûs receptaculum latronum fuerat, et L. Rammium Brundisinum, qui talis indicii delator 3 erat. Princeps Brundisii Rammius fuit; hospitio quoque et duces Romanos omnes, et legatos exterarum quoque gentium insignes, praecipue regios, ac- 4 cipiebat. ex eo notitia ei cum absente Perseo fuerat: literisque spem amicitiae interioris magnaeque inde fortunae facientibus, ad regem profectus, brevi familiaris haberi, trahique, magis quam vellet, in 5 arcanos sermones eſt coeptus. Promiſſis enim ingentibus praemiis petere inſtitit ab eo rex, *Quoniam duces omnes legatique Romani hospitio ejus uti adsuessent, quibus eorum ipse scripsisset, ut venenum* 6 *dandum curaret. cujus scire se comparationem plurimum difficultatis et periculi habere, pluribus con-*

42, 29. Adpellabatur autem Stratonice. Strabo 12, 624. et Plutarch. de Frat. Amor. pag. 489.

§. 1. *C. Valerius ex Graecia, qui legatus ad visendum*] Forte *quo legatus ad visendum statum regionis ejus missus erat.*

§. 2. *Et L. Rammium Brundisinum*] Ita hic et paſſim ultimis quinque Livii libris editur, quum in praecedentibus olim conſtanter vulgatum sit *Brundusium* et *Brundusinus*. Utroque modo haec nomina prolata fuisse, satis conſtat: sed, ut hic scribitur, in plerorumque auctorum optimis et antiquissimis membranis exaratum obcurrit. De Livianis v. ad 10, 2, 4. 21, 48, 9. 23, 33, 4. 24, 10, 4. c. 11, 3. c. 13, 5. 32, 9, 6. 35, 24, 7. 37, 4, 1. et alibi. de aliis vide N. Heinsium ad Silii 8, 576. et Cel. Burm. ad Suet. Caes. 34. Ceterum, quem Livius *L. Rammium* vocat, *Ἐρέννιος* dicitur apud App. in Exc. Legat. num. 25. uqi vide Ursinum, ex quo infra cap. 41. *Ἐρέννιος* laudatur.

§. 7. *Aut satis efficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur*] Non sit religio delere *τὸ rem* poſteriore lo-

sciis comparari. eventu praeterea incerto esse, ut aut satis efficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur. Se daturum, quod nec in dando, nec datum, ullo signo deprendi posset. Rammius, veritus ne, si abnuisset, primus ipse veneni experimentum esset, facturum pollicitus proficiscitur. nec Brundisium ante redire, quam convento C. Valerio legato, qui circa Chalcidem esse dicebatur, voluit. Ad eum primum indicio delato, jussu ejus Romam simul venit. Introductus in curiam, quae acta erant, exposuit. 7 8 9

XVIII. Haec ad ea, quae ab Eumene delata erant, accessere, quo maturius hostis Perseus judicaretur: quippe quem non justum modo adparare bellum regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant. Belli administratio ad novos consules rejecta est: in praesentia tamen Cn. Sicinium praetorem, cujus inter cives et peregrinos jurisdictio erat, scribere milites placuit; qui, Brundisium ducti, primo quo- 1 2 3

eo: quod saepius jam ex veterum librorum auctoritate fecimus. Non ovum ovo similius, atque praesentibus verbis illud l. 33, 28, 12. *Non tam idoneum ad celandam rem eum videri sibi, quam ad augendam rem fuerit.* Sic enim prima editio. Gelenius recte alteram delevit. Forte et malis *efficax, tutum, detur.* J. FR. GRON. Si quis Gronovii sententiae subscribere malit, per me licebit. V. ad 2, 28, 2. unde etiam praesidium petere poterunt, qui vulgatum defendendum credent. Certe id aeque concoquo, quam illud Cic. 2. de Inv. 30. *Ab utroque ex omnibus partibus honestatis, et ex omnibus utilitatis partibus, exemplis, signis, ratiocinando, quid cujusque officii, juris, potestatis sit, quaeri oportebit.* Ita in duobus codd. se reperisse, idque imminuere ac refingere ad placitum Gruteri non audere, testatur Cl. Jac. Gronov. Praeterea servari etiam possunt *efficacia, tuta, dentur*, licet *venenum* numero singulari praecedat, et numero eodem etiam sequatur. Similia alia vide ad 33, 24, 6. et apud Doctiss. Arntzen. ad Plinii Paneg. 12, 4.

que tempore Apolloniam in Epirum trajicerentur ad occupandas maritimas urbes, ubi consul, cui provincia Macedonia obveniſſet, claſſem adpellere 4 tuto, et copias per commodum exponere poſſet. Eumenes, aliquamdiu Aeginae retentus periculosa et difficili curatione, quum primum tuto potuit, profectus Pergamum, praeter priſtinum odium recenti etiam scelere Persei ſtimulante, summa vi parabat 5 bellum. Legati eo ab Roma, gratulantes quod e 6 tanto periculo evasiſſet, venerunt. Quum Macedonicum bellum in annum dilatum eſſet, ceteris praetoribus jam in provincias profectis, M. Junius et Sp. Lucretius, quibus Hispaniae provinciae obvenerant, fatigato saepe idem petendo senatu, tandem pervicerunt, ut supplementum sibi ad exercitum daretur tria

§. 3. *Classem adpellere tuto, et copias per commoda exponere*] *percommode.* respondet enim voci *tuto.* SIG. *per commodum* primae edd. *percommodum* una voce Basil. anni 1539. *per commoda* una voce Basil. anni 1554. Si itaque Sigonius primas edd. consuluiſſet, nulla opus eſſe vidiſſet conjectura, sed tantum revocandam priscam lectionem *per commodum*, ut poſtea a viris doctis factum eſt. V. Gronov. ad 30, 29, 3.

§. 4. *Quum primum tuto potuit*] Clariſſ. Clericus *quam primum.* Utrum vero ita dedita opera ediderit, an vero lectio illa typothetarum errori tribuenda sit, dubito. Vulgatum tamen servandum judicans priscarum edd. scripturam revocavi.

§. 6. *Ad exercitum daretur. tria millia* etc. *in Romanas legiones, in socialem*] Ita primus interpunxit Vascosanus, et poſt eum reliqui. Antiquiores hoc modo diſtinguebant: *ut supplementum sibi ad exercitum daretur tria millia peditum, centum et quinquaginta equites in Romanas legiones: in socialem exercitum* etc. quod iterum adoptavi. Ita *supplementum tria millia peditum, centum et quinquaginta equites* dictum erit per adpositionem. V. ad 40, 36, 8. In vulgata lectione illud incommodi eſt, quod *imperare sociis jussi* ad supplementum quidem exercitus socialis, non vero legionum Romanarum, referri possit; cui ut subcurreret, Clariſſ. Crevierius poſt voces *centum et quinquaginta equites* supplendum vel legendum putabat *scribere.*

tria millia peditum, centum et quinquaginta equites in Romanas legiones: in socialem exercitum quin- 7
que millia peditum, et trecentos equites, imperare sociis jussi. Hoc copiarum in Hispanias cum praetoribus novis portatum est.

XIX. Eodem anno, quia per recognitionem Po- 1
stumii consulis magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum erat, M. Lucretius tribunus plebis promulgavit, ut agrum Campanum censores fruendum locarent: quod factum tot annis post captam Ca- 2
puam non fuerat, ut in vacuo vagaretur cupiditas privatorum. Quum in exspectatione senatus esset, 3
bello etsi non indicto, tamen jam decreto, qui regum suam, Persei qui secuturi amicitiam essent, legati Ariarathis, puerum filium regis secum addu-

§. 7. *Et trecenti equites, imperare sociis jussi*] Omnes priores edd. per notas numerales dederunt *et CCC. equites.* pro quo Gruteriana ultima dedit *et trecenti equites.* Id secuti editores concoquere potuerunt usque ad Crevierium, qui recte *et trecentos equites* emendavit. Idem etiam Dukero in mentem venit.

In Hispanias cum praetoribus novis portatum est] Ita primae edd. Postea Modius operarum aberratione *in Hispanis* vulgavit, quod retinuerunt priores edd. Gruteri: at in postrema resinxit *in Hispania:* pro quo recte Gronov. in curis prioribus ex edd. antt. *in Hispanias* legendum monuit.

§. 1. *Tribunus plebis promulgavit, ut*] *Promulgare* simpliciter pro legem, plebiscitum promulgare, alibi nondum observavi. Videtur igitur vox excidisse, ac legendum *tribunus plebis legem promulgavit.*

§. 2. *Quod factum tot annis post captam Capuam non fuerat*] Factum fuerat A. V. IOXLIV. biennio post Capuam captam, M. Cornelio Cethego et P. Sempronio Tuditano censoribus. 27, 11, 8. *Hi censores ut agrum Campanum fruendum locarent, ex auctoritate Patrum latum in plebem est, plebesque scivit.* Adde ibid. cap. 3. Sed deinde videtur intermissum fuisse. DUK.

§. 3. *Legati Ariarathis*] *Ariaratis* primae edd. sed recte adspirationem addidit Sigonius. V. ad lib. 37, 31, 4.

§. 6. *Decreverunt, ut Cn. Si-*

4 centes, Romam venerunt. quorum oratio fuit, *regem educandum filium Romam misisse, ut jam inde a puero adsuesceret moribus Romanis hominibusque.* 5 *Petere, ut eum non sub hospitum modo privatorum custodia, sed publicae etiam curae ac velut tutelae* 6 *vellent esse.* Ea regis legatio grata senatui fuit. Decreverunt, ut Cn. Sicinius praetor aedes instructas locaret, ubi filius regis comitesque ejus habitare possent. Et Thracum legatis, apud se disceptantibus, et societatem amicitiamque petentibus, et,

cinius praetor aedes instructas locaret, ut filius regis) Ita J. Fr. Gronovius edidit; sed lectio illa inter aberrationes operarum referenda videtur, quam tamen recentiores servarunt usque ad Crevier. qui ex priscis edd. *ubi filius* Livio reddidit. Doujatius verba *ut praetor aedes instructas locaret* Gallice reddit, *que le Preteur prit a loüage une maison garnie et meublée*, quasi inveniſſet *conduceret*, non *locaret*. Livius indicat, senatum Cn. Sicinio praetori negotium dediſſe, ut aedes omnigena supellectile a redemtoribus inſtrui curaret. *Locavit aedes instructas*, pro inſtruendas, vel inſtructas praebendas.

Munera binûm millium aeris summae in singulos missa) Forsitan alibi quoque sic loquitur Livius. Sed certum eſt, plerisque locis, quibus non solum de hac re, verum etiam de pecunia a triumphantibus in aerarium illata, et de praemiis publice datis agit, abeſſe vocem *summa*. DUK. Pighius in Annal. ad A. V. IↃLXXXI, 365. *munera bis denûm millium aeris* legendum censet: cujus emendationi non unam ob cauſſam calculum adjicere nequeo. Primo enim displicet genus loquendi *bis denûm millium* pro vigenûm millium. Cauſſam vide ad 33, 4, 5. et 38, 1, 6. Praeterea obcurrunt quidem nonnulla exempla extraordinariae liberalitatis senatus Romani in legatos ad se miſſos: ita uni Apollonio, principi legatorum Antiochi, *centum millium aeris munus missum* legitur supra hoc lib. c. 6. verum is, praeter ſtipendium legibus pacis pactum, adtulerat insuper donum *vasa aurea quingentûm pondo*, ejusque ratione Romani tantum donum principi legationis dediſſe videntur; quem insuper in maximo apud Antiochum honore eſſe, amiciſſimumque populo Romano, qui in Syria fuerant, renunciaverant. V. Perizon. de Aere Grav. §. 26. Legatis Saguntinis senatus jubet *muneris ergo in singulos dari ne minus dena millia aeris* 28, 39, 19. Legatis Masiniſſae *dona ne minus quinûm millium aeris* mittuntur 30, 17, 14. legatis Ptolemaei regis Aegypti *quinûm millium aeris* 31, 9, 5. *quaternum millium aeris* 37, 3, 11. verum id factum videtur partim ob merita, partim ob dignitatem eorum, quorum nomine le-

quod petebant, datum est, et munera binùm millium aeris summae in singulos missa. Hos utique 7
populos, quod ab tergo Macedoniae Thracia esset, adsumtos in societatem gaudebant. Sed ut in Asia quoque et insulis explorata omnia essent, Ti. Claudium Neronem, M. Decimium legatos miserunt. adire 8
eos Cretam et Rhodum jusserunt, simul renovare amicitiam, simul speculari, num sollicitati animi sociorum ab rege Perseo essent.

XX. In suspensa civitate ad exspectationem novi 1

gati advenerant. Eorum neutrum Thracum legatis convenire potest. Unde vulgatum *binûm millium aeris* servandum puto, praesertim quum etiam sollemne et ordinarium hoc tempore fuisse videatur, ut legatis binùm millium aeris munera in singulos darentur. Exempla vide infra 43, 5, 8. 6, 14. 8, 8. 44, 14, 4. 15, 8. et 45, 42, 11. Omnia haec loca in controversiam vocare videtur Pighius idem in Annal. ad A. V. IↃLXXXV. p. 379. ubi, verba Actorum diurnorum, *lautia legatis Aetolorum data* CCIↃↃ CCIↃↃ *aeris gravis in singulos*, exponens iterum *bis dena millia*, addit: „In Livianis fere semper, ubi de lautiis, *bina millia*, non *bis dena* leguntur. nescio an recte.“ Verum omnibus illis locis unicus codex, unde haec pars historiae Livianae evulgata est, *bina millia* praefert: cui fidem abrogare praeceps ac temerarium videtur. Accedit, fragmenta actorum diurnorum, quorum fide Pighii sententia nititur, non sine causa viris doctis suspecta esse. Vide ad 44, 18, 6. Insuper confundit Pighius *lautia* et *munera* legatis data: quae tamen diversa et alterius generis fuerunt. V. Cel. Duker. ad Livii 28, 39, 19. et Marc. Donat. ad 30, 17, 14.

§. 7. *Ti. Claudium Neronem*] Ita recte edidit Sigonius. Priores exhibent *T. Claudium*. V. supra ad 40, 59, 5. et Ursin. infra ad cap. 45, 2.

§. 1. *Columna rostrata in Capitolio, bello Punico consule, cui collega*] Et hic locus mancus ita sanari fortasse possit: *Columna rostrata in Capitolio bello Punico priore posita a M. Aemilio consule, cui collega Ser. Fulvius fuit.* Hi autem consules fuerunt anno V. C. CDXCV. de quibus Cassiodorus et Capitolini auctores. SIG. Locus hic hiulcus et mutilus est, verbaque desiderantur quaedam, ac inprimis nomen collegae Ser. Fulvii, cujus ob victoriam columna illa in Capitolio posita fuerat. Et quando constat ex Fastis, fuisse hunc M. Aemilium Paullum, profecto locum istum, non secus ac doctissimus Carolus Sigonius sentit, paucis interjectis in hunc fere modum supplere et restaurare. historia sic postulante, vix dubitarem: *columna rostrata in Capitolio M. Aemilii, primo bello Punico consulis, cui collega Ser. Fulvius fuit.* PIG.

belli, nocturna tempestate columna rostrata in Capitolio * bello Punico consulis, cui collega Ser. Ful-
2 vius fuit, tota ad imum fulmine discussa est. Ea res, prodigii loco habita, ad senatum relata est. Patres ad aruspices referre, et decemviros adire libros jusse-
3 runt. Decemviri, lustrandum oppidum, supplicanem obsecrationemque habendam, victimis majoribus sacrificandum et in Capitolio Romae, et in Campania ad Minervae promontorium, renunciarunt: ludos per decem dies Jovi optimo maximo primo quoque
4 die faciendos. Ea omnia cum cura facta. Aruspices, in bonum versurum id prodigium, prolationemque finium et interitum perduellium portendi, responderunt; quod ex hostibus spolia fuissent ea ro-
5 stra, quae tempestas disjecisset. Accesserunt, quae

HIUS in Annal. ad A. V. CDXCIX. pag. 41. Magis verisimilis videtur Pighii, quam Sigonii, conjectura; nisi quod, una voce mutata, *priore bello Punico*, non *primo*, malim. Quum enim eo tempore tantum adhuc duo bella Punica gesta fuerint, Livius potius *prius*, quam *primum*, *bellum* dixisse videtur. Ita, post decretum secundum bellum Macedonicum, *prioris Macedonici belli* meminit infra c. 32. Sigoniano igitur supplemento ex contextu ejecto, locum, tamquam mutilum, asterisco notavi.

§. 3. *Decemviri, lustrandum oppidum*] Sic lib. 22, [1.] prodigiis aliis ex alio loco nunciatis, tamen Ardeae sacrificatum ait: *Decemviri in foro Ardeae majoribus hostiis sacrificarunt.* SIGON. Quoniam Sigonius hoc scholium ad illa verba Livii notavit, sequi videtur, eum existimasse, per *oppidum* intelligendum esse locum a Roma diversum, cujus nomen adponere Livius omisit. Verum Scalig. in Append. Conject. in Varr. de Ling. Lat. pag. 185. contendit, quotiescumque historici Romani *oppidi* mentionem faciunt, nihilque praeterea addunt, non dubium esse, quin antiqua Roma intelligatur; quam *quadratam* Ennius vocavit. Ita intelligi potest locus Livii infra 45, 16, 5. de quo vide, quae ibi notantur. Verum ita exponi nequit alius hoc lib. cap. 36, 1. *Legati ab rege Perseo venerunt. eos in oppidum intromitti non placuit.* ubi *in oppidum* pro in urbem positum videtur. Vide etiam ibi notata. Similiter et hic, quum procurandum foret prodigium, quod in Capitolio acciderat, per *oppidum* non Roma quadrata,

cumularent religiones animis. Saturniae, nunciatum erat, sanguine per triduum in oppido pluisse: Calatiae asinum tripedem natum, et taurum cum quinque vaccis uno ictu fulminis exanimatos. Auximi terra pluisse. Horum quoque prodigiorum caussa res divinae factae, et supplicatio unum diem feriaeque habitae. 6

XXI. Consules ad id tempus in provincias non exierant, quia neque, uti de M. Popillio referrent, senatui obsequebantur, et, nihil aliud decernere prius, statutum Patribus erat. Aucta etiam invidia est Popillii literis ejus, quibus iterum cum Statiellatibus Liguribus proconsul pugnasse se scripsit, ac se decem millia eorum occidisse. propter cujus injuriam belli ceteri quoque Ligurum populi ad arma ie- 1 2

quae erat in Palatio, sed tota urbs intelligenda videtur. Nam prodigiorum, quae Romae acciderant, caussa urbs lustrata fuisse etiam alibi dicitur. V. Cl. Dukerum ad 35, 9, 5.

§. 5. *Saturniae nunciatum erat, sanguine per triduum in oppido pluisse*] Videri posset legendum esse *Saturnia nunciatum erat*. ut 26, 23, 5. *Et Anagnia et Fregellis nunciatum est, murum portasque de coelo tactas*. 43, 13, 3. *Anagnia duo prodigia eo anno sunt nunciata*. At vulgatum defendunt sequentia *Calatiae* et *Auximi*: verum locus juvandus est distinctione *Saturniae, nunciatum erat, sanguine*, ut ita jungantur *Saturniae in oppido pluisse*. Supra 32, 9, 3. *Suessae Auruncae, nunciabant, agnum cum duobus capitibus natum; et Sinuessae porcum humano capite*. 45, 16, 5. *Calatiae in publico agro, M. Valerius civis Romanus nunciabat, e foco suo sanguinem per triduum et duas noctes manasse*. Praeterea *pluvisse* hic et §. seq. editi ante Curionem, qui dedit *pluisse*. V. ad 1, 31, 1. Mox *Calatiae* recte Sigonius emendavit, quum ante vulgatum foret *Calateiae*.

§. 6. *Oximi terram pluisse*] Forte *Auximi*. V. ad 41, 21, 12.

§. 2. *Cum Statiellatibus Liguribus proconsul pugnasse se scripsit*] *Statellatibus* edd. vett. pro quo Gronov. anno 1665. *Statiellatibus* ex sententia Cluverii reposuit. Vide ad cap. 7, 3. Similiter *Statiellis*, pro *Statellis*, recepit infra hoc cap. §. 5. Praeterea *proconsule pugnasse se scripsit* conjicit Jac. Perizonius in margine Livii.

3 runt. Tum vero non absens modo Popillius, qui deditis contra jus ac fas bellum intuliſſet, et pacatos ad rebellium incitaſſet, sed consules, quod non
4 exirent in provinciam, in senatu increpiti. hoc consensu Patrum accensi M. Marcius Sermo et Q. Marcius Scylla, tribuni plebis, et consulibus multam se dicturos, nisi in provinciam exirent, denunciarunt; et rogationem, quam de Liguribus deditis promulgare in animo haberent, in senatu recitarunt.
5 Sanciebatur, *ut qui ex Statiellis deditis in libertatem restitutus ante Kalendas Sextiles primas non esset,*

Pugnasse se scripsit, ac se decem millia] Forte *sedecim*. Ingrata enim auribus accidit repetitio voculae *se* tam propinquis in locis. JAC. PERIZON. Contrario errore *quatriduo*, pro *qua triduo* dederant librarii supra 40, 22, 7.

§. 3. *Et pacatos ad rebellandum incitasset*] Hoc ab ultima Gruteri inolevit. Priores omnes, ut et fuit in unico codice, *ad re bellium incitasset*. quod doctissimo viro displicuisse nollem, si tamen ab ipso haec mutatio eſt. Ut *contagium* et *contagio*, *consortium* et *consortio*, *oblivium et oblivio*, *obsidium* et *obsidio*, sic et *rebellium* et *rebellio* commodissime dicuntur. J. FR. GRON.

§. 4. *Q. Marcius Scylla*] Pighius in Annal. ad A. V. IDLXXVI, 347. teſtatur, se alibi Marcio rum cognomen *Scylla* non reperiſſe, contra vero in ea gente frequens ac familiare eſſe *Rallа:* videndum itaque, an illud hoc loco reſtituendum sit. Poſtea ad A. V. IDLXXXI, 364. tribunum plebis hujus anni *Q. Marcium Rallam* vocat. Verum jam saepe alibi monui, nimis temerarium et audax videri, nomina non modo urbium locorumque, sed et hominum, quorum subinde in hiſtoria mentio fit, eo praetextu suspecta reddere, quod alibi non obcurrant. Vide ad 39, 7, 9. Si ea ratio emendationis subficeret, eodem jure tentare potuisset praecedentis tribuni M. Marcii cognomen *Sermo*, quod et ipsum alibi non obcurrit. Id solum hic Pighium in eam sententiam traxiſſe creditur, quod quaedam literae vocis *Scylla* itidem obcurrant in voce *Rallа*. Idem ferme sentiebat Clariſſ. Dukerus: certe, licet non valde inprobabile eſſe putabat, cognomina illa a librariis depravata eſſe; tamen, quia plane incertum eſt, quid pro iis subſtitui debeat, eadem potius relinquenda censuit.

§. 5. *Ut qui ex Statiellis deditis*] Ego haud video, quorsum iteratio particulae *ut* in his verbis, inquit vir doctus. At norat id Livius. Si sequenti cap *SC. factum est, ut qui Ligurum post Q. Fulvium, L. Manlium consules hostes non fuissent, ut*

cujus dolo malo is in servitutem venisset, ut juratus senatus decerneret, qui eam rem quaereret animadverteretque. Ex auctoritate deinde senatus eam rogationem promulgarunt. Priusquam proficiscerentur consules, C. Cicerejo praetori prioris anni ad aedem Bellonae senatus datus est. Is, expositis, quas in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho, in monte Albano, quod jam in morem venerat, ut sine publica auctoritate fieret, triumphavit. Rogationem Marciam de Liguribus magno consensu plebes scivit jussitque. ex eo plebiscito C.

6 7 8

eos. Sic etiam cap. 28. et 30. Adde, quae lib. 28, 9, 9. J. FR. GRON. V. ad 8, 6, 14. et 22, 11, 4. Vir doctus, adversus quem Gronovius iterationem particulae *ut* recte vindicavit, est Cluverius, quem vide 1. Ital. Ant. 10. p. 82. Insuper Gronov. *Statiellis*, pro *Statellis*, ut praeferunt edd. vett. ex sententia Cluverii reposuisse, modo dictum est ad §. 2. Ipse vero Cluverius, postquam ibidem docuisset, universam gentem dictam esse *Statiellos*, eorum caput fuisse oppidum nomine *Aquas Statiellas*, hujusque oppidanos dici *Statiellenses* et *Statiellates*, addit, verendum esse, ne vox *Statellis* vitiosa sit, quemadmodum innumerae aliae in quinta decade historiarum Livii: se autem omnino credere, ubique Livium usurpasse *Statiellates*. Verum, quum ipse Cluverius fateatur, variis scriptoribus *Statiellos*, *Statiellenses* et *Statiellates* in usu fuisse, Plinium etiam 3. Hist. Nat. 5. *Aquas Statiellorum* memorasse, Livio concedendum videtur, ut populum hunc modo *Statiellos*, modo *Statiellates* appellare, et, ut facere solet, orationem quadam varietate distinguere liceat. Certe *Statiellatibus*, pro: *Statiellis*, in contextum recipere, non praemonito etiam lectore, ut fecit Clariss. Clericus, res pessimi est exempli.

Cujus dolo is in servitutem venisset] Scribe *cujus dolo is in servitute mansisset.* J. FR. GRONOVIUS.

Ut juratus senatus decerneret] Pighius [in Annal. ad A. 1DLXXXI. pag. 364.] *ut rogatus senatus decerneret.* Inepte ac sine sensu. Alterum unde intelligas, habes ad 26, 33, 14. J. FR. GRON. Adde Lipsium ad Tacit. 4. Ann. 21. et Casaub. ad Suet. Aug. c. 35. DUR. Vide Hanien. de Jurejur. vet. cap. 8.

§. 8. *Ex eo plebiscito C. Licinius praetor*] Ita primus Curio. Priores duplicato sibilo *plebisscito*; ut forsan duabus vocibus *ex eo plebis scito* legendum sit, ut Gryphius anno 1548. edidit. Nam, ita olim locutos esse, inde colligi potest, quod etiam inverso ordine *scitum plebis* dixerint, vel inserta voce *plebis etiam scitum.* Vide ad 31, 50, 10.

Licinius praetor consuluit senatum, quem quaerere ea rogatione vellet. Patres ipsum eum quaerere jusserunt.

1 XXII. Tum demum consules in provinciam pro-
2 fecti sunt, exercitumque a M. Popillio ceperunt. Neque tamen M. Popillius reverti Romam audebat, ne cauſſam diceret, adverso senatu, infeſtiore populo, apud praetorem, qui de quaeſtione in se posita se-
3 natum consuluiſſet. Huic detrectationi ejus tribuni plebis, alterius rogationis denunciatione, obcurrerunt: ut, si non ante Idus Novembres in urbem Romam introïſſet, de absente eo C. Licinius ſtatue-
4 ret ac judicaret. Hoc tractus vinculo quum redis-
5 set, ingenti cum invidia in senatum venit. Ibi quum laceratus jurgiis multorum eſſet, senatusconsultum

Quem quaerere ex rogatione vellent] Omnino legendum, *quem quaerere ea rogatione vellent*. Supra 38, 55, 1. *Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petillia quaerere vellent, Q. Terentium Culleonem patres jusserunt*. Epit. Liv. 120. *Postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus, absentes damnati sunt*. Senec. in Apocoloc. *Ducit illum ad tribunal Aeaci: is lege Cornelia, quae de sicariis lata est, quaerebat*. Plinius 5. Epiſt. 21. *Causa dilationis Nepos praetor, qui legibus quaerit* Similiter *causam dicere rogatione Marcia* cap. seq. et *caussam lege Petillia dicere* 39, 6, 4. Solent autem literae *a* et *x* in Mſſis confundi. Vide ad 40, 59, 5.

§. 1. *Exercitumque a M. Popillio ceperunt*] Captus una syllaba locus. Scribe *a M. Popillio acceperunt*. Sic enim Latine loquimur. Lib. 36, [2, 10.] *M. Aemilius Lepidus a L. Valerio, cui successurus esset, simul provinciam exercitumque accipere jussus*. Nihil frequentius in noſtro. Cic. lib. 13. ad Attic. epiſtola ad Pompejum: *Vidi T. Ampium delectum habere diligentissime, ab eo accipere Libonem*. Curtius lib. 3. [3] *Ut omnes peregrinos milites, in quis plurimum habebat spei, a Pharnabazo acciperet*. J. FR. GRON. Livius 32, 1, 3. *Lentulus consul novas legiones scribere jussus; Villius a P. Sulpicio exercitum accipere*. c. 9, 5. *Exercitumque ab L. Lentulo acceptum praetori tradidit*. 37, 2, 2. *Ad eum exercitum, quem a M? Acilio acceperus esset*. et innumeris locis.

§. 2. *De quaestione in se posita*] An forte legendum *in se*

factum est, ut, qui Ligurum post Q. Fulvium, L. Manlium consules hostes non fuissent, ut eos C. Licinius, Cn. Sicinius praetores in libertatem restituendos curarent, agrumque iis trans Padum consul C. Popillius daret. Multa millia hominum hoc senatusconsulto restituta in libertatem, transductisque Padum ager est adsignatus. M. Popillius rogatione Marcia bis apud C. Licinium causam dixit: tertio praetor, gratia consulis absentis et Popilliae familiae precibus victus, Idibus Martiis adesse reum jussit, quo die novi magistratus inituri erant honorem; ne diceret jus, qui privatus futurus esset. Ita rogatio de Ligu- 8 ribus arte fallaci elusa est.

XXIII. Legati Karthaginienses eo tempore Ro- 1 mae erant, et Gulussa filius Masinissae: inter eos ma-

‚pposita, id est *proposita*? Vide ad 9, 32, 3.

§. 3. *Ut, si non ante Idus Novembris in urbem Romam introïsset*] Sic primum exemplar. Postea deleverunt *ea in urbem*. Male. Plautus Amphitr. 2, [1, 70.] *Quin introïre in aedes nunquam licitum est*. Milite 4, 4. *Ne ille mox vereatur introïre in alienam domum*. J. FR GRONOV. Liv. 30, 43, 5. *Petierunt que, ut sibi in urbem introïre, et conloqui cum civibus suis liceret*. ubi vide. Gruteri ultima ed. primum voces *in urbem* omisit. Eadem etiam *ante Idus Novembris* dedit, omnibus recentioribus probantibus; quum priores praeferant *ante Idus Novembres*: quod Livio reddidi. Vide ad 41, 16, 1.

§. 6. *Traductisque Padum ager est adsignatus*] *transductisque* editi ante Modium. Quod si mutarit Modius, quia *transducere* non recte dici putabat, cur ergo id reliquit infra hoc lib. cap. 60? Antiqui modo integram servarunt praepositionem *trans* in compositione. Ita *transducere* supra in uno cod. est 40, 26. 2. in pluribus 31, 21, 1. *transnare* 21, 47, 4. ubi vide. *transjicere* in uno codice 35, 46, 9. *transdere* apud Ther. Phorm. Prol. vers. 2. Modo ultimas ejus literas eliserunt, ut *travehere, tramittere*. Vide ad 24, 21, 7. 28, 5, 18. et alibi. Sequendum igitur, quod servant codd. ac primae edd. unde etiam hic *transductisque* restitui.

§. 1. *Gulussa filius Masinissae*] Video propter auctoritatem Graecorum *Massanisa* vulgo in Livio hodie scribi. Sed, ut saepe testificor, longe aliter ista Graeci pronunciant, quam Latini; et Silius Ital. 17, [414.]

2 gnae contentiones in senatu fuere. Karthaginienses querebantur, *praeter agrum, de quo ante legati ab Roma, qui in re praesenti cognoscerent, missi essent, amplius septuaginta oppida castellaque agri Karthaginiensis biennio proximo Masinissam vi atque armis*
3 *possedisse. Id illi, cui nihil pensi sit, facile esse. Karthaginienses foedere inligatos silere. Prohiberi*
4 *enim extra fines efferre arma. Quamquam sciant, in suis finibus, si inde Numidas pellerent, se gesturos bellum; illo haud ambiguo capite foederis deterreri, quo diserte vetentur cum sociis populi Romani*
5 *bellum gerere. Sed jam ultra superbiam crudelitatemque et avaritiam ejus non pati posse Karthaginienses. missos esse, qui orarent senatum, ut trium*
6 *harum rerum unam ab se impetrari sinerent: ut vel ex aequo apud socium populum, quid cujusque esset, disceptarent: vel permitterent Karthaginiensibus ut adversus injusta arma pio justoque se tutarentur, bello: vel ad extremum, si gratia plus, quam veri-*

Fervidus ingenii Masinissa et fervidus aevi.

scribens, vulgo receptam comprobat scripturam. TURNEBUS 30. Advers. 37. Vide ad 24, 49, 1. De nomine *Gulussa* vide Cortium ad Salluſt. Jug. 5. Ceterum Doujatius ad h. loc. monet, Guluſſam inter filios Masiniſſae maximum fuiſſe, eique in regno succeſſiſſe. At contra auctor Epit. Liv. 50. docet, P. Scipionem Aemilianum, Masiniſſa mortuo, inter tres liberos ejus Micipsam, Guluſſam, et Maſtanabalem partes adminiſtrandi regni diviſiſſe. Quae autem unicuique pars obtigerit, diſtinctius tradunt Appian. B. Punic. pag. 64. et Zonar. 9. Annal. 27. qui ambo Micipsam filiorum Masiniſſae *πρεσβύτατον* vocarunt. Guluſſa deinde et Maſtanabale mortuis, solum regnum paternum tenuiſſe Micipsam, conſtat ex Salluſt. Jug. 5.

§. 2. *Qui re praesenti cognoscerent*] *in re praesenti* legendum. Livius 34. [62, 15.] *Missuros se in Africam, qui inter Carthaginienses et regem in re praesenti disceptarent* Legi etiam exemplum tabulae cujusdam aeneae perantiquae in agro Genuate repertae [vid. Gruter. Inscr. 204.] ubi ita eſt, *de. con-*

tas, apud eos valeret, semel statuerent, quid donatum ex alieno Masinissae vellent. Modestius certe 7
daturos eos, et scituros, quid dedissent: ipsum nullum, praeterquam suae libidinis arbitrio, finem facturum. Horum si nihil impetrarent, et aliquod suum 8
post datam a P. Scipione pacem delictum esset, ipsi potius animadverterent in se. Tutam servitutem se 9
sub dominis Romanis, quam libertatem expositam ad injurias Masinissae, malle. Perire namque se- 10
mel ipsis satius esse, quam sub acerbissimi carnificis arbitrio spiritum ducere. Sub haec dicta lacrimantes procubuerunt; ſtratique humi, non sibi magis misericordiam, quam regi *.

XXIV. Interrogari Guluſſam placuit, quid ad ea 1
responderet, aut, si prius mallet, expromeret, super qua re Romam veniſſet. Guluſſa, *Neque sibi facile* 2
esse, dixit, *de iis rebus agere, de quibus nihil mandati a patre haberet: neque patri facile fuisse mandare, quum Karthaginienses, nec de qua re acturi*

troversiis. inter. Genuateis. et Veiturios in. re. praesente. cognoverunt. et. coram. inter. eos. controversias. composue runt. SIGON. Plura de hoc genere loquendi habent Budaeus ad l. 2. D. et O. J. de Graevius ad Cic. 1. de Offic. 10. DUK. V. ad 34, 62, 15.

§ 4. *Quamquam sciant in suis finibus*] Clariſſ. Jac. Perizon. ad oram Livii adscripsit, legendum videri, *Et quamquam sciant.*

§. 5. *Non pati posse. Karthaginienses missos esse*] Lege *non pati posse Carthaginienses Missos sese, qui orarent senatum.* J. FR. GRON. Omnes edd. antiquiores vocem *Karthaginienses* referunt ad priora, et diſtinguunt *non pati posse Karthaginienses*, quod demum mutavit ultima Gruteri ἔκδοσις, sed Gronov. reduxit: qui insuper pro *esse* conjecit *sese*. Vide ad 40, 26, 5. Poſſes etiam *non pati posse Karthaginienses sese missos esse* etc. Ut vox *sese* intercepta sit ab ultimis literis vocis *Karthaginienses*.

§ 10. *Non sibi magis misericordiam, quam regi* *. *Interrogari*] Expleveris sensum, si ita

essent, nec omnino ituros se Romam, indicaverint.
3 *In aede Aesculapii clandestinum eos per aliquot noctes consilium principum habuisse, unde praeterea*
4 *legatos occultis cum mandatis Romam mitti. Eam caussam fuisse patri mittendi se Romam, qui deprecaretur senatum, ne quid communibus inimicis criminantibus se crederent, quem ob nullam aliam caussam, nisi propter constantem fidem erga populum*
5 *Romanum, odissent.* His utrimque auditis, senatus, de postulatis Karthaginiensium consultus, re-
6 spondere ita jussit: *Gulussam placere extemplo in Numidiam proficisci, et nunciare patri, ut de iis, de*

leges: *non sibi magis misericordiam, quam regi invidiam concitarunt. Deinde interrogari Gulussam placuit.* SIGON. Sensus etiam constabit, si ex supplemento Sigonii ultima vox *Deinde* omittatur.

§. 3. *Unde praeterea legatos occultis cum mandatis Romam mitti*] Recte Cl. Clericus observavit, locum lacerum ac mendosum esse: sensum autem desiderare putabat *inde se nihil audisse, praeterquam legatos* etc. Vir doctus ad marginem ed. Curionis adscripsit, legendum videri *unde praeterea legatos occultis cum mandatis Romam mitti placuit.* adscripto loco ex cap. seq. *Literas mitti consulibus placuit.* Quod decst, ita expleri posse arbitror: *consilium principum habuisse. inde nihil emanasse, praeterquam legatos occultis cum mandatis Romam mitti.*

§. 4. *Qui deprecarentur senatum*] *deprecaretur*, perspicue. SIG. *deprecarentur* in solis reperi Basileensibus annorum 1554. et 1555. Reliquae recte *deprecaretur.*

§. 5. *Senatus, de postulatis Karthaginiensium consultus, respondere ita jussit*] Doujatius testatur, se malle *responderi*: posse tamen intelligi *consules respondere.* Verum non meminerat, Livium supra cap. 22. narrare, eos in provinciam profectos esse. Vide etiam cap seq. Rectius itaque Crevierius vel legendum putat *responderi*, vel addendum *praetorem.* Praetoris enim urbani erat, absentibus consulibus, eorum munere fungi. Potest tamen ea vox, vel *eum qui senatum consuluit* subintelligi. Similia saepius apud Livium obcurrunt. Ita 31, 5, 9. *De auxilio mittendo tum respondere placere, quum consules provincias sortiti essent* 34, 39, 13. *Quinctius receptui canere jussit.* 41, 3, 6. *Tribuni militum tertiae legionis pabulum lignaque projicere jubent.* 42, 59, 11. *Signa referri, peditumque agmen in castra redire jubet, equitibus receptui canere.* cap.

quibus Karthaginienses querantur, legatos quamprimum ad senatum mittat; denuncietque Karthaginiensibus, ut ad disceptandum veniant. Si aliquid possent Masinissae honoris caussa, et fecisse et facturos esse: jus gratiae non dare. Agrum, qua cujusque sit, possideri velle: nec novos statuere fines, sed veteres observari, in animo habere. Karthaginiensibus victis se et urbes, et agros concessisse; non ut in pace eriperent per injuriam, quae jure belli non ademissent. Ita regulus Karthaginiensesque dimissi. 7 8 9 10

Munera ex instituto data utrisque, aliaque hospitalia comiter conservata.

66, 8. *Clamor jubentium referre signa ruinae quoque prope similem trepidationem fecit.* V. Cel. Burm. ad Virg. 2. Aen. 3. Duker. ad Livii 24, 15, 5. et Oudend. ad Front. 2, 5, 46.

§. 7. *Jus gratiae non dare*] Ex eo, quod Carthaginienses cap. praec. in senatu dicunt, *si gratia plus, quam veritas, apud eos valeret*, facile intelligi potest, sententiam horum verborum esse, plus apud se jus valiturum, quam gratiam; se gratiae caussa jus non violaturos; omnia juri, nihil gratiae daturos esse. Barthius 47. Advers. 11. non male explicat, se gratiae causa cuiquam nolle jus negare, sed parum apte cum hoc Livi ano componit illud satis vexatum Lucani in princ. lib. 1. *Jusque datum sceleri.* DUKER.

§. 8. *Sed veteres observari, in animo habere*] Immo *observare*. J. FR. GRON. Vide tamen ad 3, 51, 2.

§. 10. *Munera ex instituto data utrisque, aliaque hospitalia comiter conservata*] Quia hic *munera* ab hospitalibus distinguuntur. Cerda ad Virgil. 1. Aen. 196. putat, *munera* esse viaticum, quod quondam hospitibus abeuntibus dari solebat. Sed hoc non erat instituti Romanorum. *Munera* hic, ut aliis locis Livii, quae vide ad cap. 19. sunt aliquot millia aeris, legatis regum et populorum amicorum, qui Romam venerant, mitti solita: *hospitalia jura*, nam hoc non incommode suppleri potest, intelligi possunt loca, lautia, et quae plura hospitii et honoris causa iisdem tribui mos erat. DUK. Forte *comiter observata*, vel *comiter servata*. Infra 45, 20. *Nullum hospitale jus in iis servandum censuerunt.* Solent autem *conservare* et *servare* a librariis commutari. Vide ad 38, 25, 13.

§. 11. *Cn. Servilius Caepio, Ap. Claudius Cento*] Hanc legationem et quidem de tanta re, in Macedoniam missam fuisse, nusquam in superioribus dixit. Sed si hi legati ea, quae iis tributi,

1 XXV. Sub idem tempus Cn. Servilius Caepio, Ap. Claudius Centho, T. Annius Luscus legati, ad res repetendas in Macedoniam renunciandamque 2 amicitiam regi missi, redierunt: qui jam sua sponte infestum Persi senatum insuper accenderunt, relatis ordine, quae vidissent, quaeque audissent. *Vidisse se per omnes urbes Macedonum summa vi parari* 3 *bellum. Quum ad regem pervenissent, per multos dies conveniendi ejus potestatem non factam: postremo, quum desperato jam conloquio profecti essent, tum demum se ex itinere revocatos, et ad eum in-* 4 *troductos esse. Suae orationis summam fuisse; foedus, cum Philippo ictum, cum ipso eo post mortem patris renovatum: in quo diserte prohiberi eum, extra fines arma efferre; prohiberi, socios populi Ro-* 5 *mani lacessere bello. Exposita deinde ab se ordine,*

in senatu loquuti sunt, apparet, eos post Eumenis adventum in urbem missos fuisse DUKER. Claudiorum cognomen non *Cento*, sed *Centho* scribendum esse, saepius Sigonius monuit. Vide ad 22, 34, 1.

Renunciandamque amicitiam regis missi] regi legendum est. Sic enim lib. 38, [31, 5.] *Decreverunt societatem renunciare Achaeis.* Et lib. 25, [18, 9.] *Badium Campanum T. Quintio Crispino Romano renunciare hospitium.* Suet. in Calig. [3.] *Ac ne tum quidem ultra progressus est, quam ut amicitiam ei more majorum renunciaret.* SIG. Livius 36, 3, 8. *Num prius societas eis et amicitia renuncianda esset.* Cic. 2. in Verr. 36. *Vehementer Sthenio infensus hospitium ei renunciat.* Ita *denunciare alicui inimicitias* Cic. 5. Philipp. 7. De renunciatione amicitiae vide viros doctos ad Tacit. 6. Ann. 29.

§. 2. *Sua sponte infestum Perseo senatum insuper accenderunt*] Sic prave recentiores: nam in scripto fuit, ut in Aldina, *infestum Persi senatum.* Eadem fraus innexa cap. seq. §. 3. *Illyrios speculatores Romae esse, [illum] auctore missos.* c. 52, 3. *Simul meditatum Philippo primum, deinde et Persi, Romanum bellum.* Lib. 43, 7, 9. *Patienda esse ducant potius, quam se dedant Persi.* Et iterum sequente § 6.: *Bellum Persi, et ante Philippo patri ejus intulisse populum Romanum.* Sic ubique Aldina, sequens primam editionem, ubi nunc vulgo habemus *Perseo.* Lib. 45, 19, 5.

quae ipsi nuper in senatu Eumenem vera omnia et comperta referentem audissent. Samothracae praeterea per multos dies occultum consilium cum legationibus civitatium Asiae regem habuisse. Pro his injuriis satisfieri, senatum aequum censere, reddique sibi res sociisque suis, quas contra jus foederis habeat. Regem ad ea primo accensum ira inclementer locutum, avaritiam superbiamque Romanis objicientem frequenter: quod alii super alios legati venirent speculari dicta factaque sua, quod se ad nutum imperiumque eorum omnia dicere ac facere aequum censerent. Postremo, multum ac diu vociferatum, reverti postero die jussisse. scriptum se responsum dare velle. Tum ita sibi scriptum traditum esse: Foedus, cum patre ictum, ad se nihil pertinere. Id se renovari, non quia probaret, sed quia in nova

6 7 8 9 10

Altero nec Romanis, nec Persi fido socio. Ubi fecerunt *Persei.* Auguſtinus lib. 3. de Civit. Dei cap. 11. *Retulerunt tale prodigium et Antiochi et Persidis bello in eodem apparuisse figmento.* Pro *Persidis* alii *Xerxis*, Lud. Vives *Persae*, sed membranae Noricae *Persi.* quod verum eſt. Etenim et *Perses* et *Persa* dicimus, non tantum *Perseus*, a quo et patrio casu *Persi.* Salluſtius lib. 1. Hiſtor. *Bellum Persi Macedonicum.* Ut *Achilli*, *Ulyssi* apud Virgilium; *Euripidi*, *Theodecti*, *Mithridati*, *Sophocli* (quod a MSS. et reſtituendum lib. 13, 17. *et in tragoedia Sophocli scriptus est*) apud A. Gellium: immo et *Themistocli*, *Aristoteli*, *Theophani*, *Ariobarzani* eodem casu apud Ciceronem. J. FR. GRON. Primo *Persei* editum vidi in Paris. anni 1573. quod proximae servarunt usque ad Dan. Heins. qui in Elzevir. dedit *Perseo.* Ejus loco recte Gronov. ex vett. edd. *Persi* revocavit. V. ad 9, 19, 14. 37, 57, 5. 38, 7, 1. ad Epit. Liv. 40. 41. 44. 45. 46. Scalig. ad Euseb. Chron. pag. 141. Voſſium 3. Gramm. 36. et Torren. ad Val. Max. 1, 5, 3. De genitivo nominum tertiae declinationis formato in *i* vide Gruter. ad Cic. 1. de Orat. 19. 2, 22. 23. 74. in Bruto 15. et Nic. Heins. ad Ovid. 1. Art. Am. 643.

§. 3. *Quum desperato jam conloquio profecti essent*] Sine caussa vocula *jam* deeſt in ed. Clerici.

§. 6. *Samothraciae praeterea per multos dies*] Ita primus Va-

11 *possessione regni patienda omnia essent, passum. Si novum foedus secum facere vellent, convenire prius de conditionibus debere: et, si in animum inducerent, ut ex aequo foedus fieret, et se visurum, quid sibi faciundum esset, et illos credere reipublicae consultu-*
12 *ros. Atque ita se proripuisse, et submoveri e regia omnes coeptos. Tum se amicitiam et societatem renunciasse. qua voce eum accensum restitisse, atque voce clara denunciasse sibi, ut triduo regni sui dece-*
13 *derent finibus. Ita se profectos: nec sibi, aut venientibus, aut manentibus, quidquam hospitaliter aut*
14 *benigne factum.* Theſſali deinde Aetolique legati auditi. Senatui, ut scirent quam primum, quibus ducibus usura respublica eſſet, literas mitti consulibus placuit, ut, uter eorum poſſet, Romam ad magiſtratus creandos veniret.

XXVI.

scos. eademque forma infra obcurrit cap. 50. *Samothraciam aliamve quam insulam petere ab Romanis.* 45, 2, 5 *Existimari Samothraciam petiturum.* At priores legunt *Samothracae.* Ita infra 44, 25, 10. *Samothracae in templo depositurum.* cap. 45, 25. *Die postero Samothracam perveniunt.* cap. 46, 10. *Nuncio deinde accepto, Persea Samothracam trajecisse.* 45, 5, 1. *Classis Cn. Octavii Samothracam est adpulsa.* Eodem cap. §. 11. *Ab se Samothracae Eandrum occisum.* Et paullo poſt: [c. 6, 8.] *Regios pueros Macedonasque alios, qui Samothracae essent.* Id igitur recepi.

Cum legationibus civitatium Asiae] Ita primae edd. Sed *civitatum* subſtituit Vascos. priscam vero lectionem Gronovius anno 1665. reposuit; quam, paucis diſſentientibus, recentiores servarunt. Vide ad 33, 20, 11.

§. 13. *Nec sibi, aut venientibus, aut moventibus*] Placet lectio Florebelli, *aut venientibus, aut manentibus.* SIG. Ita omnes edd. usque ad Basil anni 1554. quae operarum aberratione dedit *monentibus.* Id magis corrupit Sigonii editio, quae sola praefert *moventibus.*

§. 14. *Ut uter eorum esset*] Lege *posset.* J. FR. GRONOV.

§. 3 *Perse auctore missos*] Ita edd. vetuſtiores. Curio deinde *Perseo auctore* subſtituit, et reliqui servarunt, donec Gro-

XXVI. Nihil magnopere, quod memorari adti- 1
neat, rei publicae eo anno consules gesserant. magis
e republica visum erat, comprimi ac sedari exaspe-
ratos Ligures. Quum Macedonicum bellum exspe- 2
ctaretur, Gentium quoque Illyriorum regem suspe-
ctum Ilienses legati fecerunt: simul questi, fines suos
secundo populatum, simul nunciantes, *uno animo*
vivere Macedonum atque Illyriorum regem: commu-
ni consilio parare Romanis bellum: et specie lega- 3
torum Illyrios speculatores Romae esse, Perse auctore
missos, ut, quid ageretur, scirent. Illyrii vocati in 4
senatum. qui quum legatos se esse missos ab rege
dicerent ad purganda crimina, si qua de rege Iliens-
ses deferrent; quaesitum, ecquid ita non adiissent 5
magistratum, ut ex instituto loca, lautia, acciperent?
sciretur denique veniisse eos, et super qua re ve-
niissent? Haesitantibus in responso, ut curia exce-

nov. cap. praec. §. 2. priscam scripturam restitueret; cui ex recentioribus solus eorum, quos vidi, Doujatius adsensus est. Lectionem itaque, quam Livii esse excusi principes tefiantur, adoptavi.

§. 5. *Ecquid ita non adissent magistratum*] Hanc lectionem in primo Vascos. reperi. Priores *et quid ita*. V. ad 5, 36, 5.

Ut ex instituto loca, lautia, acciperent] Legendum arbitror *loca et lautia*. quod est hospitium et munera. TURNEB. 30. Advers. 32. Recte interpretatur Turnebus: sed non putem ego scripsisse Livium *loca et lautia*. Solet enim ille absque copula haec efferre. Sic 44, 16, 7. *Senatus in formulam sociorum eum referri jussit: locum, lautia praeberi.* Rursum 45, 20, 6. *Consulti ab M. Junio consule Patres, stantibus in comitio legatis, an locum, lautia, senatumque darent.* LAMB. BOS. Copulam modo addit Livius, ut 28, 39, 19. et 33, 24, 5. modo omittit, ut 30, 17, 14. *Aedes liberae, loca, lautia legatis decreta.* 35, 23, 11. *Aedes liberae, locus, lautia decreta, et munera data.* Inde colligo, necesse non esse, ut cum Turnebo copulam, invito unico cod. addamus. Idem etiam Celeb. Dukero visum est. Ceterum *lautia* quidem munera fuerunt; sed qualia, vide apud Duker. ad 28, 39, 19.

§. 6. *Tamquam legatis, ut qui adire senatum*] Crevierius

6 derent, dictum. Responsum tamquam legatis, ut qui adire senatum non postulassent, dari non placuit: mittendosque ad regem legatos censuerunt, qui nunciarent, *qui socii quererentur apud senatum, exustum a rege agrum. non aequum eum facere, qui* 7 *ab sociis suis non abstineret injuriam.* In hanc legationem missi, A. Terentius Varro, C. Plaetorius, C. Cicerejus. Ex Asia, qui circa socios reges missi erant, legati redierunt, qui renunciarunt, *Eumenem in ea, Antiochum in Syria, Ptolemaeum in Alexan-* 8 *dria sese convenisse. Omnes sollicitatos legationibus Persei, sed egregie in fide permanere, pollicitosque omnia, quae populus Romanus imperasset, praestaturos. et civitates socias adisse: ceteras satis fidas; solos Rhodios fluctuantes et imbutos Persei* 9 *consiliis invenisse.* Venerant Rhodii legati ad purganda ea, quae vulgo jactari de civitate sciebant: ceterum senatum iis dari, quum novi consules magistratum iniissent, placuit.

conjicit *tamquam legatis iis, qui adire.*

Qui socii quererentur] Videtur fuisse: *qui nunciarent, quod socii quererentur apud senatum, exustum a rege agrum, non aequum eum facere, qui ab sociis suis non abstineret injuriam. Tò quod* est quoniam. Ut apud Petron. [cap. 104.] *Excolpion quod quaeris, scito a me in navem tuam esse perductum.* ubi male corrigunt *quem quaeris.* Cicero ad quintum 3, 5. *Quod quaeris, quid de illis libris egerim, quos; cum essem in Cumano, scribere instituì, non cessavi, neque cesso.* Silius Ital. lib. 2. vers. 327.

— — *summum quod credis, et aequas*
Hannibalem superis, o quantum nomine major
Jam Poeno tibi natus erit.

Sic MSS. et prima editio. Supposuerunt *tu credis.* J. FR. GRONOV. 39, 39, 6. *Referre se ad eos dixit, quod nec jure ullo, nec exemplo tolerabili liberae civitati aedilis curulis designatus praeturam peteret, sibi in animo esse, e lege comitia habere.* 42, 30, 10. *Ferre ad populum consules jusserunt, ut, quod*

XXVII. Belli adparatum non differendum cen- 1
suerunt. C. Licinio praetori negotium datur, ut ex veteribus quinqueremibus, in navalibus Romae subductis, quae possent usui esse, reficeret, pararetque naves quinquaginta. Si quid ad eum numerum ex- 2
plendum deesset, C. Memmio collegae in Siciliam scriberet, ut eas, quae in Sicilia naves essent, reficeret atque expediret, ut Brundisium primo quoque tempore mitti possent. Socios navales libertini or- 3
dinis in viginti et quinque naves ex civibus Romanis C. Licinius praetor scribere jussus: in quinque et viginti parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret: idem praetor peditum octo millia, quadringentos equites a sociis Latini nominis exigeret. Hunc 4
militem qui Brundisii acciperet, atque in Macedoniam mitteret, A. Atilius Serranus, qui priore anno praetor fuerat, deligitur: Cn. Sicinius praetor qui 5
exercitum paratum ad trajiciendum haberet, C. Popillio consuli ex auctoritate senatus C. Licinius prae-

Perseus etc. *sociis populi Romani arma intulisset*, etc. *ut bellum cum eo iniretur.* Ovid. 17. Her. 51.

Quod genus, et proavos, et regia nomina jactas,
Clara satis domus haec nobilitate sua est.

Ubi vide Heins. et Burmann. Adde, quae notantur ad Silii 11, 327. Jac. Perizonius ad oram Livii adscripsit, forte legendum esse *quia socii quererentur.*

§. 7. *C. Plaetorius*] Ita edidit Sigonius. Priores male legunt *Pletorius* sine diphthongo. V. ad 34, 45, 5.

Ptolemaeum in Alexandria] Scribe *Ptolemaeum Alexandriae convenisse sese.* J. FR. GRON. Livius tamen saepe nominibus urbium praepositiones addidit. Supra 5, 52, 8. *In monte Albano Lavinioque.* 40, 4, 10. *Redituri in Thessalonicam.* Vide supra ad 9, 24, 1. Gronov. ad Epit. Liv. 102. et Sanctium in Minerv. 2, 5. et 4, 6. ut et quae ad ultimum locum notavit Perizon.

§. 4. *A. Atilius Serranus*] *A. Atilius Seranus* ed. princeps. *A. Attilius Serranus* Frobeniana anni 1535. *A. Atilius Serranus* Sigonius. Vide ad cap. 1, 4.

tor scribit, ut et legionem secundam, quae maxime veterana in Liguribus erat, et socios Latini nominis quatuor millia peditum, ducentos equites Idibus
6 Februariis Brundisii adesse juberet. Hac classe et hoc exercitu Cn. Sicinius provinciam Macedoniam obtinere, donec successor veniret, jussus, prorogato in annum imperio. Ea omnia, quae senatus censuit,
7 inpigre facta sunt. Duodequadraginta quinqueremes ex navalibus deductae: qui deduceret eas Brundisium, L. Porcius Licinus praepositus: duodecim
8 ex Sicilia missae. Ad frumentum classi exercituique coëmendum in Apuliam Calabriamque tres legati missi, Sex. Digitius, T. Juventius, M. Caecilius. Ad omnia praeparata Cn. Sicinius praetor, paludatus ex urbe profectus, Brundisium venit.

§. 5. *Cn. Sicinius praetor qui exercitum*] Scribe *deligitur. Cn. Sicinius praetor quo exercitum paratum ad trajiciendum haberet, C. Popillio consuli ex auctoritate senatus C. Licinius praetor scribit, ut et legionem* etc. J. FR. GRON. Ita emendans Gronov. *quo* pro ut accepit. De eo autem hujus voculae usu vide ad 40, 25, 5. Verum eodem sensu usurpatur etiam vocula *qui*. Supra 26, 17, 12. *Mittit ad Neronem, qui conloquium differret*. ubi vide. Ter. Andr. 2, 1, 7. *Operam dare, qui istum amorem ex animo amoveas tuo*. et vers. 34. *Efficite, qui detur tibi; ego id agam, mihi qui ne detur*. Vide Clariss. Oudend. ad Front. 1, 4, 9. Necesse igitur non est vulgatum tentari.

Et ipsos Latini nominis quatuor millia peditum] Solet Livius dicere *sociûm*. J. FR. GRONOV. Solet sane Livius, sed non semper: nam et alibi, ut hoc loco, per epexegesin loquutus est. Vide Duker. ad 35, 20, 5. et Sanctii Minerv. 4, 8. ut et Perizon. ad eum loc. *socios* itaque, pro quo Gronovius *sociûm* adsciverat, prisino loco restitui. Mecum sentit etiam Crevierius.

§. 7. *L. Porcius Licinius*] *Licinus*, ut ante. SIGON. V. ad 26, 6, 1.

§. 1. *Cui primo quoque tempore magistratus creare*, etc. *jussum erat*] Usus loquendi dictat: *quippe primo quoque tempore magistratus creare, quum tantum bellum immineret, jussus erat*. Vel *quem jussum erat*. J. FR. GRON. Locutionem *jubeo tibi* non esse aevi Liviani, viris doctis adsentior. V. ad 27, 24, 3. Locum itaque mendosum in

XXVIII. Exitu prope anni C. Popillius consul Romam rediit aliquanto serius quam senatus censuerat: cui primo quoque tempore magistratus creari, quum tantum bellum inmineret, jussum erat. Itaque non secundis auribus Patrum auditus est consul, quum in aede Bellonae de rebus in Liguribus gestis differeret. subclamationes frequentes erant interrogationesque, cur scelere fratris obpressos Ligures in libertatem non restituisset? Comitia consularia, in quam edicta erant diem, ante diem duodecimum Kalendas Martias sunt habita. Creati consules, P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus. Postero die praetores facti, C. Sulpicius Galba, L. Furius Philus, L. Canulejus Dives, C. Lucretius Gallus, C. Caninius Rebilus, L. Villius Annalis. His praetoribus

1 2 3 4 5 6

unico cod. lectum fuisse existimo. Crevierio primo in mentem venerat, vel cum Gronovio legendum *quem jussum erat;* vel, in quam conjecturam etiam Doujatius antea inciderat, *qui jussus erat*. Postea tamen recte observavit, pronomen *cui* longius abesse a nomine *consul*, interjecta etiam mentione *senatus*, quam ut commode eo referri possit. Pronomen igitur ad proximum *senatus* referens, legendum conjicit, *cui primo quoque tempore magistratus creari* etc. *visum erat*. Sane *creari* legunt edd. ante Vascos. qui primus *creare* ejus loco subjecit. Solent autem scribae voces *jussum* et *visum* in membranis commutare. V. ad 9, 24, 4. Clariss. Perizonius, qui tamen locutionem *jubere alicui* defendit ad Sanctii Minerv. 2, 4, 6, hic ad marginem Livii conjecit legendum, *qui primo quoque tempore magistratus creari jusserat:* quae etiam conjectura verisimilis est. Saepe enim voculae *qui* et *cui* in manuscriptis confunduntur. V. ad 9, 34, 14. Librarii autem scripserunt *jussum erat* pro *jusserat*, ut contra *persuaserat* pro *persuasum erat* 5, 45, 1. V. plura ad 23, 29, 16. Vix dubito, quin alterutra conjectura, aut ultima Crevierii, aut illa Perizonii, vera sit.

§. 4. *Diem, in ante Kalendas Martias*] Corruptissime et male Latine sic Gruteri ultima, ex qua in citeriores eadem labes defluxit. Repone ex primo exemplari: *Comitia consularia, in quam edicta erant diem, ante diem duodecimum Kal. Martias sunt habita.* J. FR. GRON. Primae edd. praeferunt *diem*, *ad XII. Cal. Mart.* Sigonius emendavit

provinciae decretae: duae jure Romae dicendo, Hispania, et Sicilia, et Sardinia; ut uni sors integra
7 esset, quo senatus censuisset. Consulibus designatis imperavit senatus, ut, qua die magistratum inissent, hostiis majoribus rite mactatis, precarentur, ut, quod bellum populus Romanus in animo habe-
8 ret gerere, ut id prosperum eveniret. Eodem die decrevit senatus, C. Popillius consul ludos per dies decem Jovi optimo maximo voveret, donaque circa omnia pulvinaria dari, si respublica decem annos
9 in eodem statu fuisset. Ita ut censuerant, in Capitolio vovit consul ludos fieri, donariaque dari, quanta ex pecunia decresset senatus, quum centum et

diem, A.D.XII. Calendas Martias. Vide ad 27, 23, 7.

§. 5. *L. Villius Annalis*] *L. Julius Annalis* ed. princeps. *L. Junius Annalis* Frobeniana anni 1535. Sed recte *L. Villius Annalis* Sigonius. V. ad 40, 44, 1.

§. 6. *Ut uni sors integra esset, quo senatus censuisset*] Infra [cap. 31, 9.] *L. Furius Philus Sardiniam, C. Lucretio Gallo, quo senatus censuisset, sors evenit.* Lib. 27, [22, 3.] *P. Licinio Crasso pontifici maximo peregrina, et quo senatus censuisset.* J. FR. GRON. Idem Gronov. in priori ed. notarum conjecerat *et ut uni sors*; quod recte curis secundis omisit.

§. 7. *Ut id prosperum eveniret*] *Τὸ ut* delesse Pithoeum, monet Hearnius. Male. Livius enim id citra necessitatem duplicare solet. V. ad cap. 21, 5.

§. 8. *C. Popillius consul ludos per dies decem Jovi optimo maximo voveret, donaque circa omnia pulvinaria dari*] *ut C. Popillius*, addita prima vocula, scribendum conjecit, et edidit Crevier. Facile autem ea excidere potuit ob ultimas literas vocis praecedentis. V. ad 28, 38, 12. Deinde Clariss. Perizon. ad marginem Livii conjecit deesse, vel excidisse verbum *fieri*, ac legendum *ludos per dies decem Jovi optimo maximo fieri voveret*; idque patere ex sequentibus, *In Capitolio vovit consul ludos fieri, donariaque dari.* Verum, ut hoc loco *fieri* subintelligitur, *dari* exprimitur, ita contra *facturum* exprimitur, *daturum* subintelligitur supra 31, 9, 10. *Tanta pecunia, quantam tum, quum solveretur, senatus censuisset, ludos donaque facturum vovit.* Insuper caussam non video, cur displiceat *vovit ludos Jovi, et vovit dari dona.*

§. 9. *Decresset senatus. Quum centum et quinquaginta non minus adessent, praeeunte verba Lepido*] Locus vulgo prava di-

quinquaginta non minus adeſſent. praeeunte verba Lepido pontifice maximo, id votum susceptum eſt. Eo anno sacerdotes publici mortui, L. Aemilius Papus decemvir sacrorum, et Q. Fulvius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat censor. Hic foeda morte periit. Ex duobus filiis ejus, qui tum in Illyrico militabant, nunciatum alterum deceſſiſſe, alterum gravi et periculoso morbo aegrum eſſe. Obruit animum simul luctus metusque: mane ingreſſi cubiculum servi laqueo dependentem invenere. Erat opinio, poſt censuram minus compotem fuiſſe sui: vulgo Junonis Laciniae iram ob spoliatum templum alienaſſe mentem ferebant. Subfectus in Aemilii lo-

ſtinctione laborat. Interpungendum eſt hoc modo: *quanta ex pecunia decresset senatus, quum centum et quinquaginta non minus adessent. Praeeunte Lepido pontifice maximo id votum susceptum est.* Gronovius, licet mendosa diſtinctio in edd. ejus servata sit, tamen veriorem hanc novit, ut conſtat ex his verbis ab eo ita fere laudatis ad 26, 33, 14. Eamdem etiam Crevier. recte recepit. Non centum et quinquaginta senatores adfuerunt, quum, Lepido verba praeeunte, votum susciperetur; verum tot in senatu adeſſe debuerunt, quum definiretur pecunia in ludos et donaria absumenda. De numero senatorum quaedam notavit Gronov. supra l. laud. et Duker. ad 39, 18, 9. Poſſet etiam hoc loco legi, *quum centum et quinquaginta, ne minus, adessent.* De formula *ne minus* vide ad 38, 24, 5. Invito tamen unico cod. nihil muto.

§. 10. *Sacerdotes publici mortui*] Supra 25, 2, 1. *Et aliquot publici sacerdotes mortui eo anno sunt.* 26, 23, 7. *Sacerdotes publici aliquot eo anno demortui sunt.* 41, 21, 8. *Sacerdotes publici ea pestilentia mortui.* Similiter memorantur *sacra publica*, et obponuntur *sacris gentiliciis* supra 5, 52, 4. *An gentilicia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra et Romanos Deos etiam in pace deseri placet? et pontifices flaminesque neglegentiores publicarum religionum esse, quam privatus in sollemni gentis fuerit?*

L. Aemilius Papus] *Pappus* edd. principes, pro quo *Papus* dedit Sigonius. V. ad 28, 38, 11.

§. 13. *M. Valerius Messalla*] Ita Sigonius edidit: priores *Messala.* V. ad 27, 5, 1.

Pontifex Cn. Domitius Aenobarbus, oppido adolescens sacerdos lectus] *Ahenobarbus* Sigonius, eumque secutus Clariſſ. Crevierius ediderunt. V. ad 34, 42, 4. Notat insuper Crevierius,

cum decemvir M. Valerius Meſſalla: in Fulvii pontifex Cn. Domitius Ahenobarbus, oppido adolescens sacerdos lectus.

1 XXIX. P. Licinio, C. Caſſio consulibus, non urbs tantum Roma, nec terra Italia, sed omnes reges civitatesque, quae in Europa, quaeque in Asia erant, converterant animos in curam Macedonici ac Ro-
2 mani belli. Eumenem quum vetus odium ſtimulabat, tum recens ira, quod scelere ejus prope ut vi-
3 ctima mactatus Delphis eſſet. Prusias, Bithyniae rex, ſtatuerat abſtinere armis, eventumque exspectare. nam neque pro Romanis se aequum censere adversus fratrem uxoris arma ferre; et apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore.
4 Ariarathes, Cappadocum rex, praeterquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo eſt junctus Eumeni adfinitate, in omnia belli pacisque
5 se consociaverat consilia. Antiochus inminebat qui-

manifeſtum eſſe, *τὸ sacerdos* vacare, ac proinde delendum eſſe.

§. 2. *Quod scelere ejus prope ut victima mactatus Delphis esset*] Infra cap. 40, 8. *Eumenes rex, ab Roma quum in regnum rediret, prope ut victima Delphis in sacrato loco ante aras mactatus, quem insimulet, piget referre.* Ceterum pronomen *ejus* non habet, quo referri possit. Forte igitur legendum *scelere Persei*; nisi potius supra malis *vetus odium stimulabat in Persea, tum recens ira.*

§. 3. *Et apud Persea victorem*] V. Gronov. ad 31, 42, 8.

§. 4. *Ariarathes, Cappadocum rex*] Ita edidit Sigonius: priores, omiſſa adspiratione, *Ariarates*. Sed v. ad 37, 31, 4. Mox *ex quo erat junctus* malebat Crevier.

§. 7. *Quo vindicarent Coelesyriam*] Parvum eſt, sed in prisco fuit *Coelemsyriam*. Sic 32, 5, 5. Petavianae membranae: *ad condendam Megalempolin*. Nisi utrobique mavis: *Coelensyriam, Megalenpolin*. Ut lib 37, [22, 5.] *Ad portum, quem Megisten vocant*. J. FR. GRON. *Coelesyriam* primus edidit Curio, quum paullo ante Vascos. et Gryph. anno 1548. dediſſent, ut Gronovius conjecit, et Clericus ac Crevierius receperunt, *Coelensyriam*. Sed malo divisis

dem Aegypti regno, et pueritiam regis, et inertiam tutorum spernens; et ambigendo de Coele Syria cauſſam belli se habiturum exiſtimabat, geſturumque 6
sine ullo inpedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia et per suos legatos senatui, et ipse legatis eorum eximie pollicitus erat. Ptolemaeus propter aetatem alieni etiam 7
tum arbitrii erat. tutores et bellum adversus Antiochum parabant, quo vindicarent Coelen Syriam, et Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. Masiniſſa et frumento juvabat Romanos, 8
et auxilia cum elephantis Misagenemque filium mittere ad bellum parabat. consilia autem in omnem fortunam ita disposita habebat: si penes Romanos 9
victoria eſſet, suas quoque in eodem ſtatu mansuras res, neque ultra quidquam movendum: non enim paſſuros Romanos, vim Karthaginiensibus adferri. Si fractae eſſent opes Romanorum, quae tum prote- 10

vocibus *Coelen Syriam*. Ita enim conſtanter infra editur 45, 11, 9. *Aegyptum petens in Coelen Syriam processit*. Et ita paullo ante hoc capite lego *ambigendo de Coele Syria*, ubi olim etiam junctim vulgabatur *de Coelesyria*. Nam et ita supra praeferunt edd. l. 33, 19, 8. *Omnibus, quae in Coele Syria sunt, civitatibus Ptolemaei in suam potestatem redactis*. et apud Plin. 5 H. Nat. 20. *A tergo ejus mons Libanus orsus mille quingentis stadiis Simyram usque porrigitur, qua Coele Syria cognominatur*. et 21, 18. *Ob id et odorati junci medicinae dicentur, quoniam et in Syria Coele nascitur*. Pariter Graecis Κοίλη Συρία vocatur. Quin et simpliciter *Coele* dicitur. Mela 1, 11. *Syria late litora tenet, terrasque etiam latius introrsus, aliis aliisque nuncupata nominibus. Nam et Coele dicitur, et Mesopotamia, et Damascene*, etc. Vide Cluver. Geogr. Ant. 3, 12, 266.

§. 8. *Misagenemque filium mittere*] Vetus *Misagenenque*. J. FR. GRON. *Misagenemque* primi ediderunt Vascos. et Gryphius anno 1548. tum Basil. anno 1554. hinc Sigonius eam lectionem recepit; forsitan cauſsam hanc habuit, quia ita conſtanter, etiam in antiquissimis edd. legebatur infra c. 67. Gro-

gerent Karthaginienses, suam omnem Africam fore.
11 Gentius, rex Illyriorum, fecerat potius, cur suspectus esset Romanis, quam satis statuerat, utram foveret partem; inpetuque magis, quam consilio, his
12 aut illis se adjuncturus videbatur. Cotys Thrax, Odrysarum rex, evidenter Macedonum partis erat.
1 XXX. Haec sententia regibus quum esset de bello, in liberis gentibus populisque plebs ubique omnis ferme, ut solet, deterioribus erat ob regem Ma-
2 cedonasque inclinata; principum diversa cerneres studia. pars ita in Romanos effusi erant, ut auctoritatem inmodico favore conrumperent: pauci ex
3

novius postea anno 1665. restituit hoc loco *Misagenenque*; at infra *Misagenem* servavit. Sed Sigonium sequi, et alterum hic revocare malui.

§. 9. *Vim Karthaginiensibus adferri*] Supra 9, 16, 4. *Quonam se pacto paucos et inermes crederent praesidio tam valido et armato vim adlaturos.* 38, 20, 8. *Non pugnare cum iniquitate locorum, neque inexsuperabilibus vim adferre.* 45, 19, 12. *Quid adtineret vim adferre rei, sua sponte mox ad eum adfuturae.* Justin. 18, 7. *Quam rem etsi indigne ferret pater, non tamen vim adferre religioni ausus est.* Similiter *virgini, pudicitiae vim adferre.* Liv. 3, 45, 9. *Pudicitia saltem in tuto sit. Huic si vis adferetur*, etc. 4, 4, 8. *Nemo plebejus patriciae virgini vim adferret.* Ovidius 17. Her. 21.

An, quia vim nobis Neptunius adtulit heros,
Rapta semel, videor bis quoque digna rapi?

Ubi vide Nobiliff. Heins. et Cel. Burmann. Ita *adferre stuprum* in uno cod. supra erat in Epit. Liv. 3.

§. 11. *His aut illis se adjuncturus*] Ita recte Gronovius edidit. Omnes priores praeferunt *iis aut illis.*

§. 1. *Plebs utique omnis ferme*] Ita postrema Gruteri editio, quod adoptarunt, praeter Hearnium, recentiores omnes, Crevierius etiam alteri lectioni *ubique*, quam servant priores typis excusi, praefert, et exponit, plebs quidem certe omnis, ut obponatur principibus, de quibus mox agetur: quae tamen obpositio, si *ubique* legas, non perit. Unico codici ut adhaeream, tutius videtur. Formula *omnes ubique*, vel *omnes qui ubique sunt* Ciceroni frequentissima est.

Deterioribus erat ob regem Macedonasque inclinata] Posses *deterioris erat.* Sed videtur in hoc vocabulo intelligi voluisse τὸ *studiis.* Itaque distinguendum et legendum: *plebs utique omnis ferme, ut solet, deterioribus erat ad regem Macede-*

iis juſtitia imperii Romani capti; plures ita, ſi praecipuam operam navaſſent, potentes sese in civitatibus suis futuros rati. pars altera regiae adulationis 4
erat, quos aes alienum et desperatio rerum suarum, eodem manente ſtatu, praecipites ad novanda omnia egebat; quosdam ventosum ingenium, quia Perseus magis aurae popularis erat. tertia pars, optima ea- 5
dem et prudentiſſima, si utique optio domini potioris daretur, sub Romanis, quam sub rege, malebat eſſe. si liberum inde arbitrium fortunae eſſet, neu- 6
tram partem volebant potentiorem altera obpreſſa fieri; sed, inlibatis potius viribus utriusque partis,

nasque inclinata; principum diversa cerneres studia. J. FR. GRONOV. Non dubitari poteſt, quin *ad* legendum sit, pro ob. cap. 5, 2. *Erant tamen magna ex parte hominum ad favorem ejus inclinati animi.* 3, 65, 2. *Nihil magnopere ad Patrum aut plebis caussam inclinati.* DUK. 4, 25, 14. *Plebem ad suos studia inclinaturam.* c. 55, 4. *Inclinante deinde fortuna ad caussam plebis.* 23, 33, 4. *Ad fortunam inclinavit.* 30, 43, 1. *Inclinatis omnium ad pacem animis.* ubi vide. 31, 45, 8. *Quum desiderium quoque patriae facilius ad credendum inclinaret animos.* ubi etiam quaedam dicta sunt. 40, 5, 6. *Inpellique ad consilia belli, ad quae jam sua sponte animum inclinasset.* et alibi saepe. Solitos autem fuiſſe librarios praepositiones *ob* et *ad* perperam commiscere, vidimus ad 37, 27, 5. Gronovii conjecturam *ad regem* probat etiam Crevierius. Sed quod ad *deterioribus* vocabulum *studiis*, quod sequitur, Livium intelligi voluisse putet, ipsi displicet, quia asperior eſt illa trajectio, et aliquid pingue ac redundans redolet haec oratio *deterioribus studiis erat ad regem inclinata.* Verisimilius igitur ipsi videbatur, excidiſſe hic verbum aliquod, quale eſſet *favens. deterioribus favens erat ad regem Macedonasque inclinata:* quod inluſtrat gemino loco Livii ex cap. 63, 2. *Pravo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur, deteriori atque infirmiori favendi.*

§. 4. *Quos aes alienum*] Vide Gronov. ad 36, 6. DUKER.

§. 6. *Pacem ex eo manere*] Lego: *sed, illibatis potius viribus utriusque partis, pacem ex aequo manere.* Liberius vertit Polybium. ὧν μία μὲν ἦν τῶν οὐχ ἡδέως μὲν ὁρώντων κρινόμενα τὰ ὅλα, καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης ἐξουσίαν ὑπὸ μίαν ἀρχὴν πίπτουσαν, οὔτε δὲ συνεργούντων οὔτ' ἀντιπραττόντων ἁπλῶς Ῥωμαίοις οὐδέν. J. FR. GRON. Gronovii conjectura Crevierio placet. Poteſt tamen et vulgatum servari, et *ex eo* exponi,

pacem ex eo manere. ita inter utrosque optimam conditionem civitatium fore; protegente altero sem-
7 per inopem ab alterius injuria. Haec sentientes, certamina fautorum utriusque partis taciti ex tuto
8 spectabant. Consules, quo die magistratum inierunt, ex senatusconsulto quum circa omnia fana, in quibus lectisternium majorem partem anni esse solet, majoribus hostiis inmolassent, inde preces suas acceptas ab Diis inmortalibus ominati, senatui, rite sacrificatum, precationemque de bello factam, re-

quod inlibatae partis utriusque vires essent. Et ita fere sentit Doujatius. Paullo ante Crevierius emendat *si liberum arbitrium fortunae esset*, expuncta particula *inde*.

§. 7. *Optimam conditionem civitatium fore*] Ita prima et reliquae omnes edd. excepta sola nupera Londinensi, quae *civitatum* adscivit. Sed vide ad 33, 20, 11.

§. 8. *Quo die magistratum inierunt ex senatusconsulto*] Ita vulgo distinguitur, quasi Livius indicaret, consules non ordinario, sed per senatusconsultum definito die magistratum occepisse, ut 9, 8, 1. *Quo creati sunt die, (sic enim placuerat Patribus) magistratum inierunt.* Sed recte nuper Crevier. distinxit *magistratum inierunt, ex senatusconsulto quum circa.* ut consules dicantur ex senatusconsulto circa omnia fana majoribus hostiis inmolasse. Id enim senatus imperarat c. 28, 7. *Consulibus designatis imperavit senatus, ut, qua die magistratum inissent, hostiis majoribus rite mactatis precarentur, ut, quod bellum populus Romanus in animo haberet gerere, ut id prosperum eveniret.* Similis locus supra est 36, 1, 1. *P. Cornelium Cn. filium Scipionem et M. Acilium Glabrionem consules, inito magistratu, Patres, priusquam de provinciis agerent, res divinas facere majoribus hostiis jusserunt in omnibus fanis, in quibus lectisternium majorem partem anni fieri solet.*

Circa omnia fana, in quibus lectisternium etc.] Cum legimus, *supplicatum ad omnia lectisternia*, ad omnia templa intelligere debemus, propterea quod Dii in lectulis et pulvinaribus cum suis Deabus collocati fere erant majorem anni partem: Jupiter cum Junone, Latia (sic enim in Gellio lib. 13. [22.] legendum putem a Latio) cum Saturno, Hora cum Quirino, Maja cum Vulcano, Salacia, quae Tethys est, cum Neptuno, Nerio cum Marte. Id ita esse, declarat Livius his verbis. Servius in 12. Aen. [199.] *lectisternia* interpretatur, ubi homines solent in templis sedere. TURNEBUS 30. Advers. 32. V. ad 5, 13, 6.

Inde preces suas acceptas ab Diis etc. *factam, renunciarunt*] Existimat Crevierius fore, ut om-

nunciarunt. Aruspices ita responderunt, *si quid* 9
rei novae inciperetur, id maturandum esse. victo-
riam, triumphum, prorogationem imperii portendi.
Patres, *quod faustum felixque populo Romano esset,* 10
centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad popu-
lum consules, jusserunt, *ut, quod Perseus, Philippi*
filius, Macedonum rex, adversus foedus cum patre
Philippo ictum, et secum post mortem ejus renova-
tum, sociis populi Romani arma intulisset, agros va-
stasset, urbesque occupasset; quodque belli parandi 11

nia structa elegantius, et aptius inter se cohaerentia viderentur, si omnia haec verba loco mota post §. sequentis verba ultima *imperii portendi* rejicerentur. Ceterum dicendo *acceptas ab Diis* videtur respexisse Livius ad sollemnem formulam precantium, qua rogabant, ut Dii preces suas acciperent. Eam illustrat Brisson. 1. de Form. 33. Id moneo, ne quis legendum putet *acceptas Diis.*

§. 9. *Prorogationem imperii portendi*] *Prorogatio imperii* ferri hic nequit, nec dicitur, nisi cum iis, qui vel in magistratu, vel extra ordinem cum imperio in provinciam mittuntur, finito imperii dati anno, potestas et jus imperii in sequentem iterum annum vel longius tempus extenditur. Breviter *prorogatio* semper temporis ac durationis involvit significationem, sumtam a comitiis, quorum proprium est vocabulum *rogatio*, et quae inde oriuntur, in quibus etiam *prorogare* h. e. longius vel in proximum annum rogare imperatoribus imperium. At hic agitur de terminis regionum subjectarum imperio populi Romani proferendis. Legendum itaque omnino *propagationem imperii*, vocabulum a vineis ad omnia ea, quae per latius spatium extenduntur, translatum. Et ita 36, 1, 3. *Haruspices responderunt, eo bello terminos populi Romani propagari.* 38, 60, 5. *Imperium populi Romani propagaverit in ultimos terrarum fines.* Cic. de provinc. c. 12. *Finium imperii nostri propagatio.* Nepos Hamilc. 2. *Fines imperii propagaverit.* Suet. Ner. 18. *Augendi propagandique imperii neque voluntate ulla, neque spe motus unquam.* Saepe autem *prorogare* et *propagare* fuere invicem a librariis confusa, et saepius hoc in illud abiit, quia longe altero infrequentius apud auctores. JAC. PERIZ. Anim-adv. Hist. cap. 6, 229. V. ad 23, 25, 11.

§. 11. *Quodque belli parandi adversus populum Romanum consilia iniisset*] Forte *patrandi*, id est gerendi. J. FR. GRONOV. *patrare* et *parare* saepe in Mssis confundi, vidimus ad 28, 41, 8. Hic tamen nihil mutandum. Non enim *patrare bellum* est gerere, sed perficere, ad finem perducere. Supra 28, 41, 8. *Egregiam istam palmam*

adversus populum Romanum consilia inisset, arma, milites, classem ejus rei caussa comparasset; ut, nisi de iis rebus satisfecisset, bellum cum eo iniretur. Haec rogatio ad populum lata est.

1 XXXI. Senatusconsultum inde factum est, *Ut consules inter se provincias Italiam et Macedoniam compararent, sortirenturve. Cui Macedonia obvenisset, ut is regem Persea, quique ejus sectam secuti essent, nisi populo Romano satisfecissent, bello persequeretur.* 2 Legiones quatuor novas scribi placuit, binas singulis consulibus. Id praecipue provinciae Ma-

belli Punici patrati petis. Florus 2, 15. *Tertium cum Africa bellum et tempore exiguum, (nam quadriennio patratum est) et, in comparatione priorum, minimum labore.* ubi vide Cl. Duker. Vell. 2, 30. *Hujus* belli *patrati gloria penes M. Crassum fuit.* cap. 123. *Quum Germanicum nepotem suum, reliqua belli patraturum, misisset in Germaniam.* Hinc *coeptum* et *patratum bellum* obponuntur apud Salluſt. in Jug. 19. *Uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum foret.* Ubi similem Taciti locum Ciaccon. et Cortius laudarunt. Similiter *commissum* et *patratum proelium* apud Vellej. 2, 21. *Cujus* proelii *commissi patratique sub ipsis moenibus oculisque urbis Romanae pugnantibus spectantibusque, quam fuerit eventus exitiabilis.* Et ita *patrare pacem* non tantum notat agere de pace, sed eam firmare, tractationi de pace finem optatum imponere. V. ad 2, 26, 4. Illa autem significatio hic locum habere nequit. Non enim Perseus, nondum bellum gerens, iniit consilia belli adversus populum Romanum patrandi, id est perficiendi, sed belli populo Romano inferendi, et se ad id gerendum parandi. Illud autem *parare bellum* explicat verbis sequentibus per *arma, milites, classem ejus rei caussa comparare. Paratur* itaque bellum, antequam geritur. Liv. 2, 43, 7. *Praeter ceteras imperatorias artes, quas parando gerendoque bello edidit plurimas.* 31, 33, 4. *Ab consule non parabatur, sed gerebatur jam bellum.* 42, 13, 5. *Quamquam mihi quidem non parare, sed gerere pene bellum videbatur.* Praeterea *consilia inisset* editi ante Gronov. qui *iniisset* substituit. Forte tamen ea lectio errori typographorum adscribenda est, quem emendare recentiores neglexerunt.

Id praecipue provinciae Macedoniae datum] Lipsius 2. de Milit. Rom. 5. citat *Id praecipui.* Si quid mutandum est, non minus recte scribi potest *Id praecipuum*, ut paullo post: *Illud quoque praecipuum sorti Macedoniae datum.* 27, 10, 13. *Additum Fabio consuli centum pondo auri praecipuum.* 43, 5,

cedoniae datum, quod, quum alterius consulis legionibus quina millia et duceni equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedoniam sena millia peditum scribi jussa; equites treceni aequaliter in singulas legiones. et in sociali exercitu 3
consuli alteri auctus numerus: sexdecim millia peditum, octingentos equites (praeter eos, quos Cn. Sicinius duxisset, sexcentos equites) in Macedoniam trajiceret. Italiae satis visa duodecim millia socio- 4
rum peditum, sexcenti equites. Illud quoque praecipuum datum sorti Macedoniae, ut centuriones

8. *Duobus fratribus regulis haec praecipua.* Terent. Ad. 2, 3, 5. *Unam hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror.* J. Fr. Gronovium quoque probasse *praecipuum*, ex adnotatis illius ad haec verba c. 52. *eum duabus legionibus Romanis* colligo. DUKER. Similiter *praecipuum* conjicit Crevierius. Minus tamen *praecipui*, quam *praecipuum*, a vulgato recedit. Et ita fere supra 34, 18, 5. *Nec quidquam in exercitu suo praecipui praeter honorem atque imperium haberet.* Pari modo *id cognominis*, et similia alia; de quibus v. ad 7, 26, 6.

Quina millia et duceni equites ex vetere instituto] Observa *vetus institutum* adpellari *quina millia*, quia novitium Scipionis 29, 24. nondum habebat firmitatem. At enim *equites duceni* adtribuuntur quasi ex more. Falso. Rescribe *pedites*. Quod spondeo esse certum. Nam plerumque *ducenti* illi supra quatuor, quinque, sex millia addi solent, et male exscriptor, qui *in equites* mutavit. Nam illi ecce sequuntur, *treceni aequaliter in singulas*. Variatum, inquit, in pedite fuit, nihil in equite, et treceni *aequaliter* (tam in quina millia, quam in sena] adscripti. LIPS. 2. de Milit. Rom. 5. Si aequaliter in singulas quatuor legiones scripti sunt treceni equites, quid hic nominantur *duceni equites*: iique ex *vetere instituto*, quod non bello Annibalis, non Philippi, non Antiochi obtinuit? Et tamen τὸ *aequaliter* pertinere ad quatuor legiones omnes constat, quia ineptum foret cogitare, in consulari exercitu uni legioni plures equites attributos fuisse, quam alteri; ac proinde ineptius, monere, fuisse aequaliter in duas legiones descriptum equitum numerum, quum id semper factum sit. Legendum omnino, *quina millia et duceni pedites*. Id erat jam vetus institutum. 40, 1. 18. 41, 9. 44, 21. JAC. PERIZON. Illa, quae defendendae vulgatae lectioni Doujatius adtulit, ex his Perizonii satis refelluntur. Voces *equites* et *pedites* saepe a librariis commisceri, vidimus ad 37, 40, 5.

§. 4. *Sorti Macedoniae*] Vide Gronov. ad Tacit. 3. Ann. 32. DUKERUS.

militesque veteres scriberet, quos vellet, consul us-
5 que ad quinquaginta annos. In tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod consules ex senatusconsulto ad populum tulerunt, ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed consulum praetorumque in iis faciendis judicium
6 arbitriumque esset. Inter praetores ita partita imperia. praetorem, cujus sors fuisset, ut iret, quo senatus censuisset, Brundisium ad classem ire placuit;
7 utque ibi recognosceret socios navales, dimissisque, si qui parum idonei essent, supplementum legeret ex libertinis, et daret operam, ut duae partes civium
8 Romanorum, tertia sociorum esset. Commeatus classi legionibusque ut ex Sicilia Sardiniaque subveherentur, praetoribus, qui eas provincias sortiti essent, mandari placuit, ut alteras decumas Siculis Sar-

Usque ad quinquaginta annos] Vide cap. 33. 34. et Lipsium 1. de Milit. Rom. 2. a cujus sententia de annis stipendiorum et numero equitum in legione propter ea, quae Casaub. Epist. 65. scripsit, nondum discedo. DUKERUS.

§. 5. *Ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur*] Recte Doujatius intelligit suffragiis populi. Liv. 7, 5, 9. *Quum eo anno primum placuisset, tribunos militum ad legiones suffragio fieri, (nam et antea, sicut nunc, quos Ruffulos vocant, imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit.* Et 1. 9, 30, 3. *Duo imperia eo anno dari incepta per populum, utraque pertinentia ad rem militarem. Unum, ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur; quae antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum et consulum ferme fuerant beneficia.* Addit autem, antea cautum fuisse, ut tribuni militum, qui olim magistratuum et belli ducum judicio eligebantur, in comitiis a populo *pro dimidia parte* crearentur. Verum, id secus fuisse, laudata loca Livii evincunt. Cuilibet legioni sex, quatuor legionibus viginti quatuor tribuni militum creabantur. Jam vero Livius priori loco docet, ex viginti quatuor tribunorum numero sex, sive quartam eorum partem, suffragiis populi constitutos esse; posteriori vero sedecim, id est duas

Sardisque imperarent, utque id frumentum ad exercitum in Macedoniam portaretur. Siciliam C. Caninius Rebilus est sortitus, L. Furius Philus Sardiniam, L. Canulejus Hispaniam, C. Sulpicius Galba urbanam jurisdictionem, L. Villius Annalis inter peregrinos. C. Lucretio Gallo, quo senatus censuisset, sors evenit. 9

XXXII. Inter consules magis cavillatio, quam magna contentio, de provincia fuit. Cassius, *sine sorte se Macedoniam obpugnaturum*, dicebat, *nec posse collegam, salvo jurejurando, secum sortiri. Praetorem eum, ne in provinciam iret, in concione jurasse, se stato loco statisque diebus sacrificia habere, quae, absente se, recte fieri non possent: quae non magis consule, quam praetore, absente recte fieri possent. Si senatus, non quid vellet in consulatu potius, quam quid in praetura juraverit P. Licinius,* 1 2 3

tertias partes. At, in ea re ad haec usque tempora aliquid mutatum fuisse, non constat. Forte Doujatio errori fuit, quod quadriennio post a senatu decretum narret Livius 44, 21, 2. *ut in octo legiones parem numerum tribunorum consules et populus crearent.*

§. 9. *L. Junius Annalis*] *L. Villius* ut ante. SIGONIUS. *L. Junius* dedit Frob. anno 1535. at *L. Julius* ed. princeps, pro quo recte Sigonius *L. Villius*. Vide ad cap. 28, 5.

§. 1. *Sine sorte se Macedoniam obpugnaturum*) Alb. Rubenius *optaturum*. Lib. 26, [29, 8.] *Quum extra sortem collegae optionem dari provinciae iniquum fuerit.* J. FR. GRON. *Optare* pro eligere supra est 6, 25, 5. *Permissoque, ut ex collegis optaret, quem vellet, contra spem omnium L. Furium optavit.* Silius 13, 688.

Excelsae turris post ultima rebus in artis
Subsidium optaram.

Ubi vide, quae notavi, ut et Muncker. ad Lactant. Narrat. Fabul. 11. fab. 3. Hinc *optio* est electio apud Cic. pro Quinct. 9. *Cui haec optio tam misera tamque iniqua daretur, ut aut ipse se capitis damnaret, si satisdedisset, aut caussam capitis, si sponsionem fecisset, priore loco diceret.* Vide Cort. ad Sall. Jugurth. 79. Hinc *adoptio* est quasi allectio, electio in filium; unde contra *in filiorum locum eligere*, pro adoptare, dixit Vo-

animadvertendum esse censeat, se tamen futurum
4 *in senatus potestate.* Consulti Patres, cui consulatum populus Romanus non negasset, ab se provinciam negari, superbum rati, sortiri consules jussere.
5 runt. P. Licinio Macedonia, C. Cassio Italia obvenit. Legiones inde sortiti sunt. prima et tertia in Macedoniam trajicerentur, secunda et quarta ut in Italia remanerent. Delectus consules multo intentiorem,
6 quam alias, curam habebant. Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque: et multi voluntate nomina dabant, quia locupletes videbant, qui priore Macedonico bello, aut adversus Antio-

pisc. in Aurel. 14. *Ab optimis quibusque in filiorum locum fortissimi viri semper electi sunt.* Rubenii conjecturam in contextum admiserunt Cleric. et Crevier.

§. 3. *Si senatus, non quid vellet in consulatu*] Negativam particulam delendam esse censeo. Nam qui dicit, se in senatus futurum potestate, significat se obtemperaturum senatui, etsi decernant Patres contra studium ipsius. At, ut, non quid vellet in consulatu potius, quam quid in practura juraſſet P. Licinius, animadverteretur, hoc erat, quod desiderabat, et faciendum censebat Cassius. Nunc autem aït in contrarium. si tamen Patres tantum indulgerent Licinio, ut potius rationem haberent ejus, quod ille cuperet consul, quam ejus, quod juraſſet praetor, se daturum hoc Patribus, ut, contra quam justum putet, in sortem provincias mittat. J. FR. GRON.

§. 5. *Secunda et quarta ut in Italia remanerent*] Intellige *secundam* et *quartam* ex numero earum, quae hoc anno a consulibus scriptae, et ex senatusconsulto iis adsignatae erant. Ceteroquin secunda jam cum Cn. Sicinio in Macedoniam trajecerat supra cap. 27.

§. 6. *Licinius veteres quoque scribebat milites*] Lipsius 1. de Milit. Rom. 4. haec describens habet *quosque*. Et melius est. c. 31. *Ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul.* DUKER.

§. 7. *Quum tribuni militum centuriones, sed primum quemque, citarent*] Hoc ex loco intelligimus, quod et historiarum monumentis a Polybio (6, 18.) mandatum est, tribunos militum solitos esse delectum habere. TURNEB. 30. Advers. 32. Vocula *sed* Crevierio hic supervacua est, eique prodere videtur aliquod hoc loco mendum. Libenter itaque legeret *centuriones vetustissimum quemque.* Tribunos delectui praefuisse, et centuriones etiam, sed consulum jussu ac permissu, constituisse, docet Lipsius 2. de Milit. Rom. 8.

chum in Asia, stipendia fecerant. Quum tribuni militum centuriones, sed primum quemque, citarent, tres et viginti centuriones, qui primos pilos duxerant, citati tribunos plebis adpellarunt. Duo ex collegio, M. Fulvius Nobilior et M. Claudius Marcellus, ad consules rejiciebant: *Eorum cognitionem esse debere, quibus delectus, quibusque bellum mandatum esset.* ceteri, *cognituros se, de quo adpellati essent,* ajebant; *et, si injuria fieret, auxilium civibus laturos.* 7 8

XXXIII. Ad subsellia tribunorum res agebatur. 1 eo M. Popillius consularis, advocatus, centuriones,

Ad consules rejiciebant] Forte *ad consules rem rejiciebant*, vel *eos rejiciebant*. J. FR. GRONOV. Non dubito, quin locus corruptus sit; licet Livius cap. seq. dixerit: *si quid in ea re dubium esset, ad senatum rejicerent:* facile enim ibi vel *id* ex *quid*, vel *rem* ex *re* subintelligi potest. Utra tamen Gronovii conjectura praeferri debeat, anceps haereo; ambae enim magnam veri speciem praeferunt. Si priorem malis, vox *rē*, id est *rem*, elisa erit a prima syllaba vocis sequentis *rejecerunt*. Simile exemplum habuimus 27, 8, 3. Eamdem vocem contra intercepit syllaba finalis vocis praecedentis supra 25, 22, 1. Si alteram, hausta erit vox *eos* a praecedenti *cos.* vel *coss.* id est *consules*. Non tantum autem Livium dixisse *rem*, sed etiam *homines rejicere ad aliquem*, docent exempla hujus locutionis, quae laudavi ad 2, 22, 5. Arbitrium igitur sit penes lectores.

§. 8. *Quibus delectus, quibusque bellum mandatum esset*] *dilectus* Excerpta Pithoei praeferre, testatur Hearnius. Utrumque *delectus* et *dilectus militaris* dici posse, certum est. Vide ad 37, 51, 7. Verum quid vulgatum, unici codicis fide nisum, mutari adtinet?

§. 1. *M. Popillius consularis advocatus, centuriones, et consul venerunt*] Forte *M. Popillius consularis, advocatus centurionibus, et consules venerunt*. J. FR. GRON. *advocatus centurionibus*, ut supra 38, 33, 4. *Ierunt alii etiam inlustres viri, et advocati privatis, et quia pertinere caussam eorum ad rempublicam censebant.* Cic. pro Caecin. 9. *Se Aebutio cum armatis servis venisse advocatum.* Pro Sylla 29. *Consul reo de pecuniis repetundis Catilinae fuit advocatus.* 1. de Offic. 10. *Si constitueris, te cuipiam advocatum in rem praesentem esse venturum.* Ita vero censendum erit, pro *centurionibus* primo scriptum fuisse *centurionis*, sollemni librariorum errore; de quo v. ad 21, 60, 7. id

2 et consul venerunt. Consule inde poſtulanti, ut in concione ea res ageretur, populus in concionem advocatus. Pro centurionibus M. Popillius, qui bi-
3 ennio ante consul fuerat, ita verba fecit: *Militares homines et stipendia justa, et corpora, et aetate, et assiduis laboribus, confecta habere: nihil recusare tamen, quo minus operam reipublicae dent. id tantum deprecari, ne inferiores iis ordines, quam quos,*
4 *quum militassent, habuissent, adtribuerentur.* P.

autem poſtea mutatum eſſe in *centuriones*. Poſſes etiam legere *advocatus centurionum*. Ita enim Livius locutus eſt 26, 48. *C. Laelio et M. Sempronio advocatis partis utriusque P. Cornelium Caudinum de medio adjecit.* Quin et minori mutatione, verbis aliter diſtinctis, loco subeurri poteſt, si legamus *M. Popillius consularis, advocatus, centuriones, et consul:* ut de eodem Popillio duo praedicentur, eum fuiſſe consularem, et fuiſſe advocatum, nempe centurionum, ut ex sequentibus patet. Incommodum quidem huic lectioni eſſe videtur, quod centuriones medii memorentur inter Popillium consularem et consulem. Sed animadvertendum, Livium primo memoraſſe Popillium consularem ejusque clientes centuriones, quos ab eo vix disjungere poterat, inde consulem. At longe incommodius in emendatione Gronovii videtur, ita nullam centurionum, ad quos praecipue cauſſa pertinebat, mentionem fieri; quum tamen ante alios in judicio adeſſe deberent, et etiam adfuerint, ut non tantum inde patet, quod Livius cap. seq. Sp. Liguſtini, unius eorum, qui tribunos plebis adpellaverat, orationem referat, sed etiam eumdem reliquos centuriones ita adloquentem inducat: *Vos quoque aequum est, commilitones*, etc. *in potestate senatus ac consulum esse.* In eo etiam magno Gronovio adsentiri nequeo, quod *consules*, pro *consul*, legendum putet. Solus enim Licinius consul, qui Macedoniam sortitus erat, veteres quosque scribebat milites centurionesque, et ab ejus tribunis militum centuriones viginti tres tribunos plebis adpellarunt: mox etiam numero singulari addit *Consuli inde postulanti.* Illud *consules* etiam sibi displicere, monuit Cl. Jac. Perizonius ad marginem Livii,

§. 2. *Consuli inde postulanti*] Per notas *Cos. inde postulanti* edd. principes: pro quo Sigonius dedit *consuli inde postulanti*; quasi *advocatus consuli* sit, advocatus ad consulem. Ad id autem cum permoviſſe videtur, quod crederet, *postulanti* eſſe casum tertium. Sed malo *Consule inde postulanti*, et *postulanti* capio casu sexto: de quo v. ad 6, 14, 13.

§. 3. *Corpora, et aetate, et assiduis laboribus, confecta*] Supra 5, 10, 9. *Quum confecta labore, vulneribus, postremo aetate corpora retulerint.* 6, 3, 3. *Confectaque paucitas oppi-*

Licinius consul senatusconsulta recitari jussit: primum, quod bellum senatus Perseo jussisset: deinde, quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi jussisset, nec ulli, qui non major annis quinquaginta esset, vacationem militiae esse. Deprecatus est deinde, *ne novo bello, tam propinquo Italiae, adversus regem potentissimum, aut tribunos militum, delectum habentes, inpedirent; aut prohiberent consulem, quem cuique ordinem adsignari e re-* 5 6

danorum opere, vigiliis, vulneribus.

Quo minus operam P. R. dent] Inversae literae sunt, et *R. P.* scribendum est, ut sit, *reip.* non *populo Romano.* Haec enim usitata locutio. SIG. V. ad 9, 26, 8. Et ita praeferunt antiquae edd. Alterum operarum, ut videtur, errore primum obvium fuit in ed. Gryphii anni 1548.

§. 4. *Consul senatusconsultum recitari jussit. Primum, quod bellum* etc.] De hoc loco egerunt duo viri celeberrimi, Perizonius ad Sanctii Minerv. 3, 14, 16. et Burmannus ad Nemes. Ecl. 3, 35. Ille tuetur scripturam receptam, et, *quod* hic bis pro infinitivo poni, ex eo patere scribit, quod tertia pars hujus senatusconsulti per infinitivum *esse* exprimatur. hic non tria, sed duo membra esse, et infinitivos *scribi* et *esse* a *censuissent* pendere dicit; et quamquam vulgatam lectionem alia ratione defendi posse putat, tamen potius legendum censet *primum, quo*, et *deinde, quo.* Prius horum evidens est: nam duo facta erant senatusconsulta; alterum, quo consules jussi fuerant ad populum ferre de bello cum Perseo ineundo, cap. 30. alterum, quo, postquam populus bellum jusserat, senatus censuerat, quam plurimos veteres centuriones et milites ad id bellum scribi, nec ulli, qui minor quinquaginta annis esset, vacationem esse, cap. 31. Horum utrumque recitari jussit consul. Posterius mihi plane probabile, certe longe praeferendum horrido sermoni scripturae vulgatae videtur. DUK. Mihi etiam Cel. Burmanni expositio et emendatio expositioni Perizonii plurimum praestare videtur. Passim autem voculas *quo* et *quod* a librariis confusas fuisse, vidimus ad 36, 33, 3. At insuper cum Cl. Crevierio pergendum, et legendum puto *consul senatusconsulta recitari jussit: primum, quo bellum* etc. *jussisset: deinde, quo veteres* etc. Non enim unum tantum, sed plura senatusconsulta facta esse, ex c. 31. constat: primum, ut consul, cui Macedonia obvenerat, regem Persea bello persequeretur; alterum, quo eidem consuli potestas data est augendi pedites legionum suarum, et legendi centuriones militesque veteres, quos vellet. Edd. antiquissimae praeferunt *C. Licinius cos. SC. recitari jussit.* Primus deinde Sigonius notam *SC.* reddidit *senatusconsultum*, quum debuisset *senatusconsulta.* In compendio hoc exponendo libra-

publica esset, eum adsignare. Si quid in ea re dubium esset, ad senatum rejicerent.

1 XXXIV. Postquam consul, quae voluerat, dixit, Sp. Ligustinus ex eo numero, qui tribunos plebis adpellaverant, a consule et ab tribunis petiit, ut 2 sibi paucis ad populum agere liceret. Permissu omnium ita locutus fertur. *Sp. Ligustinus tribus Cru-*

rios passim errasse, vidimus ad 22, 10, 1. et 38, 60, 1. Adde ad 3, 21, 2. et 6. 4, 50, 8. c. 51, 2. et Corte ad Plinii 5, 14, 7. Vulgato defendendo praetendi posset, Livium, plurium SCtorum verba uno quasi complexu per compendium reddentem, numero singulari *senatusconsultum* etiam alibi dixisse. V. ad 3, 21, 6. Verum id commode nunc facere non potuit, quia ipse perpartes plurium senatusconsultorum meminit, dicens *primum, deinde*. Posset etiam legi *senatusconsulta recitari jussit: primum, quod bellum Perseo jussisset; deinde, quod veteres centuriones*, voce *senatus* inducta. Ita *quod* non conjunctio erit, sed pronomen; *primum* illud, *quod jussisset, deinde* illud, *quod veteres* etc.

Bellum senatus Perseo jussisset] Malim *cum Perseo*. SIGON. Maluit Sigonius *cum Perseo*, et ita edi curavit. Non ausim sequi; quum habeamus infra totidem litteris c. 36, 1. *Quum jam bellum regi eorum et Macedonibus et senatus decresset, et populus jussisset*. GRUTER. Sigonius *cum Perseo*. Negat se sequi Gruterus, quia infra c. 36, 1. *Quum jam bellum regi eorum et senatus decresset, et populus jussisset*. Sed forte et illic legendum *cum rege*. Sic certe lib. 31, 8. et lib. 36, 2. J. FR. GRONOV. Senatum bellum jussisse, etiam 6, 14, 1. dicit: *Dictator exercitum in stativis tenuit, minime dubius, bellum cum his populis Patres jussuros*. Sed hoc populi erat, non senatus; nec senatusconsultum sine jussu populi ad eam rem satis erat. Senatus censebat, ac decernebat bellum ineundum esse; populus, quum ex auctoritate senatus ad eum latum esset, comitiis centuriatis vel antiquabat legem, vel bellum jubebat. V. 4, 30. 58. 60. 31, 6. et seqq. 36, 1. 2. 38, 45. 46. 42, 30. 36. Quod ergo *senatus* hic dicitur *bellum jussisse*, puto accipiendum esse de senatusconsultis, quae populi jussum sequebantur, de genere ac numero militum, de sortitione vel comparatione provinciarum, alioque apparatu ad bellum non segniter gerendum. ut 31, 8. 36, 1. 2. 3. 42, 30. et seqq. DUK. Necesse non puto, ut cum viris doctis legamus *cum Perseo*. Non tantum enim, ut Gruterus monuit, ita Liv. cap. 36. locutus est, quo loco, itidem ut hoc, tanto facilius credi posset, librarios errasse, quum pars haec Livii ex unico tantum cod. vulgata sit, sed etiam libro 9, 43, 2. *Jam enim Anagninis Herniscisque aliis bellum jussum erat*. Neque vulgatum defendens faveo locutioni *jubere alicui*, a plerisque viris doctis damnatae, ut et a me ipso supra 27, 24, 3. Nam, ut ibi dixi, dativus *Perseo* non regitur a verbo *jussis-*

stuminae ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi jugerum agri reliquit et parvum tugurium, in quo natus educatusque sum: hodieque ibi habito. Quum primum in aetatem veni, pater mihi uxorem 3 *fratris sui filiam dedit: quae secum nihil adtulit, praeter libertatem pudicitiamque, et cum his foecunditatem, quanta vel in diti domo satis esset. Sex* 4

set, sed potius ab omisso infinitivo *inferri*, vel *fieri*. Ita plene dixit Livius 9, 45, 8. *Populus Romanus bellum fieri Aequis jussit*. Si autem *cum Perseo* legamus, illa etiam locutio est elliptica, supplenda per *esse, geri, sumi*, vel simile. Nam ita plene dixit 36, 2, 2. *Quod populus Romanus eo tempore duellum jussisset esse cum rege Antiocho*. Et paullo post: *Si duellum, quod cum Antiocho rege sumi populus jussit*. Verbum *jussisset* Crevierio suspectum est, quia populi est *jubere*, senatus *decernere, censere*. Verum difficultati huic satisfecit Cl. Dukerus.

Veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset] Lege *quam plurimos*. J. FR. GRON. Donjatius, ut vulgatum adversus Gronov. tueatur, *quam plurimum* dici posse putat pro maxime, inprimis, praesertim: nam *plurimum* apud comicos sumi pro ut plurimum, seu magna ex parte. Sed rectius Crevierius Gronovii conjecturam probavit. Nisi nimium a vulgato abiret, posses etiam *centuriones, quos placeret, ad id bellum*. Supra enim dixit c. 31, 4. *Ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul usque ad quinquaginta annos*.

§. 2. *Hodieque ibi habito*] V. ad 5, 27, 1. et 31, 7, 9.

§. 3. *Quum primum in aetatem veni*] *ad aetatem venisse* dicitur, qui adolevit, juvenisque est, quod adolescentia et pubertas prima aetas videtur esse; proinde in aetatibus pueritia non sit habenda. Hinc *ab ineunte aetate*, id est a principio adolescentiae, dicimus. et Cic. 1. de Legib. [4.] *Nam a primo tempore aetatis juri studere te memini*. TURNEBUS 30. Advers. 32. *Ineuntem aetatem* et *adolescentiam* pro eodem dicit Cic. pro Dejot. 1. et 1. de Off. 34. *Ab ineunte aetate, a prima aetate, a principio aetatis* obvia sunt in scriptoribus Latinis, quibus pueritia fere excluditur. Cic. 2. de Offic. 13. *Si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis et nominis*. Suet. Caes. c. 30. *Usum occasione rapiendae dominationis, quam aetate prima concupisset*. ubi forsitan non deterius sit *quam jam aetate prima*, aut *quam ab aetate prima concupisset*. ut in Aug. 84. Idem Aug. 3. *Octavius pater a principio aetatis et re et aestimatione magna fuit*. De nuptiis patruelium et aliorum eodem gradu conjunctorum agunt interpretes ad §. 4. Instit. de Nuptiis, et alii docti JCti peculiaribus dissertationibus. DUKER. Vide, num legendum sit *in eā*, sive *in eam aetatem veni*, nempe quae matrimonio ineundo apta est: ut τὸ *eā* intercide-

filii nobis, duae filiae sunt: utraeque jam nuptae. Filii quatuor togas viriles habent, duo praetextati sunt. Miles sum factus, P. Sulpicio, C. Aurelio consulibus. In eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus, biennium miles gregarius fui adversus Philippum regem: tertio anno virtutis caussa mihi T. Quinctius Flamininus decumum ordinem hastatum adsignavit. Devicto Philippo Macedonibusque, quum in Italiam portati ac dimissi essemus, continuo miles voluntarius cum M. Porcio consule in

rit ob similitudinem initii vocis sequentis.

§. 4. *Utraeque jam nuptae*] Lege *utraque*, ut lib. 36, 16. J. FR. GRON. Nihil mutandum esse invitis codicibus, docent, quae notavi ad 36, 16, 6.

§. 5. *Miles gregarius fui*] *Miles gregarius* miles est in reliquorum militum grege, qui in militia nullam promotionem habet, qui nec est centurio, nec tribunus, nec decurio, nec optio, nec cornicularius. TURNEBUS 30. Advers. 32. Recte. Inter se enim hic opponuntur *miles gregarius* et *decumum ordinem hastatum ducens gregarium militem* et *imperatorem* opponit Justin. 5, 2. Ideo autem haec in libros Adversariorum conjecisse Turnebus videtur, ut emendaret errorem lexicographorum sui temporis, qui docuerunt, *militem gregarium* dici non electum, sed tumultuarie undecumque conlectum.

Mihi T. Quinctius Flamininus decumum ordinem hastatum adsignavit] Hastatorum in legione Romana numerus erat ad mille ducentos, interdum etiam major. *decumus* igitur *ordo* est decimi centurionis hastatorum. Sic *primus hastatus* dicebatur primi hastati centurio, qui ducenarius erat, duasque centurias ducebat, ut Vegetius 2, 8. ait; quamquam existimo duos centuriones primi hastati fuisse: unum prioris centuriae, alterum posterioris. *Secundus hastatus* secundi hastati centurio, qui centuriam semis ducebat. Livius mox scribit: *Hic me imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris centuriae assignaret.* In primo hastato duae erant centuriae, ut diximus, quae suum quemque primum hastatum vel centurionem primi hastati habebant. Earum centuriarum altera prior, altera posterior dicebatur. honestior autem ordo erat prioris centuriae. Ait Livius *a M'. Acilio mihi primus princeps prioris centuriae est assignatus. Primus princeps*, inquit Vegetius [2, 8.] *centuriam semis, hoc est centum quinquaginta homines, ducebat.* Ego putem, eum duas duxisse centurias, duosque eis praefuisse, unum priori, qui ordo honoratior erat, alterum posteriori. TURNEB. 30. Advers. 32. Quis *decumus ordo hastatus* sit, quaeque ratio fuerit promotionum militarium, melius et

Hispaniam sum profectus. Neminem omnium imperatorum, qui vivant, acriorem virtutis spectatorem ac judicem fuisse sciunt, qui et illum et alios duces longa militia experti sunt. hic me imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris centuriae adsignaret. Tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum, qui adversus Aetolos et Antiochum regem est missus. a M? Acilio mihi primus princeps prioris centuriae est adsignatus. Expulso rege Antiocho, subactis Aetolis, reportati sumus in 7 8 9

adcuratius, quam Turnebus, exposuit Lipsius 2. de Mil. Rom. 8. unde toti huic orationi Ligustini egregia lux adfulget. Ceterum *Flaminius* ed. princeps; pro quo recte Froben. anno 1535. *Flamininus* recepit. V. ad 41, 28, 10.

§. 6. *Quum in Italiam portati*] Cl. Perizonius ad oram libri scribendum conjecit *reportati*, ut mox: *Expulso rege Antiocho, subactis Aetolis, reportati sumus in Italiam.* Similiter etiam scribendum conjicit Cl. Dukerus. Verbum illud hoc sensu usurpari, vidimus ad 6, 33, 12. Posses etiam *deportati*; nam id quoque verbum in hac re sollemne esse, vidimus ad 39, 38, 9.

Continuo miles voluntarius cum M. Porcio consule in Hispaniam] Nescio, quam bene haec divisa sint temporibus. T. Quintius consul A. V. 1015. tertio anno belli cum Philippo in Macedoniam venit, 32, 7. et in ea, ac deinde in Graecia fuit usque ad A. V. 1019. quo P. Africanus II. et Ti. Sempronius Longus consules fuerunt, eodemque anno, reducto in Italiam exercitu, triumphavit, 34, 43. et 52. et quidem exitu illius anni, ut probabiliter e 35, 10. colligit Pighius. Cato consul A. V. 1018. in Hispaniam profectus, 34, 8. anno sequenti in Italiam cum exercitu rediit, et ante Quintium triumphavit, 34, 43. 46. Quomodo ergo Ligustinus A. V. 1019. demum cum Quintio in Italiam reportatus, anno priore cum Catone voluntarius miles in Hispaniam proficisci potuit? Non aliam hujus nodi solvendi rationem invenio, quam ut conjiciamus, Ligustinum forsitan non multo post Philippum victum, quod A. V. 1016. factum est, cum aliis, qui ab initio belli in Macedonia militaverant, dimissum in Italiam ante Catonis profectionem in Hispaniam rediisse. Nam milites non sine intermissione omnibus annis militabant, sed saepe post stipendia aliquot annorum in provincia facta senatusconsulto ad tempus dimitti jubebantur. Sed vix credo verba Livii hanc conjecturam admittere: nam iis significare videtur Ligustinus, se in eo exercitu fuisse, qui cum T. Quintio in Italiam reportatus, et ab eo post triumphum, ut solebat, dimissus fuit. DUKERUS.

§. 8. *A M. Coelo*] Lege *a M? Acilio.* Glabrionem enim intel-

Italiam: et deinceps bis, quae annua merebant legiones, stipendia feci. Bis deinde in Hispania militavi, semel Q. Fulvio Flacco, iterum Ti. Sempronio Gracc
10 *cho praetore. A Flacco inter ceteros, quos virtutis caussa secum ex provincia ad triumphum deducebat, deductus sum. a Ti. Graccho rogatus, in pro-*
11 *vinciam ii. Quater intra paucos annos primum pilum duxi: quater et tricies virtutis caussa donatus*

ligit aperto cum, qui cum Aetolis bellavit et cum Antiocho. SIGONIUS.

§. 9. *Deinceps bis, quae annua merebant legiones, stipendia feci*] In his talpa caecior sum. Dicit se, postquam primus princeps prioris centuriae fuerat, bis stipendia feciſſe, quae legiones merebant. Horum verborum, non video, quis alius sensus esse possit, quam se meruisse stipendium militum legionariorum. An ergo, qui dudum primus hastatus, et primus princeps fuerat, deinde rursus miles gregarius factus est? Hoc non verosimile est, nec in militia Romana moris fuisse credo, nisi fortassis ignominiae causa; etsi de eo quoque disertum testimonium non habeo. Si haec sententia esset, potius sine ambitu illo verborum, *quae annua merebant legiones*, quae mihi Cimmeriis tenebris obscuriora sunt, dixisset, *deinceps bis in legione stipendia feci*; vel *militavi*. Nec ad ea intelligenda juvant, quae habet Schelius ad Polyb. cap. 3. ubi, postquam multis probarat, milites olim totius anni stipendium accepisse, etiamsi tantum aliquot mensibus in expeditione fuissent, tandem addit, se ambigere, an vetus illud institutum semper manserit, ac non potius abrogatum fuerit minuendi impendii causa per illa tempora, quibus tot tantisque legionibus respublica gerebatur: nam Sp. Ligustinum apud Livium de more, tamquam sua aetate antiquato loqui. Videtur hoc collegisse e verbo *merebant*: nam si tum adhuc meruissent, putavit, opinor, debuisse dici *merent*. Si hoc voluit Ligustinus, mens verborum illius erit, deinceps bis stipendia feci, verum non accepi stipendium totius anni, quod olim etiam paucorum mensium expeditionibus merebant milites, sed pro rata mensium, puta, quatuor, quinque, sex, quibus in expeditione fui. Sed hunc sensum plane inceptum esse arbitror. Nam quid commemoratio stipendii, sive annui, sive aliquot mensium, ad argumentum orationis et institutum Ligustini facit? Praeterea nec tum adhuc quidquam ex vetere instituto mutatum fuisse, non obscure ex eo videtur colligi, quod victo Perseo senatus socios navales dato *annuo stipendio* dimitti jussit, 45, 2. DUK. Donjatius existimat, Ligustinum his verbis indicasse, se pro sedecim annis, quibus militia apud Romanos vetustis temporibus finiebatur, duos ac triginta implevisse, et sic consuetum militiae tempus continuando duplicasse. Sententiam ejus

ab imperatoribus sum: sex civicas coronas accepi. viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habeo, et major annis sum quinquaginta. Quod si 12
mihi nec stipendia omnia emerita essent, necdum aetas vacationem daret, tamen, quum quatuor milites pro me uno vobis dare, P. Licini, possem, aequum erat me dimitti. Sed haec pro caussa mea 13
dicta accipiatis velim: ipse me, quoad quisquam, qui

duplici argumento refellit Crevierius: primo pedites Romanos non sedecim, sed viginti annua stipendia merere debuisse: deinde Liguſtinum ipsum infra dicere, se tantum *viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habere.* His adde tertium, a P. Sulpicio, C. Aurelio consulibus, quo anno se militem factum esse Liguſtinus supra teſtatus eſt, ad P. Licinium, C. Caſſium, hujus anni consules, tantum effluxiſſe viginti novem annos, sive hunc agi annum trigesimum, quo temporis spatio Liguſtinus triginta duo ſtipendia annua conficere non potuit. Addit deinde Crevierius, se nihil plane habere, quod de hoc loco dicere poſſit: quod idem etiam de me profiteor.

§. 10. *A Ti. Graccho rogatus, in provinciam ii*] Intelligendum eſt, a Ti. Graccho rogatum fuiſſe, ut poſt triumphum Fulvii in provinciam rediret: nam Gracchus in Hispaniam venit, quum in ea adhuc esset Fulvius; et hi tum inter se composuerunt, quos dimitterent, quosque retinerent milites, 40, 39. et 40. DUKER. *a T. Graccho* ed. princeps, quod mox Froben. 1535. recte mutavit, subſtitnens *a Ti. Graccho.* Vide ad 41, 8, 1. Praeterea vir doctus ad marginem editionis Curionis legendum conjecit *in provinciam ivi.* Sed neceſſe non eſt. *isti* pro *ivisti* infra eſt cap. 40. et *iere, isse,* atque *iisse* saepe apud Livium obcurrunt.

§. 11. *Viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habeo*] Olim hunc locum tentaverat Lipsius ad Tacit. 1. Ann. ac legendum judicarat *triginta stipendia annua,* duplici emendationis cauſſa adjecta, prima quod Servius ad Virg. 2. Aen. 157. doceat, milites per viginti quinque annos ordinario militare debuisse: unde Liguſtinus, si tantum viginti duo ſtipendia confeciſſet, nondum emeritorum ſtipendiorum foret. altera, quod triginta annorum spatium effluxerit inter P. Sulpicium et C. Aurelium, quibus consulibus se militem factum eſſe Liguſtinus supra hoc cap. retulit, et P. Licinium ac C. Caſſium, hujus anni consules. Poſtea tamen, sua ipse vineta caedens, non modo haec in curis secundis omisit, verum etiam emendationem hanc damnavit, et 1. de Milit. Rom. 2. ingenue confeſſus eſt, se a Servio in errorem perlectum, nihilque hoc loco mutandum eſſe. Pediti enim conficienda esse viginti ſtipendia; Liguſtinum vero hic trade-

exercitus scribit, idoneum militem judicabit, num-
14 *quam sum excusaturus. Ordinem quo me dignum judicent tribuni militum, ipsorum est potestatis: ne quis me virtute in exercitu praestet, dabo operam; ut semper ita fecisse me et imperatores mei, et qui*
15 *una stipendia fecerunt, testes sunt. Vos quoque aequum est, commilitones, etsi adpellationis vobis usurpatis jus, quum adolescentes nihil adversus magistratuum senatusque auctoritatem usquam feceritis, nunc quoque in potestate senatus ac consulum esse, et omnia honesta loca ducere, quibus rempublicam defensuri sitis.*

1 XXXV. Haec ubi dixit, conlaudatum multis ver-

re, se duplicem ob cauſſam militiam detrectare poſſe: primo, quod ſtipendia largiter confeceſit, duo nempe supra ordinarium numerum: deinde, quod jam aetatis beneficio vacationem haberet. Quae sententia verior eſt.

§. 14. *Ordinem quo me dignum judicent tribuni militum, ipsorum est potestatis*] Haud scio an excusari poſſit. Malim *ordine*. J. FR. GRON. Locutionem, ut in vulgatis edd. concipitur, Doujatius inter Hellenismos refert, et similem pronunciat illi Virgiliano: *Meme adsum, qui feci.* Locus exſtat 9. Aen. 427. et ita editur:

Meme (adsum qui feci) in me convertite ferrum.

Unde patet, inde vulgatum defendi non poſſe. Non dubito igitur, quin locus Livii sit corruptus. Si *ordine quo me dignum* cum Gronovio malis, genus loquendi conveniet ei, quod inluſtravi ad 40, 20, 3. Potius tamen videtur, hic verbum aliquod intercidiſſe, et legendum eſſe *ordinem adsignare*, vel *ordinem adtribuere, quo me dignum.* Ita enim supra cap. 33, 3. *Id tantum deprecari, ne inferiores iis ordines, quam vos, quum militassent, habuissent, adtribuerentur.* Et paullo poſt §. 5. *ne prohiberent consulem, quem cuique ordinem adsignari e republica esset, eum adsignare.* Ejusdem sententiae fuisse Lipsium, video; qui haec verba 2. de Milit. Rom. 8. ita laudat: *ordinem, quo me dignum judicent tribuni militum, adsignare ipsorum est potestatis.* Crevierius supplendum censet per *definire, statuere.*

Ut semper ita fecisse me] Corrige, *et semper ita.* J. FR. GRONOV. Voculas illas a librariis saepe commutatas fuiſſe, vidimus ad 21, 28, 8. Crevierius putat, voculam *ita* plane hic redundare.

§. 15. *Nihil adversus magi-*

bis consul ex concione in senatum duxit. Ibi quo- 2
que ei ex auctoritate senatus gratiae actae, tribunique militares in legione prima primum pilum virtutis cauſſa ei adsignarunt. ceteri centuriones, omiſſa adpellatione, ad delectum obedienter responderunt. Quo 3
maturius in provincias magiſtratus proficiscerentur, Latinae Kalendis Juniis fuere: eoque sollemni perfecto, C. Lucretius praetor, omnibus, quae ad classem opus erant, praemiſſis, Brundisium eſt profectus. Praeter eos exercitus, quos consules com- 4
parabant, C. Sulpicio Galbae praetori negotium datum, ut quatuor legiones scriberet urbanas juſto numero peditum equitumque; iisque quatuor tribu-

stratuum senatusque auctoritatem usquam feceritis) *Usquam* plerumque locum designat: sed eo sensu hic capi non poſſe, indicat subjunctum *nunc*. Conjici igitur poſſet, legendum eſſe *umquam feceritis*, cui recte opponitur *nunc*. Voces autem *usquam* et *umquam* a scribis commutari, vidimus ad 39, 31, 5. Non opus tamen vulgatum mutari, sed jungendum eſt *nihil usquam feceritis*; et *nihil usquam* eodem modo accipi debet, ut *nullus usquam*; de quo vidimus ad 32, 35, 2. Ita vocula *nunc*, quae sequitur, obponitur praecedenti *adolescentes*.

§. 3. *Latinae Kalendis Juniis fuere*] Doujatius ad hunc locum notavit, Latinas poſterioribus temporibus v. Kalendas Majas celebratas fuiſſe; alias longe tardius, veluti 41, 16. ante diem III. Non. Maji; et 45, 3. ante quartum, tertium, et pridie Idus Novembris, sed forte extra ordinem. Verum, haec qui scribere potuit, omnino naturam non novit Latinarum, quae fuerunt feriae conceptivae, et celebrabantur eo anni die, in quem a consulibus erant edictae. V. Varr. 5. de Ling. Lat. 49. et Macrob. 1. Saturn. 16. Dici ergo nequit, eas poſterioribus temporibus v. Kalendas Majas, extra ordinem vero pridie Idus Novembres celebratas eſſe.

§. 4. *Iisque quatuor tribunos militum ex senatu legeret, qui praeessent*] Secundum Doujatium in singulis legionibus sedecim erant tribuni; hic autem jubetur, ut quarta eorum pars, quatuor nempe tribuni, e senatorum numero eligerentur. At sex tantum erant tribuni in quaque legione secundum Polyb. 6, 25. Ἐξ ὑπαρχόντων χιλιάρχων ἐν ἑκάκῳ στρατοπέδῳ κατὰ τὸν ἄρτι λογον, δυοῖν δὲ στρατοπέδων ὄντων τῶν Ῥωμαϊκῶν μεϑ' ἑκατέρυ τῶν ὑπάτων, φανερὸν ὅτι δώδεκα χιλιάρχους ἀνάγκη συστρατεύειν ἑκατέρῳ τῶν ὑπά-

5 nos militum ex senatu legeret, qui praeeſſent: ſociis Latini nominis imperaret quindecim millia peditum, mille et ducentos equites. Is exercitus uti pa-
6 ratus eſſet, quo senatus censuiſſet. P. Licinio conſuli ad exercitum civilem socialemque petenti addita auxilia, Ligurum duo millia, Cretenses sagittarii, (incertus numerus, quantum rogati auxilia Cretenses misiſſent) Numidae item equites elephantique.
7 In eam rem legati ad Masiniſſam Karthaginienſesque miſſi, L. Poſtumius Albinus, Q. Terentius Culleo, C. Aburius. In Cretam item legatos tres ire placuit, A. Poſtumium Albinum, C. Decimium, A. Licinium Nervam.

1 XXXVI. Per idem tempus legati ab rege Perseo venerunt. eos in oppidum intromitti non placuit,

τῶν. Vide etiam cap. 17. Praeterea Livii verba non indicant, quatuor tribunos militum ex senatu lectos cuique legioni praefuiſſe; tum enim non *quatuor*, sed *quaternos tribunos* dixiſſet: verum indicant, quatuor illos tribunos militum ex ordine senatorio lectos praefuiſſe *iis*, id eſt quatuor illis legionibus urbanis, adeoque cuilibet legioni unum praefuiſſe. Et ita fere locum etiam accepit Cl. Crevierius; qui tamen insuper conjecit, in numero mendum eſſe, legendumque *quatuor et viginti tribunos*. Si tamen id tantum extraordinarium circa tribunos harum legionum conſtitutum fuisset, ut omnes e senatu legerentur, nihilque de solito numero mutatum foret, Livius potius *iisque tribunos* dixiſſet, quam *iisque quatuor et viginti tribunos*.

§. 6. *Ligurum mille millia*] Scribe *Ligurum MM.* id eſt, duo millia. SIG. *mille millia* una tantum praefert Basil. ed. anni 1554. reliquae *Ligurum MM.* quod recte Sigon. exponit *duo millia*.

Quantum rogati auxilia Cretenses misissent] Vox *auxilia* videtur invito Livio repetita. J. FR. GRON. Non aliam ob causam vox *auxilia* Gronovio suspecta fuiſſe videtur, quam quod verbis proximis praeceſſerit. Non enim displicere potuit locutio *rogare auxilia*; qua, ut et *rogare subsidium*, Caesar usus eſt. Ita 1. B. Gall. 11. *Legatos ad Caesarem mittunt rogatum auxilium*. 7. B. Gall. 5. *Legatos mittunt, subsidium rogatum*. Quanti vero ponderis sit argumentum pro ejectione vocabuli, a proxima ejus repetitione desumtum, conſtat ex illis, quae notavi ad 1, 3, 9. Minus autem probo factum Clerici et aliorum, qui vocem a Gro-

quum jam bellum regi eorum et Macedonibus et senatus decreſſet, et populus juſſiſſet. In aedem Bel- 2
lonae in senatum introducti ita verba fecerunt: *Mirari Persea regem, quid in Macedoniam exercitus transportati essent. Si impetrari a senatu posset, ut* 3
ii revocentur, regem de injuriis, si quas sociis factas quererentur, arbitratu senatus satisfacturum esse. Sp. 4
Carvilius, ad eam ipsam rem ex Graecia remiſſus ab Cn. Sicinio, in senatu erat. is Perrhaebiam expugnatam armis, Theſſaliae aliquot urbes captas, cetera, quae aut ageret, aut pararet rex, quum argueret, respondere ad ea legati juſſi. Poſtquam haesitabant, 5
negantes sibi ultra quidquam mandatum eſſe, juſſi renunciare regi, *Consulem P. Licinium brevi cum exercitu futurum in Macedonia esse. ad eum, si satisfa-* 6

novio quidem confixam, sed in contextu servatam, inde ejecerunt; quam priſtino loco reſtituendam censui.

§. 7. *C. Decium, A. Licinium Nervam*] Emendo *C. Decimium*. Uterque enim horum poſt praetor fit, [43, 11. et 45, 44.] Decios praeterea hoc praenomine usos non comperio. SIG. *C. Decimius Flavus*, forte pater ejus, cujus hic mentio fit, memoratur supra 39, 32. et alibi, ubi etiam simili errore in nonnullis codd. *C. Decius* vocatur. V. ad 9, 30, 4. et 27, 14, 8.

§. 1. *Eos in oppidum intromitti*] *Oppidum* eam Romae partem vocat Livius, quae intra moenia erat, ut ab urbe differat. TURNEB. 30. Advers. 32. Immo *oppidum* vocat, quod alibi *urbem* dicit: ut 30, 21, 12. *Q. Fulvius Gillo, legatus Scipionis, Karthaginienses Romam adduxit: quibus vetitis ingredi urbem hospitium in villa publica, senatus ad aedem Bellonae datus est.* 33, 24, 5. *Legati et a T. Quinctio et ab rege venerunt. Macedones deducti extra urbem in villam publicam, ibique eis locus et lautia praebita: et ad aedem Bellonae senatus est habitus.* *Oppidum* ergo hic dicitur de urbe Roma. vide ad cap. 20, 3. Mox *bellum cum rege eorum* legendum, conjecit Gronov. supra ad cap. 33, 4. Id tamen non neceſſe eſſe, sed supplendum *bellum inferri*, vel *fieri*, *regi eorum*, ad eumdem locum monui.

§. 2. *In aedem Bellonae in senatum introducti*] Scribe *In aede Bellonae*. J. FR. GRON. Si conjectura codicis auctoritate firmaretur, non displiceret: nunc unici Mſti lectionem mutare non audeo. *In aedem Bel-*

cere in animo esset, mitteret legatos. Romam quod praeterea mitteret, non esse: neminem eorum per Ita-

lonae in senatum, ut 32, 4, 7. *In Macedoniam in hiberna copias reduxit.*

§. 6. *Neminem eorum per Italiam ire liciturum*] Forte *iter tuto facturum*. J. FR. GRON. Nescio, an vox ultima mutari debeat. 32, 21, 35. *Non quemadmodum hodie utrumque vobis licet, sic semper liciturum est.* Et sic *gressus licens* Martiali 4, 8. *Gressu timet ire licenti.* ut potius conjicias, *nemini eorum per Italiam ire liciturum*. JAC. GRON. Certum est, *licet* saepe dici sequente accusativo et infinitivo. Hoc non ita pridem multis ostenderunt viri eruditi Observ. Miscell. Amstelod. tom. 5. pag. 13. et ad Caesar. 3. B. Civ. 1. e quibus testimonia scriptorum veterum describi nihil attinet. Sed quum itidem certum sit, *licet* natura sua non magis accusativo jungi posse, quam *lubet* et *placet*, sed semper dativum personae adsciscere, dicendum est, omnibus locis, quibus tantum accusativo et infinitivo jungitur, supprimi dativum nominis, cujus accusativus plerumque expressus est, eumque, ut integra sit oratio, et structura verborum constet, supplendum esse. Ita v. g. in Terent. Heaut. 4, 2, 5. *Si licet me latere tecto abscedere*, et in Cic. pro Ligar. 6. *Liceat esse miseros*, plena oratio est, in illo, *si licet* mihi, *me latere tecto abscedere*; in hoc, *liceat* nobis, nos *esse miseros*. Hoc intelligi potest e locis Ciceronis et Quintiliani, in quibus huic verbo uterque casus additur. Nam quod ille pro Balbo c. 12. dicit, *quod civi Romano licet esse Gaditanum*, plenum est, eum *esse* civem Gaditanum; et quod hic 7. Inst. Orat. 1. *potest incidere quaestio, an huic esse procuratorem liceat*, ita suppleri debet, *an huic liceat* hunc, vel eum *esse procuratorem*. Et confirmatur exemplo verbi, *expedit* apud Terent. Heaut. 2, 4, 6. *Expedit bonas esse vobis*; quod integrum est, *vobis expedit*, vos *esse bonas*. Eadem ratio est verbi *permitto* in hoc Virgilii Ecl. 1, 9.

Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

Sed hoc supplementum his verbis Livii adhiberi non potest, nec quisquam ferat ea ita supplentem, *nemini liciturum neminem eorum per Italiam ire.* Viri doctiss. Perizonius ad Sanctii Minerv. 3, 7, 4. et Cortius ad Sallust. Jug. 106, 3. tamen hic retinendum censent *neminem*, idque in *non quemquam*, *non aliquem* dividi ac solvi volunt; quemadmodum *nolo* in *non volo*, et *nego* in *non ajo* solvitur; quod multi apud Cortium l. d. et in Exc. 2. ad Jugurth. et apud Burmann. ad Phaedr. 4, 17. observarunt. Ita supplementum dativi hic quoque locum habere, et integra oratio esse poterit, *non liciturum cuiquam, quemquam eorum*, vel *alicui, aliquem eorum per Italiam ire.* Sed nondum mihi persuaserunt, hoc ea ratione expediri posse. Primo, quia, quum verbo *licet* saepe multorum nominum accusativi cum infinitivo adponantur, non ostenderunt, ullum probatum au-

Italiam ire liciturum. Ita dimissis, P. Licinio consuli mandatum, intra undecimum diem juberet eos Italia excedere, et Sp. Carvilium mitteret, 7

ctorem linguae Latinae eo cum accusativo nominis *nemo* et infinitivo ita usum, ut illa omnia ad eamdem personam pertineant. Deinde, quod omnibus locis, quae de usu vocum *nemo*, *nolo*, *nego* earumque sive dissolutione, sive divisione prolata vidi, non unum tantum ut hic, sed duo in eadem periodo membra orationis sunt, quorum in altero illae negandi, in altero adfirmandi significatione dicuntur. Ob has causas adhuc nec conjecturam Jac. Gronovii improbabilem esse, nec tamen absurde conjici posse puto, *nemini enim eorum*. Nam *enim* compendio scriptum cum praecedenti *nemini* in unam vocem coalescere potuit. DUK. Vulgatum non aliter defendi potest, quam eo modo, quo id facere conatus est Perizon. *neminem* dissolvendo in non quemquam, non aliquem; quomodo *negare* saepe dividi debet in *dicere non*. V. ad 2, 52, 5. 3, 55, 8. 22, 53, 7. 28, 27, 6. *nec* in *et non*. V. ad 32, 10, 10. *prohibere* in *non permittere*, *cedere* in *non pares esse*. V. ad 10, 32, 4. *nullus* in *non ullus*. V. ad 5, 3, 4. Similia videnda apud Manut. ad Cic. 4. ad Fam. 5. Gronov. 4. Obs. 4. Oudend. ad Lucani 5, 149. et quae notavi ad Silii 12, 65. Praestare tamen puto, ut cum Jac. Gronov. legamus *nemini*, vel potius cum Dukero *nemini enim eorum*.

§. 7. *Ita dimissis, P. Licinio consuli mandatum, intra undecimum diem juberet eos Italia excedere*] Potest ferri. Malim tamen *Ita dimissos*, ut referatur ad verbum *excedere*. J. FR. GRON. Recte Ant. Perizon. ad marginem Livii observavit, si Gronovii conjectura recipiatur, ulterius pergendum, et pronomen *eos* delendum esse. Sed potius nihil muta. *Ita dimissis* ponitur pro *Ita dimissis iis*. Supra hoc lib. 31, 7. *Recognosceret socios navales, dimissisque, si qui parum idonei essent, supplementum legeret ex libertinis.* cap. 38, 10. *Nunc, ubi primum posset, ad Peneum fluvium, qua transitus ab Omolio Dium esset, praemissis, qui nunciarent regi, venturos.* Simili forma haec dicta sunt, qua supra 1, 41, 6. *Tum demum palam facto, et comploratione in regia orta, Servius* etc. ubi plura vide. Neque displicet *Ita dimissis iis eos excedere*, pro ita dimissos eos excedere. Ita enim et supra locutus est 38, 54, 1. *Quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui, vivo quoque eo, adlatrare ejus magnitudinem solitus erat.* ubi etiam Gronov. invitis codd. locum illum tentabat. (* 39, 40, 7.) Idem genus loquendi placuit auctori Epit. Livianae, lib. 68. *Junctis ejusdem Catuli et C. Marcii exercitibus, proelio victi sunt ab eis.* ubi vide. Etiam Val. Max. 1, 8, 6. *Non audentibus Romanis proelium ingredi, eximiae magnitudinis juvenis primum eos hortari ad capessendam fortitudinem coepit.* Vide Vavass. de vi et us. quor. verb. in voc. *Florus*, et Burmann. ad Quinct. 11. Inst. Orat. 1, 980. Similiter apud Graecos Thucyd. 7, 43. Προϊόντων δὲ τῶν Ἀθηναίων ἐν ἀταξίᾳ etc. οἱ Βοιωτοὶ πρῶτοι

qui, donec navem conscendissent, custodiret.
8 Haec Romae acta, nondum profectis in provinciam consulibus. Jam Cn. Sicinius, qui, priusquam magistratu abiret, Brundisium ad classem et ad exercitum praemissus erat, trajectis in Epirum quinque millibus peditum, trecentis equitibus, ad Nymphaeum in agro Appolloniati ca-
9 stra habebat. Inde tribunos cum duobus millibus militum ad occupanda Dassarctiorum et Illyriorum castella, ipsis arcessentibus praesidia, ut tutiores a finitimorum inpetu Macedonum essent, misit.

1 XXXVII. Paucis post diebus Q. Marcius, A. Atilius, et P. et Ser. Cornelii Lentuli, et L. Decimius, legati in Graeciam misi, Corcyram peditum mille secum advexerunt: ibi inter se et regiones, quas

ἀντοῖς ἀντίσχον. lib. 4, 40. D. Lucas Euang. 12, 36. *Ἵνα ἐλθόντος καὶ κρούσαντος, εὐθέως ἀνοίξωσιν αὐτῷ.* 18, 40. *Ἐγρήσαντος δὲ αὐτοῦ ἐπηρώτησαν αὐτόν.* 19, 33. 24, 41. et saepe. Vide Gronov. ad Herodot. pag. 746. Nihil mutandum esse, etiam Cl. Dukerus putabat. Ceterum legatis Persei hic praestituitur dies undecimus, intra quem Italia excederent; at legatis Actolorum dies quintus decimus, 37, 1, 6. *Ita infecta pace dimissi urbe eodem die, Italia intra quindecim dies excedere jussi.* Primae edd. hic praeferunt per notam *XI. diem*, an ergo *XV* pro *XI* substituendum, ac legendum est *intra quintum decimum diem?*

§. 8. *Ad classem et ad exercitum praemissus]* Ita edd. principes. Postea Basil. anno 1554. vulgarunt *et ad classem et ad exercitum*; quod Sigonius anno sequenti servavit. At recentiores priscam lectionem non male revocarunt.

Trajectis in Epirum quinque millibus peditum, trecentis equitibus] Livius supra c. 27. narrat, Cn. Sicinio praetori negotium datum esse, ut peditum octo millia, quadringentos equites a sociis Latini nominis exigeret, quem militem Brundisii acciperet, atque in Macedoniam mitteret A. Atilius Serranus. Insuper legionem secundam, et quatuor millia peditum ac ducentos equites ex Liguribus evocatos, Brundisii adesse jussos esse; quo exercitu Cn. Sicinius provinciam Macedoniam obtineret, donec successor veniret. In his

obirent, et milites diviserunt. Decimius missus est 2
ad Gentium, regem Illyriorum, quem, si aliquem
respectum amicitiae eum habere cerneret, tentare,
et etiam ad belli societatem perlicere jussus. Len- 3
tuli in Cephalleniam missi, ut in Peloponnesum
trajicerent, oramque maris, in occidentem versi,
ante hiemen circumirent. Marcio et Atilio Epirus, 4
Aetolia, et Thessalia circumeundae adsignantur.
Inde Boeotiam atque Euboeam adspicere jussi; tum
in Peloponnesum trajicere. ibi congressuros se cum 5
Lentulis constituunt. Priusquam digrederentur a
Corcyra, literae a Perseo adlatae sunt, quibus quae-
rebat, quae caussa Romanis aut in Graeciam traji-
ciendi copias, aut urbes occupandi, esset? Cui re- 6
scribi nihil placuit; nuncio ipsius, qui literas ad-
tulerat, dici, *praesidii caussa ipsarum urbium Ro-*

voces *quo exercitu* non tantum pertinent ad milites ex Liguria evocatos, sed etiam ad illos, quos Sicinius a sociis nominis Latini exigere, et A. Atilius in Macedoniam mittere jussi erant. Id inde constat, quod Liv. cap. 31. testetur, Cn. Sicinium *sexcentos equites*, nempe sociales, in Macedoniam duxisse, antequam P. Licinius consul cum novo exercitu eodem adveniret. Nimirum quadringentos Sicinius a sociis Latini nominis exegerat, ducenti ex Liguribus evocati erant. Si ergo verba *quo exercitu* ad omnes illos referenda sunt, Sicinius sub ignis habuit legionem civium, quae eo tempore erat quinque millium peditum, trecentorum equitum; praeterea duodecim millia peditum socialium et sexcentos equites. Velim igitur doceri, qua ratione Sicinius hic tantum dicatur quinque millia peditum et trecentos equites in Epirum trajecisse.

Ad Nymphaeum in agro Apolloniati] V. Palmer. Graec. Antiq. 1, 28.

§. 9. *Dassaretiorum et Illyriorum*] *Dassaritiorum* edidit Sigonius, quod eum secuti mox iterum repudiarunt. Vide ad 27, 32, 9.

§. 2. *Quem, si aliquem respectum amicitiae eum habere cerneret, tentare* etc. *jussus*] Brevius dici potuisset, *eum, si quem respectum amicitiae habere cerneret, tentare jussus*, ut Cl. Perizon. ad marginem Livii notavit, adscripto etiam loco ex hoc lib. c. 46, 4. *quae serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos, respectus*, pro ea serva et obnoxia fore.

7 *manos facere.* Lentuli, circumeuntes Peloponnesi oppida, quum sine discrimine omnes civitates adhortarentur, ut, quo animo, qua fide adjuvissent Romanos, Philippi primum, deinde Antiochi bello, eodem adversus Persea juvarent, fremitum in con-
8 cionibus audiebant: Achaeis indignantibus, eodem se loco esse, (qui omnia a principiis Macedonici belli praestitissent Romanis, et Macedonum Philippi bello hostes fuissent) quo Messenii atque Elii, qui pro Antiocho hoste arma adversus populum Roma-
9 num tulissent; ac, nuper in Achaïcum contributi concilium, velut praemium belli se victoribus Achaeis tradi quererentnr.

1 XXXVIII. Marcius et Atilius ad Gitanas, Epiri

§. 7. *Quafide adjuvissent Romanos*] *adjuvassent* edd. principes: id exhibent etiam priores Sigonii edd. licet interim Lugduni anno 1553. *adjuvissent* substitutum foret; quod Basil. anno 1555. receperunt, et recentiores probarunt. Recte. *juvavi* enim et *adjuvavi* non sunt hujus aevi. Vide Vossium 5. Gramm. 20. Cel. Burm. ad Petron. cap. 18. et Cort. ad Sall. Jugurth. 47.

§. 8. *Eodem se loco esse*, etc. *quo Messenii atque Elii*] Nempe sint. Cic. pro Cluent. 36. *Hoc dico, eamdem tum fuisse P. et L. Cominiis controversiam cum Staleno, quem accusabant, quae nunc mihi est cum Attio.* Sed usitatius est *Messenios atque Elios.* 8, 14, 11. *Cumanos Suessulanosque ejusdem juris conditionisque, cujus Campanos, esse placuit.* 39, 24, 11. *Civitates Thessalorum in eadem causa, qua Aetolos, fuisse.* Sueton. Tib. 34. *Dimidiatum aprum eadem habere, quae totum.* DUKERUS.

§. 1. *Ad Gitanas, Epiri oppidum decem millia ab mari, quum adscenderent*] Lectio haec, quae in omnibus editis superest, displicet Clariss. Jac. Gronov. in Diss. Epist. ad Livii loc. quaed. Geogr. Epist. 5. pag. 41. partim quod *Gitanae*, oppidum Epiri, veteribus sit ignotum, partim quod Livius hic dicat *adscendere ad Gitanas*, qui multis aliis locis praepositionem omisit. Legendum itaque censet *Aegilipa, Epiri oppidum*, quod Homero, Straboni ac Stephano memorari docet.

Ut praesidio essent liberatis ab se Macedonibus] Crevierius putat, *ab se* referendum esse ad Epirotas, et sensum hunc constituere; ut praesidio *essent* Macedonibus, qui per Marcium liberati erant ex manu Epirotarum: eam tamen expositionem postea hanc ob causam rejicit;

oppidum decem millia ab mari, quum adscenderent, concilio Epirotarum habito, cum magno omnium adsensu auditi sunt: et quadringentos juventutis eorum in Oreſtas, ut praesidio essent liberatis ab se Macedonibus, miserunt. Inde in Aetoliam progressi, ac paucos ibi morati dies, dum in praetoris mortui locum alius subficeretur, et Lycisco praetore facto, quem Romanorum favere rebus satis compertum erat, transierunt in Thessaliam. Eo legati Acarnanum, et Boeotorum exsules venerunt. Acarnanes nunciare jussi, *Quae Philippi primum, Antiochi deinde bello, decepti pollicitationibus regis adversus populum Romanum commisissent, ea corrigendi occasionem illis oblatam. Si male meriti clemen-*

quod Marcius, qui tantummodo a Corcyra in Epirum venerat, nullos potuerat liberare Macedonas, quum ne Macedoniam quidem attigiſſet. Exiſtimat igitur forsan aliquod mendum latere. Quid si, deleto pronomine *se*, legamus *liberatis ab Macedonibus;* ut quadringenti juventutis Epirotarum praesidio essent Oreſtis, liberatis a poteſtate et imperio Macedonum. Oreſtae gens erat Macedonum, quibus, quod tempore belli cum Philippo primi ab rege defecissent, Romani suas leges reddiderunt. Vide Livium 33, 34. et Polyb. in Exc. Legat. num. 9.

§. 2. *Et Lycisco praefecto facto*] Vitium eſt recentiſſimarum. Frobenius ex scripto edidit: *et Lycisco Pr. facto.* Unde Sigonius *praetore facto:* alii, *et Lycisco praefecto:* inepte poſtremi. J. FR. GRON. *et Lycisco praefecto* primum vidi in ed. Paris. anni 1573. Hujus Lyciſci Romanis enisc faventis multiplex mentio fit apud Polybium.

Legati Acarnanum, et Boeotorum exsules] Forte *Boeotorum exsulum.* Poteſt tamen et vulgatum defendi; venerunt legati Acarnanum, et exsules Boeotorum: verum ita verba poſt *τὸ Acarnanum* minima interpunctione diſtinguenda sunt. *Exsules Boeotorum,* ut 38, 33, 5. *Exsules Lacedaemoniorum Achaei secum adduxerant in fines.*

§. 3. *Acarnanes nunciare jussi*] Puto legendum *renunciare.* A Marcio nempe et Atilio domum renunciare juſſi sunt. Mox cap. seq. *Renunciare domum certa, quae audissent, volebant.* Vide ad Epit. Liv. 47.

Decepti pollicitationibus regis] Cujus regis? Philippi an Antiochi? ambo enim modo memorati sunt. At uterque rex intelligitur, et, utriusque pollicitationibus deceptos Acarnanes

tiam populi Romani experti essent, bene merendo
5 *liberalitatem experirentur.* Boeotis exprobratum, societatem eos cum Perseo junxisse. iis, quum culpam in Ismeniam, principem alterius partis, conferrent, et quasdam civitates dissentientes in caussam deductas, *adpariturum id esse,* Marcius respondit: *singulis enim civitatibus de se ipsis consulendi potesta-*
6 *tem facturos.* Thessalorum Larissae fuit concilium. ibi et Thessalis benigna materia gratias agendi Romanis pro libertatis munere fuit; et legatis, quod, et Philippi prius et post Antiochi bello, enise
7 adjuti a gente Thessalorum essent. hac mutua commemoratione meritorum accensi animi multitudinis
8 ad omnia decernenda, quae Romani vellent. Secundum hoc concilium legati a Perseo rege venerunt, privati maxime hospitii fiducia, quod ei paternum cum Marcio erat. Ab hujus necessitudinis commemoratione orsi, petierunt legati, in conlo-
9 quium veniendi regi potestatem faceret. Marcius, *Et se ita a patre suo accepisse,* dixit, *amicitiam hospitiumque cum Philippo fuisse. minime inmemo-*

fuisse, legati Romanorum innuunt. Legendum itaque *pollicitationibus regum*, vel potius *pollicitationibus regiis*. Ut librarii hic eodem modo lapsi sint, quo saepius eos peccasse vidimus ad 32, 6, 6. Similiter legendum observarunt Dukerus et Crevierius.

§. 8. *Iis, quum culpam in Ismeniam*] Cl. Jac. Perizonius in margine codicis sui conjecit legendum *Ii quum culpam in Ismeniam* etc. *conferrent*. Sed invito Msto nihil muto. *Iis* enim pendet a sequenti *respondit*. *Iis Marcius respondit*.

§. 10. *Qua transitus ab Omolio Dium esset*] *Homolium* vocatur, et Magnesiae adscribitur apud Plinium 4. H. Nat. 9. A Graecis plerumque per adspirationem Ὁμόλιον, Ὁμολὶς et Ὁμόλη dicitur. Vide Strab. 9, 443. Dicaearch. pag. 3. 20. 23. ed. Oxon. Pausan. in Boeot. 9. et alios. Sitam fuisse hanc urbem ad fluvium Peneum, testis est

rem necessitudinis ejus legationem eam suscepisse. Conloquium, si satis commode valeret, non fuisse dilaturum: nunc, ubi primum posset, ad Peneum flumen, qua transitus ab Homolio Dium esset, praemissis, qui nunciarent regi, venturos.

XXXIX. Et tum quidem ab Dio Perseus in interiora regni recipit se, levi aura spei objecta, quod Marcius ipsius caussa suscepisse se legationem dixisset. Post dies paucos ad constitutum locum venerunt. Magnus comitatus fuit regius, quum amicorum, tum satellitum turba stipante. Non minore agmine legati venerunt, et ab Larissa multis prosequentibus, et legationibus civitatium, quae convenerant Larissam, et renunciare domum certa, quae audissent, volebant. Inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem, et populi principis terrarum omnium legatos. Postquam in conspectu steterunt, dirimente amne, paullisper internunciando cunctatio fuit, utri transgrederentur. aliquid illi regiae majestati, aliquid hi populi Romani nomini, quum praesertim Perseus petisset conlo-

Scyl. in Peripl. p. 12. ed. Oxon. Eamdem esse, quae Ὅμολαι vocatur Ptolem. 3, 13. existimat Ortel. in Thes. Geogr. in v. *Homolium*. qui quidem in v. *Omole* ejus nominis montem Thessaliae memorat ex Strab. et Steph. Byz. Verum utrobique nunc additur adspiratio, quam etiam in Livio adscivi. Vide viros doctos ad Steph. Byz.

§. 1. *In interiora regni recepit se*] Haec lectio demum obvia fuit in ed. Paris. anni 1573. et, ita sibi legendum videri, vir doctus ad marginem ed. Curionis monuerat. Ea autem cum omnibus antiquioribus excusis praefert *recipit se*, quod reduxi.

§. 2. *Et legationibus civitatium*] *civitatum* edidit Curio, et post eum recentiores omnes usque ad Gronov. qui anno 1665. recte *civitatium* reposuit, ut est in edd. primis. V. ad 33, 20, 11.

§. 5. *Quod Philippo ipsi cognomen erat*] Accipiendum de Q. Marcio, qui *Philippus* cog-

5 quium, existimabant deberi. Joco etiam Marcius cunctantes movit. *Minor*, inquit, *ad majorem, et* (quod Philippo ipsi cognomen erat) *filius ad patrem* 6 *transeat.* Facile persuasum id regi est. Aliud deinde ambigebatur, cum quam multis transiret. Rex, cum omni comitatu transire, aequum censebat: legati vel cum tribus venire jubebant, vel, si tantum agmen traduceret, obsides daret, nihil fraudis fore 7 in conloquio. Hippian et Pantauchum, quos et legatos miserat, principes amicorum, obsides dedit. Nec tam in pignus fidei obsides desiderati erant, quam ut adpareret sociis, nequaquam ex dignitate

nominabatur; et hinc jocum captans Marcius, quum Persei pater fuerit rex Philippus, inquit, Persen, si ad se Philippum cognominatum transiret, transiturum esse ad patrem itidem Philippum dictum. De eo nullus dubitat. Quod autem ad originem hujus cognominis Marciorum attinet, Doujatius, credens *Philippi* cognomen Q. Marcio inditum esse ex amicitia et hospitio patris cum Philippo Macedoniae rege, Persei patre, quam hospes fuerit in historia Romana, palam ostendit. Nam cognomen illud in gente Marcia diu notum fuit ante hunc Q. Marcium, qui id a majoribus haereditarium habuit. Certe in Fastis Capitol. Triumph. memoratur Q. MARCIVS. Q. F. Q. N. PHILIPPVS, qui AN. CDLXXII. COS. DE. ETRVSCIS. K. APRIL. triumphavit: in Fast. vero Consul. Capitol. anno CDXC. Q. MARCIVS. Q. F. Q. N. PHILIPPVS. MAG. EQ. Ejus Marcii Philippi nepos fuit *L. Marcius Q. F. Q. N. Philippus*, qui pater exstitit hujus Q. Marcii Philippi, secundum Pighium in Ann. ad A. V. IↃIↃXXIV. p. 108. unde patet, non primum hunc Q. Marcium *Philippi* cognomen accepisse, sed jam proavum ejus id obtinuisse. Alii existimant, eum, qui primus ex hac familia *Philippi* cognomen invenit, ita dictum esse ab equorum studio; eoque referendum, quod in multis Marciorum Philipporum nummis vel statua equestris, vel imago Castoris equo gaudentis exhibeatur. Vide Ursin. in Famil. Rom. Spanhem. de Praest. et Usu Numism. Diss. 6. pag. 525. ed. secundae et Haverk. in Comm. ad Thesaur. Morell. tom. 1. p. 262. Ea tamen hic me moratur difficultas, admodum rarum esse, Romanos jam eo tempore, id est ante bellum Punicum primum, cognomina Graeca adsciviss e. Malo igitur judicium sustinere.

§. 6. *Vel, si tantum agmen traduceret, obsides daret*] Scribe tuto: *legati vel cum tribus venire jubebant, vel, si tantum agmen traduceret, obsides dare, nihil fraudis fore in conloquio.* Nam τὸ *dare* pendet a τῷ

pari congredi regem cum legatis. Salutatio non tamquam hostium, sed hospitalis ac benigna fuit; positisque sedibus consederunt. 8

XL. Quum paullisper silentium fuisset: *Exspectari, nos*, inquit Marcius, *arbitror, ut respondeamus literis tuis, quas Corcyram misisti; in quibus quaeris, quid ita legati cum militibus venerimus, et praesidia in singulas urbes dimittamus? Ad hanc interrogationem tuam et non respondere vereor, ne superbum sit, et vera respondere, ne nimis acerbum audienti tibi videatur. Sed quum aut verbis castigandus, aut armis sit, qui foedus rumpit; sicut bel-* 1 2 3

jubebant. Monitum saepe, et proxime ad 40, 35. J. FR. GRONOV. Licet Gronovio adsentitirer, utrumque verbum *venire* et *daret* pendere a verbo *jubere*, nondum tamen inde sequeretur, legendum esse *dare*. Nam *jubebant, daret*, omisso τῷ *ut*, quemadmodum saepe fit post verba jubendi. V. ad 10, 41, 8. et 32, 16, 9. Neque inprobandum *jubebant vel venire, vel daret*. In regimine enim similibus aliisque modis variare, Livio est familiarissimum. V. ad 39, 14, 9. Verum necesse non est, ut statuamus, *daret* aeque ac *venire* pendere a verbo *jubebant*. Similis enim constructio, ut *jubere* ad unum tantum verbum, non ad reliqua ejusdem periodi, referatur, saepius apud Livium obcurrit. Vide, quae notantur ad 26, 22, 7.

§. 7. *Hippian et Pantaucum, quos et legatos miserat*] *Hippian* hoc loco constanter omnes excusi, qui contra uno consensu *Hippiam* legunt infra c. 54. et 44, 23. Insuper legendum est *Pantauchum*, ut nunc editur passim lib. 44. ubi primae edd. similiter in omittenda adspiratione errarunt. Graecis vocatur Πάνταυχος. Vide Polyb. Exc. Leg. num. 69. et 86. Πάνταυχος dux Demetrii Poliorcetae, a rege Pyrrho vulneratus et pulsus, memoratur a Plutarch. in Pyrrh. 386. 387. Ita et Crevierius hic edidit.

§. 1. *Exspectari nos, inquit Marcius, arbitror, ut respondeamus*] Ant. Perizonius ad marginem Livii monuit, videndum esse, an non melius τὸ *nos* abesse possit. Verum, integram vocem delere, praeceps puto. Si quid igitur mutandum, maliem: *Exspectare vos, inquit*. Quum tamen mox subjungatur *literis tuis, quas Corcyram misisti*, et reliqua omnia numero singulari concipiantur, licet et ipsa illa numeri singularis et pluralis commutatio a stilo Livii haud abhorreat, non adversabor, si quis vulgatum tueri malit, modo ita distinguat *Exspectari, nos, inquit*, ut ita jungantur haec, *Exspectari, ut nos respondeamus*.

lum adversus te alii, quam mihi, mandatum malim, ita orationis acerbitatem adversus hospitem, utcumque est, subibo: sicut medici, quum salutis caussa
4 *tristiora remedia adhibent. Ex quo regnum adeptus es, unam rem te, quae facienda fuerit, senatus fecisse censet; quod legatos Romam ad renovandum *** judicat potius, quam, quum renovatum esset,*
5 *violandum. Abrupolim, socium atque amicum populi Romani, regno expulisti. Artetari interfectores, ut caede (ne quid ultra dicam) laetatum adpareret, recepisti, qui omnium Illyriorum fidissimum Roma-*
6 *no nomini regulum occiderant. Per Thessaliam et Maliensem agrum cum exercitu contra foedus Delphos isti: Byzantiis item contra foedus misisti auxilia. Cum Boeotis, sociis nostris, secretam tibi ipsi societatem, quam non licebat, jurejurando pepigisti.*

§. 3. *Acerbitatem adversus hospitem, utcumque est, subibo*] Crevierius *utcumque est* supplet, scilicet res. Magis tamen ipsi placebat legi *quaecumque est*. Idem etiam observat, mox vocem *quum* sine dispendio sensus abesse posse.

§. 4. *Quod legatos Romam ad renovandum judicat potius, quam* etc.] Hoc modo perfici haec sententia videtur posse: *quod legatos Romam ad renovandum foedus miseris: quod ipsum tamen tibi non fuisse renovandum judicat potius, quam, cum renovatum esset, violandum.* Fecit enim iteratio hujus vocis *renovandum*, ut librarius a priore ad posteriorem transierit, verbis mediis praeteritis. SIGON.

§. 5. *Abrypolim, socium atque amicum populi Romani, regno expulisti*] Hujus rei historia excidit apud Livium. Priore autem libro, quo in loco de origine Persici belli agebat, ut puto, eam tradidit: praesertim vero cum in epitome ejus libri haec verba sint *Initia belli Macedonici continet.* Miserat ad Carthaginienses legationem, et ab iis nocte audita erat. Sed et alias Graeciae civitates sollicitabat, qui praeter religionem, quod quam multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Jovis Olympii, et Antiochiae Capitolini, vilissimum regem egit. Narrat autem Pausanias in Achaïc. [10.] cum Perseus foedus, quod sibi cum Romanis erat, violandum esse decrevisset, Abrupolim Sapensium regem aggressum esse, et populi Romani socios vexasse. Verba sunt haec. Περσεὺς γὰρ τῷ Φιλίππου πρὸς

Thebanos legatos, Euersam et Callicritum, venientes a nobis, quaerere malo, quis interfecerit, quam arguere. In Aetolia bellum intestinum et caedes principum per quos, nisi per tuos, factae videri possunt? Dolopes a te ipso evastati sunt. Eumenes rex, ab Roma quum in regnum rediret, prope ut victima Delphis in sacrato loco ante aras mactatus, quem insimulet, piget referre. Quae hospes Brundisinus occulta facinora indicet, certum habeo, et scripta tibi omnia ab Roma esse, et legatos tuos renunciasse. Haec ne dicerentur a me, uno modo vitare potuisti, non quaerendo, quam ob caussam exercitus in Macedoniam trajicerentur, aut praesidia in sociorum urbes mitteremus. Quaerenti tibi superbius tacuissemus, quam vera respondimus. Equidem pro patrono nostro hospitio faveo orationi tuae, et opto, ut ali- 7 8 9 10 11

Ῥωμαίους ἄγοντι τὴν εἰρήνην κατὰ συνθήκας, ἃς ὁ πατήρ, ὁ Φίλιππος ἐποιήσατο, ἐπῆλθεν ὑπερβῆναι τοὺς ὅρκους, καὶ ἐπί τε Σαπέων τὸν βασιλέα Ἀβρύπολιν τραύτευμα ἀγαγὼν ἐποίησεν ἀναστάτους Ῥωμαίων συμμάχους ὄντας. SIGON. *Abrypolim* hic, et cap. seq. §. 10. et 11. praeferunt primae edd. Male. Vide ad cap. 13, 6. Ceterum Sigonius, scribens Persen, praeter religionem, vilissimum regem egisse, perperam Persen Macedoniae et Antiochum Syriae reges confudit. Vide ad 41, 20, 1.

Artetari interfectores] Vide ad cap. 13, 6.

§. 6. *Per Thessaliam et Maliensem agrum*] Id supra dixit 41, 22, 6. *Per Phthiotidem Achajam Thessaliamque*. ut ager *Maliensis* alio nomine *Phthiotis Achaja* vocari, aut certe istius Phthiotidis pars fuisse videatur.

§. 7. *Euersam et Callicritum*] Vide supra ad cap. 13, 6.

§. 11. *Faveo orationi tuae*] *rationi* lego, id est causae. etenim sic sequitur: *et opto, ut aliquam mihi materiam praebeas agendae tuae apud senatum causae.* Videtur autem litera *o* ex fine vocis *faveo* repetita. SIG. Saepe quidem voces *oratio* et *ratio* commutantur a scribis, ut vidimus ad 35, 25, 9. idque hic, quam alibi, facilius accidisse potuit ob caussam a Sigonio adlatam: nihilominus tamen necesse non videtur, ut, dissentiente unico codice, receptam lectionem mutemus. Intelligitur enim *oratio*, qua accusationi Marcii Perseus responsurus erat, et quam Mar-

quam mihi materiam praebeas agendae tuae apud senatum caussae.

1 XLI. Ad ea rex: *Bonam caussam, si apud judices aequos ageretur, apud eosdem et accusatores et* 2 *judices agam. Eorum autem, quae objecta sunt mihi, partim ea sunt, quibus nescio an gloriari debeam; partim, quae fateri non erubescam; partim,* 3 *quae verbo objecta verbo negare sit. Quid enim, si legibus vestris hodie reus sim, aut index Brundisinus, aut Eumenes mihi objiciat, ut accusare potius* 4 *vere, quam conviciari, videantur? Scilicet, nec Eumenes, quum tam multis gravis publice ac privatim sit, alium, quam me, inimicum habuit: neque ego potiorem quemquam ad ministeria facinorum, quam Rammium (quem neque umquam ante videram, nec*

cius optabat, ut aliquam materiam praeberet agendae ejus apud senatum caussae.

§. 2. *Eorum autem, quae objecta sunt mihi, partim ea sunt, quibus*] *Partim eorum sunt ea*, pro pars eorum, sive quaedam eorum, sunt ea, ut exponit Gellius 10. N. Attic. 13. Plura vide apud Gronov. 3. Obs. 2.

Quae verbo objecta verbo negare sit] Hoc est, si Perizonium ad Sanctii Minerv. 4, 4, 52. sequimur, detur mihi, sit mihi per vos *illud negare:* quasi haec optandi, non adfirmandi modo dicantur, et Perseus sibi hoc pro beneficio a legatis Romanis dari petat, ut sibi per eos liceat verbo objecta verbo negare. Mihi hic sensus esse videtur, partim ejusmodi sunt, quae uti sine ullo certo indicio aut argumento verbo tantum objecta sunt, ita verbo quoque negari possint, ita verbo quoque negare liceat. Frequentissimus, in primis apud poëtas, est hic usus verbi substantivi cum verbo infinitivo. DUKER. Eleganti Graecismo, pro verbo negare possim, verbo negari possint. Vide Vechner. Hellenol. lib. 1. part. 2. cap. 31. et Inlustr. Nic. Heins. ad Nason. 2. Art. Am. 28. Frustra igitur Hearnius, ejusque exemplo Londinenses ediderunt *negare satis sit.*

Index Brundisinus] [Appian. Exc. Legat. num. 25. pag. 367.] *Ἐρέννιον τὸν ἐκ Βρεντησίου τίς ἂν πιστεύσειεν, ὅτι Περσεύς, Ῥωμαίων ὄντα καὶ φίλον ὑμέτερον καὶ πρόξενον, ἐλήφθη ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς φαρμακίαν.* Sic enim vocat *Herennium*, quem Livius *Rammium.* Mox (p. 368.) *Ἀλλ' Ἐρέννιος μὲν ἐψεύσατο, τοῖς ἐπιτρίβουσιν ἐς τὸν πόλεμον ὑμᾶς πρόφασιν εὐσχήμονα διδούς.* UR-

eram postea visurus) invenire potui. Et Thebano- 5
rum, quos naufragio perisse constat, et Artetari caedis mihi reddenda ratio est. in qua tamen nihil ultra objicitur, quam interfectores ejus in regno exsulasse meo. Cujus conditionis iniquitatem ita non sum re- 6
cusaturus, si vos quoque accipitis, ut, quicumque exsules in Italiam aut Romam se contulerunt, his facinorum, propter quae damnati sunt, auctores vos fuisse fateamini. Si hoc et vos recusabitis, et omnes 7
aliae gentes, ego quoque inter ceteros ero. Et Hercule, quid adtinet cuiquam exsilium patere, si nusquam exsuli futurus locus est? Ego tamen istos, ut 8
primum in Macedonia esse, admonitus a vobis, comperi, requisitos abire ex regno jussi, et in perpetuum interdixi finibus meis. Et haec quidem mihi, tam- 9

SIN. Nota haec Ursini excerpta est in ed. Livii Gronoviana anni 1665. ex ejus notis ad Exc. Legat. pag. 123. Verum utroque loco App. et ab ipso Ursino non *Ἐρέννιος* et *Herennius*, sed *Ἐρρένιος* et *Herrenius* vocatur; neque alterius lectionis vel conjecturae Ursinus ibi meminit. Vide supra ad cap. 17, 2. Recte autem Perseus Rammium Brundisinum *indicem* vocat. *Index* enim *est, qui facinoris, cujus ipse est conscius, latebras indicat, impunitate promissa,* teste Ascon. ad Cic. Divin. in in Caecil. 11. Rammius autem Perseo promiserat, se ducibus et legatis Romanis, hospitio suo uti adsuetis, quibus eorum rex scripsisset, venenum dari curaturum. Vide supra cap. 17. ubi bis eodem sensu voce *indicium* utitur. Ita Fecenia et Aebutius, qui scelera a celebrantibus Bacchanalia committi solita ad consulem Postumium detulerunt, *indices* vocantur Liv. 39, 14. ubi aliquoties ea vox hoc sensu usurpatur ut et cap. 19. Vide ad 7, 39, 5.

§. 4. *Eumenes, quum tam multis gravis publice ac privatim sit*] Appian. in Exc. Legat. num. 25. p. 367. *Ἀλλὰ τὴν ἐπιβουλὴν τὴν ἐν Δελφοῖς αὐτῷ γενομένην προγράφετε Περσεῖ, πόσων Ἑλλήνων, πόσων βαρβάρων κατ' Εὐμένους πρεσβευσάντων πρὸς ὑμᾶς· οἷς πᾶσιν ἐχθρὸς ἐστὶ τοιοῦτος ὤν.*

§. 5. *In qua tamen nihil ultra objicitur, quam* etc.] Appian. ibid. *Ἀλλὰ Ἀρσέταυρον τινὲς ἀνελόντες ἐν Μακεδονίᾳ διέτριβον, κοινῷ γε πάντων ἀνθρώπων νόμῳ. καὶ σὺ καὶ ὑμεῖς τοὺς ἑτέρων φεύγοντας ὑποδέχεσθε· μαθὼν δὲ καὶ τοῦτ' ὅτι ἐγκλημα ποιεῖσθε, ἐξεκήρυξεν αὐτοὺς τῆς ἀρχῆς ὅλης.*

quam caussam dicenti reo, objecta sunt: illa, tamquam regi, et quae de foedere, quod mihi est vobis-
10 *cum, disceptationem habeant. Nam, si est in foedere ita scriptum, ut ne, si bellum quidem quis inferat, tueri me regnumque meum liceat, mihi fatendum est, quod me armis adversus Abrupolim, socium po-*
11 *puli Romani, defenderim, foedus violatum esse. Sin autem hoc et ex foedere licuit, et jure gentium ita comparatum est, ut arma armis propulsentur, quid tandem me facere decuit, quum Abrupolis fines mei regni usque ad Amphipolim pervastasset, multa libera capita, magnam vim mancipiorum, multa millia*
12 *pecorum abegisset? Quiescerem et paterer, donec Pellam et in regiam meam armatus pervenisset? At enim bello quidem justo sum persecutus; sed vinci non oportuit eum, neque ea, quae victis accidunt, pati: quorum casum quum ego subierim, qui sum*

§. 11. *Abrupolis fines mei regni*] Appian. ibid. p. 366. Ἀλλὰ Ἀβρούπολιν ἐξέβαλεν τῆς ἀρχῆς ἐπιδραμόντα γε τοῖς ἡμετέροις ἀμυνόμενος.

§. 12. *Donec Pellam et in regiam meam*] Suspecta copula. Lib. 5, [38, 5.] *Ut multo major pars Vejos in hostium urbem fugeret.* Sallust. Jugurth. [75.] *Thalam pervenit in oppidum magnum et opulentum.* Tacit. 4. Ann. [67.] *Capreas se in insulam abdidit.* Lib. 12, [51.] *Iberos ad patrium regnum pervadit.* J. FR. GRONOV.

Qui potest queri sibi accidisse] Ita demum editum vidi Paris. anno 1573. quod recentiores servarunt. Omnes priores praeferunt *quid potest queri*; quod Livio reddidi. *quid* hic accipiendum est, cur. *quid potest queri sibi accidisse* scilicet ea, quae victis accidunt, vel casum devictorum; quod praecessit.

§. 13. *Quod Dolopas armis coërcuerim: quia, etsi non merito* etc.] Appian. Exc. Legat. num. 25. p. 367. Δόλοψι γὰρ ἐπεστράτευσεν οὗσι τῆς ἰδίας ἀρχῆς· καὶ δεινόν, εἰ τῶν ἑαυτοῦ λοχισμῶν ὑμῖν ὀφλήσει, δίδωσι δ' ὅμως περὶ πολλοῦ ποιούμενος ὑμᾶς καὶ δόξαν ἀγαθὴν· ἔκτεινεν δὲ οἱ Δόλοπες οἵδε τὸν ἡγούμενον αὐτῶν ἀκισάμενοι, καὶ ζητεῖ Περσεὺς τί ἂν ὑμεῖς ἐδράσατε τοὺς ὑπηκόους τοιαῦτα πράξαντας.

§. 1. *At, quum processissem inde*] *Ac quum* omnes edd. ante

armis lacessitus, quid potest queri sibi accidisse, qui caussa belli fuit? Non sum eodem modo defen- 13
surus, Romani, quod Dolopas armis coërcuerim: quia, etsi non merito eorum, jure feci meo; quum mei regni, meae ditionis essent, vestro decreto patri adtributi meo. Nec, si caussa reddenda sit, non vobis, 14
nec foederatis, sed iis, qui ne in servos quidem saeva atque injusta imperia probant, plus aequo et bono saevisse in eos videri possum. quippe Euphranorem, praefectum a me inpositum, ita occiderunt, ut mors poenarum ejus laevissima fuerit.

XLII. *At, quum processissem inde ad visendas* 1
Larissam, et Antrona, et Pylleon, quo in propinquo multo ante debita vota persolverem, Delphos sacrificandi caussa adscendi. Et hic, criminis augendi 2
caussa, cum exercitu me fuisse adjicitur. Scilicet, ut, quod nunc vos facere queror, urbes occuparem,

Modianam, quae prima exhibuit *At quum*; quod probum est. Eleganter enim Perseus particulam illam hic usurpavit, ut proponeret aliud caput accusationis sibi intentatae, aliudque crimen objectum. Ita cap. praec. *At enim bello quidem justo sum persecutus; sed vinci non oportuit eum.* Passim autem vocula illa inservit proponendis exceptionibus. Vide ad 39, 37, 12.

Larissam, et Antrona, et Pylleon] Legendum videtur *et Pteleum*, vel ex Homeri catalogo, cujus versus est [Il. B. 697.]

Ἀγχίαλόν τ' Ἀντρῶνα, ἠδὲ Πτελεὸν λεχέποιην.

TURNEB. 30. Advers. 37. Verisimam puto Turnebi conjecturam. Tria haec oppida etiam junguntur cap. 67, 9. *Cum exercitus parte profectus in Achajam Phthiotim, Pteleum desertum fuga oppidanorum diruit a fundamentis, Antrona voluntate colentium recepit. Ad Larissam deinde exercitum admovit. Ptelei* etiam meminit Livius 35, 43, 3. Doujatius ad hunc locum notans, Herodot. memorasse *Pyleam*, oppidum Trachiniae ad Oetam montem, unde et *Pylaïcus* conventus juxta Thermopylas, forte respexit locum Herodoti 7, 213. *Τῶν Ἀμφικτυόνων ἐς τὴν Πυλαίην συλλεγομένων.* unde conflat *Pylaeam* per diphthongum scribi debere. At insuper *Πυλαία ἐκαλεῖτο ἡ εἰς τὰς πύλας σύνοδος τῶν Ἀμφικτυόνων*, teste Harpocr. in voc. *Πύλαι*. Et ita capi debet ea vox

3 arcibus inponerem praesidia. Vocate in concilium Graeciae civitates, per quas iter feci; queratur unusquilibet militis mei injuriam; non recusabo, quin, si-
4 mulato sacrificio, aliud petisse videar. Aetolis et Byzantiis praesidia misimus, et cum Boeotis amicitiam fecimus. Haec, qualiacumque sunt, per legatos meos non solum indicata, sed etiam excusata sunt saepe in senatu vestro: ubi aliquos ego disceptatores, non tam aequos, quam te, Q. Marci, pater-
5 num amicum et hospitem, habebam. Sed nondum Romam accusator Eumenes venerat; qui calumniando omnia detorquendoque suspecta et invisa efficeret, et persuadere vobis conaretur, non posse Graeciam in libertate esse, et vestro munere frui, quoad regnum
6 Macedoniae incolume esset. Circumagetur hic orbis: erit mox, qui arguat, nequidquam Antiochum ultra juga Tauri remotum: graviorem multo Asiae, quam Antiochus fuerit, Eumenem esse: nec conquiescere socios vestros posse, quoad regia Pergami sit. eam ar-

apud Philostr. in vita Apollon. Tyan. 4, 23. Ἐπρέσβευσε δὲ καὶ παρὰ τοὺς Θετταλοὺς ὑπὲρ τοῦ Ἀχιλλέως κατὰ τοὺς ἐν Πυλαίᾳ ξυλλόγους. Vide Wolfium ad Demosth. 1290.

Delphos sacrificandi caussa adscendi] An *escendi*? V. ad 29, 11, 5.

§. 3. *Queratur unusquilibet militis mei injuriam*] *unusquisli-bet* ed. Francof. anni 1578. quod proximae servarunt usque ad Gronov. qui prima ed. notarum *unusquilibet* ex antiquioribus edd. reponendum monuit, eamque lectionem postea recepit. V. Gronov. ad Senec. Controv. 26.

§. 4. *Aetolis et Byzantiis praesidia misimus, et cum Boeotis* etc.] Appian. in Exc. Legat. num. 25. Βυζαντίοις δὲ καὶ Αἰτωλοῖς καὶ Βοιωτοῖς, οὐ καθ' ἡμῶν, ἀλλὰ καθ' ἑτέρων ξυνεμάχησε. καὶ ταῦτα πρὶν ὑμῖν ἡμέτεροι πρέσβεις ἐμήνυον· καὶ οὐκ ἐμέμφεσθε μέχρι τῆς Ἐυμένους διαβολῆς. ἣν οὐκ ἐάσατε τοὺς ἡμετέρους πρέσβεις εἰς ὄψιν αὐτὸν ἐλέγξαι.

§. 6. *Antiochum ultra juga*

arcem supra capita finitimarum civitatium inpositam. Ego haec, Q. Marci et A. Atili, quae aut a vobis ob- 7
jecta, aut purgata a me sunt, talia esse scio, ut au-
res, ut animi audientium sint: nec tam referre, quid
ego, aut qua mente fecerim, quam quomodo id vos
factum accipiatis. Conscius mihi sum, nihil me scien- 8
tem deliquisse: et, si quid fecerim inprudentia lapsus,
corrigi me et emendari castigatione hac posse. Nihil 9
certe insanabile, nec quod bello et armis persequen-
dum esse censeatis, commisi: at frustra clementiae
gravitatisque vestrae fama vulgata per gentes est, si
talibus de caussis, quae vix querela et expostulatio-
ne dignae sunt, arma capitis, et regibus sociis bella
infertis.

XLIII. Haec dicenti tum adsensus Marcius auctor 1
fuit mittendi Romam legati, quum experienda om-
nia ad ultimum, nec praetermittendum spem ullam
censuisset. Reliqua consultatio erat, quonam modo 2
tutum iter legatis esset. ad id quum necessaria pe-
titio induciarum videretur, cuperetque Marcius, ne-

Tauri remotum] *emotum* maluisse videtur Gronov. infra ad cap. 50, 6. ubi vide.

Supra capita finitimarum civitatum] Ita primus vulgavit Curio, quem recentiores omnes secuti sunt: priores praeferunt *civitatium*, quod restitui. Vide ad 33, 20, 11.

§. 1. *Auctor fuit mittendi Romam legati*] Non unus missus est legatus, sed plures. Infra mox: *Quonam modo tutum iter legatis esset.* c. 46, 1. *Legatos Romam de inchoatis cum Marcio conditionibus pacis misit.* et c. 48, 1. *Senatum tamen praeberi legatis placuit. Eadem fere, quae in conloquio ab rege dicta erant, relata ab legatis.* An ergo legendum *mittendi Romam legatos?* quomodo etiam Hearnius scribendum conjecit.

Nec praetermittendam spem ullam censuisset] Ita demum exhibet postrema Gruteri editio, cujus lectionem recentiores servarunt. Superiores typis descripti omnes *nec praetermittendum spem ullam.* Quid de similibus locutionibus judicem,

que aliud conloquio petiſſet, gravate et in magnam
3 gratiam petentis conceſſit. nihil enim satis paratum
ad bellum in praesentia habebant Romani, non ex-
ercitum, non ducem: quum Perseus (ni spes vana
pacis obcaecaſſet consilia) omnia praeparata atque
inſtructa haberet, et suo maxime tempore atque alie-
4 no hoſtibus incipere bellum poſſet. Ab hoc conlo-
quio, fide inducierum interposita, legati Romani in
5 Boeotiam comparati sunt. Ibi jam motus coeperat
eſſe, discedentibus a societate communis concilii
Boeotorum quibusdam populis, ex quo renunciatum
erat, respondiſſe legatos, adpariturum, quibus po-
pulis proprie societatem cum rege jungi displicuis-
6 set. Primi a Chaeronea legati, deinde a Thebis,

supra dixi ad 40, 49, 1. Ex illis conſtat, magis quidem Livianum videri *praetermittendam*, quam *praetermittendum*; nihilominus tamen alterius etiam locutionis exempla apud Livium obcurrere. Hinc Gruteri lectionem, unico codice adversante, in contextum non admittendam eſſe censeo.

§. 3. *Ni spes vana pacis obcaecasset consilia) obcaecare animum* Livio aliisque frequens eſt. Exempla v. ad 22, 43, 11. sed, *obcaecare consilia* an commode dici poſſit, vehementer dubito. Vide igitur, num ita diſtinguendum sit: *quum Perseus (ni spes vana pacis obcaecasset) consilia omnia praeparata atque instructa haberet.* Mallem tamen vocem *consilia* expungere, si liceret.

Suo maxime tempore atque alieno hostibus] Gronov. 4. Obs. 17, 278. non male futurum putat, si legeretur *hostium*, laudato hoc loco Varr. 3. de Re ruſt. 5. *Ne reliqui, si viderint, despondeant animum, atque alieno tempore venditoris morientur.*

§. 4. *Legati Romani in Boeotiam comparati sunt*) *Comparare legatos* dixit, ut *comparare consules* et *censores*, id eſt, ut alibi dixit, legere, et in legationem conjicere. SIG. Sigonius observat, *comparare legatos* dixiſſe Livium, ut *comparare consules* et *censores*, quod sit, ut alibi dixerit, legere, et in legationem conjicere. Quod poſſem tolerare, si ex pluribus aliquot ad hoc munus exercti eſſent. Sed fuerunt iidem, qui apud Persea fuerant, Marcius et Atilius, ut apparet ex cap. sequenti. Mallem igitur *conversi sunt*. J. FR. GRON. Adsentior Gronovio, vulgatum, quod Sigonius exponere conatus eſt, hic commodum sensum non recipere. Quid tamen ei subſituendum

in ipso itinere obcurrerunt, adfirmantes non interfuisse se, quo societas ea decreta esset, concilio: quis, legati, nullo in praesentia responso dato, Chalcidem se sequi jusserunt. Thebis magna contentio 7
orta erat ex alio certamine. Comitiis praetoriis Boeotorum victa pars, injuriam persequens, coacta multitudine decretum fecit Thebis, ne Boeotarchae urbibus reciperentur. Exsules Thespias universi 8
concessêrunt: inde (recepti enim sine cunctatione erant) Thebas, jam mutatis animis, revocati decretum faciunt, ut duodecim, qui privati coetum et concilium habuissent, exsilio multarentur. Novus de- 9
inde praetor (Ismenias is erat, vir nobilis ac potens) capitalis poenae absentes eos decreto damnat. Chal-

sit, non invenio. Nimis enim a recepta lectione recedit Gronovii *conversi sunt*. Eamdem ob causam displicet Doujatii *profecti sunt*, vel *delati sunt*. Propius quidem accedit ejusdem Doujatii conjectura *comportati sunt:* nihilominus tamen et hanc probare nequeo. Legati enim Romani itinere terrestri a Peneo in Boeotiam profecti sunt; *comportari* autem de illis dici, qui simul itinere terrestri regionem aliquam adeunt, nondum observavi. Cogitent igitur acutiores, qua ratione loco melius subveniatur. Clerico etiam nescio quid aliud, quam quod Gronovius substituere volebat, hic latere visum est.

§. 6. *Primi a Chaeronea legati*] Ita primus edidit Sigonius. Priores *a Cheronia*. Vide ad 35, 46, 4. ubi ipse Sigonius *Chaeroniam* servavit.

Queis legati nullo in praesentia] An non *quos legati, nullo in praesentia responso dato, Chalcidem se sequi jusserunt*? J. FR. GRONOV. Perizonius ad Sanctii Minerv. 2, 4, 180. vulgatum *queis* defendit, et refert ad verbum sequens *jusserunt*, ut inde adstruat locutionem *jubere alicui;* quam non optimi aevi esse, docuimus ad 27, 24, 3. Neque ego hic aliquid mutandum puto; sed, quae etiam Cl. Dukeri est sententia, *queis* refero ad proximum *dato*. Hoc quoque Doujatio verius visum est. Illud *queis*, vel, ut scribendum videtur, *quis*, apud Livium obcurrit 21, 62, 2. 24, 16, 13. 30, 35, 7. 44, 3, 2. et alibi. Idem etiam vocabulum Livio Gronovius ex conjectura restituere conatus est ad 24, 16, 18. et ad 25, 23, 9.

§. 9. *Praetor (Ismenias is erat, vir* etc.] Vascos. loco aliter interpuncto edidit, *praetor Ismenias, is erat vir nobilis*. Ejus exemplum proximi quidam editores secuti sunt; at Sigonius

cidem fugerant: inde ad Romanos Lariſſam profecti, cauſſam cum Perseo societatis in Ismeniam contule-
10 rant. Ex contentione ortum certamen. utriusque tamen partis legati ad Romanos venerunt, et exsules accusatoresque Ismeniae, et Ismenias ipse.

1 XLIV. Chalcidem ut ventum eſt, aliarum civitatium principes, id quod maxime gratum erat Romanis, suo quique proprio decreto Persei societatem adspernati, Romanis se adjungebant: Ismenias gentem Boeotorum in fidem Romanorum permitti ae-
2 quum censebat. inde certamine orto, nisi in tribunal legatorum perfugiſſet, haud multum abfuit, quin
3 ab exsulibus fautoribusque eorum interficeretur. Thebae quoque ipsae, quod Boeotiae caput eſt, in magno tumultu erant, aliis ad regem trahentibus civi-
4 tatem, aliis ad Romanos. et turba Coronaeorum Haliartiorumque convenerat ad defendendum decretum

priscam diſtinctionem iterum induxit. Ita supra 24, 34, 2. *Archimedes is erat, unicus spectator coeli siderumque.* ubi alia vide.

Caussam cum Perseo societatis] Verbum aliquod excidiſſe, ac legendum esse *caussam initae cum Perseo societatis*, exiſtimat Crevierius. Ita supra 29, 24, 3. *Monet eum, ne jura hospitii secum, neu cum populo Romano initae societatis fallat.*

§. 10. *Utriusque tamen partis legati* etc.] Cum his conferendus eſt Polyb. in Exc. Legat. num. 63.

§. 1. *Principes, id quod maxime gratum erat Romanis*, etc.] Polyb. Exc. Legat. num. 63. *Οἱ μὲν περὶ Λασθὺν ἐνεχείριζον τὴν ἑαυτῶν πατρίδα Ῥωμαίοις. Ὁ δὲ Ἰσμενίας κατὰ κοινὸν πάσας τὰς ἐν τῇ Βοιωτίᾳ πόλεις διδοὺς εἰς τὴν τῶν πρεσβευτῶν πίστιν. ἦν δὲ τοῦτο μὲν ἐναντιώτατον τοῖς περὶ τὸν Μάρκιον. τὸ δὲ κατὰ πόλιν διελεῖν τοὺς Βοιωτοὺς οἰκειότατον.*

§. 4. *Et turba Coronaeorum Haliartiorumque*] Forsan *eo et turba Coronaeorum*, nempe Thebas. Polyb. Exc. Legat. num. 63. *Οἱ δὲ Κορωνεῖς καὶ Ἁλιάρτιοι συνδεδραμηκότες εἰς τὰς Θήβας ἀκμὴν ἀντεποιοῦντο τῶν πραγμάτων, καὶ μενεῖν ἔφασαν δεῖν ἐν τῇ πρὸς τὸν Περσέα συμμαχίᾳ.* J. FR. GRON. *Coroneorum* sine diphthongo hic et paſſim infra edidit Crevierius, excepto tamen loco cap. 46. Sed vide

regiae societatis. sed constantia principum, docentium cladibus Philippi Antiochique, quanta esset vis et fortuna imperii Romani, victa eadem multitudo et, ut tolleretur regia societas, decrevit, et eos, qui auctores paciscendae amicitiae fuerant, ad satisfaciendum legatis Chalcidem misit, fideique legatorum commendari civitatem jussit. Thebanos Marcius et 5
Atilius laeti audierunt, auctoresque et his separatim singulis fuerunt ad renovandam amicitiam mittendi Romam legatos. Ante omnia exsules restitui 6
jusserunt, et auctores regiae societatis decreto suo damnarunt. Ita, quod maxime volebant, discusso Boeotico concilio, Peloponnesum proficiscuntur, Scr. Cornelio Chalcidem arcessito. Argis praebitum 7
est iis concilium: ubi nihil aliud a gente Achaeorum petierunt, quam ut mille milites darent. id praesi- 8
dium ad Chalcidem tuendam, dum Romanus exerci-

Berkel. ad Steph. Byz. v. *Κορώνη*, et supra ad 36, 20, 2. Tum *Aliartiorumque* edd. principes. Sed recte adspirationem in initio vocis addidit Vascos. hic et variis aliis locis hujus libri.

§. 5. *Auctoresque et his separatim singulis fuerunt*] Puto *auctoresque et his, et separatim singulis*] *His* Thebanis, *et separatim singulis* Boeotiae civitatibus. J. FR. GRONOV. Polyb. ibid. *Εὐδύς τε παρήγγειλαν πρεσβεύειν πᾶσι τοῖς ἀπὸ τῶν πόλεων εἰς τὴν Ῥώμην διδόντας αὐτοὺς εἰς τὴν πίστιν κατ' ἰδίαν ἑκάστας.*

§. 6. *Discusso Boeotico concilio*] Hoc mox cap. 47. *distrahere* dicit: *Boeotorum quoque se concilium arte distraxisse.* Polybius *καταλύειν καὶ διασκορπίζειν* in Exc. Legat. 63. *Τὸ τῶν Βοιωτῶν ἔθνος ἐπὶ πολὺν χρόνον συντετηρηκὸς τὴν κοινὴν συμπολιτείαν, τότε κατελύθη καὶ διεσκορπίσθη κατὰ πόλεις.* DUKER. Ibid. etiam Polyb. vocat *κατὰ πόλιν διελεῖν τοὺς Βοιωτούς*, et *διαλύσαι τῶν Βοιωτῶν τὸ ἔθνος.* Ceterum *consilio* edd. principes, pro quo *concilio* ed. Basil. anni 1554: recte substituit: intelligitur enim communis respublica conjunctorum populorum, quod *concilium* dicitur. Vide Gronov. ad 44, 2, 5.

§. 8. *Principio hiemis Romam redierunt*] Polyb. ibidem: *Ταῦτα διαπραξάντες ἐν τοῖς Ἕλλησι κατὰ χειμῶνα, καὶ τῷ Ποπλίῳ συμμίξαντες ἀπέπλεον εἰς τὴν*

tus in Graeciam trajiceretur, missum est. Marcius et Atilius, peractis, quae agenda in Graecia erant, principio hiemis Romam redierunt.

1 XLV. Inde legatio sub idem tempus in Asiam
2 circum insulas missa. tres erant legati, Ti. Claudius, P. Postumius, M. Junius. ii circumeuntes hortabantur socios ad suscipiendum adversus Persea pro Romanis bellum: et, quo quaeque opulentior civitas erat, eo adcuratius agebant, quia minores secuturae
3 majorum auctoritatem erant. Rhodii maximi ad omnia momenti habebantur, quia non favere tantum, sed adjuvare etiam viribus suis bellum poterant, quadraginta navibus auctore Hegesilocho compara-
4 tis. qui, quum in summo magistratu esset, (Prytanin ipsi vocant) multis rationibus pervicerat Rhodios,

Ῥώμην. Casaubonus vertit: *His rebus per hiemem in Graecia gestis*. Ursinus in Notis in Polyb. distinctionem ante et post *κατὰ Χειμῶνα* posuit, et haec non cum *διαπραξάντες*, sed cum *ἀπέπλεον εἰς τὴν Ῥώμην* conjunxit, ut inter Livium et Polybium conveniret, puto. DUKER.

§. 1. *In Asiam circum insulas missa*] Cum his conferendus est Polyb. Exc. Legat. num. 64. *Κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς ἐπιπορευόμενοι τὰς νήσους καὶ τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν πόλεις*. Ex quibus verbis hic legendum videtur *in Asiam et circum insulas* in quo mihi consentit Cl. Dukerus.

T. Claudius, P. Postumius, M. Junius] Romanos legatos, quos hic nominat Livius *T. Claudium, P. Postumium*. Polyb. in Fragm. 61 edit *ὁι περὶ τὸν Τιβέριον καὶ Ποσούμιον*, ut *Ti. Claudius* videatur apud Livium scribendum esse. URSINUS. *T. Claudius* edd. principes. *Ti. Claudius* Sigonius; quem nulli editorum audierunt ante Gronov. licet interim Ursinus in notis tum ad hunc loc. tum ad Polyb. eamdem lectionem restituendam docuerit. V. ad 40, 59, 5. Displicet etiam alterius legati praenomen *P*. Id enim licet in gente Postumia obcurrat supra 2, 16. nullum tamen vel hoc, vel proximis temporibus *P. Postumium* invenio. Videtur igitur legendum *Sp. Postumius*; ut prior duarum literarum, quibus id praenomen notari solet, intercepta sit ab ultima vocis praecedentis; quemadmodum integrum illud praenomen eliditur partim ab ultima litera praecedentis, partim a prima sequentis vocis. V. ad 39, 6, 2. Plures autem Spurii Postumii circa haec tempora apud Livium memoran-

ut, omissa, quam saepe vanam experti essent, regum fovendorum spe, Romanam societatem (unam tum in terris vel viribus, vel fide stabilem) retinerent. *Bellum inminere cum Perseo: desideraturos Roma-* 5
nos eumdem navalem adparatum, quem nuper An-
tiochi, quem Philippi ante bello vidissent. trepidatu- 6
ros tum repente paranda classe, quum mittenda es-
set; nisi reficere naves, nisi instruere navalibus so-
ciis coepissent. Id eo magis enise faciendum esse,
ut crimina delata ab Eumene fide rerum refellerent. 7
His incitati, quadraginta navium classem instructam ornatamque legatis Romanis advenientibus, ut non exspectatam adhortationem esse adpareret, ostende- 8
runt. Et haec legatio magnum ad conciliandos animos civitatium Asiae momentum fuit. Decimius

tur. Tertium legatum *M. Junium* non memorat Polyb.

§. 3. *Auctore Hegesilo*] Apud Polyb. vocatur hic Ἡγησίλοχος. Ergo ex utroque alter est corrigendus; ut apud Polyb. sit Ἡγησίλοχος, apud Livium *Hegesilocho*. URSIN. ad Polyb. exc. Legat. num. 64. Recte Ursinum *Hegesilochi* nomen Polybio et Livio restituisse, ex ipso illo Polybii loco doceri potest. Ibidem enim testatur, eum, cujus nomen in fragmento hoc corruptum est, postea legatione Romana functum esse. Nullus autem *Gesilochus* vel *Hegesilus* legatus obcurit, at *Hegesilochus* in Exc. Legat. num. 73. Quin et Ἀγεσίλοχος a Rhodiis legatus Romam missus memoratur iterum ibid. num. 80. ubi similiter Ἡγησίλοχος Ursinus reponendum docuit.

§. 4. *Pervicerat Rhodios, ut, omissa*] Malim *pervicerat, Rhodii ut, omissa*, etc. Saepissime enim *pervincere* pro obtinere, persuadere apud Livium obcurrit, sed semper sine casu. Ita 2, 40, 2. *Pervicere certe, ut et Veturia et Volumnia secum in castra hostium irent.* 4, 12, 3. *Neque, ut de agris dividendis plebi referrent consules ad senatum, pervincere potuit.* c. 16, 6. *Pervicerunt igitur, ut tribunorum militum comitia haberentur.* c. 30, 15. *Pervicere tribuni, ut consules de bello ad populum ferrent.* c. 55, 5. *Pervincunt, ut senatusconsultum fiat de tribunis militum creandis.* 10, 24, 9. *Ipsa virtus pervicerit, ne in ullo genere hominum inhonorata esset.* 22, 9, 8. 23, 5, 1. 9, 9. 26, 38, 11. 32, 28, 8. 33, 16, 3. 42, 18, 6. aliisque locis.

§. 8. *Ad conciliandos animos civitatum*] Ita primus edidit Curio. Edd. antiquiores praeferunt

unus sine ullo effectu, captarum etiam pecuniarum ab regibus Illyriorum suspicione infamis, Romam rediit.

1 XLVI. Perseus, quum a conloquio Romanorum in Macedoniam recepiſſet sese, legatos Romam de inchoatis cum Marcio conditionibus pacis misit: et Byzantium et Rhodum literas legatis ferendas dedit. 2 In literis eadem sententia ad omnes erat: *conlocutum se cum Romanorum legatis.* quae audiſſet, quaeque dixiſſet, ita disposita, ut superior fuiſſe in dis- 3 ceptatione videri poſſet. Apud Rhodios legati addiderunt, *Confidere pacem futuram. auctoribus enim Marcio atque Atilio, missos Romam legatos. Si pergerent Romani contra foedus movere bellum, tum omni gratia, omni ope enitendum fore Rhodiis, ut* 4 *reconcilient pacem. Si nihil deprecando proficiant, id agendum, ne omnium rerum jus ac potestas ad*

civitatium, ut saepe antea monui. V ad 33, 20, 11.

§. 1. *Byzantium et Rhodum literas legatis ferendas dedit*] Hic aliquid corruptum esse, vel excidisse, monet Crevierius. Id autem probare putat primo ea, quae sequuntur, *In literis eadem sententia ad omnes erat.* Vocem enim *omnes* latius quid sonare, quam ut de duabus tantum civitatibus, Byzantio et Rhodo, dici possit: secundo Polybium, ex quo haec omnia descripta sunt, significare Exc. Legat. num. 65. plures fuisse populos, ad quos haec literae missae fuerint. Postquam enim exposuit, quid literae continerent, eum subjungere: *πρὸς μὲν οὖν τοὺς ἄλλους δι' ἀντῶν τῶν γραμματοφόρων ἔπεμπε τὰς ἐπιστολάς· εἰς δὲ τὴν Ῥόδον καὶ πρεσβευτὰς συναπέστειλεν.* Hunc igitur Livii locum culpa librariorum deformatum, ejusque sententiam ex Polybio refingendam esse.

§. 2. *Quae audisset, quaeque dixisset, ita disposita*] Fortassis *exposita*. Polybius tamen [ibid.] *κατέταττεν εἰς τὴν ἐπιστολήν.* J. FR. GRON.

§. 3. *Si pergerent Romani contra foedus* etc.] Polyb. l. laud. *Ἐὰν δὲ Ῥωμαῖοι παρὰ τὰς συνθήκας ἐγχειρῶσι τὰς χεῖρας ἐπιβάλλειν τῷ Περσεῖ καὶ Μακεδόσιν, πειρᾶσθαι διαλύειν.*

§. 4. *Quum ceterorum id interesse, tum praecipue*] Polyb. ibid. *Τοῦτο γὰρ πᾶσι μὲν συμφέρειν, πρέπειν δὲ μάλιστα Ῥοδίοις.*

unum populum perveniat. Quum ceterorum id interesse, tum praecipue Rhodiorum, qui plus inter alias civitates dignitate atque opibus excellant: quae serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos, respectus. Magis et literae et verba 5
legatorum benigne sunt audita, quam momentum ad mutandos animos habuerunt: potentior esse partis melioris auctoritas coeperat. Responsum ex decreto est: *Optare pacem Rhodios. si bellum esset, ne* 6
quid ab Rhodiis speraret aut peteret rex, quod veterem amicitiam, multis magnisque meritis pace belloque partam, disjungeret sibi ab Romanis. Ab Rho- 7
do redeuntes, Boeotiae quoque civitates, et Thebas, et Coroneam, et Haliartum, adierunt: quibus expressum invitis existimabatur, ut, relicta regia societate, Romanis adjungerentur. Thebani nihil moti 8
sunt: quamquam nonnihil, et damnatis principibus,

Qui plus inter alias civitates dignitate atque opibus excellant] Observat Crevierius, si hoc modo legatur, vacare τὸ *plus*. Legit igitur *quo plus*. et laudat locum Polyb. ibid. ὅσῳ γὰρ πλεῖον ὑπερέχονται τῆς ἰσηγορίας καὶ παῤῥησίας, καὶ διατελοῦσι προσατοῦντες οὐ μόνον τῆς αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερίας.

Quae serva atque obnoxia fore] Ita legunt edd. principes. *forent* substituit ed. Paris. anni 1573. pro quo Gronov. anno 1665. priscam lectionem reposuit. Verum antea ad Senec. 3. de Ira 8. monuit, se emendare *omnia serva atque obnoxia fore*. At memoriae culpa ibi *omnia*, pro *quae*, laudasse videtur. De significatione vocis *obnoxius* pluribus eo loco egit. Adde, quae notantur ad 7, 32, 2.

§. 6. *Disjungeret sibi ab Romanis*] Ita Clericus edidit. Priores *dijungeret*. V. ad c. 59, 4.

§. 7. *Ab Rhodo redeuntes, Boeotiae quoque civitates, et Thebas, et Coroneam, et Haliartum, adierunt*] Alios legatos Rhodum, alios in Boeotiam missos esse, Polybius narrat. Nam εἰς τὴν Ῥόδον πρεσβευτὰς συναπέστειλεν Ἀντήνορα καὶ Φίλιππον. Vide Exc. Legat. num. 65. in Boeotiam vero Ἀντίχονον ἐξαπέστειλε τὸν Ἀλεξάνδρου πρεσβευτήν. Vide ibid. num. 66. quod fragmentum cum hac parte Livii conferendum est. Quum autem ibid. in cod. scriptum fu-

9 et restitutis exsulibus, succensebant Romanis. Coronaei et Haliartii, favore quodam insito in reges, legatos in Macedoniam miserunt, praesidium petentes, quo se adversus inpotentem superbiam Theba-
10 norum tueri possint. Cui legationi responsum ab rege est, *praesidium se propter inducias cum Romanis factas mittere non posse: tamen suadere, ita a Thebanorum injuriis, qua possent, ut se vindicarent, ne Romanis praeberent caussam in se saeviendi.*

1 XLVII. Marcius et Atilius Romam quum venissent, legationem in Capitolio ita renunciarunt, *ut* nulla re magis gloriarentur, quam decepto per in-
2 ducias et spem pacis rege. *Adeo enim adparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, ut omnia opportuna loca praeoccupari ante ab eo potue-*
3 *rint, quam exercitus in Graeciam trajiceretur. Spatio autem induciarum sumto, venturum illum ni-*

issset ἐις δὲ Κορώνειαν καὶ Θῆβας, ἔτι δ' Ἀνάρτου, et Ursinus Ἁλιάρτου, pro Ἀνάρτου, legendum monuisset, postea Casaub. non recte mediae civitatis nomini asteriscum adposuit, idque in interpretatione omisit, verba ita reddens *Coroneam vero atque Haliartum adiit;* quum Livius hic *Thebarum* etiam meminerit.

§. 6. *Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum regis*] Alios sequi videtur auctores, quam quos secutus est l. 5, [27.] ubi de magistro proditore loquitur; non enim liberos eos fuisse regis significat, sed principum Faleriorum. Idem tradit Plutarchus [in Camill. pag. 133.] SIGON. Vox ultima adversatur narrationi Livianae l. 5, 27. quare videri potest inepti alicujus magistelli partus. GRUTER. Sigonius hic Livium alios sequi putat auctores, quam quos secutus sit l. 5. ubi de magistro proditore loquitur. Gruterus ultimam vocem delet. Quid si legamus: *proditorem liberorum magistrum?* J. FR. GRONOV. Vir doctus conjicit, *proditorem liberorum. Leges has Romanas esse.* Sed seniores et antiquorum morum memores de moribus, non de legibus Romanorum loquuntur, et mores priscorum Romanorum cum moribus suae aetatis hominum comparant, plane ut Annibal morituras 39, 51. Adde, quod insolens genus loquendi est *leges* (id enim in hac conjectura repetendum

hilo paratiorem; Romanos omnibus instructiores rebus coepturos bellum. Boeotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus possent. Haec, ut summa ratione acta, magna pars senatus adprobabat: veteres et moris antiqui memores negabant, *se in ea legatione Romanas agnoscere artes. Non per insidias et nocturna proelia, nec simulatam fugam inprovisosque ad incautum hostem reditus, nec ut astu magis, quam vera virtute, gloriarentur, bella majores gessisse. indicere prius, quam gerere, solitos bella, denunciare etiam; interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum, vitae ejus insidiantem: eadem Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum regis. Haec Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Graecae: apud quos fallere hostem, quam*

4 5 6 7

foret) *versutiarum Punicarum et calliditatis Graecae.* Si quid mutandum esset, sufficeret pro *Romana* legi *Romanorum.* Sed verba satis sana esse credo. De re ipsa, quod post conatus virorum doctissimorum dicam, non habeo. DUK. Livium prioribus narrationibus interdum contraria postea narrare, quod alios hoc, alios illo loco auctores secutus sit, non diffiteor. Exempla vide ad 1, 7, 12. 5, 54, 7. 7, 32, 9. 10, 3, 2. aliisque locis. Id tamen utrum hic cum Sigonio statuendum sit, vehementer dubito, quia nondum legi scriptorem antiquum, qui tradiderit, liberos regis Faliscorum fuisse, quos magister Romanis prodidit: omnes enim testantur, fuisse liberos principum Faliscorum, vel simpliciter liberos Faliscorum. Vide Flor. 1, 12, 5. et quos ibi laudat Freinshem. Adde Polyaen. 8. Strat. 7, 1. Dion. Coccej. in Exc. Peiresc. p. 579. et Zonar. 7. Annal. 22. Quin etiam ex nullo scriptore probari potest, Faliscos eo tempore regi paruisse. Nimis etiam temerarium videtur, ut cum Grutero vocem *regis*, tamquam a glossatore additam, delcamus. Haud alienus itaque sum a sententia eorum, qui locum corruptum esse, et vocem *regis* in menda cubare judicant. Pro ea *principum* legebat Clericus ex lib. 5, 27, 1. ac putabat, *princip.* mutatum esse in *regis* a librario, qui *principem* et *regem* idem credebat. Utrum vero haec, an Gronovii conjectura probanda,

8 *vi superare, gloriosius fuerit. Interdum in praesens tempus plus profici dolo, quam virtute: sed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed conlatis cominus viribus, justo ac pio bello esse superatum.* 9 Haec seniores, quibus nova haec minus placebat sapientia. vicit tamen ea pars senatus, cui potior utilis, quam honesti, cura erat, ut comprobaretur prior legatio Marcii, et eodem rursus in Graeciam cum quinqueremibus remitteretur, jubereturque ce- 10 tera, uti e republica maxime visum esset, agere. *A.* quoque Atilium miserunt ad occupandam Lariſſam in Theſſalia, timentes, ne, si induciarum dies exiſſet, Perseus, praesidio eo miſſo, caput Theſſaliae 11 in poteſtate haberet. Duo millia peditum Atilius ab Cn. Sicinio accipere ad eam rem agendam juſſus.

an alia ratione loco huic subveniendum sit, in re ancipiti aliorum judicio committo.

§. 8. *Justo ac pio bello esse superatum*] Ita Frob. anno 1535. edidit. Sed princeps editio praefert *justo ac pio esse bello superatum*.

§. 9. *Et eodem rursus in Graeciam cum quinqueremibus remitteretur*] Videtur excidiſſe numerus quinqueremium, sive de quinqueremibus ad bellum accipiatur, sive, quod verisimilius puto, de iis, quae legatis ad exteros miſſis dari solebant; de quibus vide 30, 26. et 31, 11. Etiam videndum censeo, an ex his duobus *eodem* et *in Graeciam* alterum supervacaneum sit. Mihi *in Graeciam* magis suspectum eſt, quam *eodem*. DUK. Voces *in Graeciam* a mala manu additas eſſe, et numerum quinqueremium excidiſſe, exiſtimat etiam Crevierius. Contra vero *in Graeciam* servandum, sed pro *eodem* legendum eſſe *idem*, scilicet Marcius, ad marginem Livii adscripsit Ant. Perizonius. Verisimile autem et mihi videtur, navium numerum, quibuscum Marcius in Graeciam missus sit, non ipsius Livii, sed librariorum neglegentia omiſſum eſſe. Supra hoc libro cap. 27. senatus decrevit, ut quinquaginta quinqueremium claſſis inſtrueretur. mox vero cap. 48. refertur, Lucretium praetorem cum quadraginta quinqueremibus ab urbe profectum eſſe, quia ex refectis navibus alias in alium usum retineri ad urbem placuit. Reliquas igitur decem, vel quasdam earum Marcio tributas fuiſſe puto. Interim tamen obser-

et P. Lentulo, qui ex Achaja redierat, trecenti mi- 12
lites Italici generis dati, ut Thebis daret operam, ut in poteſtate Boeotia eſſet.

XLVIII. His praeparatis, quamquam ad bellum 1
conſilia erant deſtinata, senatum tamen praeberi legatis placuit. Eadem fere, quae in conloquio ab 2
rege dicta erant, relata ab legatis. Insidiarum Eumeni factarum crimen, et maxima cura, et minime tamen probabiliter, (manifeſta enim res erat) defensum. Cetera deprecatio erat: sed non eis animis 3
audiebantur, qui aut doceri, aut flecti poſſent. Denunciatum, extemplo moenibus urbis Romae, Italia intra trigesimum diem excederent. P. Licinio deinde 4
consuli, cui Macedonia provincia obvenerat, denunciatum, ut exercitui diem primam quamque diceret ad conveniendum. C. Lucretius praetor, cui 5

vandum, infra etiam cap. 56. referri, Q. Marcium Chalcidem veniſſe *cum navibus*, non addito itidem earum numero.

§. 10. *Praesidio misso, caput Thessaliae in poteſtate haberet*] *praesidio eo misso* inpreſſi usque ad Gronovium, qui *τὸ eo* omisit, sive id de induſtria fecerit, sive, quod potius videtur, scribarum culpa acciderit. Voculam igitur, a nullo recentiorum reſtitutam, Livio reddidi.

§. 12. *Treceni milites Italici generis dati*] Numeralia diſtributiva pro cardinalibus poni, vidimus ad 4, 16, 6. et ita *treceni milites* hic accipi poſſunt pro trecenti. Utrum tamen haec lectio vera sit, merito dubito. Primae edd. per notas habent *CCC milites*, poſtrema Gruteri *treceni milites*, quod reliqui omnes servarunt. Verum id si permittatur, eodem jure paſſim in hac parte operis Liviani, ubi primae edd. exhibent notas numerales, diſtributiva admitti possunt, quod absurdum puto. Emendavi igitur *trecenti milites*. Eumdem errorem eadem Gruteri ἔκδοσις saepius commisit. V. infra ad cap. 66, 5.

§. 1. *Quamquam ad bellum conſilia* etc.] Conferendus cum his Polybius in Exc. Legat. num. 68. unde conſtat, Persei legatos adpellatos eſſe Solonem et Hippiam.

§. 3. *Denunciatum, extemplo moenibus urbis*] Polybius (Exc. Legat. num. 68.) Προσέταξαν αὐτοῖς ἐκ μὲν τῆς Ῥώμης ἐνδέως ἀπαλλάττεσθαι καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι Μακεδόσιν, ὅσοι παρεπιδημοῦντες ἐτύγχανον· ἐκ δὲ τῆς Ἰτα-

classis provincia erat, cum quadraginta quinqueremibus ab urbe profectus: nam ex refectis navibus alias in alium usum retineri ad urbem placuit. 6 Praemissus a praetore est frater Lucretius cum quinquereme una: jussusque, ab sociis ex foedere accepti navibus, ad Cephalleniam classi obcurrere. 7 ab Rheginis triremi una, ab Locris duabus, ab Uritibus quatuor, praeter oram Italiae supervectus Calabriae extremum promontorium in Iönio mari, Dyrrhachium trajicit. 8 Ibi decem ipsorum Dyrrhachinorum, duodecim Issaeorum, quinquaginta quatuor Gentii regis lembos, nactus, simulans se credere, eos in usum Romanorum comparatos esse, omnibus abductis, die tertio Corcyram, inde protinus in Cephalleniam trajicit. 9 C. Lucretius praetor ab Neapoli profectus, superato freto, die quinto in Cephalle- 10 niam transmisit. Ibi stetit classis, simul opperiens, ut terrestres copiae trajicerentur, simul, ut onera-

λίας ἐν τριάκονθ' ἡμέραις ἐκχωρεῖν. Appianus [in Exc. Legat. num. 25.] Ὁ δὲ ὕπατος ἐκέλευε τοὺς πρέσβεις ἐκ μὲν τῆς πόλεως ἀντῆς ἡμέρας, ἐκ δὲ τῆς Ἰταλίας τριάκοντα ἄλλαις ἐξιέναι· τὰ δὲ ἀυτὰ καὶ τοῖς ἐπιδημοῦσι Μακεδόνων ἐκήρυττε· καὶ Σύρυβος ἀυτίκα μετὰ τὸ βουλευτήριον ἐπίφθονος ἦν ἐν ὀλίγαις ὥραις ἐλαυνομένων τοσῶνδε ὁμοῦ. καὶ ὁυδὲ ὑποζύγια ἐυρεῖν ἐν ὁυτω βραχεῖ διαστήματι, ὁυδὲ πάντα φέρειν δυναμένων· ὑπὸ δὲ σπουδῆς οἱ μὲν ὁυκ ἔφθανον ἐπὶ τοὺς σκάφους, ἀλλ' ἐν μέσαις ἀνεπάυοντο ταῖς ὁδοῖς· οἱ δὲ παρὰ ταῖς πύλαις μετὰ παίδων ἑαυτοὺς ἐρρίπτουν, καὶ μετα γυναικῶν. URSINUS.

§. 6. *Praemissus a praetore est frater Lucretius*] Excidit praenomen una litera designatum. Scribe *frater M. Lucretius*. Sic appellatur infra c. 56. J. FR. GRON. Fratri huic praetoris praenomen *Marci* fuisse, credit etiam Pighius in Annal. ad A. V. 1011XXXI. pag. 364. Insuper autem existimat, eum esse M. Lucretium, qui anno praecedenti tribunus plebis rogationem promulgavit, ut censores agrum Campanum fruendum locarent, supra cap. 19. filium M. Lucretii tribuni plebis, cujus meminit Livius 27, 5. Clericus et Crevierius Gronovii conjecturam receperunt.

§. 7. *Ab Rheginis triremi una,*

riae, ex agmine suo per altum dissipatae, consequerentur.

XLIX. Per hos forte dies P. Licinius consul, vo- 1
tis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna di- 2
gnitate ac majestate geritur: praecipue tamen convertit oculos animosque, quum ad magnum nobilemque, aut virtute aut fortuna, hostem, euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officii 3
modo cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cujus imperio consilioque summam rempublicam tuendam permiserunt. Subit deinde 4
cogitatio animum, qui belli casus, quam incertus fortunae eventus, communisque Mars belli sit: ad- 5
versa, secunda, quaeque inscitia et temeritate ducum clades saepe acciderint; quae contra bona prudentia et virtus adtulerit. Quem scire mortalium, 6
utrius mentis, utrius fortunae consulem ad bellum

ab Locris duabus, ab Uritibus quatuor] Turnebus (30. Advers. 37.) *a Brutiis*. Cluverius (4. Ital. Ant. 14. pag. 1265.) *ab Thuriis*. Forte *ab Uriatibus*. Uria Apuliae oppidum: unde Urias sinus. J. FR. GRON. Gronovii conjectura Doujatio displicet, partim quod Uria Apulorum non fuerit oppidum opibus maritimis clarum, partim quod a Rheginis ac Locris hic memoratis remotius sit: ipse vero conjicit *ab Veliatibus*. Sed vicissim in animum inducere nequeo, Livium ultimo loco memorasse Veliates, qui Roma Locros abeunti primi obcurrebant. Quaerendum itaque puto locum inter Locros et Calabriae extremum promontorium in mari Ionio; is vero qui fuerit, non invenio. Ceterum *ab Rheginis triremis* est triremis Rheginorum. Ita *ab sociis naves* sunt naves sociorum infra c. 56, 6. *fides a consule*. Vide ad 27, 5, 6. *literae a Porcio*. V. ad 27, 39, 1. *principes a Cora* 2, 22, 2. Forte etiam excidisse potuit vox *exactis*. Supra 36, 42, 2. *Quum ab Rheginis, Locrisque, et ejusdem juris sociis debitas exegisset naves*.

§. 2. *Praecipue tamen convertit oculos*] Vox *tamen* exsulat ab edd. vett. Eam primum vidi in Lugdun. anni 1553. tum Paris. anni 1573. et hinc in reliquis.

§. 3. *Summam P. R. tuendam commiserunt*] Inversae li-

mittant? triumphantemne mox cum exercitu victore scandentem Capitolium ad eosdem Deos, a quibus proficiscatur, visuri; an hostibus eam praebituri
7 laetitiam sint? Persi autem regi, adversus quem ibatur, famam et bello clara Macedonum gens, et Philippus pater, inter multa prospere gesta Romano etiam nobilitatus bello, praebebat; tum ipsius Persei numquam, ex quo regnum accepisset, desitum belli ex-

terae sunt, *Reip.* legendum est, non *populi Romani.* SIG. *summam P. R.* in solis inveni Basil. anni 1539. et 1554. omnes priores *summam R. P.* quod quidem Sigonius hic reddit *summam reipublicae*, sed rectius in contextu *summam rempublicam.* V. ad 38, 50, 9.

§. 7. *Persi autem regi*] Ita edd. principes. Postea Lugdun. anno 1553. substituerunt *Perseo*; quod Paris. anno 1573. eosque secuti reliqui servarunt usque ad Gronovium, licet interim Sigonius et alii priorem lectionem revocassent. Post Gronovium, qui et ipse eam Livio reddidit, nihilominus Hearnius iterum *Perseo* adoptavit. Vide ad c. 25, 2.

Inter multa prospere gesta] Haec est editionis principis lectio. Sed quadriennio post Frob. vulgavit *prospera gesta*; id vero obtinuit usque ad Modium, qui priorem lectionem reduxit, servantibus eam deinceps omnibus editoribus. Et recte. Supra 22, 28, 13. *Tantum animorum fecerat prospere ante paucos dies res gesta.* 29, 30, 7. *Fama hujus modicae rei in principio rerum prospere actae.* ubi quidam codd. *prosperae actae.* 43, 11, 1. *Haec et alia haud prospere in Macedonia gesta.* Eodem cap. §. 9. *Quas res ea aestate prospere gessisset rex Perseus.*

§. 9. *C. Claudius, Q. Mucius*] De tribunis militum consularibus vide ad 36, 17. Quod hi cum consule *missi* dicuntur, indicio est, id ex senatusconsulto factum fuisse. Nam, tribunos militum interdum ex SCto lectos et creatos fuisse, e cap. 35. et 44, 21. constat. Sed Q. Mucium deinde cap. 67. *legatum consulis* vocat. DUKER.

Et duo Manlii Acidini. alter M. Manlii, alter L. Manlii filius erat] Atqui nullus *Marcus* Manlius post Capitolinum, quum decreto gentis id praenomen abdicasset gens Manlia. Forsan igitur: *alter Manii, alter L. Manliorum filius erat.* J. FR. GRONOV. Nisi forte codicum adserendae lectioni placeat, hos Manlios Acidinos non fuisse e patriciis, sed e plebejis Manliis. SPANHEM. de Praest. et Usu Numism. Dissert. 6. pag. 518. ed. secundae. Quod si ulla unquam conjectura processit temere, haec utique illa est, ut perspicue suo loco demonstrabitur ab aliis, quorum doctrinam reveremur. JAC. GRON. Conjecturae J. Fr. Gronovii obstat, quod neque Manliorum Acidinorum, neque alio-

exspectatione celebrari nomen. cum his cogitationi- 8
bus omnium ordinum homines proficiscentem consulem prosecuti sunt. Duo consulares tribuni mili- 9
tum cum eo missi, C. Claudius, Q. Mucius; et tres
inlustres juvenes, P. Lentulus, et duo Manlii Acidini.
alter M. Manlii, alter L. Manlii filius erat. Cum iis 10
consul Brundisium ad exercitum, atque inde, cum
omnibus copiis transvectus, ad Nymphaeum in Apol-
loniati agro posuit castra.

rum totius gentis Manliae quisquam praenomine *Manius* invenitur. Jacobo respondet Spanhem. in postr. edit. de Praest. et Us. Numism. Diss. 10. pag. 33. et 34. Sed quod vir summus ibi, quod in priore edit. scripserat, ita defendit, ut dicat, aliquem e Manliis Acidinis patriciis ad Manlios plebejos (qui scil. praenomen *Marci* non repudiaverant) adoptione vel alia de causa transferri potuisse, probabilius esset, si ostendi posset, in gente Manlia plebeja quoque cognomen Acidini fuisse. Mihi non dubium quidem est, praenomen Manlii hic corruptum esse; sed an aliquis demonstraverit, conjecturam Spanhemii temere processisse, juxta atque ipse scio, qui sibi id incompertum testantur. Alter horum Manliorum potuit esse filius L. Manlii Acidini Fulviani, qui A. V. IDLXXIV. cum Q. Fulvio Flacco consul fuerat, 40, 43. DUKER. Spanhemius in ultima ed. operis eximii de Praest. et Usu Numism. defensurus id, quod in priori ed. vindicandae vulgatae Livii lectioni *alter M. Manlii*, *alter L. Manlii* adtulerat, statuit, licet Manlii Acidini inter patricios Manlios olim relati fuerint, id non obstare tamen, quin, uti subinde a Romanis factum est, unus e dictis Manliis Acidinis e patriciis ad plebejos Manlios, adoptione, seu alia de causa, transferri potuerit: adversus quem observo, licet saepe patricius adoptatus fuerit a plebejo, et contra plebejus a patricio, inde tamen evenire non potuisse, ut gens partim plebeja, partim patricia evaderet. Nam, exempli gratia, Manlius patricius a plebejo adoptatus ipse quidem plebejus fiebat; verum tantum abest, inde partem gentis Manliae factam esse plebejam, ut contra idem ille, a plebejo adoptatus, amissa gente sua, ad gentem patris adoptivi transire, ejusque nomina adsumere debuerit. Adsentior vero eidem Spanhemio, id alia de causa fieri potuisse, et quidem transitione a patriciis ad plebem. Ita, Minucium a Patribus ad plebem transisse, ex aliorum sententia narrat Liv. 4, 16, 3. *Hunc Minucium apud quosdam auctores transisse a Patribus ad plebem, undecimumque tribunum plebis cooptatum seditionem motam ex Maeliana caede sedasse invenio.* De gente Octavia idem narrat Sueton. Aug. 2. *Gens Octavia a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes adlecta, in senatum mox a Ser. Tullio in patricios transducta, procedente tempore ad*

1 L. Paucos ante dies Perseus, postquam legati, ab Roma regressi, praecciderant spem pacis, consilium habuit. Ibi aliquamdiu diversis sententiis cer-
2 tatum est. Erant, quibus vel stipendium pendendum, si injungeretur, vel agri parte cedendum, si multarent, quidquid denique aliud pacis causa patiendum esset, non recusandum videretur, nec committendum, ut in aleam tanti casus se regnumque daret.
3 *Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempusque adferre posse, quibus non amissa modo recuperare, sed timendus ultro iis esse, quos*

plebem se contulit: ac rursus magno intervallo per Divum Julium in patricialum rediit. Potuit igitur transitione ad plebem factum esse, ut Manlii Acidini partim plebeji fuerint, partim patricii; an tamen revera factum sit, vehementer dubito, quum non modo nondum omni exceptione majori argumento probatum sit, Manlios partim patricios, partim plebejos, verum etiam nondum aliunde constet, ullos Manlios Acidinos plebejos fuisse. Cum Dukero itaque credo, licet nec J. Fr. Gronovii conjectura placeat, praenomen Manlii *M.* corruptum esse. Pro eo *Cn.* scribendum censerem, quia praenominum illorum notae *M.* et *Cn.* saepe commutantur, ut vidimus ad 7, 12, 3. si illo praenomine, quod Manliis Capitolinis, Vulsonibus, aliisque in usu fuit, etiam Manlios Acidinos usos esse constaret. Nunc igitur judicium sustinere malo. Sed aliud adhuc hoc loco restat. Videtur enim a more Livii abhorrere, duos hos Manlios patrum praenominibus designari, ipsa eorum praenomina omitti; accedit trium tribunorum militum praecedentium praenomina addita esse. Forte igitur hic etiam praenomen excidit, et legendum est *et duo L. Manlii Acidini.*

Cum iis consul Brundisium ad exercitum] Verbum huic sententiae deest. Forte legendum *ad exercitum venit*, vel potius *abiit.*

§. 1. *Consilium habuit*] Ita antiquiores typis descripti. Modius, Gruterus, et alii *concilium.* Sed recte Gronov. ad 44, 2, 5. errorem hunc corrigendum, et legendum censuit *consilium*; quod etiam anno 1665. in contextum recepit.

Aliquam diversis sententiis certatum est] *aliquamdiu diversis.* SIGON. Illud *diu*, a Sigonio recte additum, interceptum erat a primis literis vocis sequentis *diversis.*

§. 6. *Karthaginiensium opes fregisse sese*] Clarissimo Crevierio vox *sese* redundat, et nata esse videtur ex vitiosa repetitione ultimarum literarum verbi praecedentis. Verius tamen puto, pronomen servandum esse. Pendent enim haec a praeceden-

nunc timeret, posset. Ceterum multo major pars 4
ferocioris sententiae erat: *Quidquid cessisset, cum eo simul regno protinus cedendum esse,* adfirmabant. *Neque enim Romanos pecunia aut agro egere: sed* 5
hoc scire, quum omnia humana, tum maxima quaeque et regna et imperia sub casibus multis esse. Karthaginiensium opes fregisse sese, et cervicibus eo- 6
rum praepotentem finitimum regem inposuisse: Antiochum progeniemque ejus ultra juga Tauri remotum. Unum esse Macedoniae regnum, et regione 7
propinquum, et quod, sicubi populo Romano sua

tibus hoc modo: Romanos scire, sese opes Karthaginiensium fregisse, et cervicibus eorum praepotentem finitimum regem (intelligitur Masinissa) inposuisse. Tolle jam pronomen *sese*, et vide, num commodus sensus in his verbis inveniri possit.

Ultra juga Tauri remotum] Nisi dixit *emotum*, ut lib. 37, [53, 25.] *Ultra Tauri juga Antiochum emostis.* Et rursus 38, [47, 11.] *Antiocho ultra Tauri juga emoto.* Item [c. 48, 1.] *Quo longius Antiochus emotus esset.* Et [42.] cap. 42, 6. J. FR. GRON. Verbum illud Livio frequens est. 30, 23, 1. *Emotis deinde curia legatis.* ubi plura vide. 38, 12, 4. *Nequidquam Antiochus emotus ultra juga Tauri montis esset.* c. 53, 3. *Antiochum ultra Tauri juga emovit.* 41, 21, 11. *Si morbus pestilentiaque ex agro Romano emota esset.* 45, 15, 4. *Omnibus quinque et triginta tribubus emovere posse.* Eodem cap. *Plures, quam a superioribus, senatu emoti sunt.* V. Cel. Burm. ad Sulpiciae Satyr. vers. 26. qui ibi laudavit Lambin. et Torrent. ad Horat. 4. od. ult. vers. 11.

§. 7. *Sicubi populus Romanus sua fortuna labet*] Fortassis: *et quod, sicubi populi Romani fortuna labet, sua fortuna antiquos animos regibus suis videatur posse facere.* J. FR. GRON. Sic *labantem fortunam populi Romani* dicit 26, 41, 17. Perizonius ad Sanctii Minerv. 2, 12, 1. nihil mutat, nisi quod pro *populus Romanus* legit *populo Romano.* Non male: nam et minor est mutatio, et *labare* cum dativo personae est 27, 1, 5. *Labare iis fidem adversus Poenos senserat.* et apud alios in Lexicis. Librarii e *P. R.* vel *Po. Rom.* suo arbitratu potuerunt facere *populus Romanus.* DUK. Omnes edd. vetustiores per notas *P. R.* primus deinde Sigonius eas reddidit *populus Romanus*, et hanc veram lectionem esse plerisque reliquis editoribus persuasit. Cl. Perizonius demum, non tantum ad Sanctium, ut jam Dukerus monuit, sed etiam in margine Livii *populo Romano* legendum indicavit. Id postea etiam Clerico in mentem venit, quod recte deinde Crevierius probavit, et in contextum recepit.

fortuna labet, antiquos animos regibus suis videa-
8 *tur posse facere. Dum integrae res ** apud animum suum Persea debere, utrum, singula concedendo, nudatus ad extremum opibus extorrisque regno, Samothraciam aliamve quam insulam petere ab Romanis, ubi privatus superstes regno suo in contemtu*
9 *atque inopia consenescat, malit: an, armatus vindex fortunae dignitatisque suae, ita ut viro forti dignum sit, patiatur, quodcumque casus belli tulerit; aut vi-*
10 *ctor liberet orbem terrarum ab imperio Romano. Non esse admirabilius Romanos Graecia pelli, quam Hannibalem Italia pulsum esse. neque, Hercule, videre, qui conveniat, fratri, adfectanti per injuriam regnum, summa vi restitisse; alienigenis bene parto eo*

§. 8. *Dum integrae res apud animum suum Persea debere*] Imperfectum sensum ita expleveris. *Dum integrae res sint, cogitare apud animum suum Persea debere.* SIG. Duas voces, explendo sensui a Sigonio additas, Clericus et Crevierius in contextum receperunt, diverso tamen charactere inpressas, ut ex conjectura adsumtas esse pateret. Verum primo dicendum erat *Dum integrae res sunt*, non *sint*. Vide ad 1, 40, 7. Deinde, utrum recte dicatur *cogitare apud animum* non nihil dubito: certe, alibi ita Livium loqui, non memini. *secum cogitare* dixit Cic. 4. ad Fam. 5. et Ter. Eun. 1, 1, 19. et alibi. *cum animo suo cogitare* Cic. Orat. 2. Agr. 24. *in animo cogitare* Ter. Ad. 1, 1, 5. Qui praefuit editioni Sigonianae, quae ipso mortuo prodiit Venet. anno 1592. ejecta lectione, quam Sigonius receperat, dedit *dum integrae res sint, apud animum suum Persea statuere debere.* unde facio *dum integrae res sunt, statuere apud animum suum Persea debere.* Locutio autem *statuere apud animum*, vel *apud animum suum* supra obcurrit 6, 39, 11. *Ipsi primum statuerent apud animos, quid vellent.* et 34, 2, 4. *Ego vix statuere apud animum meum possum.*

§. 11. *Postremo ita bello et pace quaeri*] Quin potius *ita bellum et pacem quaeri.* Lib. 1, [27.] de Metio: *Igitur ut prius in bello pacem, sic in pace bellum quaerens.* J. FR. GRON. Doujatius legit *ita bello et pacem quaeri*, id est, bellum necessarium esse ad pacem tolerabilem obtinendam, et tentandam belli sortem, quandoquidem omnium confessione sine bello regnum, abdicare probrosum habetur. Crevierius se sensum aegre, verba nullo modo adsequi posse fatetur. Ego etiam ab integriori codice, vel feliciori in-

cedere. Postremo ita bello et pace quaeri, ut inter 11
omnes conveniat, nec turpius quidquam esse, quam
sine certamine cessisse regno: nec praeclarius quid-
quam, quam pro dignitate ac majestate omnem for-
tunam expertum esse.

LI. Pellae, in vetere regia Macedonum, hoc con- 1
silium erat. *Geramus ergo*, inquit, *Diis bene ju-*
vantibus, quando ita videtur, bellum: literisque cir-
ca praefectos dimissis, Citium (Macedoniae oppidum
est) copias omnes contrahit. ipse centum hostiis sa- 2
crificio regaliter Minervae, quam vocant Alcidem,
confecto, cum purpuratorum et satellitum manu
profectus Citium est. eo jam omnes Macedonum ex-
ternorumque auxiliorum convenerant copiae. Castra 3

genio, medicinam loco huic corrupto sperandum existimo. An forte legendum *ita bello pacem praeferri?*

§. 1. *Citium (Macedoniae oppidum est)*] In Excerptis Strabon. lib. 7. pag. 330. memoratur πόλις Πύδνα, ἡ νῦν Κίτρον καλεῖται. Ad quem locum Palmer. in Exerc. ad Opt. Script. Graec. pag. 302. monet, dubium esse, utrum ex Strabone apud Livium *Citrum*, an ex Livio apud Strabonem *Κίττιον* legendum sit. Sed recte Cl. Wesseling. docuit ad Antonin. Itiner. pag. 328. neutro opus esse: nam Excerpta illa Strabonis esse recentioris Graeculi, qui indicavit, quo nomine urbs, antiquis Pydna vocata, suo tempore adpellata sit. Fuerunt autem duae diversae urbes *Citium* et *Pydna*. Utriusque meminit Livius, prioris hoc loco, posterioris 44, 6. Harum quidem *Pydna* notior est, et apud alios etiam memoratur: at *Citium*, Macedoniae urbem, apud neminem praeter Livium invenio. *Citium* montem circa Aetoliam memorat Livius infra 43, 21.

§. 2. *Minervae, quam vocant Alcidem*] Animo incessit meo libido *Alcidemon* scribendi. nam Λαόσσας vocabatur et Ἀλκιμάχη. quidni etiam Ἀλκίδημος vocari potuerit a Macedonibus? Ut nunc quidem vocabulum formatum est, originem olet Graecam, non tamen integram. Erant et Ἀλκεῖδαι Dii quidam apud Lacedaemonios. TURNEB. 30. Advers. 37. Doujatius legendum censet vel *Alcimum*, id est fortem; vel *Alcidae*, id est Herculis, a quo Macedonum reges originem ducunt. Clariss. Jac. Perizon. ad marginem Livii potius nihil mutabat, et *Alcidem* deducebat a recto *Alcis*. Crevierius Turnebi conjecturam probat, quae mihi quoque verisimilior videtur.

§. 3. *Omnesque armatos in*

ante urbem ponit, omnesque armatos in campo ſtruxit. Summa omnium quadraginta millia armata fuere: quorum pars ferme dimidia phalangitae erant. 4 Hippias Berocaeus praeerat. Delecta deinde et viribus et robore aetatis, ex omni caetratorum numero, duo erant agemata: hanc ipsi legionem vocabant. Praefectos habebant Leonatum et Thrasippum 5 Eulyeſtas. Ceterorum caetratorum, trium ferme

campo struxit] Cur non *instruxit*? J. FR. GRON. *instruere aciem, exercitum* locutiones sunt apud Livium et alios paſſim obviae. Exempla habemus 1, 1, 7. c. 12, 1. 3, 2, 7. 5, 38, 1. 8, 8, 4. c. 38, 8. et alibi saepe. V. ad 3, 8, 8. c. 60, 3. et 25, 4, 4. Verum eodem sensu et simplex *struere* adhibetur. 8, 8. 3. *Hoc postea manipulatim structa acies coepit esse.* 9. 31, 9. *Jam sine praecepto ullius sua sponte struebatur acies.* 42, 7, 4. *Progressi ante portas aciem struxerunt.* Et ita saepe Tacitus, ut 11. Ann. 24, 4. Hiſt. 24. et 5, 11.

Summa omnium quadraginta millia armata fuere] Erratum in summa copiarum Macedonicarum: non enim *quadraginta millia*, sed *quadraginta tria millia* posuit Livius, quum non longe poſt: *Summa totius exercitus triginta novem millia peditum erant, quatuor equitum.* Rotundius Plutarch. [in vit. Aemil. pag. 261.] ἱππεῖς μὲν τετρακισχίλιοι, πεζοὶ δὲ εἰς φάλαγγα τετρακισμυρίων οὐ πολλοῖς ἀποδέοντες. J. FR. GRON. Non repugnarem legenti *armati*, pro armatorum. 28, 2, 4. *Erant autem in Celtibero exercitu quatuor millia scutati. Armati* sunt milites, idoneis ad pugnam armis inſtructi, a quibus diſtinguitur inutilis turba lixarum et calonum. V. Cic. pro Caecin. 21. Liv. 28, 18. 31, 49. Curt. 6, 8, 23. DUK. Recte locum Gronov. emendaſſe videtur. Scriptum fuerat XLIII *armata*, unde factum *XL M.* V. ad 34, 13, 2. Locus tamen Plutarchi, quem laudat, huc non pertinet. In eo enim refert, quibus copiis Perseus inſtructus fuerit, quo tempore cum Aemilio Paullo dimicaturus erat. Id vel ipsa, quae proferuntur, verba docent. Nam secundum Plutarch. πεζοὶ εἰς φάλαγγα, seu pedites *phalangitae*, efficiebant non multo minus, quam quadraginta millia. Contra, ut Livius hic teſtatur, quadraginta, vel quadraginta trium millium armatorum *pars ferme dimidia phalangitae erant.*

Hippias Bereus praeerat] *Berocaeus*, ut ante. SIGON. Vide ad cap. 58, 7.

§. 4. *Hanc ipsi legionem vocabant*] 30, 26. et 33. *legionem* vocat quatuor millia militum, a Philippo Carthaginiensibus auxilio miſſa. Sed ibi legionem dicit manum peditum, ut saepe aliorum populorum. *Legio Fidenatium* 1, 27, 5. *Legiones Sabinorum* 1, 37, 3. *Etruscorum* 2, 6, 3. *Gallorum* 38, 17, 8. et 48, 7. *Celtiberorum* 42, 10, 5.

millium hominum, dux erat Antiphilus Edeſſaeus. Paeones, et ex Parorea et Parſtrymonia, (sunt autem ea loca subjecta Thraciae) et Agrianes, admixtis etiam Thracibus incolis, trium millium ferme et ipsi expleverunt numerum. Armaverat contraxe- 6
ratque eos Didas Paeon, qui adolescentem Demetrium occiderat. Et armatorum duo millia Gallo- 7
rum erant, praefecto Asclepiodoto. Ab Heraclea

eadem ratione, qua scriptores Romani summos magiſtratus et belli duces aliarum gentium *consules* et *dictatores* vocant, Romanas appellationes ad easdem dignitates et imperia apud illas, apud quas alia nomina habebant, transferentes. Hic alia ratio eſt: nam, quod dicit *hanc ipsi legionem vocabant*, non aliter videtur accipi poſſe, quam Macedones nomen *legionis* a Romanis sumtum huic corpori militum imposuiſſe, et id λεγεῶνα appellaſſe. Si hoc ita eſt, nam ab aliis nihil de eo proditum legi, credi poteſt, per bella Macedonum cum Romanis inſtitutum fuiſſe. DUKER. Qui si legamus *ita hanc ipsi legionem vocabant?* ut innuat, hanc legionem proprio nomine a Macedonibus *Agema* vocari. Vide ad cap. 58, 9. Vocula autem *ita* intercepta erit ab ultimis literis praecedentis *agemata*.

Leonatum et Thrasippum Eulyestas] Turnebus [30. Advers. 37.] *Elymiotas*. Forte *Lyncestas*. J. FR. GRON. Doujatius conjicit *Eurystios* ab *Eurysto* vel *Andaristo*, Pelagoniae urbe. *Andaristi* solus meminit Ptolem. 3, 13. quae urbs in quibusdam edd. vocatur Ἀνδάτησος, pro Ἀνδάριτος. at *Eurysti* mentionem apud neminem inveni. Ceterum *Leonatus* scribitur etiam apud Juſtin. Sed Graecis vocatur Λεοννάτος, *Leonnatus* apud Nepot. Curtium, et alios: quae scriptura vulgo praefertur.

§. 5. *Dux erat Antiphilus Edissaeus*] *Edessaeus* ab *Edessa*. Stephanus. SIG. *Edessaeus* legunt omnes edd. excepta Basil. anni 1554. in qua operarum errore excusum eſt *Edissaeus*.

Ex Paroria et Parstrymonia] *Parorea*. Graece Παρώρεια. Sic ante. SIGON. Supra 39, 27, 10. ubi videnda sunt, quae notantur, servata diphthongo Graeca editur *Paroreia*, etiam in ipsa Sigonii editione. Eam autem Latinos vel per *i*, vel *e* efferre, vidimus ad 31, 43, 5. Poteſt igitur *Paroria* servari.

§. 7. *Ab Heraclea ex Sintiis*] *Sintii* fuerunt incolae Lemni, qui in Thraciam migrantes dicti sunt *Sinti*, si fides habenda eſt Schol. Thucyd. ad 2, 98. Σίντιοι ἐλέγοντο ἐν ὅσῳ τὴν Λῆμνον ᾤκουν, ἐις δὲ τὴν Θράκην ἐλθοντες μετωνομάσθησαν Σίντοι. Scribendum itaque *et Sintis*. Σίντους bis eodem capite vocavit Thucyd.

Susum Phalasarneum et Syllum Gnossium] Forte *Phalasarnium*. Ita enim Steph. Byz. Φαλάσαρνα πόλις Κρήτης, ἀπὸ

ex Sintiis tria millia Thracum liberorum suum ducem habebant. Cretensium par pene numerus suos duces sequebatur, Susum Phalasarneum et Syllum
8 Gnossium. Et Leonides Lacedaemonius quingentis ex Graecia, mixto generi hominum, praeerat. Regii is generis ferebatur; exsul, damnatus frequenti concilio Achaeorum, literis ad Persea deprensis.
9 Aetolorum et Boeotorum, qui non explebant plus quam quingentorum omnes numerum, Lyco Achaeus praefectus erat. Ex his mixtis tot populorum, tot gentium auxiliis, duodecim millia armatorum ferme efficiebantur. Equitum ex tota Macedonia contra-
10 xerat tria millia. Venerat eodem Cotys, Seuthae filius, rex gentis Odrysarum, cum mille delectis equi-
11 tibus, pari ferme peditum numero. Summa totius exercitus triginta novem millia peditum erant, qua-

Φαλασάρνης. Ὁ πολίτης Φαλασάρνιος, ὡς Ξενίων φησί. Deinde *Gnosium* edd. ante Gronov. qui literam sibilantem duplicavit. Vide ad 37, 60, 3.

§. 11. *Secundum eum exercitum, quem Magnus Alexander* etc.] Videtur hic statuere Livius, exercitum, quo Alexander Magnus Persiam invasit, aut majorem fuisse, aut numero aequasse eum, quem nunc Perseus contraxerat. Eum autem fuisse dicit triginta novem millium peditum, quatuor equitum: at exercitum Alexandri Magni constitisse ipse lib. 9. 19. credere videtur ex non pluribus, quam triginta millibus peditum et quatuor equitum; ubi vide. Copiarum Alexandri numerum, secundum eos qui minimum edunt, fuisse peditum triginta millia, quinque equitum; qui maximum, peditum quatuor et triginta millia, equitum quatuor, refert Plutarch. in Alexandr. M. pag. 672. quem ut et Justin. 11, 6. ad hunc locum laudavit Crevier. et insuper nos remisit ad Freinsh. Supplem. Curtii 2, 3.

§. 1. *Sextus et vicesimus annus agebatur*] Lege *tertius et vicesimus*. Tot enim numerantur a P. Cornelio, Ti. Sempronio consulibus. Error ex notis manavit *III*, et *VI*. Ex duobus enim *II*, *V* factum est. SIGON. Lapsus vehementer vir diligentissimus. Nam non illis, verum triennio ante C. Cornelio, Q. Minucio consulibus, a quibus ad hos consules revera sunt XXVI anni, pacem Philippus petiit, et ab Quintio impetravit. Vide lib. 33. cap. 12. 13. quae deinde an-

tuor equitum. Satis constabat, secundum eum exercitum, quem Magnus Alexander in Asiam trajecit, numquam ullius Macedonum regis copias tantas fuisse.

LII. Sextus et vicesimus annus agebatur, ex quo 1
petenti Philippo data pax erat: per id omne tempus 2
quieta Macedonia et progeniem ediderat, cujus magna pars matura militiae esset, et levibus bellis Thracum adcolarum, quae exercerent magis, quam fatigarent, sub assidua tamen militia fuerat: et diu me- 3
ditatum Philippo primo, deinde et Persi, Romanum bellum, omnia ut instructa parataque essent, effecerat. Mota parumper acies, (non justo decursu ta- 4
men) ne stetisse tantum in armis viderentur: armatosque, sicut erant, ad concionem vocavit. Ipse 5
constitit in tribunali, circa se habens filios duos:

no sequente ab senatu confirmata est, lib. 33, 24. et 30. Decepit eum, quod meminerat, pacem Philippo dedisse T. Quintium, qui ex Graecia decessit, ac de Philippo et Nabide triumphavit iis, quos posuit ipse, consulibus lib. 34. cap. 48. et 52. oblitus interim, mansisse illum, postquam cum Philippo debellasset, in Graecia per triennium, ut eam ordinaret ac componeret, et bellum contra Nabidem gereret. JAC. PERIZ. Errorem Sigonii Dodwell. quoque animadvertit Diss. 10. de Cyclis sect. 34. DUKERUS.

§. 3. *Meditatum Philippo primo, deinde et Persi*] Ita edd. principes; pro quo postrema Gruteri substituit *Perseo*. Sed recte priscam lectionem Gronov. ad hujus lib. cap. 25, 2. vindicavit, et in contextum recepit. At Hearne contra, ea repudiata, Gruterianam iterum adscivit.

§. 4. *Ne stetisse tantum*] Transponit Muretus *non justo decursu tamen; tantum ne stetisse in armis viderentur*. J. FR. GRONOV. *sed* praecedente *quidem* saepe omittitur iis locis, quae Gronov. ad 4, 71. et 9, 19. citat. Si exemplum de *tamen* haberem, crederem *ne stetisse tantum* per ellipsin iisdem particulae dictum. DUKER. Similiter etiam locum supplet Doujatius. Simplicissimum videtur, si, admissa parenthesi, legamus, *Mota parumper acies,(non justo decursu tamen) ne stetisse tantum in armis viderentur*. Ceterum *decursus* hic ponitur pro exercitio militari, quod plerumque *decursio* dicitur. Tacit. 2. Ann. 55. *Exerci-*

quorum major Philippus, natura frater, adoptione filius; minor, quem Alexandrum vocabant, natura-
6 lis erat. Cohortatus est milites ad bellum: injuriam
7 populi Romani in patrem seque commemoravit: *Illum, omnibus indignitatibus compulsum ad rebellandum, inter adparatum belli fato obpressum: ad se simul legatos, simul milites ad occupandas Graeciae*
8 *urbes missos. Fallaci deinde conloquio per speciem reconciliandae pacis extractam hiemem, ut tempus ad comparandum haberent. Consulem nunc venire cum duabus legionibus Romanis, quae ** trecenos*

tio equitum, decursibus cohortium interesse. 3, 33. *Praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum.*

§. 6. *Injuriam populi Romani in patrem seque commemoravit.*] Magis placet Crevierio *injurias*, laudato loco Livii 2, 38, 2. *Veteres populi Romani injurias, cladesque gentis Volscorum.* Adde 29, 8, 6. *Modicas injurias aequo animo pati possent.* c. 17, 2. *Magis indignemini, bonis ac fidelibus sociis tam atroces atque indignas injurias ab legato vestro militibusque fieri.* Ibidem §. 8. *A Karthaginiensibus injurias tanto minores acciperemus.* Iterum §. 17. *Illos, qui faciunt, nondum tantarum injuriarum satietas ceperit.* 42, 36, 3. *Regem de injuriis, si quas sociis factas quererentur, arbitratu senatus satisfacturum esse.*

§. 8. *Cum duabus legionibus Romanis, quae tricenos equites habeant, et pari ferme numero sociorum.*] Corrigo *trecenos*, quod est aeque ac trecentenos: sic paulo post [c. 55, 10.] *Non plus quam trecenti equites erant in castris Romanis.* Sic lib. priore [c. 9, 2.] *Quina millia et duceni pedites, et treceni equites.* SIG. Locus defectus, quem miror non integrasse Sigonium, cum sub manu haberet, monens *trecenos* scribendum, pro *tricenos*, ut male erat in antiquis, cumque id illi facillimum esset. Quid enim certius, quam Livium scripsisse: *Consulem nunc venire cum duabus legionibus Romanis, quae singulae sena millia peditum et trecenos equites habeant, et parem ferme numerum sociorum peditum equitumque.* Quo enim equitem annumeraret, nisi et peditum copias expressisset? Fuit autem, ut supra c. 31. id praecipuum provinciae Macedoniae datum, quod, cum alterius consulis legionibus quina millia et duceni equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedoniam sena millia peditum scribi jussa, equites treceni aequaliter in singulas legiones. J. FR. GRON. Si pro certo sumimus, Perseum scivisse, hoc praecipuum provinciae Macedoniae datum fuisse, ut legiones in eam scriptae sena millia peditum haberent,

equites habeant, et pari ferme numero sociorum peditum equitumque. Eo ut accedant regum auxilia 9
Eumenis et Masinissae, non plus septem millia peditum, duo equitum futura. Auditis hostium copiis, 10
respicerent suum ipsi exercitum; quantum numero, quantum genere militum praestarent tironibus, raptim ad id bellum conscriptis, ipsi, a pueris eruditi artibus militiae, tot subacti atque durati bellis. Au- 11
xilia Romanis Lydos, et Phrygas, et Numidas esse: sibi Thracas, Gallosque, ferocissimas gentium. Arma illos habere ea, quae sibi quisque paraverit pauper

locus ita suppleri potest. Sed, sive hoc scivit, sive ignoravit, non potest non corruptus esse numerus in iis, quae paulo post dicit, cum sociis et auxiliis Eumenis ac Masinissae *non plus septem millia peditum in exercitu Romano futura.* Nam utique scire potuit, duas legiones Romanas et parem numerum sociorum peditum plus, quam septem millia peditum, efficere. DUK. Voces *trecenos* et *tricenos* perperam etiam alibi commutari, vidimus ad 40, 34, 8. Ceterum in recensendis copiis Romanis Perseo magis conveniebat, ut eas minueret, quam augeret. Hinc, licet id Macedoniae praecipuum datum fuisse, tum ex aliis gentis Macedonum Romae morantibus, tum ex legatis inde reversis, rescire potuerit, ut legiones eo mittendae ex pluribus peditibus constarent, id tamen apud milites dissimulasse, et pristinum tantum numerum retulisse videtur. Id ex eo colligo, quod pedites equitesque sociales Romanorum legionariis numero ferme pares fuisse dicat, quum tamen Livius supra cap. 31. eos ipsos, et praesertim equites, numero auctos fuisse narrarit. Pro *sena* igitur in lacuna a Gronovio suppleta potius lego *quina*. Praeterea ferri nequit, quod Gronovius conjecit, *et parem ferme numerum sociorum*. Quid enim? an legiones Romanae habebant sena millia peditum, trecenos equites, et parem ferme numerum sociorum equitum ac peditum? Servandum igitur vulgatum *et pari ferme numero sociorum*. In priori etiam ed. notarum Gronovius haec verba non tentavit, sed tantum, ut videtur, calami errore, voculam *ferme* omisit: in repetitis curis id etiam erranti calamo tribuendum puto, quod *parem ferme numerum* dederit.

§. 9. *Eo ut accedant* etc. *non plus septem millia peditum, duo equitum futura*] Verba haec mendosa esse, Cl. Dukerus ad §. praec. monuit; cui adsentior. Non tamen mendam in numero latere autumo, sed eum ita explico, auxilia Eumenis et Masinissae tantum septem millia peditum, duo equitum futura. Potius in initio periodi vitium latere, ac scribendum esse puto: *Eo accedent regum auxilia.*

miles: Macedonas prompta ex regio adparatu, per
12 *tot annos patris sui cura et inpensa facta. Commeatum illis quum procul, tum omnibus sub casibus maritimis fore: se et pecuniam et frumentum, praeter reditus metallorum, in decem annos seposuisse.*
13 *Omnia, quae Deorum indulgentia, quae regia cura*

§. 11. *Arma illos habere ea, quae sibi quisque paraverit pauper miles*] Milites Romanos sibi de suo quemque arma paraviſſe, non, ut Macedonas, publica impensa facta ex armamentariis publicis accepisse, oſtendit narratio Livii 1, 43. de censu a Ser. Tullio inſtituto, et Polybius 6, 21. Nam Ser. Tullius, quum belli pacisque munia pro habitu pecuniarum fieri voluiſſet, sua cuique claſſi arma ex censu imperavit. Probabile quoque in eam rem argumentum praebet, quod Gellius 16, 10. ex Ennio et Julio Paullo scribit, proletarios asperis reipublicae temporibus publicitus armatos fuiſſe, et publico sumtu arma accepisse. Hi enim, quia in claſſibus, quibus arma ex censu imperata erant, non censebantur, ipsi arma non habebant. Non memini in Livio usquam armorum cura publica paratorum mentionem fieri, nisi 22, 57. quod de servis, quos publice emtos, ut militarent, ibidem scribit, accipiendum reor. Ad ea fabricanda autem quoque officinae armorum in urbe extra ordinem inſtitui potuerunt; quas alioqui nullas in urbe fuiſſe, argumento sunt verba Ciceronis in senatu 7. Philipp. 4. de tempore, quo Hirtius et Pansa consules bellum adversus Antonium Mutinam obsidentem gerere juſſi fuerant, *armorum officinas in urbe videtis*. Nam ex iis liquet, id insolitum atque extraordinarium, et non nisi difficilibus reipublicae temporibus factum fuiſſe, quum arma, quae ad manum erant, non sufficerent armandis omnibus, qui sublatis vacationibus nomina dederant. Sed si milites Romani sibi suo sumtu arma pararunt, quid eſt, quod Polybius 6, 37. dicit, quaeſtorem de ſtipendio eorum pro frumento, veſte, *et si praeterea armis aliquibus indigerent*, certam pecuniam deduxiſſe? et quod apud Tacit. 1. Ann. 16. miles Percennius queritur, *denis in diem assibus animam et corpus aestimari; hinc vestem, arma, tentoria redimi?* Nam si miles ipse sibi arma parabat, cur pro iis aliquid de ſtipendio illius detrahebatur? Pro frumento et veſte deducebatur, quia ea de publico accipiebat: unde consequens eſt, quia pro armis quoque aliquid deducebatur, ea, itidem ut frumentum et veſtem, de publico praebita fuiſſe. Lipsius 5. de Milit. Rom. 16. levi explicatione verborum Polybii et Taciti defungitur, nec quidquam aliud, quam horum teſtimonio docet, pro armis pauxillum pecuniae de ſtipendio militum deductum fuisse. Sed hoc non satis eſt ad intelligendum, qui milites, et quando arma publica acceperint. Mihi non dubium eſt, quin uterque de armis militum, qui adversus hoſtes rem gerebant, et maxime eorum qui in provinciis militabant, loquatur, non de armis eorum, qui, delectu in urbe habito, in legio-

praeparanda fuerant, plena cumulataque habere Macedonas. animum habendum esse, quem habuerint 14
majores eorum; qui, Europa omni domita, transgressi in Asiam, incognitum famae aperuerint armis orbem terrarum: nec ante vincere desierint, quam Rubro mari inclusis, quod vincerent, defuerit. At, 15

nes descripti, primum ad bella mittebantur. Polybius frumentum, vestem, et arma militum conjungit, et pro his omnibus aliquid de stipendiis eorum detractum fuisse auctor est: τούτε σίτου, inquit, καὶ τῆς ἐσθῆτος, καὶ ἔι τινος ὅπλου προσδεηθῶσι, πάντων τούτων ὁ ταμίας τὴν προστεταγμένην τιμὴν ὑπολογιζεται. Jam vero quemadmodum frumentum et vestem non primum ab urbe ad bellum exeuntes, ita neque arma, sed haec omnia demum in bello et provinciis de publico accipiebant. Quomodo autem intelligendum sit, quod de armis dicit, non admodum obscurum est: nam verbis his, καὶ ἔι τινος ὅπλου προσδεηθῶσι, *si iis praeterea armis aliquibus opus esset*, significat, si quid armorum, puta, galea, lorica, scutum, aliudve quid inutile factum fuisset, [iis hoc quoque de publico, sed eadem conditione, qua frumentum et vestem, datum fuisse. Arma illa autem in provinciis ex armamentariis publicis et officinis armorum fabricandorum, si quae in iis essent, ut Carthagine nova in Hispania apud Livium 26, 51. sumi, vel aliunde impensa publica in eas portari potuerunt. Armamentaria publica in urbe, e quibus Cic. pro Rabir. perduell. reo cap. 7. propter seditionem Saturnini *arma populo Romano, C. Mario consule distribuente, data* scribit, ad hoc primum instituta fuisse credo, ut, si tempora reipublicae postularent, ex iis cives militia immunes armarentur; deinde ut, quia jam ante [id tempus, quod Cicero designat, respublica seditionibus turbari, et in urbe pugnari coeperat, arma ad manum essent, quibus clientes optimatum aliique infimi ordinis cives, qui eorum sectam sequebantur, ad comprimendas seditiones instruerentur. DUKER.

§. 13. *Quae regia cura praeparanda fuerant*] Oratio obliqua postulat *fuerint*. DUK. V. supra ad 3, 2, 3. 36, 39, 10. et alibi.

§. 14. *Incognitum famae aperuerint armis orbem terrarum*] *fama*, perspicue. SIGON. Curtius 8, 10, 1. *Patrem Liberum atque Herculem fama cognitos esse.* Virgil. 2. Aen. 21. *Tenedos, notissima fama Insula.* Gronovius tamen 1. Obs. 4. retinet *famae*. DUK. Doujatius etiam existimabat, vulgatum *incognitum famae* elegantius esse, quam quod ipsi substituebat Sigonius. Locutioni *incognitum famae* obponitur altera *scit fama*, quam variis auctoribus restituit Gronov. Gust. ad Statii 2. Theb. 108. et 2. Obs. 13. Recte autem *aperuerint*. Pomp. Mela 3, 6. *Britannia qualis sit, qualesque progeneret, mox certiora et magis explorata dicentur. Quippe tam diu clausam aperit ecce principum maximus.* Vide Broukhus. ad Tibull. 1, 3, 36.

Hercule, nunc non de ultimis Indiae oris, sed de ipsius Macedoniae possessione certamen fortunam indixisse. Cum patre suo gerentes bellum Romanos
16 *speciosum Graeciae liberandae tulisse titulum. nunc propalam Macedoniam in servitutem petere, ne rex vicinus imperio sit Romano, ne gens bello nobilis arma habeat. Haec enim tradenda superbis dominis esse cum rege regnoque, si absistere bello, et facere imperata velint.*

1 LIII. Quum per omnem orationem satis frequenti adsensu subclamatum esset; tum vero ea vociferatio, simul indignantium minitantiumque, partim jubentium bonum animum habere regem, exorta est,
2 ut finem dicendi faceret. tantum jussis ad iter parare, (jam enim dici, movere castra ab Nymphaeo Romanos) concione dimissa, ad audiendas legatio-
3 nes civitatium Macedoniae se contulit. venerant au-

§. 15. *Speciosum Graeciae liberandae tulisse titulum*] Lege *praetulisse*. J. FR. GRON. 34, 23, 8. *Vano titulo libertatis ostentato*. 35, 16, 7. *Specioso titulo uti vos, Romani, Graecarum civitatum liberandarum video*. Pro his nemo dixerit *ferre titulum*. DUK. V. ad 27, 34, 5. *praetendere* dixit supra 37, 54, 13. *Quem titulum praetenderitis prius adversus Philippum, nunc adversus Antiochum belli*. Paullo ante *Indicae oris* edd. principes, pro quo recte *Indiae* emendavit Vascos.

§. 2. *Tantum jussis ad iter parare*] *parari*, perspicue. SIGON. Posses etiam *parare*, nempe *se*. V. ad cap. 24, 5. Mox *civitatum* primus edidit Curio, et reliqui servarunt. Priores *civitatium*, quod adoptavi. Vide ad 33, 20, 11.

§. 6. *Eordeam petens*] Sigonius supra ad 31, 39, 7. emendavit, et edidit *Heordaeam*; unde Gronov. recepit *Eordaeam*. quem etiam vide ad 33, 8, 5. Quum autem hoc loco similiter Sigonius edidisset, nemo tamen ei dicto obediens fuit. Pariter igitur hic etiam *Eordaeam* operas scribere jussi. Diphthongum enim requiri, constat ex Graecis; quorum testimonia vide apud Sigon. d. loc. Adde nummum Hadriani apud Harduin. in Numm. antiq. Pop. et Urb. cum hac inscriptione *EOPΔAIA MAKE*.

In Elimeam ad Haliacmona fluvium] De *Elimea* v. Sigon. ad 31, 40, 1. Observat autem

tem ad pecunias, pro facultatibus quaeque suis, et frumentum pollicendum ad bellum. Omnibus gratiae 4
actae, remissum omnibus; satis regios adparatus ad ea dictum subsicere: vehicula tantum imperata, ut tormenta, telorumque missilium ingentem vim praeparatam, bellicumque aliud instrumentum veherent. Profectus inde toto exercitu, Eordaeam petens, ad 5
Begorritem, quem vocant, lacum positis castris, postero die in Elimeam ad Haliacmona fluvium processit. Deinde saltu angusto superatis montibus, 6
quos Cambunios vocant, descendit ad (Tripolim vocant) Azorum, Pythium, et Dolichen incolentes. Haec tria oppida paullisper cunctata, quia obsides 7
Larissaeis dederant, victa tamen praesenti metu, in deditionem concesserunt. Benigne his adpellatis, 8
haud dubius Perrhaebos quoque idem facturos, urbem, nihil cunctatis, qui incolebant, primo adventu

Cellar. 2. Geogr. Ant. 13. pag. 660. longe hinc abesse fluvium Haliacmona, mediam Macedoniam percurrentem, quum Ptolemaei positio Aoum potius fluvium poscat, qui Elimeorum regionem vel finiat tangendo, vel penitus etiam interluat. Aut ergo Livium in nomine fluminis errasse, aut omnia Ptolemaei in hac ora inmutanda esse. Contra Doujatius per *Elimeam* intelligit urbem Emathiae, regionis Macedonicae, ad laevam fluminis Erigoni supra Edessam; quam diversam statuit ab ea, quae Elimiotis, Macedoniae Illyricae sive occidentalis populo, nomen dedit. Vellem nobis indicasset scriptores, quorum auctoritate haec distinctio nititur. Interim tamen ex illis, quae sequuntur, satis patet, *Elimam* sive *Elimeam* Ptolemaei hic intelligi non posse. Praeterea locutio *in Elimeam processit* potius indicare videtur, per *Elimeam* regionem aliquam, quam urbem, intelligendam esse. Ei convenit alia supra 31, 40, 1. *In Elimeam se recepit.* et infra 43, 21, 5. *in Elimeam profectus.* ubi tamen Crevier. vel, omissa praepositione, *Elimeam*, vel *ad Elimeam* legendum, et urbem ejus nominis intelligendam putat. Vide, quae notantur ad locum priorem.

§. 6. *Pythoum et Dolichen*] Πύθιον vocant Plutarchus in Paullo [pag. 262.] et Stephanus. Quare lego *Pythium*. SIG. Idem error committitur infra 44, 2. 32. 35.

§. 8. *Urbem, nihil cunctatis,*

9 recipit. Cyretias obpugnare coactus, primo etiam die acri concursu ad portas armatorum est repulsus: postero die omnibus copiis adortus, in deditionem omnes ante noctem accepit.

1 LIV. Mylae, proximum oppidum, ita munitum, ut inexsuperabilis munimenti spes incolas ferociores faceret, non portas claudere regi satis habuerunt, sed probris quoque in ipsum Macedonasque 2 procacibus jaculati sunt. quae res, quum infestiorem hostem ad obpugnandum fecisset, ipsos despe- 3 ratione veniae ad tuendos sese acrius accendit. Itaque per triduum ingentibus utrimque animis et obpugnatae sunt, et defensae. Multitudo Macedonum ad subeundum in vicem proclium haud difficulter succedebat: oppidanos, diem, noctem eosdem tuentes moe-

etc.] Recte monuit Crevierius, excidisse hic nomen urbis, quam primo adventu Perseus recepit.

§. 9. *Cyretias obpugnare coactus*] *conatus*, perspicue. SIG. Optime vidit Crevierius, licet omnes editores Sigonii conjecturam receperint, perspicuum tamen esse, primo nihil minus convenire huic loco, quam vocem *conatus*; non enim Persea Cyretias obpugnare conatum esse, sed obpugnasse revera et cepisse: deinde vocem *coactus* hic apprime quadrare. Nam, ut Livius narrat, Persea primo adventu urbem in Perrhaebis recepisse; at non eadem facilitate Cyretiis potitum esse. Eas enim oppugnare *coactum*, et etiam primo die repulsum esse. Mox idem vir doctus vocem *omnes*, quam nullum hic locum habere, et ex proxima voce *omnibus* repetitam credit, delendam censuit.

§. 1. *Probris quoque in ipsum Macedonasque procacibus jaculati sunt*] Usitatiora *jaculari aliquid* vel pro scopo, ut *corvos*, *dextra sacras arces*, vel pro telo, velut *ignem puppibus*, aut *e nubibus*, *panes de Capitolio*, *ornos*; tum sine casu *jaculari ex summo*, *jaculari in dextrum latus*. Sed et sic Quintil. lib. 9. Instit. 2. *Si pater*, *qui infamem in matrem filium secreto occidisset*, *reus malae tractationis*, *jacularetur in uxorem obliquis sententiis*. sed, ibi in MS. fuisse *jocularetur*, testatur Gebhardus [3. Crepund. 1.] Ut apud nostrum lib. 7, [10, 13.] *Inter carminum prope modum incondita quaedam militariter*

moenia, non vulnera modo, sed etiam vigiliae et continens labor conficiebat. quarto die quum et scalae undique ad muros erigerentur, et porta vi majore obpugnaretur; oppidani depulsi muris ad portam tuendam concurrunt, eruptionemque repentinam in hostes faciunt. quae quum irae magis inconsultae, quam verae fiduciae virium esset, pauci et sessi ab integris pulsi terga dederunt; fugientesque per patentem portam hostes acceperunt. Ita capta urbs ac direpta est. libera quoque corpora, quae caedibus superfuerunt, venumdata. Diruto magna ex parte et incenso oppido profectus, ad Phalanam castra movit: inde postero die Gyrtonem pervenit. Quo quum T. Minucium Rufum et Hippiam, Thessalorum praetorem, cum praesidio intrasse accepisset, ne tentata quidem obpugnatione, praetergressus, Ela-

4 5 6 7

joculantes. Utrum igitur hic quoque in Livio *joculati sunt*, an legimus *probra?* Apud Fabium *jacularetur in uxorem obliquas sententias.* Petronii certe est [cap. 109.] *Dicta voluit in calvos stigmososque jaculari.* Fabii lib. 2, 11. *Abrupta quaedam, ut forte ad manum venere, jaculantur.* Lib. 11, 3. *Qui sententias vibratis digitis jaculantur.* Idem lib. 6, [3.] *In hac veluti jaculatione dictorum.* Muretus *jocati.* J. FR. GRON. Sane perquam insolenter dictum est *jaculari probris in aliquem:* Ferri posset, si omitteretur praepositio *in.* Ita enim locutus est Ovid. 3. Am. 3, 35.

Jupiter igne suo lucos jaculatur et arces.

In Ibid. 49.

Sic ego te ferro nondum jaculabor acuto.

ubi plura notavit Cel. Burm. et hic etiam praepositionem delendam esse existimavit. Si vero τὸ *in*, quod unicus codex agnoscit, expungere audacius videtur, legi posset *probris quoque inde ipsum.* Saepe vero *inde*, sive *iñ*, et *in* confunduntur. Vide ad 10, 20, 6. Mureti *jocati* defendi possit ex Livii 32, 34, 3. *Jocatus in valetudinem oculorum Phaeneae.*

§. 5. *Fugientesque per patentem*] Forte, *fugientesque et* (vel *etiam*) *per patentem portam hostes acceperunt.* Nam partem eorum jam trans muros acceperant. J. FR. GRON.

§. 7. *Velatias et Connum*] *Elatiam et Gonnum.* De utrisque dictum est ante ex Stephano. SIGON. De *Elatia* vide Sigonium ad 28, 7, 7. de *Gonno* alibi eum

tiam et Gonnum, perculsis inopinato adventu oppi-
8 danis, recepit. Utraque oppida in faucibus sunt, quae Tempe adeunt; magis Gonnus. itaque et firmiore id praesidio tutum equitum peditumque, ad
9 hoc fossa triplici ac vallo munitum, reliquit. Ipse, ad Sycurium progressus, opperiri ibi hostium adventum statuit: simul et frumentari passim exercitum
10 jubet in subjecto hostium agro. namque Sycurium est sub radicibus Ossae montis. qua in meridiem vergit, subjectos habet Thessaliae campos: ab tergo
11 Macedoniam atque Magnesiam. Ad has opportunitates accedit summa salubritas et copia, pluribus circumjectis fontibus, perennium aquarum.

1 LV. Consul Romanus, per eosdem dies Thessaliam cum exercitu petens, iter expeditum primo per
2 Epirum habuit: deinde, postquam in Athamaniam

agere non memini: sed de *Gonnocondylo* egit ad 39, 25, 16. De *Gonno* vide, quae alii notarunt ad 36, 10, 11.

§. 8. *In faucibus sunt, quae Tempe adeunt; magis Gonnus*] Lege, *qua Tempe adeuntur*. J. FR. GRON. Situm hujus oppidi Gonni describit etiam Liv. 36, 10, 11. *Oppidum Gonni viginti millia ab Larissa abest. in ipsis faucibus saltus, quae Tempe adpellantur, situm.* et hoc lib. cap. 67, 6. *Ad Gonnum castra movet, si potiri oppido posset. Ante ipsa Tempe in faucibus situm Macedoniae claustra tutissima praebet, et in Thessaliam opportunum Macedonibus decursum.*

§. 9. *Ad Sycurium progressus*] Ita constanter haec urbs vocatur in unico cod. et inde propagatis edd. omnibus, non tantum hoc loco, sed etiam aliquoties infra hoc lib. ut cap. 56. 57. 62. et 64. At Συκύριον apud Polyb. in Exc. Legat. num. 69. ubi forte ex nostro emendandum Συκούριον.

§. 3. *Vexatis hominibus equisque*] *vexatis*, nempe difficultate viae, ut plene dixit 40, 22, 6. *Vexati omnes, et ante alios rex ipse, quo gravior aetate erat, difficultate viae est.* Simpliciter *vexatio* infra est 43, 21, 8. *Cum ingenti vexatione, praecipue jumentorum, altero die ad templum Jovis posuit castra.* c. 23, 1. *Cum minore vexatione jumentorum hominumque in Macedoniam rediit.* 44, 5, 8. *Provolventes se simul cum armis aliisque oneribus, cum omni genere vexationis processerunt.*

est transgressus, asperi ac prope invii soli, cum ingenti difficultate parvis itineribus aegre Gomphos pervenit: cui si, vexatis hominibus equisque, tiro- 3
nem exercitum ducenti acie instructa et loco suo et tempore obstitisset rex, nec Romani quidem abnuunt, magna sua cum clade fuisse pugnaturos. Postquam 4
Gomphos sine certamine ventum est, praeter gaudium periculosi saltus superati, contemtus quoque hostium, adeo ignorantium opportunitates suas, accessit. Sacrificio rite perfecto, consul, et frumento 5
dato militibus, paucos ad requiem jumentorum hominumque moratus dies, quum audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastarique sociorum agros, satis jam refectum militem ad Larissam ducit. Inde, quum tria millia ferme abesset a Tri- 6
poli, (Sceam vocant) super Peneum amnem posuit

Justin. 42, 1. *Dolentes tantum iis itineris frustra emensum, quum vel stipendium pro vexatione, vel alium hostem sibi dari poscerent. Vexationem viae, itineris* dixerunt Colum. 1. de Re rust. 3. Apul. 1. Metam. in fin. et alii.

Ne Romani quidem abnuunt] *abnuebant*, ni fallor. Nam de scriptoribus Romanis sensisse non puto. Consulem Romanum exercitum tironem habere, etiam Perseus cap. 52. dicit. Atqui senatus decreverat, *ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet*, cap. 31. et ipse *veteres quosque milites centurionesque scripserat* cap. 32. DUKER.

§. 6. *Inde, quum tria millia ferme abesset a Tripoli (Sceam vocant) super Peneum*] Recte, si τὸ *Inde* significat deinde, vel postea. Sed potest et significare ab Larissa; et tum legendum foret: *Inde quum tria millia ferme abesset, ad Tripolin (Sceam vocant) super Peneum amnem posuit castra.* J. FR. GRONOVIUS. Innumeris locis apud Livium *inde* pro deinde ponitur. Ea autem omnia cumulare, operae non est. Quaedam vide 1, 2, 6. c. 3, 9. 2, 39, 5. c. 62, 5. 3, 5, 15. 6, 6, 8. 9, 10, 2. c. 24, 1. et alibi. Serv. ad Virg. 2. Aen. 2. *Inde*] *Aphaeresis est pro deinde, vel, ut quidam volunt, tunc.* ad 8, Aen. 587. *Inde*] *Hic deinde significat: et est polysemus sermo.* Praeterea Gronov. hic *Scaeam* per diphthongum laudat. Et sic scribendum monet Doujat. ita vocari existimans, quod sita sit ad laevam Penei ripam. Ceterum inter varias urbes, *Tripolis* nomine dictas, al-

7 caſtra. Per idem tempus Eumenes ad Chalcidem navibus acceſſit cum Attalo atque Athenaeo fratribus, Philetaero fratre relicto Pergami ad tutelam regni. inde cum Attalo et quatuor millibus peditum, 8 mille equitum, ad conſulem venit. Chalcide relicta duo millia peditum, quibus Athenaeus praepoſitus. Et alia eodem auxilia Romanis ex omnibus undique Graeciae populis convenerunt, quorum pleraque 9 (adeo parva erant) in oblivionem adducta. Apolloniatae trecentos equites, centum pedites miſerunt. Aetolorumque alae unius inſtar, quantum in tota 10 gente equitum erat, venerant: et Theſſalorum omnis equitatus ſeparatus erat. non plus quam trecenti erant equites in caſtris Romanis. Achaei juventutis suae, Cretico maxime armatu, ad mille dederunt.

1 LVI. Sub idem tempus et C. Lucretius praetor, qui navibus praeerat ad Cephalleniam, M. Lucretio fratre cum claſſe super Maleam Chalcidem juſſo petere, ipse triremem conscendit, sinum Corinthium 2 petens ad praeoccupandas in Boeotia res. tardior

teram Macedoniae, alteram Perrhaebiae memorat Steph. Byz. in v. Τρίπολις. ubi Pinedo in notis hunc Livii locum de Tripoli Macedonica intelligendum putat: similiter Cellarius 2. Geogr. Ant. 13. 681. quam tamen intelligi non posse, Lariſſa et Pencus, quibus vicina fuiſſe significatur, quaeque in Theſſalia erant, docent.

§. 7. *Philetero fratre relicto Pergami*] *Philetaero*, de quo Appianus in Syriaca. SIGON.

§. 10. *Theſſalorum omnis equitatus ſeparatus erat*] *ſeparatus erat*, nempe per praesidia urbium. Ita cap. praec. narravit, Hippiam, Theſſalorum praetorem, cum praesidio Gyrtonem intraſſe. Similiter locum exponendum censet Crevierius. Si vulgatum displicet, legi. poſſet *speratus erat*, vel insuper etiam, *Theſſalorum, quorum omnis equitatus speratus erat, non plus quam trecenti erant equites in caſtris Romanis* ut *quorum* ob literarum similitudinem hauſtum sit ab ultima parte vocis praecedentis *Theſſalorum*.

§ 6. *Tum quinque Rhodiae quadriremes*] Polybius, hanc hi-

ei navigatio propter infirmitatem corporis fuit. M. 3
Lucretius, Chalcidem adveniens, quum a P. Lentulo Haliartum obpugnari audiſſet, nuncium, praetoris verbis, qui abscedere eum inde juberet, misit. Boeo- 4
torum juventute, quae pars cum Romanis ſtabat, eam rem adgreſſus legatus, a moenibus abſceſſit. Haec soluta obsidio locum alteri novae obsidioni 5
dedit. namque extemplo M. Lucretius cum exercitu navali, decem millibus armatorum, ad hoc duobus millibus regiorum, qui sub Athenaeo erant, Haliartum circumsedit: parantibusque jam obpugnare, supervenit a Creüsa praetor. Ad idem fere tempus 6
et ab sociis naves Chalcidem convenerunt: duae Punicae quinqueremes, duae ab Heraclea ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiae quadriremes. Praetor, quia nus- 7
quam erat maritimum bellum, remisit sociis. et Q. Marcius Chalcidem navibus venit, Alope capta, Lariſſa, quae Cremaſte dicitur, obpugnata. Quum hic 8
ſtatus in Boeotia eſſet, Perseus, quum ad Sycurium

ſtoriam narrans, vocat τριήρεις in Exc. Legat. num. 67. *Παραυτίκα καταρτύσαντες τριήρεις ἓξ, πέντε μὲν ἐξαπέστειλαν ἐπὶ Χαλκίδος, ἡγεμόνα συσήσαντες ἐπ' αὐτῶν Τιμαγόραν.*

§. 7. *Praetor, quia nusquam erat maritimum bellum, remisit sociis*] Polyb. l. laud. *Ὁ δὲ Λουκρήτιος πάντας ἀποδεξάμενος φιλανθρώπως, τοὺς κατὰ θάλατταν παραγεγονότας συμμάχους ἀπέλυσε τῆς χρείας· φήσας οὐ προσδεῖσθαι τὰ πράγματα τῆς κατὰ θάλατταν βοηθείας. Remisit sociis*, conceſſit sociis, ne auxilium navale mittere neceſſe foret: ut cap. 53, 4. *Omnibus gratiae actae, remissum omnibus.* Illa igitur locutio hic locum habere nequit, quia socii jam naves miserant, et claſſi Romanorum junxerant. Legendum igitur puto *remisit socios*, id eſt, eos domum dimisit. Mox *Halope* omnes edd. ante Gronov. qui recte anno 1665. adspirationem omisit.

§. 8. *Ad vastandum agrum Pheraeorum misit*] Vocem *agrum*, quam priores ignorant, demum inveni in ed. Paris. anni

(sicut ante dictum est) stativa haberet, frumento un-
9 dique circa ex agris convecto, ad vastandum agrum
Pheraeorum misit: ratus ad juvandas sociorum ur-
bes longius ab castris abstractos deprehendi Roma-
10 nos posse. Quos quum eo tumultu nihil motos anim-
advertisset, praedam quidem, praeterquam homi-
num, (pecora autem maxime omnis generis fuere)
divisit ad epulandum militibus.

1 LVII. Sub idem deinde tempus consilium et
consul et rex habuerunt, unde bellum ordirentur.
2 Regis creverunt animi vastatione concessa sibi ab
hoste Pheraei agri. itaque eundum inde ad castra,
3 nec dandum ultra spatium cunctandi, censebat. Et
Romani censebant, cunctationem suam infamem
apud socios esse, maximopere indigne ferentes, non
4 latam Pheraeis opem. Consultantibus, quid age-
rent, (aderant autem Eumenes et Attalus in consi-
lio) trepidus nuncius adfert, hostem magno agmine

1573. Cap. seq. §. 2. *Regis creverunt animi, vastatione concessa sibi ab hoste Pheraei agri.*

§. 10. *Praedam quidem, praeterquam hominum*] Forte, *praedae quod erat.* J. FR. GRON.

§. 1. *Consilium et consul et rex habuerunt*] Quum constanter edd. vett. praeferrent hoc loco *consilium*, et §. 4. *in consilio*, ac *consilio dimisso*, primi Basil. anno 1554. eam lectionem mutare conati sunt, reponentes *concilium* et *concilio*. Licet autem postea Parisini anno 1573. priscam scripturam restituerint, alteram tamen deinde Modius revocavit; quae iterum Gronovio displicuit. In notis enim ad 44, 2, 5. hic *consilium* reponendum monuit, eamque lectionem tribus memoratis locis anno 1665. contextui reddidit.

§. 2. *Regis creverunt animi*] Cl. Crevier. scribendum conjicit *Regi creverant animi.* Ex his *creverant* probandum videtur. Alterum anceps est. Aeque enim dici, *crescunt animi regis*, ac *regi*, vidimus ad 28, 19, 16. Id igitur non, nisi fide Mstorum, recipiendum.

Nec dandum ultra spatium cunctandi, censebat. Et Romani censebant] Jac. Perizonius ad marginem Livii *censebat* delendum putavit, ut oratio sit in-

adeſſe. Consilio dimiſſo, signum extemplo datur, ut arma capiant. Interim placet, ex regiis auxiliis centum equites et parem numerum jaculatorum peditum exire. Perseus hora ferme diei quarta, quum paullo plus mille paſſus abeſſet a caſtris Romanis, consiſtere signa peditum juſſit. praegreſſus ipse cum equitibus ac levi armatura, et Cotys cum eo ducesque aliorum auxiliorum praeceſſerunt. Minus quingentos paſſus ab caſtris aberant, quum in conspectu fuere hoſtium equites: duae alae erant magna ex parte Gallorum, (Caſſignatus praerat) et levis armaturae centum fere et quinquaginta Mysi aut Cretenses. Conſtitit rex, incertus quantum eſſet hoſtium. Duas inde ex agmine turmas Thracum, duas Macedonum, cum binis Cretensium cohortibus et Thracum, misit. Proelium, quum pares numero essent, neque ab hac aut illa parte nova auxilia subvenirent, incerta victoria finitum eſt. Eumenis

5 6 7 8 9

finitiva. Non aliam ad id causam habuiſſe videtur, quam quod *censebant* mox repetatur. Verum, Livium a vocum repetitione minime abhorrere, vidimus ad 1, 3, 9. Quum itaque unicus codex illam vocem agnoscat, nihil etiam mutandum puto.

§. 5. *Centum equites et parem numerum jaculatorum peditum*] Licet omnes edd. ita ex Mſto praeferant, numerus tamen hic erroris suspectus eſt. Mox enim equites nunc memorati, quum in conspectum Persei veniſſent, fuiſſe dicuntur duae alae, *et levis armaturae centum fere et quinquaginta*. Praeterea quum Perseus adversus eos duas turmas Thracum, duas Macedonum, cum binis Cretensium cohortibus et Thracum, misiſſet, tamen *pares numero* eſſe dicuntur §. 9.

§. 6. *Perseus ferme diei quarta*] Lego *Perseus hora ferme diei quarta*: neque enim in ejusmodi ἐλλειψιν adhuc apud Livium incidi. Paullo poſt [c. 58, 3.] *ante horam quartam*. SIG.

Praegressus ipse etc. *et Cotys cum eo ducesque* etc. *praecesserunt*] Manifeſtum eſſe, ultimam vocem vacare, recte monuit Cl. Crevierius.

§. 7. *Mysi aut Cretenses*] Fortaſſis *ac Cretenses*. Nam non apparet, cur dubie dicat *aut*. DUKER.

ferme triginta interfecti; inter quos Caſſignatus dux Gallorum cecidit. et tunc quidem Perseus ad Sycurium copias reduxit. poſtero die circa eamdem horam in eumdem locum rex copias admovit, plauſtris cum aqua sequentibus. nam duodecim millium passuum via omnis sine aqua, et plurimi pulveris erat: adfectosque siti, si primo in conspectu dimicaſſent, pugnaturos fuiſſe adparebat. Quum Romani quiessent, ſtationibus etiam intra vallum reductis, regii quoque in caſtra redeunt. Hoc per aliquot dies fecerunt; sperantes fore, ut Romani equites abeuntium noviſſimum agmen adgrederentur. inde certamine orto, quum longius a caſtris eos elicuiſſent, facile, ubiubi eſſent, se, qui equitatu et levi armatura plus poſſent, conversuros aciem.

LVIII. Poſtquam inceptum non succedebat, caſtra propius hoſtem movit rex, et a quinque millibus paſſuum communiit. inde, luce prima in eodem,

§. 11. *Pugnaturos fuisse adparebat*] Videndum, an melius sit *pugnaturos esse*. Si Perseus mutaſſet consilium adgrediendi Romanos, recte diceretur *pugnaturos fuisse*. Nec multum me movet *dimicassent*, pro dimicarent. DUKER.

§. 1. *Postquam inceptum non succedebat*] Locutionem hanc inluſtravi ad 8, 25, 12. Quum tamen *inceptum succedit* non alibi in Livio notarim, quam illo loco, quem optimi codicis varians scriptura dubium facit, et hoc, quem prae manibus habemus, ubi tamen, quia haec pars ex unico cod. edita eſt, librarius errare potuit, de ea dubitare incipio: neque alienus sum a conjectura Gronovii, qui lib. 8. ex veſtigiis integerrimi Mſti legebat *successisset inceptis*; hic vero, unica litera expuncta, *inceptu non succedebat* legendum eſſe, ferme persuasus eſt, et *inceptu* accipiendum pro *inceptui*. V. ad 8, 25, 6. [?] Utrum malit, judicet lector.

§. 5. *Circa tumulum, quem Callicinum vocant*] Ita primi typis excusi: *Calicinum* unica liquida dedit Vascos. idque servarunt editores usque ad Gronov. qui anno 1665. *Callicinum* reposuit. Alibi hujus tumuli mentionem non reperio. Neque huc referendi sunt *Καλλίκοινοι*, Ma-

quo solebat, loco peditum acie instructa, equitatum 2
omnem levemque armaturam ad castra hostium du-
cit. Visus et plurium et propior solito pulvis tre- 3
pidationem in castris Romanis fecit. Et primo vix
creditum nuncianti est, quia prioribus continuis die-
bus numquam ante horam quartam hostis adpa-
ruerat. tum solis ortus erat. Deinde ut plurium 4
clamore et cursu a portis dubitatio exemta est, tu-
multus ingens oboritur. tribuni, praefectique, et
centuriones in praetorium, miles ad sua quisque ten-
toria discurrit. Minus quingentos passus a vallo in- 5
struxerat Perseus suos circa tumulum, quem Calli-
cinum vocant. Laevo cornu Cotys rex praerat cum 6
omnibus suae gentis: equitum ordines levis arma-
tura interposita distinguebat. In dextro cornu Ma-
cedones erant equites: intermixti turmis eorum Cre-
tenses. Huic armaturae Milo Beroeaeus, equitibus 7
et summae partis ejus Meno Antigonensis praerat.

cedoniae populus, apud Polyb. 5, 108. Eos enim in Thraciae confinio sitos fuisse, statuit Ortel. Thes. Geogr. ea voce.

§. 7. *Huic armaturae Midon Bereus*] *Milo Beroeaeus.* Plutarch. enim in Paullo (263.) *Μίλωνα* nominat. SIG. Polyb. in Fragm. 69. habet *Μηδὼν Βεροιεύς*. unde videtur apud Livium *Medon Beroeus* scribendum, sive *Beroeaeus* ex Graeco numismate *BEPOIAIΩN*. URSINUS. Similiter pro *Midon* Sigonius *Milo* emendat, et in contextum recepit infra 44, 32. et 45. De illis locis, quum eo pervenerimus, videndum erit. Hic vero Sigonio adsentiri nequeo. Plutarchus enim *Μίλωνος* quidem meminit, non tamen eum Beroeaeum fuisse addit, deinde agit de gestis Aemilii in Macedonia, qui Persen devicit. Verius igitur est, ut cum Ursino ex Polyb. legamus *Medon*, vel *Medo*; eamdem enim, quam Livius, patriam ei adsignat. Rectius contra Sigonius *Beroeaeus*, quam Ursinus *Beroeus*. Nam Polybii *Βεροιεὺς* non est Latinorum *Beroeus*, sed *Beroeensis*. Stephan. autem a Beroea Macedoniae format gentile *Βεροιατος*. Supersunt etiam plures nummi cum inscriptione *BEPOIAIΩN*, qualem inter alios memorat Clariss. Wasse ad Thucyd. in Addendis pag. 666. Verum, hos nummos

8 Proximi cornibus constiterant regii equites, et mixtum genus, delecta plurium gentium auxilia: Patrocles Antigonensis hic et Paeoniae praefectus Didas
9 erant praepositi. Medius omnium rex erat. circa eum agema, quod vocant, equitumque sacrae alae.
10 Ante se statuit funditores jaculatoresque: quadringentorum manus utraque numerum expleverat. Iönem Thessalonicensem et Timanora Dolopem iis
11 praefecit. sic regii constiterant. Consul, intra val-

ad Beroeam Syriae referendos esse, docuerunt Tristan. tom. 1. Comm. Hist. pag. 414. Harduin. in Numm. Pop. et urb. et ad Plinii 5. Hist. Nat. 23. aliique.

Equitibus et summae partis ejus] Legendum *parti*, non *partis*. SIG. Genitivus pronominis non patitur legi *parti*. Meno praerat quidem equitibus, sed ita, ut simul ei tradita esset summa imperii totius illius partis, id est, totius dextri cornu. Quum Cotyn sinistrum cornu, regem mediam aciem tenuisse dicat, non debuit praeterire, quis dextro cornu praefuerit. Curtius 4, 12, 8. *Illi partibus copiarum, summae Orsines praeerat.* DUKERUS. Vulgatum adversus Sigonium tuetur etiam Doujatius. Id autem eodem modo exponit Crevierius.

§. 8. *Patrocles Antigonensis hic et Paeoniae praefectus Didas erant praepositi*] Legendum *his*, id est auxiliis gentium praeerat. SIGON. Lege *his*. J. FR. GRON. Clariss. Jac. Perizon. ad marginem Livii existimabat, necesse non esse, ut invitis membranis vulgatum mutetur: *hic* enim poni pro in hac parte. Ejus generis esse videtur *praeesse in Bruttiis* 25, 16, 7. et *regere in parte dextra* apud Sil. Ital. 9, 227.

§. 9. *Circa eum agema, quod vocant, equitumque sacrae alae*] Graecis ἄγημα dicitur *vehementia*, a qua etiam ἄγημα *agema* illud dictum, teste Arriano, peditum, equitum, et elephantorum, quod in bello ducem praecedebat, utpote quod fortis et vehemens esset in pugna. *Agemata* dixit Livius hoc eodem lib. 42, [51, 4.] Macedonum legiones; inquit enim: *Delecta deinde et viribus et robore aetatis ex omni cetratorum numero duo erant agemata, hanc ipsi legionem vocabant.* Q. Curtius de gest. Alex. lib. 4, [13.] ubi de acie Alexandri Macedonis scribit: *In dextro cornu locati sunt equites, quos agema appellant.* Et de eadem lib. 5, [4.] meminit idem author. Polyb. l. 5, [25.] de agemate ita scriptum reliquit: *Vocatis ad se scutatis et quos Macedones Agema vocant.* Et in alio loco ejusdem lib. [cap. 65.] *Eurylochus Magnes tribus millibus hominum praeerat, quos reges Agema vocant.* Quibus in locis ἄγημα legendum, non ἄγεμα, ut in codicibus, qui circumferuntur, mendose legitur. De *ala sacra*, seu sacris militibus, alibi fuse verba fecimus. MARC. DONAT. Ejus iterum meminit cap. 66. et 44, 42. Ubi de illis egerit Do-

lum peditum acie instructa, et ipse equitatum omnem cum levi armatura misit. pro vallo instructi sunt. Dextro cornu praepositus C. Licinius Crassus, consulis frater, cum omni Italico equitatu, velitibus intermixtis: siniſtro M. Valerius Laevinus sociorum ex Graecis populis equites habebat, ejusdem gentis levem armaturam. Mediam autem aciem cum delectis equitibus extraordinariis tenebat Q. Mucius. ducenti equites Galli ante signa horum instructi, et de

12

13

natus, incertum est. De *sacris alis* se nihil certi adferre posse, profitetur Crophius 1. Antiq. Maced. 23. quae de ἱερῷ λόχῳ Thebanorum e Caelio Rhodig. 9, 22. descripsit sutor centonum Godelev. nihil ad rem faciunt. DUK. Crevierius ad cap. 66. suspicatur, alas has equitum *sacras* vocari, quia circa ipsum regem pugnare solitae, eique tuendo speciatim addictae erant. Nec aliam esse ducebat *regiam alam*, memoratam Livio 37, 40, 11. Similiter Crophius l. laud. conjicit, *sacram* alam esse, quae Arriano 3, 11. ἡ ἴλη ἡ βασιλικὴ vocatur.

§. 11. *Consuli intra vallum*] Lege *Consul* perspicue. SIGON. Ita sola Basil. anni 1554. et quidem, ut videtur, operarum errore. Reliqui recte, ut Sigonius monet, *Consul, intra vallum*. Mox *emisit* primum adparuit in ultima Gruteri ed. Priores omnes *misit*, quod reduxi: quamvis tamen *emisit* forte verius sit.

§. 12. *Equites habebat, ejusdem gentis levem armaturam*] Videtur copula excidisse, ac legendum esse *et ejusdem gentis*.

§. 13. *Cum delectis equitibus extraordinariis*] Romani ex omni numero sociorum deligebant expertae virtutis equites ac pedites, quos *extraordinarios* vocabant; ἐκτραορδιναρίους, ὅ μεθερμηνευόμενον ἐπιλέκτους δηλοῖ, ait Polyb. 6, 24. In exercitu Licinii erant mille et quadringenti equites sociorum. cap. 27. et 31. Ex his si tertia pars, ut fieri solitum auctor est Polybius, in extraordinarios delecta fuit, hi nondum erant quadringenti et septuaginta; et hinc detractis ablectis, qui circum imperatorem erant, ut ibid. cap. 28. Polybius, et ex eo Lipsius 2. de Milit. Rom. 7. scribit, vix plus quadringenti. Jam si ex his praeterea delecti fuerunt, qui cum Q. Mucio in media acie essent, admodum exiguus equitum extraordinariorum numerus in ea fuit. Hoc et quod nusquam alibi in Livio neque equites, neque pedites extraordinarios *delectos* memorari inveni, mihi suspectam facit vocem *delectis* DUK. Vox *delectis* itidem suspecta erat Crevierio, qui eam eradendam putat, tamquam adpositam ab aliquo, qui exponere voluerit sensum vocis *extraordinarii*: vel potius excidisse copulativam, ac legendum putabat *cum delectis equitibus et extraordinariis*; per equites autem delectos intelligit, qui a Polyb. 6, 28. οἱ τῶν ἐπι-

14 auxiliis Eumenis Cyrtiorum gentis trecenti. Thessali quadringenti equites parvo intervallo super laevum cornu locati. Eumenes rex Attalusque cum omni manu sua ab tergo inter postremam aciem ac vallum steterunt.

1 LIX. In hunc modum maxime instructae acies, par ferme utrimque numerus equitum ac levis armaturae, concurrunt, a funditoribus jaculatoribus-
2 que, qui praecesserunt, proelio orto. Primi omnium Thraces, haud secus quam diu claustris retentae ferae, concitati cum ingenti clamore in dextrum
3 cornu, Italicos equites, incurrerunt; ut usu belli et ingenio inpavida gens turbaretur. gladiis hastas pe-

λέκτων ἱππέων ἀπόλεκτοι vocantur, et a Lipsio *ablecti* reduntur.

De auxiliis Eumenis Cyrtiorum gentis trecenti] *Cyrtios* non alios reperio, quam vel populum Mediae apud Strab. 11, 523. vel populum Persiae apud eumdem Strab. 15, 727. quos priori loco *Cartios*, *Καρτίους* vocat; sed ubi *Κυρτίους* restituendos esse Casaub. monet. Hi sive Persae sive Medi Cyrtii intelligendi videntur per *Cyrtaeos*, quos in exercitu Antiochi M. memorat Livius 37, 40. Similiter in exercitu Molonis, qui Mediae praefectus cum fratre Alexandro Persiae praefecto ab Antiocho M. defecerat, funditores Cyrtii fuisse dicuntur apud Polyb. 5, 52. Ex hac igitur gente, quae proprie ad regnum Antiochi Syriacum pertinuit, forte Eumenes transfugas quosdam stipendio conductos Romanis auxilio adduxit.

Thessali quadringenti equites] Cap. 55. *trecentos* dicit. Potuerunt deinde plures ad eos accedere. DUKER.

§. 2. *Claustris retentae ferae*] Proprie *claustra*. Eadem metaphora supra utitur 35, 18, 6. *Nosse se spiritus ejus, nosse animum: scire ferarum modo, quae claustris aut vinculis teneantur, ingentes jam diu iras eum in pectore volvere.* Vide Nic. Heins. ad Silii 1, 569.

§. 3. *Gladiis hastas petere pedites. Nunc succidere*] Suspicor conjungenda esse verba, *gladiis hastas petere pedites, nunc succidere.* Nam haec omnia peditum sunt in equites opera, ut alii hastas eorum gladiis peterent, alii crura equis succiderent, alii ilia suffoderent. SIG. Et ante et post quatuor priora vocabula vacuum spatium relictum erat in antiquioribus edd. quasi aliquid deesset. Hoc igitur lacunae indicium tollendum, et verba jungenda esse, Sigonius monuit.

tere pedites, nunc succidere crura equis, nunc ilia subfodere. Perseus, in mediam invectus aciem, 4
Graecos primo inpetu avertit: quibus quum gravis ab tergo instaret hostis; Thessalorum equitatus, qui a laevo cornu brevi spatio disjunctus in subsidiis fuerat extra concursum, primo spectator certaminis, deinde, inclinata re, maximo usui fuit. Cedentes enim sensim integris ordinibus, postquam se 5
Eumenis auxiliis adjunxerunt, et cum eo tutum inter ordines suos receptum sociis fuga dissipatis dabant, et, quum minus conferti hostes instarent, progredi etiam ausi, multos fugientium obvios exceperunt. Nec regii, sparsi jam ipsi passim sequendo, 6

§. 4. *Perseus in mediam invectus aciem, Graecos primo inpetu avertit*] *Graecos* dicit Aetolos, qui instar alae unius erant, cap. 55. et ceteros equites sociorum ex Graecis populis cap. 60. Hoc mihi non facile intellectu est. Nam quum cap. 58. hos in sinistro cornu Romanorum, in media autem eorum acie equites extraordinarios, et Gallos cum auxiliis Eumenis fuisse scribat, quomodo Perseus, qui mediam aciem Macedonum tenebat, in mediam aciem Romanorum invectus Graecum equitatum, qui in ea non erat, primo impetu avertere potuit? DUKER.

Quibus quum gravis ab tergo instaret] *gravius* Gruterus edidit. Sed *gravis*, ut praeferunt antiquiores typis descripti, Gronov. anno 1665. restituit. Similem errorem ope codd. e Livii 27, 4, 1. sublatum esse, memorat hoc loco Crevier.

A laevo cornu brevi spatio disjunctus] Primum exemplar *dijunctus*. J. FR. GRON. Similiter *dijungeret* ex eodem edebatur supra cap. 46, 6. pro quo Clericus *disjungeret* substituit, ut hoc loco *disjunctus* primi dederunt Basil. anno 1554. obsecuti praeceptis grammaticorum. Vide Priscian. 14. Gramm. 1002. Alcuin. in Gramm. p. 2141. Velium Long. in Orthogr. p. 2227. et Cassiod. de Orthogr. p. 2294.

§. 6. *Nec regii, sparsi jam ipsi passim sequendo*] Male Doujatius per *regios* intelligit Eumenis milites; quum vel caeco adpareat, indicari milites regios Persei, qui jam ipsi sparsi erant, passim sequendo Romanos, post rem inclinatam fuga dissipatos. Similiter *regii* vocantur, et Romanis obponuntur cap. seq.

Certo incidentibus gradu] Lego *incedentibus*, ut lib. 21, (35, 7.) *Cum signis prima luce motis segniter agmen incederet.* Et Ovidius lib. 10. Met. (49.) *incedere passu* dixit. SIG. *incedentibus* omnes, quas vidi, edd.

cum ordinatis et certo incedentibus gradu manus
7 conserere audebant. Quum, victor equestri proelio rex parvo momento si adjuvisset, debellatum esset, opportune adhortanti supervenit phalanx, quam sua sponte, ne audaci coepto deessent, Hippias et Leonatus raptim adduxerant, postquam prospere pu-
8 gnasse equitem acceperunt. Fluctuante rege inter spem metumque tantae rei conandae, Cretensis Euander, quo ministro Delphis ad insidias Eumenis regis usus erat, postquam agmen inpeditum venien-
9 tium sub signis vidit, ad regem adcurrit, et monere instituit, *ne elatus felicitate summam rerum temere*
10 *in non necessariam aleam daret. Si contentus bene re gesta quiesset eo die, vel pacis honestae conditio-*

una excepta Basil. anni 1554. quae, verisimiliter operarum lapsu, *incidentibus* exhibet.

§. 7. *Si adjuvisset, debellatum esset*] *debellaturus* ut legatur, sensus postulat. SIG. Forte *debellaturus esset*. J. FR. GRONOV. Doujatius monuit, sententiam absque hac correctione constare. Etenim *debellatum esset* sub hypothesi dici, *si victor equestri proelio rex parvo momento adjuvisset*. Locum itaque distinctione adjuvi; licet tamen mihi aeque ac Crevierio, magis placeat Sigonii et Gronovii conjectura.

Opportune adhortanti supervenit phalanx] Non sine causa rogat Crevierius, si adhortabatur suos Perseus ad peragendam victoriam, cur igitur tam bona occasione segniter usus est? Conjicit itaque legendum *adhuc stanti supervenit*, id est, nondum receptui canere jubenti, quod paulo post fecit. Quod mihi verum videtur.

Ne audaci coepto deesset] *deessent*. Refertur enim ad Hippiam et Leonatum, non ad phalangem. SIG. *deesset* tuetur Doujatius, et tamen non ad phalangem refert, sed ad ipsum Persea. Conjecturam Sigonii praeferendam puto. De orthographia nominis *Leonatus* vide ad cap. 51, 4.

§. 8. *Postquam agmen inpeditum venientium sub signis vidit*] Intelligit phalangem, quae opportune regi superveniisse dicitur. Cur autem *impeditum agmen* vocetur, non video, cum, expediti ad pugnam et ab ipso rege instructi, eodem, quo solebant, loco steterint pedites c. 58. *Impeditum* vero *agmen* est, quod impedimenta secum habet, atque iter facit. Vide 43, 23, 2. Contra *ad pugnam exibant expediti* 44, 4, 1. Scribe *agmen peditum*. Paulo post de iisdem *peditumque agmen re-*

nem habiturum, vel plurimos belli socios, qui fortunam sequerentur, si bellare mallet. In hoc consilium pronior erat animus regis. Itaque, conlaudato Euandro, signa referri, peditumque agmen redire in castra jubet; equitibus receptui canere. 11

LX. Cecidere eo die ab Romanis ducenti equites, duo millia, haud minus, peditum; capti ferme ducenti equites. ex regiis autem viginti equites, quadraginta pedites interfecti. Postquam rediere in castra victores, omnes quidem laeti, ante alios Thracum insolens laetitia eminebat: cum cantu enim superfixa capita hostium portantes redierunt. Apud Romanos non moestitia tantum ex male gesta re, sed pavor etiam erat, ne extemplo castra hostis adgre- 1 2 3

dire in castra jubet. JAC. PERIZON. Phalanx *inpeditum agmen* dici potest ratione pugnae, quae ineunda erat. Melior enim illa, si pugna stataria committenda foret; ut contra admodum inpedita propter longitudinem hastarum, si loco moveri, et vel cedere, vel cedenti hosti instare deberet. V. Livium 9, 19. 31, 39. 32, 17. 33, 8. 9. et 44, 37. 41. Admodum tamen blanditur Perizonii conjectura.

§. 11. *Equitibus receptui canere*] Nempe eos, quorum id munus erat. Vide ad cap. 24, 5.

§. 1. *Cecidere eo die ab Romanis*] Summam colligit omnium Plutarch. in Apophth. [p. 197.] duo millia octingentos, qui aut caesi, aut capti sint. SIG. Alium et a priori, et a Livii numero diversum edit idem Plut. in vita Aemil. Paull. pag. 259. *Πόπλιόν τε γὰρ Λικίννιον ἐμβαλόντα πρῶτον εἰς Μακεδονίαν, τρεφάμενος ἱππομαχίᾳ δισχιλίους πενταποσίους ἀνδρας ἀγαθοὺς ἀπέκτεινε, καὶ ζῶντας ἄλλους ἑξακοσίους ἔλαβε.*

Cum cantu enim superfixa capita hostium portantes redierunt] Postrema dictio nihil facit ad rem: abesse poterat. GRUTER. Videtur excidisse *το hastis*, aut simile teli genus. J. FR. GRON. Potuit hic excidisse vox *hastis*. Verisimilius tamen videtur, librarios vocem minus notam, quam non intelligebant, omisisse. Videndum igitur, num Livius dederit *cum cantu enim romphaeis* (vel *rumpiis*) *superfixa*. Nam *romphaea* erat genus teli Thracum, teste Gell. 10, 25. cujus et Livius supra meminit 31, 39, 11. *Thracas quoque romphaeae, ingentis et ipsae longitudinis, inter objectos undique ramos inpediebant.* ubi quaedam vide. Verbum autem *superfigere*, lexicorum compi-

derctur. Eumenes suadere, ut trans Peneum transferret castra; ut pro munimento amnem haberet, 4 dum perculsi milites animos colligerent. Consul moveri flagitio timoris fatendi: victus tamen ratione, silentio noctis transductis copiis, castra in ul- 5 teriore ripa communit. Rex, postero die ad lacessendos proelio hostes progressus, postquam trans amnem in tuto posita castra animadvertit, fatebatur quidem peccatum, quod pridie non institissent victis; sed aliquanto majorem culpam esse, quod nocte fo- 6 ret cessatum. nam, ut neminem alium suorum moveret, levi armatura inmissa, trepidantium in transitu fluminis hostium deleri magna ex parte copias 7 potuisse. Romanis quidem praesens pavor demtus erat, in tuto castra habentibus: damnum inter cetera

latoribus antea incognitum, Falster. in Supplem. Ling. Lat. cruit ex Treb. Poll. in Claudio Goth. c. 3. *Illi totius orbis judicio in Rostris posita est columna, cum palmata statua superfixa.* Majorem tamen verbo illi auctoritatem conciliat hic locus Livii, modo sanus et integer sit. *infigere* in eadem re dixit Liv. 10, 26. *Gestantes capita lanceis infixa, ovantesque moris sui carmine. subfigere* Suet. in Galb. 20. *Hasta subfixum non sine ludibrio circum castra portarunt.* (* Mox §. 3. Ampl. Roëllius ad *transferret castra* vel vocem *consul*, quae mox sequitur, hic excidisse, vel *transferrent* et *haberent* legendum censet, quia praecessit *apud Romanos.*)

§. 8. *Et in consilio apud consulem*] Ita primae edd. pro quo in *concilio* substituit Modius. Sed recte Gronov. ad 44, 2, 5. priscam lectionem vindicavit, eamque anno 1665. in contextum recepit.

In Aetolos conferebant caussam. ab iis fugae] Falso hanc culpam in Aetolos conlatam esse, testatur Appian. Alex. in Exc. Legat. num. 26. Αἰτωλῶν δε καὶ ἑτέρων Ἑλλήνων κατεψεύσατο, ὡς πρώτων τραπέντων.

§. 9. *Et ceteros socios Graecorum populorum*] Intelliguntur Graeci, qui erant socii Romanorum. Notandum genus loquendi *socii Graecorum populorum* pro socii Graeci. *socios ex Graecis populis* supra vocavit cap. 58.

§. 10. *Thessali pro concione laudati*] Appian. Exc. Legat. num.

tera praecipue famae movebat. et in consilio apud consulem pro se quisque in Aetolos conferebant cauſſam; *ab iis fugae terrorisque principium ortum. secutos pavorem Aetolorum et ceteros socios Graecorum populorum.* Quinque principes Aetolorum primi terga vertentes conspecti dicebantur. Theſſali pro concione laudati, ducesque eorum etiam virtutis cauſſa donati. 8 9 10

LXI. Ad regem spolia caesorum hoſtium referebantur. dona ex his, aliis arma insignia, aliis equos, quibusdam captivos dono dabat. scuta erant supra mille quingenta: loricae thoracesque mille amplius summam explebant; galearum gladiorumque et missilium omnis generis major aliquanto numerus. Haec, per se ampla, pleraque multiplicata verbis regis, quae ad concionem vocato exercitu habuit. *Prae-* 1 2 3

26. Ἐκκλησίαν συναγαγὼν Θεσσάλοις μὲν ἐμαρτύρησεν ὡς ἀνδράσιν ἀγαθοῖς περὶ τὴν συμφορὰν γενομένοις.

§. 2. *Dona ex his, aliis* etc. *dono dabat*] In his non quidem offendit repetitio vocis *donum*: saepissime enim Livium voces modo usurpatas repetere solitum fuiſſe, vidimus ad 1, 3, 9. sed potius ipsa locutio *donum dono dare*, cujus aliud exemplum nondum notavi. *donis donare* habemus supra 25, 18, 15. *Laudatusque ibi magnifice et donis donatus.* at multum adhuc differunt *donis donare* et *dona dono dare.* Vel igitur alterutrum, aut *dona*, aut *dono*, expungendum arbitror, vel pro *dono dabat* legendum eſſe *donabat.*

Scuta erant supra mille quingena] Ita Gruteri poſtrema ed. Priores per notas exhibent *supra MD.* quod reddendum erat *supra mille quingenta*, ut recte edidit Crevierius. V. ad 32, 28, 11. et 42, 66, 5.

Loricae thoracesque mille amplius summam explebant] Lege *millenûm.* J. FR. GRON. Vulgatae lectionis sensus eſt *loricae thoracesque explebant amplius summam mille*, id eſt amplius quam summam mille partim loricarum, partim thoracum. Gronovius *millenûm* conjecit, ut per numerum distributivum indicaret, expleſſe amplius, quam summam mille loricarum et mille thoracum. Licet autem primae edd. per notas legant *M. amplius summam*, tamen *millenûm* cum Clerico in contextum admittere non audeo.

4 *judicatum eventum belli habetis. Meliorem partem*
hostium, equitatum Romanum, quo invictos se esse
5 *gloriabantur, fudistis. Equites enim illis principes*
juventutis, equites seminarium senatus: inde lectos
in Patrum numerum consules, inde imperatores cre-
ant. horum spolia paullo ante divisimus inter vos.
6 *Nec minorem de legionibus peditum victoriam habe-*
tis. quae, nocturna fuga vobis subtractae naufrago-
rum trepidatione passim natantium flumen comple-
7 *verunt. Sed facilius nobis sequentibus victos Pe-*
neum superare erit, quam illis trepidantibus fuit;
transgressisque extemplo castra obpugnabimus, quae
8 *hodie cepissemus, ni fugissent. Aut, si acie decer-*
nere volent, eumdem pugnae pedestris eventum ex-
9 *spectate, qui equitum in certamine fuerit.* Et qui

§. 4. *Meliorem partem hostium, equitatum Romanum*] Vide Spanhem. ad Orat. 1. Juliani p. 112. Sed miror, Livium in describendo proelio nihil de equitatu Romano fuso, quo se tantopere jactat Perseus, dixisse; sed tantum equitatum Graecorum ab eo victum narrasse. DUKERUS.

§. 9. *Humeris gerentes ante ora sua audivere*] Bifrontes utique fuere hoc genus hominum, qui, quae humeris gerebant, ante ora sua habuere. Expiemus hoc monstrum scribendo: *et qui vicerant, alacres, spolia caesorum hostium humeris gerentes, facinora sua audivere.* Vel *decora sua.* J. FR. GRONOV. Doujatius, licet emendationem Gronovii non modo ingeniosam, sed etiam valde probabilem et rebus congruentem fateatur, ut tamen vulgato patrocinium paret, statuit, si Macedonico more ex imitatione Herculis inposita capiti atque humeris ponamus spolia, (cujusmodi ferarum pelles, quibus galearum ac thoracum vice uterentur) nihil vetare, quominus, quae humeris gerebantur, potuerint etiam partem oris aliquam vestire: potuisse et alacres videri, quod *ante ora sua* (quae Hebraïca loquendi forma idem significat ac coram se) audirent, quae a rege de se ipsis pronunciata publice fuerant. Quid hoc homine facias, cui similia excidere potuerunt? Per *spolia caesorum hostium* intelliguntur arma caesis hostibus erepta, qualia scuta, loricae, thoraces, galeae, gladii et similia supra hoc cap. memorata: qua autem ratione illa humeris gestata partem oris vestire potuerunt? aut quid hic faciunt ferarum pelles? Statuere enim, milites Romanorum caesos (illis

vicerant alacres, spolia caesorum hostium humeris gerentes, ante ora sua audivere, ex eo, quod acciderat, spem futuri praecipientes: et pedites, aliena 10
gloria accensi, praecipue qui Macedonum phalangis erant, sibi quoque et navandae regi operae, et similem gloriam ex hoste pariendi, occasionem optabant. Concione dimissa, postero die profectus inde 11
ad Mopsium posuit castra. tumulus hic inter Tempe et Lariſſam medius est.

LXII. Romani, non abscedentes ab ripa Penei, 1
transtulerunt in locum tutiorem castra. Eo Misa- 2
genes Numida venit cum mille equitibus, pari peditum numero, ad hoc elephantis duobus et viginti. Per eos dies consilium habenti regi de summa, quum 3
jam consediſſet ferocia ab re bene gesta, ausi sunt

enim erepta spolia erant) Macedonico more ex imitatione Herculis, ferarum pellibus galearum ac thoracum vice usos esse, quae demum dementia est? Cur denique, ut vulgatam scripturam probam esse doceret, huc adtulit, Hebraïcam loquendi formulam *ante ora sua* idem significare, ac coram se? An Livium eam imitatum esse sani capitis judicium videri potest? Neque probare possum Clerici sententiam, qui quidem agnoscit, *ante ora sua* referri non posse ad arma, quae humeris gerebantur, sed tamen minime mutatione opus esse contendens jungit *ante ora sua audivere*; quod exponit coram ipsos laudantem Persea audivere. Mirum loquendi genus *ante ora sua audivere* pro coram se laudantem audire, cujus simile exemplum adductum oportuerat. Nihil magis placet, quam prior Gronovii conjectura. addita litera *f*, quae elisa erat ab ultima litera vocis praecedentis, parva mutatione ex *ante ora* fit *facinora*.

§. 11. *Ad Mopselum posuit castra*] *Mopsium* lego ex Stephano: *Μόψιον πόλις τῆς Πελασγιώτιδος Χώρας Θετταλίας· Στράβων ἐννάτῃ*. SIG. Locus Strabonis a Stephano laudatus exstat lib. 9, 443. ubi docet, Thessaliae urbem Mopsium dictam esse a Mopso Lapitha, expeditionis Argonauticae socio. De Mopso illo vide Cel. Burm. in Catalogo Argonaut. quem Valer. Flacc. praefixit.

§. 3. *Consilium habenti regi de summa*] Ita edd. vett. usque ad Modium, qui, nescio quo odio vocem *consilium* prosecutus, ut innumeris locis antea, ita etiam hic ei *concilium* substituit. Id merito displicuit Gronovio, qui ad lib. 44, 2, 5. priscam lectionem

quidam amicorum consilium dare, ut secunda fortuna in conditione honestae pacis uteretur potius, quam, spe vana evectus, in casum inrevocabilem se
4 daret. *Modum inponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati praesentis fortunae, prudentis ho-*
5 *minis et merito felicis esse. Mitteret ad consulem, qui foedus in easdem leges renovarent, quibus Philippus pater ejus pacem a T. Quinctio victore acce-*
6 *pisset. Neque finiri bellum magnificentius, quam a tam memorabili pugna; neque spem firmiorem pacis perpetuae dari, quam quae perculsos adverso proelio*
7 *Romanos molliores factura sit ad paciscendum. Quod si Romani tum quoque insita pertinacia aequa adspernarentur, Deos hominesque et moderationis Per-*

vindicavit, et anno 1665. contextui restituit. Praeterea, *summa* ita absolute poni, nullam suppetit exemplum. Puto igitur excidisse vocem, et legendum esse *de summa belli*. Ita 31, 37, 5. *Non in praesentis modo certaminis gloriam, sed in summam etiam belli profectum foret.* 32, 17, 9. *Ad summam universi belli pertinere ratus.* 36, 14, 6. *Consul Larissam est profectus, ibi de summa belli consultaturus.* 44, 2, 1. *Consultare de summa gerendi belli coepit.* cap. 3, 8. *Postquam summam belli tam e propinquo conspexerunt.* Eodem modo *summa rei*, vel *rerum*; de quo vide ad 8, 26, 6. Similiter etiam Cel. Dukerus legendum censuit, laudato loco Virgil. 9. Aen. 227.

Consilium summis regni de rebus habebant.

Posses etiam *de summo bello*. Vide Clariss. Oudend. ad Caesar. 8. B. Gall. 6. et ita *summa res* ac *summa respublica*, de quo v. Gronov. ad 26, 10, 1. et 38, 50, 9. Ceterum cum his conferendus est Polyb. in Exc. Legat. 69. qui refert similiter, quosdam eorum, quos Perseus in consilium vocarat, ei auctores fuisse, ut de pace legatos ad Romanos mitteret, eumque illis obtemperasse. Appian. Alex. in Exc. Legat. num. 26. aliis de causis legatos missos suspicatur.

Ut secunda fortuna in conditione honestae pacis uteretur] Forte *in conditionem*. J. FR. GRON. Doujatius vulgatum adversus Gronov. tuetur, ac docet, *in conditione pacis* poni pro in pace condenda, cum pacem faceret. Malo tamen *in conditionem honestae pacis*, id est ad condendam pacem honestam. Vide ad 22, 25, 19. De usu vocis *conditio* hac notione vide ad 24, 30, 1.

sei, et illorum pervicacis superbiae, futuros testes. Numquam ab talibus consiliis abhorrebat regis ani- 8
mus. itaque plurium adsensu comprobata est sententia. Legati, ad consulem missi, adhibito fre- 9
quenti consilio, auditi sunt. *Pacem petere, vecti-* 10
gal, quantum Philippus pactus esset, daturum Persea Romanis pollicentes. *urbibus, agris, locisque, quibus Philippus cessisset, cessurum primum.* haec legati. Submotis his, quum consultarent, Romana 11
constantia vicit in consilio. Ita tum mos erat, in adversis vultum secundae fortunae gerere, moderari animos in secundis. Responderi placuit, *Ita* 12
pacem dari, si de summa rerum liberum senatui permittat rex de se deque universa Macedonia sta-

§. 6. *Neque finiri bellum magnificentius*] Omnino hic desiderari vocem *posse*, judicat Clariss. Crevierius.

§. 9. *Legati, ad consulem missi*] Qui a Polyb. Exc. Legat. num. 69. vocantur Πάνταυχος Βαλάκρου καὶ Μηδὼν Βερσιεύς. Utriusque Livius jam supra meminisse creditur. De Pantaucho vide ad cap. 39, 9. de altero ad cap. 58, 7.

§. 10. *Pacem petere, vectigal* etc. *daturum Persea Romanis pollicentes*] Ultimum verbum Crevierio videtur esse a mala manu, quae Livio succurrere voluerit, ne nimium hiaret oratio. Similem ob caussam se conjecisse, delendam esse vocem *censebat* 30, 7, 7. *censeo* 36, 7, 3. Minori mutatione, unica tantum litera inserta, *Pacem petiere* legit Cl. Jac. Perizon. ad marginem Livii.

Cessurum primum] Pro *primum* repono *Perseum*, evidente sensu. nam dixit etiam: *vectigal, quantum Philippus pactus esset, daturum Persea Romanis pollicentes.* SIG. *cessurum Perseum* Sigonii est, quum ex codice singulari edidissent *cessurum primum.* Ille quidem evidente sensu conjecturam suam probari putat. At quis credat, Livium ibi repetere voluisse vocem *Persea;* dein non *Persea,* sed *Perseum* dicturum fuisse? Lege potius *cessurum et ipsum.* J. FR. GRON. Sigonii conjecturam admitti non posse, optime J. Fr. Gronovius ostendit. Vel igitur cum eo legendum *cessurum et ipsum,* vel, quod Clariss. Jac. Perizonio ad marginem Livii visum erat, *cessurum quam primum.*

§. 12. *Ita pacem dari, si de summa rerum* etc.] Eadem sententia est apud Plutarch. in Apophtheg. P. Licinii consulis [p. 197.] SIGON. Polyb. id ita ex-

13 *tuendi jus.* Haec quum renunciaſſent legati, miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum eſſe; et plerique vetare, amplius mentionem pacis facere. ultro mox quaesituros, quod oblatum faſtidiant. 14 Perseus hanc ipsam superbiam, quippe ex fiducia virium eſſe, timere: et, summam pecuniae augens, si pretio pacem emere poſſet, non deſtitit animum 15 consulis tentare. Poſtquam nihil ex eo, quod primo responderat, mutabat, desperata pace, ad Sycurium, unde profectus erat, rediit, belli casum de integro tentaturus.

1 LXIII. Fama equeſtris pugnae, vulgata per Graeciam, nudavit voluntates hominum. non enim so-

primit in Exc. Legat. num. 69. *Πλὴν τότε γε τοιαύτην ἔδωκαν τὴν ἀπόκρισιν. ἐκέλευον γὰρ ἐπιτρέπειν τὸν Περσέα τὰ καθ' ἑαυτὸν· καὶ καθόλου διδόναι τῇ συγκλήτῳ τὴν ἐξουσίαν, ὡς ἂν αὐτῇ δοκῇ βουλεύεσθαι περὶ τῶν κατὰ τὴν Μακεδονίαν.* Appian. in Exc. Legat. num. 26. *Ὁ δὲ Περσεὺς μὲν ἀπεκρίνατο, Ῥωμαίων ἀξίας ὄνκ εἶναι διαλύσεις αὐτῷ, εἰ μὴ καὶ Μακεδόνας καὶ ἑαυτὸν ἐπιτρέψειε Ῥωμαίοις.*

§. 13. *Miraculo ignaris ** moris pertinacia*] Tolle aſteriscos: nihil enim prorsus abeſt: *Haec quum renunciassent legati, miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum esse.* Nihil eſt difficultatis, nisi quod *τὸ Romanorum*, quasi bis positum, accipiendum eſt hoc sensu: miraculo erat pertinacia Romanorum ignaris moris eorundem Macedonibus. J. FR. GRON. Aſteriſci, quos Gronovius recte suſtulit, absunt etiam ab omnibus edd. antiquioribus. Dan. Heinsius demum eos addidit in ed. Elzeviriana. *ignaris moris*, cujus nempe modo meminerat: *Ita tum mos erat, in adversis vultum secundae fortunae gerere, moderari animos in secundis.*

§. 1. *Quidam vim superbiamque experti*] Videtur *excidiſſe Macedonum.* J. FR. GRONOV. Cl. Clericus nihil excidiſſe exiſtimat, et intelligit vim et superbiam Romanorum, propter quas victos eos nonnulli Graecorum gaudebant: sperantes nempe, eos ideo mitius secum acturos, vel commodam rerum novandarum occasionem emersuram. Sed omnino praeferenda eſt Gronovii sententia. Non videtur enim Livius satis decore fateri posse, Romanos suos violenter et superbe cum Graecis egiſſe; qui alibi gentis suae vitia in quosdam tantum eorum duces ac magiſtratus conferre solet. Praeterea, si tamen id vel vi veritatis victus, vel inprudenter fassus eſt, *pravum studium* vocare nequit, quod vim et superbiam Romanorum experti adversam

lum, qui partis Macedonum erant, sed plerique, ingentibus Romanorum obligati beneficiis, quidam vim superbiamque experti, laeti eam famam accepere: non ob aliam cauſſam, quam pravo ſtudio, 2
quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur deteriori atque infirmiori favendo. Eodem tempore in 3
Boeotia summa vi Haliartum Lucretius praetor obpugnarat: et, quamquam nec habebant externa auxilia obſelli, praeter Coronaeorum juniores, qui prima obsidione moenia intraverant, neque sperabant, tamen ipsi animis magis, quam viribus, resiſtebant. nam et eruptiones in opera crebro faciebant: et 4
arietem admotum, libramento plumbi gravatum, ad

eorum fortunam laeti audirent. Denique *deteriori favere* dici non poſſunt, qui vim et superbiam Romanorum experti Macedonibus favent. At contra merito *pravum studium* adpellat, quod quidam Graecorum Macedonibus faverent, a quibus inpotenter habiti eſſent; idque recte dicit *deteriori favere*.

§ 2. *Deteriori atque infirmiori favendo*] Scribe *favendi*. Adhaeret enim hoc verbum τῷ *studio*. J. FR. GRON. Si codex vel priscae edd. *favendi* praeferrent, ei lectioni controversiam non censerem movendam. Nunc vulgato adhaereo, idque expono per appositionem sive epexegesin, quasi diceret pravo ſtudio, id eſt, deteriori atque infirmiori favendo. Clariſſ. Ant. Perizon. ad marginem Livii adscripserat, sibi etiam nihil mutandum videri, et verba haec referenda eſſe non ad τὸ *studio*, sed ad proxima *quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur*.

§. 3. *Haliartum Lucretius praetor obpugnarat*] Sensus requirit, ut legamus *obpugnabat*. Non enim deſtiterat ab obpugnatione. Et ita legendum eſſe, conjecit enim Clariſſ. Dukerus.

Prima obsidione moenia intraverant] Cl. Jac. Gronov. ad 2, 33, 7. *prima obsidione* accepisse videtur pro prima parte obsidionis, pro initio obsidionis. Ita autem vocem *primus* sumi poſſe, certum eſt. Hic tamen *prima obsidione* proprie accipiendum eſt, ut diſtinguatur a secunda. Vide supra cap. 56. Et ita locum exponendum eſſe, Doujatius docuit.

§ 4. *Si qua declinarent, qui agebant ictum*] Locus varie accipi poteſt, pro ratione, qua interpungatur. Si jungas *qui agebant ictum*, sensus erit, si illi, qui agebant ictum, id eſt, qui libramento plumbi incuſſo arietem ad terram urguere conabantur, ab eo declinarent, et aberrarent, eaque re fieret, ut aries murum discuteret. Si interpungas *declinarent*, *qui agebant*,

terram urguebant: et, si qua declinarent, qui agebant, ictum, pro diruto muro novum tumultuario opere, raptim ex ipsa ruinae strage congestis saxis, 5 exstruebant. Quum operibus obpugnatio lentior esset, scalas per manipulos dividi praetor jussit, ut corona undique moenia adgressurus; eo magis subfecturam ad id multitudinem ratus, quod, qua parte palus urbem cingit, nec adtinebat obpugnari, nec 6 poterat. Ipse ab ea parte, qua duae turres, quodque inter eas muri prorutum fuerat, duo millia militum delectorum admovit; ut eodem tempore, quo ipse transcendere ruinas conaretur, concursu adversus se oppidanorum facto, scalis vacua defenso- 7 ribus moenia capi parte aliqua possent. Haud segniter oppidani vim ejus arcere parant. nam super stratum ruinis locum, fascibus aridis sarmentorum injectis, stantes cum ardentibus facibus accensuros ea se saepe minabantur, ut, incendio intersepti ab hoste, spatium ad objiciendum interiorem murum

ictum, sensum puto, si qua declinarent ictum, nempe molis illius plumbeae, qui agebant, scilicet arietem, et hinc aliquam muri partem prouerent. Hoc posteriori sensu verba Livii interpretatur Cl. Crevierius, idque verius puto, quia *agere ictum* potius de iis, qui murum ictu arietis feriebant, quam de propugnatoribus, dici posse videtur. *declinare ictum*, ut fere *declinare ictus arietis* 36, 23, 2. *Quum ariete quaterentur muri, non laqueis, ut solet, exceptos declinabant ictus.*

Ex ipsa strage congestis saxis] *ex ipsa ruinae strage* omnes edd. ante Gruterum, cujus ultima vocem *ruinae* perperam omisit. Eam vero Crevierius demum restituit. *Strages* sunt subversa ac strata quaevis corpora, sive animata, sive inanimata. Ita *strages corporum armorumque* supra 2, 59, 8. ubi vide. *strages pruinae* apud Val. Flacc. 5, 159. ita hic *strages ruinae*, sunt saxa ac lapides, ex proruto muro passim strata. Similiter strata proelio cadavera *stragem ruinae similem* vocavit Livius 4, 33, 8. ubi vide. Adde Celeberr. Dukerum ad 5, 43, 3. Hoc modo *strata ruinis* 21, 12, 2. *Strataque omnia recentibus ruinis*

haberent. Quod inceptum eorum fors inpediit. 8
nam tantus repente effusus est imber, ut nec accendi facile pateretur, et exstingueret accensa. Itaque 9
et transitus per distracta fumantia virgulta patuit; et, in unius loci praesidium omnibus versis, moenia quoque pluribus simul partibus scalis capiuntur. In 10
primo tumultu captae urbis seniores inpubesque, quos casus obvios obtulit, passim caesi: armati in arcem confugerunt: et postero die, quum spei nihil supereſſet, deditione facta, sub corona venierunt. Fuerunt autem duo millia ferme et quingen- 11
ti: ornamenta urbis, statuae et tabulae pictae, et quidquid pretiosae praedae fuit, ad naves delatum: urbs diruta a fundamentis. Inde Thebas ductus ex- 12
ercitus: quibus sine certamine receptis, urbem tradidit exsulibus, et qui Romanorum partis erant: adversae factionis hominum, fautorumque regis ac Macedonum familias sub corona vendidit. his gestis in Boeotia, ad mare ac naves rediit.

advenienti Hannibali ostendit. Et mox hoc cap. *Super stratum ruinis locum fascibus aridis sarmentorum injectis.*

§. 5. *Ut corona undique moenia adgressurus*] Et re vera etiam adgressus est. Quare redundat vocula *ut*, quam deleo, ut natam ex ultimis literis praecedentis *jussit*. Vide etiam ad 45, 20, 3. Contrario errore eamdem particulam a literis illis interceptam esse, vidimus ad 24, 16, 17.

§. 7. *Incendio intercepti ab hoste*] Legit Florebellus *intersepti*, quod est melius. SIGON. *intersepti* omnes edd. praeter Basil. anni 1554. quae operarum, ut videtur, errore *intercepti* exhibet. Verum *intersepire* inlustratur supra 6, 9, 7. et 25, 39, 2.

§. 10. *Seniores inpuberesque*] Ita primus Modius. Priores *inpubesque*, quod invito cod. mutatum non oportuerat. V. ad 2, 13, 10. et Vossium 3. Gramm. 13. Veterem itaque scripturam Livio reddidi.

§. 12. *Inde Thebas ductus exercitus*] Observat Crevierius, Thebanos supra cap. 44. decreviſſe, ut tolleretur regia societas, et fidei legatorum Romanorum civitatem commendaſſe: et

1 LXIV. Quum haec in Boeotia gererentur, Perseus ad Sycurium ſtativa dierum aliquot habuit. 2 Ubi quum audiſſet, raptim Romanos circa ex agris demeſſum frumentum convehere, deinde ante sua 3 quemque tentoria spicas fascibus desecantem, quo purius frumentum tereret, ingentes acervos per tota caſtra ſtramentorum feciſſe: ratus incendio opportuna eſſe, faces, taedamque, et mallcolos ſtuppae inlitos pice parari jubet: atque ita media nocte profectus, 4 ut prima luce adgreſſus falleret. Nequidquam. pri-

cap. 46. tentatos a rege Perseo nihil motos eſſe. Vel igitur hic alterius civitatis nomen Livium posuiſſe, vel aliquid de Thebanis omisiſſe, unde nosse possemus, cur adversus eos Romanus exercitus ducatur.

§. 2. *Spicas falcibus desecantem*] Ita demum Gronov. anno 1665. edidit. Omnes priores *fascibus desecantem* pro desecantem de fascibus ſtramenti. *secare de manipulis* dixit Varro 1. de Re ruſt. 50. Utrum *falcibus* admitti poſſit, non conſtituo. Falcibus utebantur ad demetendum frumentum. Utrum vero milites demeſſi frumenti spicas falcibus, an alio inſtrumento desecuerint, mihi non conſtat. Si tamen falcibus fecerint, quid adtinebat id memorari, aut quae in ea re emphasis eſt? Priscam igitur lectionem revocavi.

§. 3. *Ut prima luce adgressus falleret*] Vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit, legendum eſſe *adgressos*. Si quid mutandum, legerem *adgressurus*. *Fallere* absolute sine casu inluſtravi ad 41, 2, 2.

§. 4. *Nequidquam primae stationes obpressae*] Duas puto voces deeſſe huic sententiae; quod apparebit, si ita legeris: *atque ita media nocte profectus, ut prima luce adgressus falleret, nequicquam tentavit: nam primae stationes oppressae tumultu ac terrore suo caeteros exciverunt. signumque datum est arma extemplo capiendi.* Aliter si legas, nullum elicies sensum. SIG. Sigonius: Duas puto voces deesse huic sententiae; quod apparebit, si ita legeris: *atque ita media nocte profectus, ut prima luce aggressus falleret, nequicquam tentavit. nam primae stationes oppressae* etc. Aliter si legas, nullum elicies sensum. Sic ille, ſtili hiſtorici persaepe non adsecutus acumina. Nos omnino aliter legimus: nihil addi patimur, tantum diſtinguimus: *atque ita media nocte profectus, ut prima luce aggressus falleret. Nequicquam; primae stationes oppressae tumultu ac terrore suo caeteros exciverunt.* Hoc compendium loquendi agnosce in auctore lib. 8. de B. Gall. [5.] *Equites tamen et auxiliarios pedites in omnes partes mittit, quascumque petisse dicebantur hostes. Nec frustra: nam plerumque magna praeda potiti nostri re-*

mae ſtationes obpreſſae tumultu ac terrore suo ceteros exciverunt: signumque datum eſt arma extemplo capiendi; simulque in vallo, ad portas, miles inſtructus erat, et intentus propugnationi caſtrorum. Perseus et extemplo circumegit aciem, et prima inpedimenta ire, deinde peditum signa ferri jussit. ipse cum equitatu et levi armatura subſtitit ad agmen cogendum; ratus, id quod accidit, insecuturos ad extrema ab tergo carpenda hoſtes. Breve certamen levis armaturae maxime cum procursato-

vertuntur. Idem ibidem [c. 19.] *Hostes concidunt animis, atque itineribus diversis fugam quaerunt. Nequicquam; nam quibus difficultatibus locorum Romanos claudere voluerant, iis ipsi tenebantur.* Cornelius Nepos Alcibiade [cap. 9.] *At Alcibiades, victis Atheniensibus, non satis tuta eadem loca sibi arbitratus, penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ita facillime suam fortunam occuli posse. Falso: nam Thraces, postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias ei fecerunt.* Florus 4, 11. *Regina ad pedes Caesaris provoluta tentavit oculos ducis. Frustra. nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit.* Ita distinguendum. Amat et Lucretius. Lib. 4, [465.]

Quae violare fidem quasi sensibus omnia quaerunt.
Nequicquam; quoniam pars horum maxima fallit.

Eodemque libro [vers. 1106.]

— — — junguntque salivas
Oris, et inspirant pressantes dentibus ora.
Nequicquam; quoniam nihil inde abradere possunt.

Moxque [vers. 1130.]

— — — unguenta, coronae, serta parantur.
Nequicquam; quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid.

Lib. 5, [1332.]

Nam transversa feros exibant dentis adactus
Jumenta, aut pedibus ventos erecta petebant.
Nequicquam; quoniam ab nervis succisa videres
Concidere.

Neque offendat quemquam, quod in his exemplis ubique comparent particulae *nam*, aut *quoniam*; apud Livium non comparent. Possemus multa dare exempla orationum causalium sine particula causali, quemadmodum auctoritate veterum librorum compluribus eam locis ejecimus. Eorum nonnulla recordabitur lector. Sed pro omnibus opportunum sit hic illud Valerii lib. 6, [248.]

Contra autem geminis fidens thoracibus ictum
Sustulit, et gladio Siboles ferit ultima tali.
Nequidquam: jam cuspis inest, nec fragmina curat
Ambenus.

ribus fuit. equites peditesque sine tumultu in castra
7 redierunt. Demessis circa segetibus, Romani ad
Cranonium intactum agrum castra movent. Ibi quum
securi, et propter castrorum longinquitatem, et viae
inopis aquarum difficultatem, quae inter Sycurium
8 et Cranona est, stativa haberent; repente prima lu-
ce in inminentibus tumulis equitatus regius cum levi
armatura visus ingentem tumultum fecit. Pridie
per meridiem profecti ab Sycurio erant: peditum
agmen sub lucem reliquerant in proxima planitie.
9 Stetit paullisper in tumulis, elici posse ratus ad eque-
stre certamen Romanos: qui postquam nihil move-
bant, equitem mittit, qui pedites referre ad Sycu-
10 rium signa juberet; ipse mox insecutus. Romani
equites, modico intervallo sequentes, sicubi spar-

Ejus particulae, quia proditam a quoquam legisse non memini, origo et oratio haec est. *Nequicquam* breviter dicitur pro *ne*, quod est *non*, vel *nec ad quicquam*: eo modo ut *nec aliud, nihil aliud*, interdum pro nec vel nihil aliud, aut ad nihil aliud positum notavimus ad lib. 31, 24. Quod autem non fit, aut juvat ad quidquam, id frustra et incassum fit: ideo *nequidquam* idem est, quod incassum. Sed et potest intelligi verbum *facere*, cum dicimus *nequicquam*: ut sit *fecit, fecerunt, facit, faciunt*, prout contextus orationis requirit. Nam et Jurisconsultis, qui non jure agit, sic ut irritum reddi possit, quod agit, *nihil egisse* dicitur. Hinc apparet, quid sentiendum sit de scriptura, quam G Stanio Schoppioque auctoribus omnia fere hodie praela receperunt *nequiquam*. Vetustissimi utique dixerunt *nequidquam*, vel *necquidquam*: postea molliores auriculae fecerunt *nequicquam*. Si quibus amplius placuit *nequiquam*, ut scribi in plerisque vett. lib. *scio*, non intercedo: sed mihi legem aut edictionem, ut sequar, inhiberi non patior. J. FR. GRONOV. Locum recte distinxit, et concisum loquendi genus illustravit Gronovius. Similiter Curtius 3, 5, 12. *Darius ergo, quum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit. Sed nequidquam, si mihi arbitrio meo curari licet.* et Plinius 18. Hist. Nat. 5. *In agro quaestuosissimam judicat vitem. non frustra: quoniam ante omnia de inpensae ratione cavit.* De orthographia vocis *nequidquam* vide ad 40, 47, 9.

§. 7. *Romani ad Crannonium intactum agrum*] Altera litera *n* ejecta, *Cranonium*, mox *Cra-*

sos ac dissipatos invadere possent, postquam confertos abire, signa atque ordines servantes, viderunt, et ipsi in castra redeunt.

LXV. Inde, obsensus longinquitate itineris, rex 1
ad Mopsium castra movit; et Romani, demessis Cranonis segetibus, in Phalannaeum agrum transeunt. Ibi quum ex transfuga cognosset rex, sine ullo arma- 2
to praesidio passim vagantes per agros Romanos metere, cum mille equitibus, duobus millibus Thracum et Cretensium profectus, quum, quantum accelerare poterat, effuso agmine issent, inproviso adgressus est Romanos. juncta vehicula, pleraque onu- 3
sta, mille admodum capiuntur, sexcenti ferme homines. Praedam custodiendam ducendamque in ca- 4
stra trecentis Cretensium dedit. ipse, revocato ab 5

nona, et cap. seq. *Cranonis* legendum esse, supra vidimus ad 36, 10, 1. Adde Cellar. Geogr. Antiq. 2, 13, 683.

§. 8. *Pridie per meridiem profecti*] Forte *de meridie*. Censorinus [cap. 24.] *Tunc meridies, quod medii diei nomen. inde de meridie*. J. FR. GRON. *de meridie* est paullo post meridiem, ut *de tertia vectigalia* est post tertiam vigiliam inceptam, ante eam exactam. Vide ad 9, 44, 10. Praestat tamen vulgatum servari. *per meridiem* est meridie, in ipsa meridie. Eo sensu *per eos*, vel *per eosdem dies* pro iisdem diebus, eodem tempore exposuimus supra 30, 38, 5. *per inducias* pro tempore inducirum supra est 30, 31, 9. et c. 37, 6. aliisque locis. *per noctem* pro noctu, tempore nocturno apud Justin. 1, 8. 10. et 11, 15. *per tenebras* apud Ovid. 4. Her. 141.

§. 1. *Ad Mopsium castra movit*] Ita Sigonius legit, quum priores haberent *Mopselum*. V. ad cap. 61, 11.

In Phalanneum agrum transeunt] *Phalannaeum*. Steph. Φάλαννα, Φαλαννατοι. SIG. Strab. 9. Geogr. 440. Ὄρθην δέ τινες τὴν ἀκρόπολιν τῶν Φαλαννατων εἰρήκασιν. Unde perperam *Phalannaeam* Thessaliae urbem nobis finxit Pinedo ad Steph. de Urbib. 5. Φαλαννατα.

§. 2. *Quantum adcelerare poterat*] Recte *poterat*, si de solo rege dictum est; ut 23, 28, 3. et 27, 28, 15. Sed credo ad omnes pertinere, et vel *poterant*, vel *accelerari* scribendum esse. 3, 46, 5. *Et quantum accelerari posset, Virginium acciri e castris*. DUKER.

§. 4. *Juncta vehicula*] Liv. 5, 23, 5. *Curru equis albis junctu*

effusa caede equite et reliquis peditum, ducit ad proximum praesidium, ratus haud magno certamine
6 obprimi posse. L. Pompejus tribunus militum praeerat, qui perculsos milites repentino hostium adventu in propinquum tumulum recepit, loci se praesidio, quia numero et viribus inpar erat, defensurus.
7 Ibi quum in orbem milites coëgisset, ut densatis scutis ab jactu sagittarum et jaculorum sese tuerentur, Perseus, circumdato armatis tumulo, alios adscensum undique tentare jubet, et cominus proe-
8 lium conserere, alios eminus tela ingerere. Anceps Romanos terror circumstabat: nam neque conferti pugnare propter eos, qui adscendere in tumulum conabantur, poterant: et, ubi ordines procursando
9 solvissent, patebant jaculis sagittisve. Maxime cestrosphendonis vulnerabantur. hoc illo bello novum genus teli inventum est. Bipalme spiculum hastili

urbem invectus. 34, 1, 3. *Neu juncto vehiculo in urbe oppidove veheretur.* ubi vide.

§. 7. *Ab jactu sagittarum*] Quia densandis scutis non extra jactum telorum erant, nec hostes ea re ab jactu sagittarum et jaculorum prohibere, sed se tantum ab eorum ictu tueri poterant, dubito, an pro *jactu* legendum sit *ictu*. *Jactus* et *ictus* saepe ita permutantur, ut non facile sit decernere, utrum praeferendum sit. Hic ob eam, quam dixi, causam melius videtur *ictu*. 28, 2, 6. *Quae* (tela) *quum Romani conferti, ut solent, densatis excepissent scutis.* 32, 17, 13. *Velut in constructam densitate clipeorum testudinem pilis nequidquam emissis.* DUKER. Vide ad 26, 40, 10.

§. 9. *Cestrophendonis vulnerabantur*] Descriptionem hujus teli cum illa, quam Suidas in voce *Késpos* verbis, ut creditur, Polybii dedit, contulit, et utramque pluribus inlustravit Lipsius 4. Poliorc. 3.

§. 10. *Huic ad libramen pinnae tres, velut sagittis solent, circumdabantur*: etc.] Id est, ei pinnae tres additae erant, ut libratior et directior certiorque esset volatus teli: nec erranti diverseque nutanti parte ejus posteriore ictus irritus esset, telo eodem tenore non cunte. *Funda*, inquit, *media duo funalia imparia habebat.* medio hastili inhaerebat funda: sed ea duplex, ut latior ejus sinus telum melius libraret. nam *funalia duo* interpretor fundam dupli-

semicubitali infixum erat, craſſitudine digiti: huic 10
ad libramen pinnae tres, velut sagittis solent, circumdabantur: funda media duo funalia inparia habebat. cum majori sinu libratum funditor habena rotaret, excuſſum, velut glans, emicabat. Quum et 11
hoc, et alio omni genere telorum, pars vulnerata militum eſſet, nec facile jam arma feſſi ſuſtinerent, inſtare rex, ut dederent se, fidem dare, praemia interdum polliceri: nec cujusquam ad deditionem flectebatur animus; quum ex insperato jam obſtinatis mori spes adfulsit. Nam quum ex frumentatoribus 12
refugientes quidam in caſtra nunciaſſent consuli, circumsideri praesidium; motus periculo tot civium (nam octingenti ferme, et omnes Romani erant) cum equitatu ac levi armatura (acceſſerant nova auxilia, Numidae pedites equitesque et elephanti) caſtris egreditur: et tribunis militum imperat, ut legionum

cem, alteram alteri continentem. Funale enim opus funarium eſt. hic funda e funibus, poſterius funale majus et latius erat, ut ictum teli adigeret vehementius, meliusque telum ſuſtineret. Duo autem funalia, quae fundam unam faciebant, in nodum nectebantur, ut opinor, ansula facta, cui inserebatur habena, qua telum rotabatur. *Cum*, inquit, *majori sinu libratum funditor habena rotaret, excussum velut glans emicabant.* Hic majorem sinum interpretor, majoris fundae et tanquam duplicis majorem capacitatem, in qua pendebat et librabatur telum. Hoc genus teli nomen adeptum eſt a funda et ceſtro, id eſt, verriculo. Sic enim *cestrum* Plinius vertit lib. 15. cap. 11. TURNEBUS 30. Adv. 32. Ultima etiam illa vox [*circumdabantur*] aures meas radit. Sublatam cuperem. GRUT. In adnotatione Turnebi quaedam Lipsio displicuerunt, quae apud ipsum loco laud. videnda sunt.

Funda media duo funalia inparia habebant) Ita edidit Gronov. sed forte operarum aberratione, quum tamen omnes recentiores, praeter Crevierium, inprudenter servarunt. Priscam lectionem *habebat* recte Crev. revocavit.

§. 11. *Pars vulnerata militum esset*) Clariſſ. Ant. Perizonius ad marginem Livii conjecit, forsitan vocabulum hic excidiſſe, ac legendum eſſe *pars magna vulnerata militum esset.*

13 signa sequantur. Ipse, velitibus ad firmanda levium armorum auxilia adjectis, ad tumulum praecedit. 14 consulis latera tegunt Eumenes, Attalus et Misagenes, regulus Numidarum.

1 LXVI. Quum in conspectu prima signa suorum circumsessis fuerunt, Romanis quidem ab ultima de- 2 speratione recreatus est animus: Perseus, cui primum omnium fuerat, ut, contentus fortuito successu, captis aliquot frumentatoribus occisisque, non tere- 3 ret tempus in obsidione praesidii: secundum, ea quoque tentata utcumque, quum sciret nihil roboris secum esse, dum liceret intacto, abire; et ipse hostium adventum, elatus successu, mansit, et, qui 4 phalangem arcesserent, propere, misit. qua et serius, quam res postulabat, et raptim acta, turbati cursu adversus instructos et praeparatos erant adventuri. Consul anteveniens extemplo proelium conseruit. 5 Primo resistere Macedones; deinde, ut nulla re pa-

res

§. 13. *Ad firmanda levium armorum auxilia*] Ita ex prima ed. emendavit Gronov. infra ad 43, 18, 4. Basileenses anno 1539. eosque secuti dederant *levium armatorum*. Vide ad 22, 37, 7.

§. 5. *Amissis trecenis peditibus*] Sic demum exhibet ultima Gruteri, quum priores per notas dederint *amissis CCC peditibus*. Clariss. Clericus igitur recte dedit *trecentis*. Simili errore saepe Gruteri editio illa infecta est. Vide hoc lib. cap. 47, 22. cap. 61, 2. 43, 12, 4. aliisque locis.

§. 7. *Iis caesis, ingens ibi vexatio*] Aliquid mendi hic latere, Crevierius monuit: sive enim *caesis* referas ad vehicula, inceptum esse; sive ad captivos, parum verisimile.

Nullo exspectante, utcumque] Videtur fuisse: *nullo exspectante, dum utcumque explicaretur agmen*. J. FR. GRON.

§. 9. *Sunt, qui eo die magno proelio pugnatum auctores sint*] *auctores sunt* edd. principes. Horat. 1. od. 1. vers. 3.

Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat.

Ubi vide Eruditiss. Bentlej. et vers. 19.

res erant, amissis trecentis peditibus, viginti quatuor primoribus equitum ex ala, quam Sacram vocant, inter quos Antimachus etiam praefectus alae cecidit, abire conantur. Ceterum iter prope ipso 6
proelio tumultuosius fuit. Phalanx, abs trepido nuncio adcita, quum raptim duceretur, primo in angustiis captivorum agmini oblata vehiculisque frumento onustis: iis caesis, ingens ibi vexatio partis 7
utriusque fuit, nullo exspectante, utcumque explicaretur agmen, sed armatis detrudentibus per praeceps impedimenta, (neque enim aliter via aperiri poterat) jumentis, quum stimularentur, in turba saevientibus. Vix ab incondito agmine captivorum expedie- 8
rant sese, quum regio agmini perculsisque equitibus obcurrunt. Ibi vero clamor jubentium referre signa ruinae quoque prope similem trepidationem fecit: ut, si hostes introire angustias ausi, longius insecuti essent, magna clades accipi potuerit. Con- 9
sul, recepto ex tumulo praesidio, contentus modico successu, in castra copias reduxit. Sunt, qui eo die

Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit.

Sallust. Catil. 19. *Sunt, qui ita dicunt.* ubi vide Cortium. Verum *auctores sint* substituit Sigon. Et ita Livius loqui solet. Supra 2, 41, 10. *Sunt, qui patrem auctorem ejus supplicii ferant.* 3, 57, 10. *Sunt, qui aedilis functos eo ministerio scribant.* 4, 7, 2. *Sunt, qui propter adjectum Vejens bellum tribunos militum tres creatos dicant.* c. 26, 6. *Sunt, qui male pugnatum ab his consulibus in Algido auctores sint.* cap. 61, 10. *Sunt, qui Artenam Vejentium fuisse credant.* 5, 36, 8. *Erant, qui extemplo Romam eundum censerent.* cap. 41, 3. *Sunt, qui devovisse eos se pro patria tradant.* 7, 27, 9. *Sunt, qui hanc multitudinem captivam servorum fuisse scribant.* 10, 26, 6. *Sunt, quibus ne haec quidem certamina exponere satis fuerit.* Et *Sunt, qui Umbros fuisse tradant.* Alia exempla vide 21, 6. 26, 49. 30, 37. 31, 37. 43, 4. et pluribus locis.

magno proelio pugnatum auctores sint. octo millia hostium caesa, in his Sopatrum et Antipatrum regios duces: vivos captos circiter duo millia octingentos, signa militaria capta viginti septem. Nec incruentam victoriam fuisse: supra quatuor millia et trecentos de exercitu consulis cecidisse: signa sinistrae alae quinque amissa.

1 LXVII. Hic dies et Romanis refecit animos, et Persea perculit, ut, dies paucos ad Mopsium moratus sepulturae maxime militum amissorum cura, praesidio satis valido ad Gonnum relicto, in Macedoniam reciperet copias. Timotheum quemdam ex regiis praefectis cum modica manu relinquit ad Philam, jussum Magnetas et propinquos tentare. 3 Quum Pellam venisset, exercitu in hiberna dimisso, 4 ipse cum Cotye Thessalonicam est profectus. Eo fama adfertur, Atlesbim regulum Thracum, et Corragum Eumenis praefectum, in Cotyis fines

Vivos captos circiter duo millia octingentos] Primae edd. per notas numerales scribunt *MMDCCC*. Vascos. *MMCCCC*. Pellime omnium ultima Gruteri editio *bis mille trecentos*. Recte Gronov. anno 1665. *duo millia octingentos*. Vide ad 33, 5, 5. et 38, 1, 6.

§. 1. *Hic dies et Romanis refecit animos, et Persea perculit, ut* etc. *reciperet copias*] Vel excidit hic particula *ita*, vel *adeo*, cui deinde respondet *ut: Persea ita perculit, ut*; vel, quod malim, legendum est *perpulit*, id est, adegit, permovit. Supra 3, 30, 5. *Is metus perpulit, ut scribi militem tribuni sinerent.* ubi olim itidem edebatur *perculit*. Vide, quae plura ad eum locum notantur. *Hic dies* est acta hujus diei, proelium hoc die commissum. Cic. pro Sext. 12. *Equites Romanos daturos illius dies poenas, quo, me consule, cum gladiis in clivo Capitolino fuissent.* Pro Marcell. 4. *Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus jure antepones.* Quem locum varie tentans Patricius non intellexit. Justin. 9, 3. *Hic dies universae Graeciae et gloriam dominationis, et vetustissimam libertatem finivit.* ubi vide Gronov. Flor. 2, 6, 58. *Non fuit major sub imperio Romano dies, quam ille, quum duo omnium et antea et postea ducum maximi,*

inpetum feciſſe: et regionem, Marenen quam vocant, cepiſſe. Itaque, dimittendum Cotyn ad sua 5
tuenda ratus, magnis proficiscentem donis prosequitur. ducenta talenta, semeſtre ſtipendium, equitatui numerat, quum primo annuum dare conſtituisset. Consul, poſtquam profectum Persea audivit, 6
ad Gonnum caſtra movet, si potiri oppido poſſet. Ante ipsa Tempe in faucibus situm, Macedoniae clauſtra tutiſſima praebet, et in Theſſaliam opportunum Macedonibus decursum. Quum et loco et 7
praesidio valido inexpugnabilis res eſſet, abſtitit incepto. In Perrhaebiam flexis itineribus, Malloca primo inpetu capta ac direpta, Tripoli aliaque Perrhaebia recepta, Lariſſam rediit. inde Eumene 8
atque Attalo domum remiſſis, Misagenem Numidasque in hiberna in proximis Theſſalis urbibus distribuit. et partem exercitus ita per totam Theſſaliam divisit, ut et hiberna commoda omnes habe-

ille Italiae, hic Hispaniae victor, conlatis cominus signis direxere aciem. ubi vide Duker. 4, 12, 35. *Varus perditas res eodem, quo Cannensem diem Paullus, et fato est et animo secutus.* Vide Gronov. ad Senec. 3. de Ira 36.

Ad Mopsium moratus] *ad Mopselum* edd. principes. *ad Mopsium* emendavit Sigonius, quem vide ad cap. 61, 11. Praeterea mox *Connum* editi ante Sigonium, qui *Gonnum* emendavit supra ad cap. 54, 7.

§. 4. *Corragum Eumenis praefectum*] Ita Frob. anno 1535. At prima ἐκδόσις *Corracum. Corragus Macedo*, sed dux Eumenis, memoratur supra 38, 13, 3. *Eodem et Athenaeus, Eumenis et Attali frater, cum Cretensi Leuso et Corrago Macedone venit. mille pedites mixtarum gentium et trecentos equites secum adduxerunt.*

§. 7. *Quum et loco et praesidio valido inexpugnabilis res esset*] Forte *inexpugnabilis urbs esset.* J. FR. GRON.

§. 8. *Misagenem Numidasque*] Vide ad cap. 29, 8.

In proximis Thessaliae urbibus] Haec lectio ex ultima Gruteri editione per posteriores omnes propagata eſt. Antea vulgabatur *Thessalis urbibus*, quod sine cauſſa mutatum eſt. ut *Thessalae urbes*, ita *Thessali equites* 9, 19, 5. *Quatuor millibus*

9 rent, et praesidio urbibus essent. Q. Mucium legatum cum duobus millibus ad obtinendam Ambraciam misit. Graecarum civitatium socios omnes praeter Achaeos dimisit. cum exercitus parte profectus in Achajam Phthiotim, Pteleum desertum fuga oppidanorum diruit a fundamentis, Antrona
10 voluntate colentium recepit. Ad Lariſſam deinde exercitum admovit. urbs deserta erat; in arcem omnis multitudo conceſſerat: eam obpugnare ad-
11 greditur. Primi omnium Macedones, regium praesidium, metu exceſſerant. a quibus relicti oppidani in deditionem extemplo veniunt. Dubitari inde, utrum Demetrias prius adgredienda foret, an in
12 Boeotia adspiciendae res. Thebani, vexantibus eos Coronaeis, in Boeotiam arceſſebant. ad horum preces, quia hibernis aptior regio, quam Magnesia erat, in Boeotiam duxit.

equitum maxime Thessalorum. 42, 58, 14. *Thessali quadringinti equites parvo intervallo super laevum cornu locati.* Justin. 7, 6. *Exercitui suo robur Thessalorum equitum adjungere gestiebat.*

§. 9. *Graecarum civitatum socios*] Hujus lectionis auctor eſt Curio. Priores omnes *civitatium*, quod revocavi. V. ad 33, 20, 11.

§. 11. *Dubitari inde, utrum*] Non eſt, quo referri poſſit *dubitari*. Fortaſſis *dubitare*, nempe *coepit*, noto usu infinitivi activi cum ellipsi hujus verbi. Vel *dubitavit inde*. DUKER.

In Boeotia adipiscendae res] Ita, literis operarum lapsu perperam trajectis, edidit Gruterus, quem tamen omnes recentiores imitati sunt. Antea legebatur *adspiciendae*, quod revocavi. Et ita legendum eſſe, Crevierius conjicit. De locutione *adspicere res* hoc sensu vide supra hoc lib. ad cap. 5, 8.

§. 12. *Vexantibus eos Coronaeis*] In hos Licinium crudeliter consuluiſſe, apparet ex cap. 4. libri sequentis. DUKERUS.

EPITOME

LIBRI QUADRAGESIMI TERTII.

Praetores aliquot, eo quod avare et crudeliter provincias administrassent, damnati sunt. P. Licinius Crassus proconsul complures in Graecia urbes expugnavit, et crudeliter diripuit. ob id captivi, qui ab eo sub corona venierant, ex senatusconsulto postea restituti sunt.. Item a praefectis classium Roma-

Praetores nonnulli, et quod avare et crudeliter provincias administrassent] Vet. lib. *Praetores aliquot.* SIG. *aliquot* etiam Leid. Voss. Lovel. 2. Berg. Boend. et ed. Camp. quorum omnium fide recepi. Tum *Rectores*, pro *Praetores*, Voss. Quae lectio inde nata est, quod librarii, omissa litera initiali, postea ornatius pingenda, scripserint *retores* vel *raetores*; unde postea alii dederunt *Rectores*. Tum *crudeliter et avare* Boend. quomodo est apud Liv. cap. 4, 5. *Quo crudelius avariusque in Graecia bellatum erat.* At in hac re cap. 2, 2. dixit: *De magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti.* Deinde *administrarant* Leid. et Exc. Pithoei apud Hearnium. *administraverant* Lov. 2. et Berg.

P. Licinius Crassus proconsul complures in Graecia urbes] *consul* legendum conjicit Sigonius infra ad cap. 4. §. 1. Sed vide, quae ibi notantur. Praeterea *quamplures in Graecia urbes* Voss. Norvic. et pleraeque edd. vett. Reliqui codd. cum ed. Camp. recte *complures*. Vide 4, 31, 2. Mox *crudeliter* deest in Leid. Hinc *corripuit*, pro *diripuit*, Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et ed. Camp.

Captivi, qui ab eo venierant, ex senatusconsulto postea restituti sunt] Vet. lib. *qui ab eo sub corona venierant.* SIGON. *qui captivi ab eo* Boend. et ed. Camp. Tum *ab eo sub corona venierant* Leid. Voss. Lovel. 2. Berg. Boend. et ed. Camp. Praeterea voces *ex senatusconsulto* desunt, in Leid. et Berg. earum loco *etsi* praefert Voss. in quo, ut et Berg. perperam librarii dederunt *destituti sunt*, perpetua literarum *D* et *R* commutatione. Vide ad 9, 10, 6.

A praefectis classium Romanorum multa inpotenter in socios facta] Vet. lib. *Item a praefectis classium.* SIG. *Romanorum* potest ferri. Sed malim *Romanarum*, ut saepe alibi *classis Romana.* DUK. Illud *Item* exstat itidem in omnibus scriptis

narum multa inpotenter in socios facta. Res praeterea a Perseo rege in Thracia prospere gestas continet, victis Dardanis et Illyrico, cujus rex erat Gen-

meis, et in ed. Camp. Hinc *praefectis classibus Romanorum* Boend. et ed. Camp. *praefectis classium Romanarum* Voss. et edd. Rom. anni 1472. et Parm. quod a sequentibus mutatum Prob. anno 1535. revocavit. et reliqui editores servarunt usque ad Gruterum; cujus ultima ed. iterum admisit *Romanorum*. Sed recte Crevierius ei denuo *Romanarum* subiiituit. Insuper *multa impudenter* Boend. et ed. Camp. Solent hae voces a scribis librariis confundi. Vide ad 7, 39, 5. et Epit. Liv. 29. Reliqui codd. servant vulgatum: saepe etiam *inpotens*, *inpotentia*, et *inpotenter* hoc sensu apud Livium obcurrunt. *Crudeliter et avare* in hac historia dixit Liv. cap. 4. Tandem voces *in socios* desunt in Leid. In verbis proxime sequentibus *praeterea* decst in omnibus Mstis meis, et ed. Camp.

Continet, victis Dardanis et Illyrico, cujus rex erat Gentius. Motus] Vide Livium cap. 18. 19. 20. et deprehendes, quanta negligentia, qui optimos auctores in ista redegerunt compendia, rem saepe gesserint. Nec enim Gentius omnis Illyrici erat rex, sed tantum Labeatium Illyriorum, et Perseus, tantum aberat, ut Gentio aut regioni, cui ille praefuit, bellum intulerit, ut contra nihil sibi majori habuerit curae, quam eum ad amicitiam et societatem secum jungendam omni modo perlicere. Atque ideo non Illyricum, cujus rex fuit Gentius, sed alios Illyrici populos, inter suum et Gentii regnum interjectos, vicit ac domuit. JAC. PERIZ. Animadv. histor. cap. 9. pag. 375. *et victis Dardanis et Illyrico, cujus* (*Illyriis, quorum* Berg.) Leid. Lovel. 2. Berg. Boend. Norv. Exc. Pithoei, et edd. vett. Voculam *et* primo loco omisit demum Frobenii ed. anni 1531. Forte legendum *devictis Dardanis;* vel, mutata interpunctione, *et, victis Dardanis et Illyrico, cujus rex erat Gentius, motus* etc. Ultima etiam verba in Mstis corrupte prostant. *rex erat gemino motus* Leid. et ita Voss. nisi quod vocem *rex* omittat. *rex erat gemino. motus* Berg. a manu 1. *in gemino* a manu 2. *rex erat: semimotractus* Boend. *rei erat: Semnine tractus* ed. Camp. *Gentio*, pro *Gentius*, Exc. Pithoei. Voces *Gentius. motus* desunt in Lov. 2.

Motus, qui in Hispania ab Olonico factus erat, ipso interemto consedit] Vet. lib. *habent ab Elonico*. Lib. 40. *extremo*, [cap. 58. 8.] *Clondicus* dicitur; ut dixi, mendose. dux enim Bastarnarum fuit, qui in Dardaniam venerant, atque ibi manserant, a Philippo rege excitati. Quare, pro *Hispania, Paeonia* lego. Est enim Paeonia Dardaniae continens, ut ait Livius lib. 45, [29, 12.] In ea igitur cum bellum excitaret, interfectus a Perseo rege significatur. SIG. *qui in Paeonia ab Elonico* ab Sigonio acceperunt. quum in vetustis esset *qui in Hispania ab Olonico*. Putat hunc esse, qui lib. 40. extremo appellatur Bastarnarum dux in Dardanos. Pighius [in Annal. ad A. V. DCCLXXXIII. pag. 370.] tuetur antiquum, et eo refert, quod ab injuria aevi supereſt cap. 4. hujus libri. Suspicatur autem in hostium rebel-

tius. Motus, qui in Hispania ab Olonico factus erat, ipso interemto consedit. M. Aemilius Lepidus a censoribus princeps in senatu lectus.

lium exercitu ex seditione ventum ad arma, et ante congressum proelii cum Romanis Olonicum et alios belli principes ab his, qui pacem malebant, occisos: qui reversi in castra et capita ostentantes adversariorum tantum pavorem fecerint. Recordor, quod Florus scribit lib. 2, 17. fuisse, nimirum, qui argenteam hastam quatiens velut coelo missam, et vaticinanti similis Celtiberos concitavit, Salondicum: sed, quum pari temeritate castra consulis adisset, juxta praetorium pilo vigilis exceptum finem bello in ipsis initiis feciſſe. Numquid ergo scribendum *qui in Hispania ab Salondico.* Hujus enim et socii capita praecisa et hastis suffixa per dimissos ex captivis Hispanis ad castra Celtiberorum misisse praetorem credibile est, quibus conspectis concideren̄t animi rebellantibus. Nam ad hoc belle referas illa [cap. 4. 3.] *culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se ultro ad poenam ipsi obtulissent.* Nam quod *consulem* vocat Florus, qui Livio *praetor* est, nihil me terret. J. FR. GRON. *Olonicum* hic dici, qui Floro est *Salondicus*, putat Vinetus ad Flor. 2, 17. DUK. *in Hispania* servant omnes codd. constanter. Tum *ab Olomico* Voss. *ab Holonico* Boend. et ed. Camp. *ab Helenico* Leid. *ab Elenico* Lovel. 2. *a bello Punico* Berg. Dein *ipso in templo* Boend. Scriptum per compendium fuerat *int'empto*, quod minima mutatione in *in templo* abire potuit. Ceterum Gronovii adversus Sigonium sententiam pluribus tuetur Clariss. Hearne infra ad cap. 4, 1.

Princeps in senatu lectus est] Illa *in senatu* in uno apud Hearnium cod. desiderantur. *princeps in senatu lectus* est in Livio 27, 11, 12. et 38, 28, 2. DUK. *Tū in senatu* desunt in Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Deinde *electus* legit Berg. Vide ad 28, 42, 5. *factus* Leid.

T. LIVII PATAVINI
LIBER QUADRAGESIMUS TERTIUS.

1 I. Eadem aestate, qua in Thessalia equestri pugna vicere Romani, legatus, in Illyricum a consule missus, opulenta duo oppida vi atque armis coëgit
2 in deditionem; omniaque iis sua concessit, ut opinione clementiae eos, qui Carnuntem munitam ur-
3 bem incolebant, adliceret. postquam nec, ut dederent se, compellere, neque capere obsidendo poterat; ne duabus obpugnationibus nequidquam fatigatus miles esset, quas prius intactas urbes reli-

§. 1. *Equestri pugna vicere Romani*] Parum verecunde. Quid enim factum eo proelio, quod describit praecedenti libro cap. 59. Tum certe victi sunt: sed superiores fuere illo, quod refertur cap. 66. Fuit igitur forte: *qua in Thessalia equestri proelio primum victi, deinde vicere Romani.* J. FR. GRON. Doujatius, Livium unice respexisse putans ad pugnam, lib. 42, 66. memoratam, nihil mutandum contendit. Contra Clericus, docens Livium aperte testari 42, 59. Romanos victos esse, hic etiam *equestri pugna victi Romani* legit. Crevierius, observans priorem pugnam descriptam 42, 59. majorem multo clarioremque fuisse, quam posteriorem, vestigiis Clerici insistens existimat Livium scripsisse *equestri pugna victi fuere Romani.* Verum Livius, Romanis suis favens, dissimulasse, et, quod Gronov. conjecit, nobis reliquisse videtur; nisi quod tantum transpositis vocibus legam *equestri pugna victi primum, deinde vicere Romani.* Repetitio τοῦ *vicere* post *victi* causa fuisse videtur, cur tria vocabula *victi primum*, deinde ab oscitantibus librariis omitterentur.

Legatus, in Illyricum a consule missus] Puto deesse hujus legati nomen, nisi intelligamus *Q. Mucium*, de quo paulo ante dixit lib. 42. extremo [67, 9.]: *Q. Mucium legatum cum duobus millibus ad obtinendam Ambraciam misit.* Quem tamen eodem libro *tribunum militum* appellaverat [cap. 49, 9.] *Duo consulares*, inquit, *tribuni militum cum eo missi, C. Claudius, Q. Mucius.* SIGON.

Opulenta duo oppida] Gebhardus ad Nepot. Chabr. 3. hic inveniisse in aliqua ed. videtur

querat, diripuit. Alter consul C. Cassius nec in 4
Gallia, quam sortitus erat, memorabile quidquam
gessit: et per Illyricum ducere legiones in Macedo-
niam vano incepto est conatus. Ingressum hoc iter 5
consulem senatus ex Aquilejensium legatis cogno-
vit: qui, querentes coloniam suam novam et infir-
mam, necdum satis munitam, inter infestas nationes
Istrorum et Illyriorum esse, quum peterent, ut se- 6
natus curae haberet, quomodo ea colonia munire-
tur, interrogati, vellentne eam rem C. Cassio con-
suli mandari? responderunt, Cassium, Aquilejam 7
indicto exercitu, profectum per Illyricum in Mace-
doniam esse. Ea res primo incredibilis visa: et pro
se quisque credere, Carnis forsitan aut Istris bel-
lum inlatum. Tum Aquilejenses, nihil se ultra sci- 8

opulentia. Omnes tamen illae, quas ego consului, *opulenta* constanter servant. V. ad Livii 9, 36, 11.

§. 2. *Carnuntem munitam urbem*] Recte *Carnuntem*, non *Carnuntum* vel *Carnotum* cum aliis, ut constat e MS. De situ istius urbis dissertationem scripsit P. Lambecius, multaque antiquitatis rudera eodem spectantia congessit. Vide ad calcem lib. 2. Comm. de Bibl. Caes. p. 997. Consulas etiam Cellarii Geogr. Ant. 2, 8, 350. HEARNE.

§. 3. *Quam prius intactam urbem reliquerat*] Corrigo, *quas prius intactas urbes.* Nam dixit *opulenta duo oppida vi atque armis coëgit in deditionem, omniaque iis sua concessit.* Item: *ne duabus obpugnationibus nequicquam fatigatus miles esset.* SIGON.

§. 4. *In Gallia, quam sortitus erat*] Lib. 42, 31. consulibus Macedoniam et Italiam decretas, et cap. 32. Cassium Italiam sortitum fuisse scribit. Haec non pugnant inter se: nam nomine Italiae Liguria et Gallia designantur. Liguria superioribus aliquot annis utrique consuli decreta fuerat. 40, 35. 44. 41, 17. 18. et 42, 1. 9. 10. quorum alterum cum Liguria Galliam quoque obtinuisse, ex 41, 17. 18. colligitur, et eo quoque probabile est, quod nusquam refert Livius, qui praetores post A. V. DCLXXVI. Galliam, ut ante, sortiti fuerint, quorum postremi fuerunt Cn. Cornelius Scipio et P. Valerius Laevinus, 41, 8. Hoc anno, quum consulibus P. Licinio Macedonia, C. Cassio Italia evenisset, hic Ligures et Galliam provincias habuit, ut A. Atilius consul anno sequenti, cap. 9. DUK.

§. 8. *Triginta dierum frumentum militi datum*] Vide Sche-

re, nec audere adfirmare, quam triginta dierum frumentum militi datum; et duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent, conquisitos abductosque.
9 Enimvero senatus indignari, tantum consulem ausum, ut suam provinciam relinqueret, in alienam transiret; exercitum novo periculoso itinere inter exteras gentes duceret, viam tot nationibus in Ita-
10 liam aperiret. Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius praetor tres ex senatu nominet legatos, qui eo die proficiscantur ex urbe; et, quantum adcelerare possent, Cassium consulem, ubicumque sit, perse-
11 quantur; nuncient, ne bellum cum ulla gente mo-
12 veat, nisi cum qua senatus gerendum censuerat. Legati hi profecti, M. Cornelius Cethegus, M. Fulvius, P. Marcius Rex. Metus de consule atque exercitu distulit eo tempore muniendae Aquilejae curam.

lium ad Polyb. cap. 7. DUKERUS.

§. 9. *Ut suam provinciam relinqueret, in alienam transiret*] De hac re vide, quae supra notantur ad 27, 43, 6.

Novo periculoso itinere] *novo et periculoso* vir doctus ad marginem ed. Curionis scribendum conjecit; quod sibi quoque verius videri, Clericus monuit. Ratio emendationis esse videtur, quod ipsis displicuerint duo epitheta uni substantivo ἀσυνδέτως juncta. Sed vide ad 1, 14, 7. Mox *ducere* et *aperire* edd. ante Gronov. qui *duceret* et *aperiret* substituit.

§. 10. *Ut C. Sulpicius praetor*] Valde festinavit Sigonius, quum 2. de Ant. Jur. Prov. 2. hoc ad legatos imperatorum in bello retulit. DUKER.

§. 11. *Nisi cum qua senatus gerendum censuerat*] Forte legendum *censuerit*. Et ita Clariss. Jac. Perizonius sibi scribendum videri ad marginem Livii notavit.

Legati ii profecti] Corrigo *legati III profecti*, id est, legati tres profecti. Sic lib. 41, [22, 3.] *In Macedoniam quoque mittendos legatos senatus censuit. Tres missi sunt: C. Laelius, M. Valerius Messalla, Sex. Digitius.* SIG. Conjecturam suam Sigonius in contextum adscivit, quam rectius alii iterum rejecerunt. Nam praecessit jam, *Decernunt, ut C. Sulpicius praetor tres ex senatu nominet legatos.* Gronovius *Legati hi profecti* edidit.

P. Marcius Rex] Nusquam alibi praenomen *P.* in familia

II. Hispaniae deinde utriusque legati aliquot po- 1
pulorum in senatum introducti. Ii, de magistra- 2
tuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti,
nisi genibus ab senatu petierunt, ne se socios foe-
dius spoliari vexarique, quam hostes, patiantur.
Quum et alia indigna quererentur, manifestum au- 3
tem esset, pecunias captas; L. Canulejo praetori,
qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est,
ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent,
quinos recuperatores ex ordine senatorio daret, pa-
tronosque, quos vellent, sumendi potestatem face-
ret. Vocatis in curiam legatis recitatum est sena- 4
tusconsultum, jussique nominare patronos: quatuor 5
nominaverunt, M. Porcium Catonem, P. Cornelium
Cn. F. Scipionem, L. Aemilium L. F. Paullum, C.
Sulpicium Gallum. Cum M. Titinio primum, qui 6

Regum gentis Marciae, ac ne in ulla quidem alia ejusdem gentis apud Livium inveni. *Q. Marcius rex* est 33, 35. quo praenomine etiam aliarum familiarum Marcii multum usi sunt. DUK.

§. 1. *Legati aliquot populorum in senatum introducti*) *in senatu introducti* edd. principes; pro quo Sigonius dedit *in senatum*. Supra 10, 45, 4. *Legationes sociorum a M. Atilio praetore in senatum introductae*. ubi vide, quae notavi. 36, 35, 12. *Philippi regis legati sub idem tempus in senatum introducti*. 43, 3, 6. *Gulussa prior in senatum introductus*. 45, 17, 6. *Legationes introducere in senatum placuit*. cap. 20, 1. *Introductus in senatum, gratulatus victoriam*. cap. 42, 7. *Eis in senatum introductis, responsum ex auctoritate senatus est*. Vide Sigonium ad 27, 51, 5. Ultima litera vocis *senatum* a prima syllaba vocis sequentis intercepta videtur. Idem error commissus est apud Caes. 1. B. Civ. 7. *Novum in republica introductum exemplar queritur*. ubi recte unus cod. *in rempublicam* praefert, probante in variis lectionibus Cl. Oudend.

§. 3. *Canulejo praetori* etc. *negotium datum est*) A senatu extra ordinem, quia leges et quaestiones de repetundis nondum constitutae erant. Sigon. 2. de Judic. 27. DUKER.

§. 5. *L Aemilinm L. F. Paullum*] *L. Aemilium M. F.* omnes edd. ante Gruterum; cujus ultima dedit *L. Aemilium L. F.* ex sententia Pighii. Is enim in Annal. ad A. V. 1011XXII. p. 367.

praetor A. Manlio, M. Junio consulibus in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumserunt. Bis ampliatus, tertio absolutus est reus. Dissensio inter
7 duarum provinciarum legatos est orta: citerioris Hispaniae populi M. Catonem et Scipionem; ulterio-

monuit, *L. Aemilium M. F. Paullum* fuisse, qui obiit in proelio Cannensi: ejus filium fuisse, qui in praetura Hispaniam ulteriorem sortiebatur apud Liv. 36, 2. Is autem anno IↃLXXI. consul creatus in Fastis Capit. vocatur *L. AIMILIVS. L. F. M. N. PAVLLVS.*

§. 6. *Bis ampliatus, tertio absolutus est reus*] In judiciis antiquis *ampliare* verbum forense erat, et significabat interloqui, seu sententiam differre, quum causa adhuc esset obscura, unde judex pronunciabat *non liquet*. Cic. pro Cluent. [28.] *Homines sapientes, qui neque absolvere hominem nocentissimum possent, neque re incognita primo condemnare vellent, non liquere dixerunt.* Hoc verbum *ampliare* non exstat in Pandectis, exstant tamen reliquiae formulae *non liquet* apud Ulpian. l. 18. §. 4. D. de Recept. arbitr. Scribit A. Gellius lib. 14, 2. *A verbo ampliare derivata vox ampliatio, et amplius pronunciare, quae idem significabant.* quod ex Cic. facile deprehenditur, quum in Orat. pro Caecin. [10.] *Quum causam non audisset, et potestas esset ampliandi, dixit, sibi non liquere.* Et in Verr. [1, 9.] *Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus. antea vel judicari primo poterat, vel amplius pronunciari.* et rursus [c. 29.] *Ut de Philodamo amplius pronunciaretur.* alias, ampliaretur. Et iterum [1, 9.] *Ut etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen iste turpe existimaret, non primo judicare.* Et ad Herenn. [4, 36.] *Quid fuit, judices, quare istum nefarium ampliaveritis.* et de Claris Orat. [22.] *Quum consules, re audita, amplius de consilii sententia pronunciavissent.* Rem hanc clare aperit Asconius [ad Cic. 1. in Verr. 29.] *Mox veterum fuerat, ut, si quis absolvendus esset, statim absolveretur, si damnandus, statim damnaretur, si causa non esset idonea ad damnationem, absolvi tamen non posset, amplius pronunciaretur.* Verum quum Romanis mos esset, etiam judicia proferre per tabellas, tres dabantur tabellae diversis notis insculptae, quarum quam vellent, in urnam imponerent. Una habebat signatum *A*, quae erat absolutionis nota; altera *C*, quae condemnationis; tertia *N. L*, quae non *liquere* significabat, et sic causam vel reum ampliandum; quod colligimus ex Cic. in Divin. Paullo l. 36. D. de Re Judic. et l. fin. de Injur. juncta l. *Decurionum*, §. fin. ex quibus caus. major. Omitto enim, quod alii scripsere, nempe *D* damnationis notam fuisse, et Σ literam Graecam mortis notam fuisse, ex Pers. sat. 4.

Tu potis es vitio nigrum praefigere theta.

Et Martial. 7. Epigr. 36. ad Cafricium

Nosti mortiferum quaestoris, Castrice, signum,
Est operae pretium discere theta novum.

ris L. Paullum et Gallum Sulpicium patronos sumserunt. Ad recuperatores adducti a citerioribus po- 8
pulis P. Furius Philus, ab ulterioribus M. Matienus. Ille Sp. Poſtumio, Q. Mucio conſulibus triennio 9
ante, hic biennio prius, L. Poſtumio, M. Popillio

Et Ausonio [Epigr. 128.]

Tuumque nomen theta sectilis signet.

Nam de litera *D* nihil apud probatum auctorem me legiſſe memini; de Δ autem quod diximus, ſpectat potius ad Graecorum, quam Romanorum morem. Sed ad rem noſtram revertentes *ampliatos* ſcribit Livius P. Furium Philum, et M. Matienum reos, hoc eſt, judicium illorum dilatum, et quum dicenda de integro cauſa eſſet, excusatos exſilii cauſa ſolum vertiſſe: et M. Titinium bis ampliatum, tertio abſolutum. Itaque *ampliati* dicebantur, ut in Annot. Budaeus tradit, quorum damnatio vel abſolutio differebatur, aut quia coram teſtes ſiſtendi eſſent, et cum illis committendi, aut quia nondum plene liquebat aut de crimine, aut de modo poenae, aut quia argumenta et probationes nondum satis erant idonea ad abſolvendum vel condemnandum. Ad quod videtur ſpectare Plautinum illud in Amphitr.

Jacent rationes, silet judicium, nescio quid dicam.

Verum quia comperendinatio et ipsa erat judicii ferendi prorogatio, ob id Budaeus idem, Sigonius lib. de Judiciis 2, 22. et F. H. [Hotom.] in Comm. verbo *Jus*, et in Comm. et in Cic. 1. in Verr. [9.] in differentiis aſſignandis inter ampliationem et comperendinationem plurimum laboravere. Nos, quas praecipuas arbitramur, breviter adducimus. Ampliatio libera erat et in judicum poteſtate poſita, comperendinatio neceſſaria et legis Serviliae imperio conſtituta; cujus rei paſſim in Verr. exſtant exempla. Ampliatio quoque saepius fieri poterat, comperendinatio semel tantum. bis factam ampliationem ex hoc Livii loco colligimus. Publicanorum quorundam cauſam tribus ampliationibus prolatam, tradit Cic. de Clar. Orat. [22.] Valer. Max. 8, [1. absol. 2.] ſcribit, cauſam L. Cottae, repetundarum accuſati a L. Scipione, septies ampliatam fuiſſe, at comperendinatione semel judicium dilatum alias docuimus. Tertia differentia eſt, quod ampliationis tempus in judicis arbitrio poſitum erat, comperendinationi vero perendinum diem tantum aſſignatum, hoc eſt diem tertium, Graeci μεταύριον dicunt, id eſt, *postcrastinum*, quod ex Cic. in Bruto [33.] clare percepimus. Hisce tribus differentiis praecipue ampliationem et comperendinationem diſtingui puto, caeteras minus forte veras, vel saltem haud neceſſarias censeo; ut [illegible]ta quod in comperendinatione poſſet eſſe ampliatio, nequaquam in ampliatione comperendinatio; et quod in comperendinatione defensor seu reus primum diceret, secundo loco accusator, in ampliatione primum accusator, deinde defensor; et aliae ejusdem generis, quas lubens omitto, quum ex dictis Livii satis sententiam apertam exiſtimem. MARC. DONATUS.

§. 8. *Ab ulterioribus M. Ma-*

consulibus, praetor fuerat. Graviſſimis criminibus accusati ambo ampliatique: quum dicenda de integro cauſſa eſſet, excusati exsilii cauſſa solum vertisse. Furius Praeneſte, Matienus Tibur exsulatum abierunt. Fama erat, prohiberi a patronis nobiles ac potentes compellare; auxitque eam suspicionem Canulejus praetor, quod, omiſſa ea re, delectum habere inſtituit. dein repente in provinciam abiit,

tienus] Ita priscae edd. Sed ultima Gruteri subſtituit *M. Matienius*. Cauſſam v. ad 41, 28, 5.

§. 9 *Praetor fuerat*] Edd. principes per compendium *pr. fuerat*. An forte scribendum *praetores fuerant*? Nam ita paullo ante, *Ad recuperatores adducti a citerioribus populis P. Furius Philus, ab ulterioribus M. Matienus*. et mox, *Furius Praeneste, Matienus Tibur exsulatum abierunt*.

§. 10. *Furius Praeneste, Matienus Tibur exsulatum abierunt*] Mirum fortaſſe videri poteſt, eos Praeneſte et Tibur exsulatum abiiſſe: id enim eſt propemodum

Exquilias a ferventi migrare Suburra;

ut cum Satyrico loquar. Sed enim urbes erant aliquot Latinorum, in quas exsilii causa solum vertere jus erat jam inde ab ultima prope antiquitate, in quibus hae duae numerabantur, quod Halicarnasseus declarat. TURNEBUS 16. Advers. 21. Livius 26, 3, 12 *Priusquam dies comitiorum aderat, Cn. Fulvius exsulatum Tarquinios abiit. id ei justum exsilium esse scivit plebs*. Ita Ardeae Camillus exsulavit 5, 43. in quod exsilium eum ante judicium perfectum abiiſſe conſtat ex 5, 32.

§. 11. *Nobiles ac potentes compellare*] *Compellare* pro accusare poni solet a bonis scriptoribus: cujus notionis multa apud reliquos exſtant exempla, quae rescribere longum eſſet. TURNEB. 16. Advers. 21. Vide Manut. ad Cic. 8. ad Fam. 12. et Cel. Burm. ad Suet. Caes. 17.

§. 12. *Ne frumenti aestimationem magistratus Romanus haberet*] Hoc de frumento emto et aeſtimato (* l. imperato) accipiendum arbitror, et simul hinc colligo, ante hoc tempus nondum senatusconsulto solitum fuiſſe finiri modum *pecuniae*, quae pro eo provincialibus solveretur, sed aeſtimationem illius arbitrio magiſtratuum fuiſſe: deinde autem senatum, avaritia eorum offensum, ipsum pretium, quo socii frumentum Romanis venderent, conſtituisse. Nam quod Sigonius 2. de Antiq. Jur. Prov. 5. scribit, frumenti emendi et imperandi auctoritatem praetoris totam fuiſſe, repugnat iis, quae Cicero 3. Verr. 70. et seqq. tradit. DUKER. Cl. Crevierius exiſtimat, de duplici frumenti genere hic agi, nempe aeſtimato et emto. Per aeſtimatum intelligit id, quod magiſtratibus Romanis in cellam, id eſt, in domeſticum usum, a provincialibus sumere licebat, sed pro quo usu invaluerat, ut pecuniam

ne plures ab Hispanis vexarentur. Ita, praeteritis silentio obliteratis, in futurum consultum ab senatu Hispanis, quod impetrarunt, ne frumenti aestimationem magistratus Romanus haberet; neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet; et ne praefecti in oppida sua ad pecunias cogendas inponerentur. 12

III. Et alia novi generis hominum ex Hispania le- 1

sibi numerari juberent. De eo agit Cic. 3. in Verr. 81. Adde Cel. Burm. de Vectigal. cap. 2. pag. 20. Quum autem magistratus in eo praedarentur provinciales, quod frumentum grandi pretio aestimarent, Hispanos hic impetrare, ut magistratus Romani frumentum ipsum accipere cogerentur, non frumenti aestimationem, seu pro frumento pecuniam: vel ne liceret magistratibus Romanis pretium imponere frumento illi, quod in cellam sumere poterant; sed, si pro frumento pecuniam mallent, aestimatione communi et publica uterentur. Per emtum frumentum intelligit id, quod provinciales Romanis vendere jubebantur. De eo agit Cic. 3. in Verr. 70. Adde Cel. Burm. de Vectig. cap. 2. pag. 19. In illam rem magistratus Romani pecuniam e publico accipiebant: ex qua ut aliquid averterent, frumentum, quod emere debebant, viliſſimo pretio aestimabant: in eo itaque Hispanos impetrasse putat, ne vicesimas frumenti vendere cogerentur, quanti vellent magistratus Romani.

Neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet] Plures vicesimas et differentes apud scriptores observamus. Dion Cass. lib. 55, [565.] refert, Octavium Augustum vicesimam haereditatis et legatorum, exceptis, quae genere proxime junctis ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, statuisse inferri in aerarium militare Caesaris. Hinc *lex Julia de vicesima* dicta. Leges addidisse de haereditatum vicesima Antoninum Philosophum, scribit Julius Capitolinus [ejus vit. cap. 11.] quas omnes sustulisse Justinianum constat ex C. de Edicto D. Hadr. tollendo. Hujus vicesimae ibid. l. ult. fit mentio, et a Paulo lib. Sentent. 4. cap. 6. et a Plinio in Panegyr. [cap. 37. et seqq.] lib. 7. Ep. ad Corelliam [14.] et alia ejusdem lib. ad Fabatum. De eadem Aemilius Macer binos libros conscripsit. Fuit et alia vicesima portorii, vectigal, inquam, quod pendebatur pro exportatione rerum; cujus meminit Cic. 2. in Verr. [cap. 75.] inquiens, *Scribit H-S LX socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis.* Quum Plinius locis allegatis *vicesimae* verba facit, sunt, qui intelligant de vicesima rerum venalium, cujus tamen impiissimae et infandae exactionis nullibi meminisse scriptores observavi. Fuit et alia vicesimae lex, longe antiquior, lata anno ccxcvIII. ab urbe condita, cujus meminit Livius lib. 7. [16, 7.] in haec verba: *Ab altero Consule nihil memorabile gestum. nisi quod legem novo exemplo ad*

2 gatio venit. ex militibus Romanis et ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, supra quatuor millia hominum, orabant, ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. 3 Senatus decrevit, *uti nomina sua apud L. Canulejum*

Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit: Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi aerario additum esset, auctores fuerunt. Hac libertini tantum tenebantur, ob idque etiam ad Ciceronis usque tempora retentam, ipsemet uti ad Attic. scribens lib. 2, [16.] *Portoriis Italiae sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, praeter vicesimam? quae mihi videtur una conciuncula clamore pedissequorum nostrorum esse peritura.* Hanc Neronem cum aliis per initia sui imperii, ut popularem auram aucuparetur, sustulisse vel remisisse, testari videtur Tacit. l. 13, [31.] *Aurum vicesimarium* hinc deductum putant doctiores, quod ex hac vicesima colligeretur, cujus Livius lib. 27, [10, 11.] in haec verba scribens, meminit: *Caetera expedientibus, quae ad bellum opus erant, consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore aerario ad ultimos casus servaretur, promi placuit. prompta ad quatuor millia pondo auri.* De hac vicesima, de qua Pomponius ait A. Ofilium primum scripsisse l. 2. §. 44. D. de Orig. jur. intelligendum opinatur F. Hotom. At de nulla harum vicesimarum Livii verba intelligenda, tum temporum computatio, tum ratio ipsa suadet. Namque nulla earum in Hispanorum ita erat potestate, ut eam quoquo modo vendere possent, sed eorum omnium exactio ad Romanos magistratus seu vicesimarios exactores spectabat. Quamobrem ego per vicesimas hoc loco interpretor vigesimam partem frumenti, quam Hispanorum unusquisque possidebat. duo enim impetraverunt Hispani a senatu: unum, ne magistratus Romani eorum frumento pro libitu pretium constituerent; alterum vero, ne cogere possent eosdem vicesimam frumenti, quam haberent singuli, partem vendere, quanti ipsi magistratus vellent. MARC. DONAT. Haec nullo testimonio scriptorum veterum nituntur. Quarum rerum *vicesimas* dicat Livius, nondum e Cujacio 27. Obs. 9. Sigonio 1. de Ant. Jur. Prov. 1. et 2, 5. Bulengero de Vectigal. cap. 9. Spanhem. de Praest. et Usu numism. dissert. 13. pag. 551. (qui in priore ed. pag. 797. non videtur alienus fuisse a sententia Donati) et Burmanno de Vectig. c. 9. discere potui. DUKERUS.

§. 2. *Ex militibus Romanis et ex Hispanis mulieribus* etc.] Qui ex mulieribus suscepti essent, quibuscum jus connubii non esset, servorum in numero fuisse videntur. Quidam Latinae conditionis fuisse credunt, quod hoc Livii loco probare conantur. Sed aut nihil video omnino, aut servos esse Livius ostendit: manumitti enim eos senatui

jum profiterentur: eorumque si quos manumisisset, eos Cartejam ad oceanum deduci placere. Qui Car- 4
tejensium domi manere vellent, potestatem fore, uti numero colonorum essent, agro adsignato. Latinam eam coloniam fuisse, libertinorumque adpellari. **Eodem tempore ex Africa et Gulussa, Masinissae re-** 5

placuisse scribit; quo significat, ingenuos non fuisse. Sed et eam coloniam Latinorum fuisse, libertinorumque appellatam esse scribit, quae firmissima sunt nostrae sententiae adjumenta. TURNEB. 16. Advers. 21. Ex hoc loco Sigonius 1. de Ant. Jur. Civ. Rom. 6. et 9. et 2. Emendat. in Disputatione adversus Robortellum de nominibus Romanorum cap. 7. scribit, eos, qui ex mulieribus, cum quibus connubium non esset, nati erant, *in numero servorum habitos fuisse*, et *ne libertatem quidem habuisse*; et Turnebus *servorum in numero, non ingenuos fuisse.* Hoc non in universum de omnibus, qui nati erant e mulieribus, cum quibus connubium non erat, verum esse arbitror. Nam qui ex cive Romano et muliere libera, cum qua connubium non esset, nati erant, non illi quidem cives Romani, sed tamen liberi erant, nec ullam rationem invenio, cur servorum numero haberi debuerint: partus enim, quod dicunt JCti, sequitur ventrem. Eos, de quibus hic agit Livius, servilis conditionis fuisse, argumento sunt, quae de eorum manumissione et adpellatione coloniae, in quam deducti sunt, dicuntur. Hinc suspicor, matres eorum fuisse captivas Hispanas ancillas, quarum liberi conditionem matrum sequebantur. Ulpian. tit. 5. §. 9. *Ex cive Romano et Latina Latinus nascitur, et ex libero et ancilla servus: quoniam, quum his casibus connubia non sint, partus sequitur matrem.* Attigit hunc locum etiam Ill. Spanhem. in Orb. Rom. Exercit. 2. cap. 22. sed ita, ut non videatur in eo vidisse, quod Sigonius et Turnebus. DUKER. Eamdem sententiam, quam Cel. Dukerus, fovent etiam Clariss. Doujatius et Crevierius; quorum dictis nihil habeo, quod addam.

§. 3. *Eorumque si quos manumisisset*] Quum in provinciam veniret scilicet, ut praesens singulorum causas cognosceret. Nam quod non dicit Livius *ut eos manumitteret*, sed *eorum SI QVOS manumisisset*, indicio est, non eamdem omnium causam fuisse, sed alios manumitti potuisse, alios non potuisse. Si quid veri in eo est, quod de matribus illorum dixi, qui post mortem patrum in alterius domini potestatem non venerant, manumitti potuerunt; qui justo titulo venerant, non potuerunt. DUK.

§. 4. *Latinam eam coloniam fuisse*] Quando? aut ex quo? Immo cum maxime fiebat, deductis eo quatuor millibus hominum, qui ex militibus Romanis et Hispanis mulieribus, quibuscum connubium non esset, erant nati. Lege igitur *Latinam eam coloniam esse*, (hoc est, in posterum esse, vel haberi) *Libertinorumque appellari.* J. FR. GRON.

§. 5. *Eodem tempore ex Africa*] Ad haec verba in margine

gis filius, legatus patris, et Karthaginienses vene-
6 runt. Gulussa prior in senatum introductus, et, quae missa erant ad bellum Macedonicum a patre suo, exposuit; et, si qua praeterea vellent imperare, praestaturum merito populi Romani est pollicitus: et monuit Patres conscriptos, ut a fraude Kartha-
7 giniensium caverent. *classis eos magnae parandae consilium cepisse; specie pro Romanis, et adversus Macedonas: ubi ea parata instructaque esset, ipso rum fore potestatis, quem hostem aut socium habeant.* [Egit deinde Masinissae causam de agro, de oppidis, quae ablata sibi ab eo Carthaginienses quererentur, magnaque contentione inter regulum et legatos Carthaginienses disceptatum. Quae ultro citroque jactata sint, quid a senatu responsum fuerit, in incerto est. Quievit tamen velut sopita haec controversia per aliquot annos. Renovata postea in acre bellum exarsit, quod adversus Masinissam a Poenis susceptum cum Romanis gerendum fuit, nec nisi Carthaginis interitu finitum est. Hoc anno invenimus in annalibus, puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque aruspicum deportatum in insulam desertam.

Appian. Pun.

Plin. 7. 4.

Comitia. (*IV.*) Habita sunt a C. Cassio consule comitia, quibus creati consules sunt A. Hostilius Mancinus, A. Atilius Serranus. Praetores inde facti M. Retius, Q. Maenius, L. Hortensius, Q. Aelius Paetus, T. Manlius Torquatus, C. Hostilius. Decretae consulibus provinciae Italia et Macedonia. Italia Atilio, Hostilio Macedonia obvenit. Praetores Retius urbanam jurisdictionem, peregrinam Mae-

Fasti Capit.

Infra capp. 4. et 11.

Provinciae.

primae editionis asteriscus est adpictus, quasi quaedam desint. Verum quum nihil desiderari videatur, recte secuti editores asteriscum omiserunt.

nius sortitus est. Classis cum ora maritima Graeciae Hortensio obtigit. Reliquae praetoriae provinciae fuere procul dubio, quemadmodum anno priore, Hispania, Sicilia, et Sardinia. Sed singulas quinam praetores obtinuerint, silentibus veterum monumentis, certo sciri non potest. Interim P. Licinius, quasi ad bellum non cum Perseo, sed cum Graecis gerendum missus esset, inanes adversus justum hostem iras in miseros et viribus impares vertit, compluresque in Boeotia, ubi hibernabat, urbes expugnavit, et crudeliter diripuit. Coronaei maxime vexati quum ad senatum confugissent, Patres decreverunt, ut captivi, qui sub corona venissent, in libertatem restituerentur. Consulis crudelitatem et avaritiam imitatus est, aut etiam superavit Lucretius praetor, qui classi praerat, adversus socios ferox, hosti spernendus. Siquidem classem ad Oreum stantem adortus repente Perseus, naves onerarias frumentum portantes viginti cepit, reliquas depressit, et quatuor etiam quinqueremibus potitus est. Res quoque prospere gestae in Thracia a Perseo, quum eo ad Cotyn defendendum adversus Atlesbis et Corragi copias divertisset. Nec vero ipse sibi Cotys defuit, vir bello strenuus, consilio praestans, Thrax genere solo, non moribus. Nam et unicae sobrietatis ac temperantiae fuit, idemque clementia et moderatione animi plane amabilis.

P. Licinii crudelitas in Graecos.

Zonaras.

Epit. hujus lib. et infra cap. 4. et 8.

Itidem C. Lucretii.

Plut. in Paulo.

Res gestae Persei.

Epit. hujus lib. et supra 42, 67.

Polyb. et Diod. apud Valesium.

Polyb. ibid.

(*V.*) Cuncta Perseo ex voto fluebant. Nam et tunc Epirotarum gens in ejus partes transiit, auctore Cephalo, quem tamen ad defectionem necessitas magis compulit, quam voluntas. Is, singulari prudentia et constantia praeditus, tum quoque optima mente erat. Deos enim immortales precatus fuerat, ut bellum inter Romanos et Per-

Epirotae adjungunt se Perseo, auctore Cephalo.

sea ne conflaretur, neve de summa rerum decerneretur. At exorto bello statuerat ex foederis praescripto Romanos juvare: praeter foederis autem leges nihil ultro facere, neque obsequi indecore et turpiter. Turbavit haec consilia Charopus quidam, ejus Charopi, qui saltum ad Aoum amnem T. Quintio contra Philippum bellanti aperuerat, nepos, vilis potentiorum assentator, et mirus calumniarum in optimum quemque artifex. Romae educatus fuerat, missus ab avo in urbem, ut linguam Romanam literasque perdisceret. Hinc notus carusque plurimis Romanorum, quum revertisset domum, natura levis, et ingenio pravus, quum et Romana ei amicitia faceret animos, principes viros usque allatrabat. Sed primo despiciebatur ab omnibus, nec ulla ejus ratio habebatur. Postquam autem bellum Persicum conflatum est, quum plena omnia suspicionum in Graecia essent, multis palam, pluribus occulte Perseo studentibus, non destitit Charopus eos, qui auctoritate inter Epirotas praestabant, apud Romanos criminari. Et speciem quamdam coloremque dabat ejus calumniis ea necessitudo, quae olim Cephalo caeterisque eamdem sectam sequentibus cum regibus Macedonum fuerat. Jam vero omnia illorum dicta factaque maligne explorans, et in pejus semper detorquens, veritatemque adjectis detractisque, quae voluerat, adulterans, fidem criminibus faciebat. Neque his tamen commovebantur Cephalus et ii, qui eorumdem in republica consiliorum socii erant, freti egregia conscientia illibatae erga Romanos fidei. Verum ubi illis criminationibus aurem praebere Romanos senserunt, et principes quosdam Aetolorum, quos pariter suspectos fecerant obtrectatorum calumniae, Romam abdu-

Supra 32, 11.

Polyb. et Dio. ibid.

ctos, tum demum opus esse crediderunt, ut sibi ipsi suisque rebus consulerent. Quum autem nihil succurreret praeter regiam amicitiam, cum Perseo societatem inire coacti sunt, eique gentem suam tradere. Romae A. Hostilius, A. Atilius consules, inito magistratu, et peractis, quae divina humanaque in urbe et circa urbem fieri a consulibus mos est, in provincias profecti sunt. Hostilius, cui Macedonia obtigerat, quum in Thessaliam ad exercitum properaret, Epirum, quae nondum aperte defecerat, ingressus, parum abfuit, quin incideret in Persei manus. Theodotus enim quidam et Philostratus, rati sese, si eum regi traderent, magnam gratiam apud Persea inituros, et gravissimum in praesentia Romanis damnum illaturos, ad regem literas dedere, ut, quanta maxima posset celeritate, accurreret. Quod nisi et Perseum objecta a Molossis ad Loum amnem mora retardasset, et consul, de imminenti periculo monitus, ab instituto itinere deflexisset, vix videtur effugere potuisse. Igitur relicta Epiro navigavit Anticyram, unde in Thessaliam contendit. Ibi accepto exercitu ad hostem perrexit. Sed nihilo felicius bellum administravit, quam priore anno gestum fuerat. Nam et proelio commisso cum rege pulsus est, et quum primum per Elymeam vim facere tentasset, deinde per Thessaliam occulte moliri iter, ubique occurrente Perseo, vano conatu absistere coactus est. Nec Hortensius praetor, cui classis obtigerat, quidquam satis scite aut fortunate egit, cujus ex rebus gestis nihil ad memoriam insignius est, quam crudelis et perfida urbis Abderitarum direptio, quum intoleranda sibi imposita onera deprecarentur. Igitur Perseus Romanos jam despiciens, ac velut otiosus plane et va-

Polyb. ibid. *Hostilius cos. insidias Persei vix effugit.*

Parum feliciter bellum administrat.

Plut. in Paulo.

Infra c. 4.

Plut.

cuus, corollarii vicem in Dardanos excursionem fecit, et, decem millibus barbarorum interfectis, ingentem praedam abduxit.

Epit. hujus lib. et Flor. 2, 17.

IV. (*VI.*) Movere hoc anno Celtiberi in Hispania bellum, instigante novo duce Olonico, Salondicum quidam vocant. Is, summa calliditate et audacia hastam argenteam quatiens velut coelo missam, vaticinanti similis, omnium in se mentes converterat. Sed quum pari temeritate castra praetoris Romani, uno furiosi consilii socio assumpto, sub noctem adiisset, praetorem videlicet obtruncaturus, juxta tentorium ipsum pilo vigilis exceptus est: socius pares stolidi incepti poenas luit. Amborum capita praecidi statim jussit praetor, atque hastis suffixa delectis e numero captivorum tradi 1 ad suos perferenda. Hi] tantum pavorem in-

§. 1. *Tantum pavorem ingressi castra.*] Hoc loco desiderantur comitia consularia, quibus A. Hostilius Mancinus et A. Atilius Serranus consules facti sunt. Hostilio Macedonia evenit, Atilio Italia. Item comitia praetoria cum sortitione provinciarum. Ad haec vero desunt res a P. Licinio proconsule in Macedonia gestae. Qua de re sic in Epitoma. *P. Licinius Crassus proconsul complures in Graecia urbes expugnavit et crudeliter diripuit.* quamquam ex Livio videtur legendum *consul*, non *proconsul*, quia ait paulo post: *Quo crudelius avariusque in Graecia bellatum et ab consule Licinio, et ab Lucretio praetore erat.* Accedit, quod prorogatio imperii in P. Licinio non fuit necessaria, cum A. Hostilius consul hoc anno cum imperio in Macedoniam venerit, atque ibi hoc tempore esset. Loquitur hic de quodam praetore, qui hostes sine sanguine domuit, deinde qui a P. Licinio consule in servitutem adducti erant, restitutos in libertatem exponit. Qua de re sic in Epitoma: *ob id captivi, qui ab eo sub corona venierant, postea restituti sunt.* Post autem, quae a L. Hortensio praetore avare et crudeliter in socios facta sint, exponit. de quibus sic in Epitoma. *Item a praefectis classium Romanorum multa impotenter in socios facta.* Si qua alia hoc loco desiderentur, paulo post [cap. 18, 2.] indicabo. SIGONIUS. Hoc caput de *Olonico*, quod sub finem Epitomes hujus libri legitur, quasi *Olonicus*, sive, ut alii codices habent, *Elonicus* mendose scriptum sit, refert Sigonius ad *Clondicum* Bastarnarum ducem, qui in Dardaniam cum triginta millibus hominum, ceteris in patriam reversis, perveniisse memoratur lib. 40, 58. Hac de causa pro eo, quod in fine hujus Epitomes scribitur *in Hispania*, legit idem Sigonius

greſſi caſtra, oſtentantes capita, fecerunt, ut, si admotus extemplo exercitus foret, capi caſtra potuerint. Tum quoque fuga ingens facta eſt: et erant, 2 qui legatos mittendos ad pacem precibus petendam cenſerent: civitatesque complures, eo nuncio audito, in deditionem venerunt. quibus purgantibus 3 sese, culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se ultro ad poenam ipsi obtuliſſent, quum veniam dediſſet praetor; profectus extemplo ad alias 4 civitates, omnibus imperata facientibus, quieto exercitu pacatum agrum, qui paullo ante ingenti tumultu arserat, peragravit. Haec lenitas praetoris, 5 qua sine sanguine ferociſſimam gentem domuerat, eo gratior plebi Patribusque fuit, quo crudelius

in Paeonia, quae Macedoniae regio Dardanis vicina. Inde conjiciebam, narrationem hanc totam ad Cn. Sicinium, praetorem anni prioris, pertinere; qui, quum jurisdictionem inter peregrinos sortitus eſſet, adjecta praeterea aliorum negotiorum cura, uti ex noſtro liquet libri superioris cap. 9. 10. et 18. prorogato deinde in annum imperio, navalibus terreſtribusque copiis attributis, provinciam Macedoniam obtinere juſſus fuerat: trajectoque ad Apolloniam exercitu, tribunos cum valida manu ad occupanda Daſſaretiorum atque Illyriorum, ipsis volentibus, caſtella miserat; quod refertur ejusdem libri cap. 27. 31. 36. Unde non improbabile videbatur, Licinio conſule et praefecto claſſis Lucretio eorumque legatis Perseum circa maritima diſtinentibus, Sicinium, quo Dardanis Romanorum ſociis contra Baſtarnas Thracasve bellantibus sese adjungeret, in intimam Macedoniam, qua Dardanis proxima eſt, cum exercitu penetraſſe; ita ut, quae de Olonico interempto scribuntur, Clondico convenire potuerint. Idque suadebant argumenta duo ex Floro, quibus conſici videbatur, ea, quae de Salondico Hiſpanio apud eum referuntur, ad haec tempora revocari non poſſe. Alterum, quod ante Salondicum ponantur Metelli Macedonici, junioris Africani, D. Bruti in Hiſpania geſta; quae sane hoc tempore poſteriora sunt: et quod Florus caſtra *conſuli* adita dicat ab Olonico, quum tamen per hosce annos nullus eſſet in Hiſpania conſul, citeriorque et ulterior per propraetores regerentur. Verum huic sententiae vehementer obſtat, quae fit poſtea, Clondici mentio lib. 44, 26. et 27. Licet enim ibi Gallorum regulus dicatur, dubium tamen eſſe non poteſt, quin idem sit cum superioris anni Clondico Baſtarnarum regulo. Baſtarnae quippe Gallicae ori-

avariusque in Graecia bellatum, et ab consule Licinio et ab Lucretio praetore, erat. Lucretium tribuni plebis absentem concionibus assiduis lacerabant, quum reipublicae causa abesse excusaretur: sed tum adeo vicina etiam inexplorata erant, ut is eo tempore in agro suo Antiati esset, aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinae duceret. Id opus centum triginta millibus aeris locasse dicitur. tabulis quoque pictis ex praeda fanum Aesculapii

ginis, ejusdemque cum Scordiscis generis fuerunt, nec sermo nec mores abhorrebant, teste Livio. Quin et Plutarchus in Paullo Aemil. p. 259. Bastarnas hos ipsos vocat Gallos; et Clondicus Gallus e Thracia (quo Clondicus Bastarna advenerat) a Philippo vocatur; narraturque, spretis Persei conditionibus, retro cum suis ad Istrum rediisse; ad cujus fluminis ripam ulteriorem Bastarnarum sedes. Obstat et *Hispaniae* nomen, quod vocabulum quum constanter et editi et scripti servent, in *Paeoniae* adpellationem transferre mihi quidem religio est. Tentabam, num in Hispania congruens quid per hosce annos accidisset: nec vere deerat Metellus, in quem convenire posset, quod hic aït noster, *lenitatem praetoris, qua sine sanguine ferocissimam gentem domuerat, gratam plebi Patribusque fuisse.* Metellus sane apud Florum, quum Contrebiam memorabili cepisset exemplo, Nertobrigae majori gloria pepercit: aut, ut Valer. Max. aït l. 5. c. 1. quum urbem Centobricam obsideret, et jam admota machina partem muri, quae sola convelli poterat, disjecturus videretur, humanitatem propinquae victoriae praetulit. Nam quum Rethogenis filios (qui ad eum transierat) Centobricenses machinae ictibus objecissent, ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur, (quamquam ipse Rethogenes negabat esse impedimento, quo minus etiam per exitium sanguinis sui expugnationem perageret) ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto, etsi non unius civitatis moenia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit; effecitque, ut ad redigendas eas *in ditionem* populi Romani *non multis* sibi obsidionibus opus esset. Erat et in Appiano Fulvius Nobilior, a quo Carus Segedensis Celtiberorum dux primo victor, dein, dum Romanos fugientes effuse insequitur, caesus fuit. Sed haec in consulatum Q. Opimii, L. Postumii Albini annumque urbis incidunt IDXCIX. Caecilii autem Metelli proconsulis res abhinc remotiores in annum IDCXII abeunt, qui annus ab hoc consulatu trigesimus est. Potior idcirco visa conjectura Gronovii, quae et salvis loci hominisque appellationibus consistere, et, si quid contra opponatur, idoneis adversus ea responsis adstrui potest. Nam nec magni momenti videri debet *consulis* nomen, quo utitur Florus. *Consulis* enim et *praetoris* nomina au-

exornavit. Invidiam infamiamque ab Lucretio averterunt in Hortensium succeſſorem ejus Abderitae legati, flentes ante curiam, querentesque, *oppidum suum ab Hortensio expugnatum ac direptum esse. Caussam excidii fuisse urbi, quod, quum centum millia denariûm et tritici quinquaginta millia modiûm imperaret, spatium petierunt, quo de ea re et ad Hostilium consulem, et Romam mitterent legatos. Vixdum ad consulem se pervenisse, et audisse* 8 9 10

ctores promiscue usurpant: quod haec utraque dignitas haud multum dispari poteſtate imperium militare in provinciis continebat. Sic, ut alios taceam, Appianus M. Fulvium Flaccum, qui Lusones aliosque Hispanos circa centesimam quinquagesimam Olympiadem devicit, vocat ὑπατον, quo vocabulo consules Romanos Graeci exprimunt. Illum tamen praetorem tunc fuiſſe, conſtat ex Livio noſtro lib. 34, 52. et 35, 7. Nec nisi biennio poſt consul cum M. Vulsone eſt creatus lib. 37, 48. Quod autem Salondici poſt Metellum, Lucullum, Scipionem, Brutum in rebus Hispaniae commemorandis meminit Florus, apparet, hunc non ordinem temporum accurate sequi, sed populorum fata, ac praesertim diversos Hispaniae duces ſtrictim delibando inter se componere. HEARNE. Non satis causae eſt, cur ob id, quod hic Licinius *consul* avare et crudeliter in Graecia bellaſſe dicitur, in Epitoma quoque pro *proconsul* legendum sit *consul*; quia et consul et proconsul id facere potuit. Nam argumentum de prorogatione imperii in eo non neceſſaria non magnam vim habet; quoniam non conſtat, quando Hoſtilius in provinciam venerit: quem non improbabile eſt, procuratione prodigiorum aliisque sacris, in primis Latinis, ut plerosque consules, et Q. Marcium, succeſſorem Hoſtilii, aliquamdiu retentum, ne ſtatim, accepta provincia, in eam proficisceretur, atque interim Licinio imperium, quoad successor veniſſet, prorogatum fuiſſe. DUK. Idem, quod Cl. Dukerus, sensit etiam Jac. Perizon, qui, ut in Epit. recte *proconsul* scriptum eſſe adversus Sigonium, prorogationem imperii in P. Licinio non neceſſariam eſſe credentem, doceret, haec ad marginem Livii adscripserat: „Sed „solebat saepe prorogari impe„rium, donec succeſſor veniſ„set. Sic infra cap. 17. *Ad Ho„ſtilium proconsulem.* Sic et C. „Antonius *proconsul* dicitur vi„ciſſe Catilinam Epit. 103. quia „tunc annus consulatus jam exi„erat."

§. 9. *Caussam excidii fuisse urbi*] Ita Clericus edidit, ejusque lectionem Crevierius adoptavit. Antea editiones exhibebant *excidii*, quod reſtitui. V. ad 5, 15, 9.

Spatium petierunt, quo de ea re] Latinius *petierint*. J. FR. GRONOV. Si quid mutandum, *petierint* cum Gronovio malo, quam *petierant* cum Doujatio.

oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub
11 *corona ceteros venisse.* Indigna senatui visa: decreveruntque eadem de Abderitis, quae de Coronaeis decreverunt priore anno; eademque pro con-
12 cione edicere Q. Maenium praetorem jusserunt. Et legati duo, C. Sempronius Blaesus, Sex. Julius Caesar, ad restituendos in libertatem Abderitas missi.
13 Iisdem mandatum, ut et Hostilio consuli et Hortensio praetori nunciarent, senatum Abderitis injustum bellum inlatum, conquirique omnes, qui in servitute sint, et restitui in libertatem, aequum censere.

1 V. (*VII.*) Eodem tempore de C. Cassio, qui consul priore anno fuerat, tum tribunus militum in Macedonia cum A. Hostilio erat, querelae ad senatum delatae sunt, et legati regis Gallorum Cincibili ve-
2 nerunt. Frater ejus verba in senatu fecit, questus, Alpinorum populorum agros sociorum suorum depopulatum C. Cassium esse, et inde multa millia *ho-*

§. 11. *Indigna senatui visa*] Utrum *Indigna ea senatui visa*, an *Indigna res senatui visa?* J. FR. GRON.

§. 12. *Sex. Julius Caesar*] Pighius in Annal. ad A. V. CLXXXIII. pag. 371. inter quaestores provinciales hujus anni refert *Sex. Julium Sex. F. L. N. Caesarem*, quem anno CXCVI. consulem exhibent Fasti Capitol. Verum vel duo hoc tempore Sex. Caesares florere debuerunt, vel hic locus quaesturam ejus in alium annum referendam esse ostendit. Si enim eo magistratu hoc anno functus esset, legationem illam obire non potuisset.

§. 1. *Legati regis Gallorum Cincibili*] Nisi Carni mox distinguerentur a Gallis, quorum rex *Cincibilus* fuit, conjecturum se Doujatius profitetur, Cincibilum inter Carnos regnum obtinuisse: nunc igitur se credere, regem alicujus Transalpini populi fuisse; quales memorantur 39, 54. et 55. Verum, licet Carnos a Gallis, apud quos Cincibilus regiam dignitatem obtinebat, non distingueret Livius, tamen ex ejus verbis colligi posset, eum populi Transalpini regem fuisse. Sequitur enim mox, *legatos missi duos ad regulum trans Alpes placet.* Et postea, *Legati cum Gallis missi trans Alpes C. Laelius, M. Aemilius Lepidus.* In Gallia autem Transalpi-

minum in servitutem abripuisse. Sub id tempus 3
Carnorum Istrorumque et Iapydum legati venerunt:
Duces sibi ab consule Cassio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarent: pacatum ab se, tamquam ad aliud bellum gerendum, 4
abiisse: inde ex medio regressum itinere hostiliter peragrasse fines suos: passim rapinasque et incendia facta: nec se ad id locorum scire, propter quam caussam consuli pro hostibus fuerint. Et regulo 5
Gallorum absenti, et his populis responsum est, *Senatum ea, quae facta querantur, neque scisse futura, neque, si sint facta, probare. Sed, indicta caussa damnari absentem consularem virum, injurium esse, quum is reipublicae caussa absit. Ubi ex Macedo-* 6
nia redisset C. Cassius, tum, si coram eum arguere vellent, cognita re senatum daturum operam, uti satisfiat. Nec responderi tantum iis gentibus, sed le- 7
gatos mitti, duos ad regulum trans Alpes, tres circa

na plures hoc tempore reguli erant. Praeter hunc Cincibilum memoratur etiam Balanus 44, 14.

§. 3. *Istrorumque et Iapidum legati*] Graeci Ἰάποδες. Tabulae Capitolinae *Iapudes* edunt. SIG. Verum est, a quibusdam scriptorum Graecorum, ut Strab. 5, 217. 7, 313. et seqq. ac Stephano Byz. posteriores populos Ἰάποδας vocari; ab aliis tamen, ut Ptolem. 2, 17. et Dion. Cass. 49, 412. dicti sunt Ἰάπυδες, ut docet Cellar. 2. Geogr. Ant. 8, 386. quam orthographiam, nempe *Iapydum*, utpote receptae sectioni proximam, secutus sum. Eadem obtinet in optimis edd. Plinii 3. Hist. Nat. 18. 19. et 21. *Iapudum* Sigonius edidit hic, et in Epit. Liv. 59. quod auctoritate Fast. Capitol. Triumph. fecit, in quibus A. V. CCXXIV. *C. SEMPRONIVS C. F. C. N. TVDITAN. COS. DE. IAPVDIBVS. K. OCT.* triumphasse dicitur. Vide etiam Pighium in Ann. ad A. V. CCXXIV. pag. 26. Verum, ut *ILLVRII* in his fastis vocantur A. V. CCXXV. CCXXCVI. et CCCXI. qui vulgo dicuntur *Illyrii*; ita etiam *IAPVDES*, qui adpellandi more Romano sunt *Iapydes*. Viri docti, qui infra Epit. 59. ubi Sigon. etiam *Iapudas* ediderat, *Iapydas* receperunt, hic tamen *Iapidum* male servarunt. Similiter iidem illi et ipse Sigonius ediderunt in

eos populos placuit, qui indicarent, quae Patrum
8 sententia esset. Munera mitti legatis ex binis millibus aeris censuerunt. duobus fratribus regulis haec praecipua, torques duo ex quinque pondo auri facti, et vasa argentea quinque ex viginti pondo, et duo equi phalerati cum agasonibus, et equestria arma ac sagula; et comitibus eorum vestimenta li-
9 berisque servisque. Haec missa: illa petentibus data, ut denorum equorum iis commercium esset, edu-
10 cendique ex Italia potestas fieret legati cum Gallis missi trans Alpes, C. Laelius, M. Aemilius Lepidus:

Epit. Liv. 131. Et ita adhuc peccatur apud Tibull. 4, 1, 108. Virgil. 3. Georg. 475. et Servium ibidem: in multis etiam edd. Servii ad Virg. 11. Aen. 247.

§. 8. *Munera mitti legatis ex binis millibus aeris*] Doujatius intelligit bina millia pondo aeris, quia, si bina millia assium intelligerentur, quum asses jam ad semunciam aeris redacti essent, viliora, quam par sit, munera futura existimat. At, asses intelligendos esse, indicare videtur addita vox *summa* supra 42, 19, 6. *Munera binûm millium aeris summae in singulos missa*. ubi vide, quae notantur. Ceterum Perizon. de Aere gravi §. 25. festinatione lapsus scribit, haec et quae cap. 6. et 8. dicuntur, post victum jam Persea et captum facta esse.

§. 9. *Ut denorum equorum iis commercium esset*] Brisson. de Verbor. Sign. voce *Commercium* ita hunc locum laudat: *ut militarium equorum iis commercium esset*. Sane, teste Macro JCto l. 12. §. 1. D. de Re milit. *Paternus quoque scripsit, debere eum, qui se meminerit armato praeesse, parcissime commeatum dare, equum militarem extra provinciam duci, non permittere*. Nihilominus et prima et reliquae edd constanter hic praeferunt *denorum equorum*. Prudentiae etiam Romanae convenire non videtur, ut in genere, non finito numero, equorum militarium commercium populis *bellicosis* concederent. Videntur igitur *denorum equorum*, id est, cuique legato, aut cujusque populi legatis decem equorum commercium indulsisse.

§. 10. *C. Sicinius, P. Cornelius Blasio, T. Memmius*] Prioris legati nomen emendandum, legendumque esse *Cn. Sicinius*, existimat Pighius in Annal. ad A. V. IↃLXXI. pag. 327. quia eo praenomine in praetura adpellatur. Indicabitur ergo Cn. Sicinius, qui praetor memoratur 42, 9. quemque Pighius diversum putavit ab alio Cn. Sicinio, qui aedilis obcurrit 39, 39. et praetor ibidem c. 45. Illum enim in Annal. ad A. IↃLXVIII. p. 307. et IↃLXX. pag. 315. vocavit *C. F. CN. N.* hunc vero ad A. IↃLXXI.

ad ceteros populos C. Sicinius, P. Cornelius Blasio, T. Memmius.

VI. (*VIII.*) Multarum simul Graeciae Asiaeque civitatium legati Romam convenerunt. Primi Athenienses introducti: ii, *se, quod navium habuerint militumque, P. Licinio consuli et C. Lucretio praetori misisse* exposuerunt, *quibus eos non usos frumenti sibi centum millia imperasse: quod, quamquam sterilem terram arent, ipsosque etiam agrestes peregrino frumento alerent, tamen, ne deessent officio, confecisse; et alia, quae imperarentur, praestare* 1 2 3

pag. 327. et IOLXXXI. pag. 363. *Q. F. CN. N.* Peccatum insuper putat in tertii legati praenomine, ac rescribit *C. Memmius* in Annal. ad A. V. IOLXVIII. pag. 308. indicari enim *C. Memmium*, qui bis praeturam obtinuit. Vide ad Livii 42, 9, 8. Praenomen vero *Titi* Memmiis insuetum esse. Illum tamen Memmium, qui bis praetura functus est, hic innui, Pighio, licet in his versatissimo, vix adsentiri possum. Non videtur enim Livius, contra morem suum passim observatum, P. Cornelium Blasionem, nondum ullis honoribus gestis insignem, ante Memmium memoraturus fuisse, si Memmius, qui bis praetor fuit, indicaretur. Per me itaque licet, ut *C. Memmius* legatur, modo bis praetoris filius, vel alius quilibet a bis praetore diversus intelligatur. Haec quidem difficultas tolletur, si legamus *Cn. Cornelius Blasio*, et intelligamus eum, qui praetor memoratur 34, 42. Verum inde simul alia orietur; nempe, Livium in memorandis virorum nobilium nominibus plerumque seriem temporis, quo ad honores pervenerunt, observare solitum fuisse, et hinc Cn. Cornelium ante Cn. Sicinium nominandum fuisse. Quae et altera mihi ratio est, cur C. Memmium bis praetorem intelligi non posse putem. Ita enim hic etiam ante Cn. Sicinium nominandus fuisset: quia, quo anno Sicinius praetor creatus est, Memmius eodem iterum praeturam nactus est: nisi quis utrosque Sicinios, quos Pighium distinguere vidimus, confundere mallet. At denique vel sic obstabit, omnes tres legatos fuisse praetorios; quale exemplum nondum notavi.

§. 1. *Graeciae Asiaeque civitatum legati*] Ita demum Curio vulgari voluit; priores *civitatium*. Vide ad 33, 20, 11.

§. 3. *Ipsosque etiam agrestes peregrino frumento alerent*] Demosth. Orat. adv. Leptinem pag. 545. *Ἴσε γὰρ δήπου τοῦτ', ὅτι πλείσῳ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἡμεῖς ἐπειθάκτῳ οἴτῳ χρώμεθα.*

§. 5. *Templum urbis Romae*] Hoc Smyrnaei se primos M. Porcio Catone consule, id est A. V. IOLVIII. ante viginti quinque annos feciſſe jactant apud Tacit. 4. Ann. 56. DUKER.

4 *paratos esse.* Milesii, nihil praestitisse memorantes, si quid imperare ad bellum senatus vellet, praestare
5 se paratos esse, polliciti sunt. Alabandenses templum Urbis Romae se fecisse commemoraverunt, lu-
6 dosque anniversarios ei Divae instituisse: et coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Jovi optimo maximo, adtulisse, et scuta equestria trecenta; ea, cui jussissent, tradituros. Donum ut in Capitolio ponere, et sacrificare
7 liceret, petebant. Hoc Lampsaceni, octoginta pondo coronam adferentes, petebant, commemorantes,
8 *Discessisse se a Perseo, postquam Romanus exercitus in Macedoniam venisset, quum sub ditione Per-*

§. 7. *Hoc Lampsaceni octogintorum pondo coronam*] Scribe: *Hoc et Lampsaceni, octoginta pondo coronam afferentes, petebant.* Frobenio per notas signatus numerus *LXXX. Hoc et*, nempe ut donum in Capitolio ponere ac sacrificare liceret. J. FR. GRON. Per numerorum notas *LXXX* praeferunt omnes edd. usque ad Gruterum, cujus postrema dedit *octogintorum.* Praeterea mallem *Et hoc Lampsaceni.*

§. 9. *Exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur*] Postremum mendosum tinnit. Malim *reciderent.* Lib. 44, [31, 15.] de Gentio: *Vix gladiatorio accepto, decem talentis ab rege rex, ut in eam fortunam recideret.* Exstat l. 3, 37, 2. *Avide ruendo ad libertatem, in servitutem elapsos juvare nolle.* Guilelmius *relapsos.* J. FR. GRON. Postremum illud *reciperentur* mendosum esse, aït vir summus; et pro eo mallet *reciderent.* Ego malim *redigerentur:* quod et propius ad vulgatam scripturam accedit, et Livio familiare est. Sic cap. 11. hujus lib. *Tot urbibus in potestatem regis redactis.* in Epit. lib. 1. *Gabios in potestatem suam redigit.* Curtius lib. 5. cap. 6. *Vicisque compluribus redactis in potestatem.* LAMB. BOS. Locum mendosum esse, inter omnes constat. Quamvis enim Livius easdem voces in eadem periodo saepe repetat, ut vidimus ad 1, 3, 2. hic tamen, ter locis adeo vicinis *reciperentur, exciperentur, reciperentur* iterari, nemo ferre potest. De ratione tamen, qua Livio subveniatur, viri docti differunt. *ne in regiam potestatem restituerentur* malebat Doujatius. *redigerentur* Lamb. Bos. licet autem utrumque Latine dici non diffitear, praeferendum tamen puto Gronovii *reciderent*, quia ea lectio propius ad Mssti vestigia accedit. Ex *reciderent* primo factum est *reciperent*, commutatis ob ductuum similitudinem

sei, et ante Philippi fuissent. Pro eo, et quod imperatoribus Romanis omnia praestitissent, id se tantum orare, ut in amicitiam populi Romani reciperentur: et, si pax cum Perseo fieret, exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur. Ceteris legatis comiter responsum; Lampsacenos in sociorum formulam referre Q. Maenius praetor jussus. munera omnibus in singulos binùm millium aeris data. Alabandènses scuta reportare ad A. Hostilium consulem in Macedoniam jussi. Et ex Africa legati simul Karthaginiensium, tritici decies centum millia et hordei quingenta indicantes se ad mare devecta habere, ut, quo senatus censuisset, deportarent. *Id*

9 10 11 12

literis *D* et *P*. De eo vide Bentlej. ad Horatii 3. od. 9, 8. et inprimis Victor. ad Cic. 1. ad fam. 8. et 9. Horum autem ultimo loco ob hanc eamdem causam confunduntur *accidere* et *accipere*. Similiter *concidere*, et *concipere*. Vide ad Livii 2, 10, 4. *decidere* et *decipere*. Vide Graev. ad Cic. 1. ad Attic. 8. Quum vero *reciperent* commodum sensum non efficeret, inde fecerunt *reciperenî*, sive *reciperentur*. Saepe autem illa terminatio verbi passivi, quae nota indicari solet, a librariis pro lubitu vel addita, vel detracta est. Vide ad 10, 10, 1. *Recidere* autem *in potestatem regiam*, ut 24, 32, 9. *In antiquam servitutem reciderunt*. Cic. pro Sext. cap. ult. *Multo praestat in eamdem illam recidere fortunam*. Similiter in jure Romano *recidere in potestatem*, vel *in potestate patris* saepius obcurrit. Vide Brisson. de Signif. verb. in voce *Recidere*.

§. 11. *Tritici decies centum millia et hordei*] Pighius inseruit *τὸ modiûm*. quod videtur elegantius subaudiri. Ut apud Senecam de Brev. vit. cap. 18. *Ut tibi multa millia frumenti bene committerentur*. J. FR. GRONOV. Optime Gronov. monuit, vocem *modiûm*, quam Pighius in Annal. ad A. V. ıɔLXXXIII, 369. hoc modo inseruit *tritici decies centum millia modiûm*, rectius abesse. Abest certe supra h. cap. *Eos frumenti sibi centum millia imperasse*. 33, 42, 8. *Tritici decies centum millia binis aeris populo diviserunt*. Vide Sanctium in Minerv. 4, 4, 605. Simili ellipsi Graeci omittunt vocem *Μέδιμνος*. Demosth. orat. adversus Leptin. p. 646. *Οἱ τοίνυν παρ' ἐκείνου δεῦρο ἀφικνούμενοι σῖτον μυριάδες, περὶ τετταράκοντά εἰσι*. V. Bos de Ellips. L. Graec. v. *Μέδιμνοι*. Ceterum locutio *decies centum millia* obcurrit etiam infra cap. 8, 9. *Multamque decies centum millium aeris dixerunt*. et loco modo laudato l. 33, 42. Eam viri

munus officiumque suum scire minus esse, quam pro meritis populi Romani et voluntate sua: sed saepe alias, bonis in rebus utriusque populi, se gratorum fideliumque sociûm muneribus functos esse.

13 Item Masiniſſae legati, tritici eamdem summam polliciti, et mille et ducentos equites, duodecim elephantos: et, si quid aliud opus eſſet, uti imperaret senatus: aeque propenso animo, ac quae ipse ultro

14 pollicitus sit, praeſtaturum eſſe. Gratiae et Karthaginiensibus et regi actae; rogatique, ut ea, quae pollicerentur, ad Hoſtilium consulem in Macedoniam deportarent. Legatis in singulos binûm millium aeris munera miſſa.

1 VII. (IX.) Cretensium legatis, commemorantibus, se, quantum sibi imperatum a P. Licinio consule eſſet

docti prosaïcis scriptoribus non usurpatam, ejusque loco adhibitum fuisse exiſtimant *decies centena millia*: quos erraſſe, auctoritate monumenti Ancyrani, in quo aliquoties *quadragiens centum millia* reperitur, docuit Gronov. 2. de Pec. vet. 8. pag. 83. In verbis praecedentibus Claríſſ. Crevierius vel superfluam eſſe judicat vocem *simul*, vel potius indicare, pluscula excidiſſe, ac fortaſſe legendum esse: *legati simul Karthaginiensium et Masinissae venerunt: Karthaginiensium tritici* etc.

Hordei quinquaginta] *quingenta* corrige. Sic enim locutus eſt de iisdem Karthaginiensibus lib. 36. [4, 5.] *Hordei quingenta millia*. SIGON.

§. 13. *Si quid aliud opus esset, ut imperaret*] Ita demum poſtrema Gruteri editio. Antea circumferebatur *uti imperaret*.

§. 4. *Quos milites inter praesidia regis Persei haberent*] Hanc lectionem demum obſendi in ed. Modii, et hinc in pluribus; sed contra fidem primae et proximarum edd. in quibus conſtanter *intra praesidia*; quod revocavi. Supra 25, 24, 15. *Praemittit Syracusanos, qui intra praesidia Romana fuerant.* ubi vide, quae notantur. 45. 23. 3. *Si quaereret, ubi miles noster, ubi navis intra praesidia sua fuisset.* Aliud eſt *inter praesidia*, de quo vide ad 35, 11, 10. De differentia utriusque vide ad 5, 27, 2. et Cl. Duker. ad 38, 11, 4. qui hic quoque *intra* probavit. *intra praesidia* recepit etiam Crevier.

§. 5. *Micion princeps eorum*] *Mictio* ex Plut. in Paullo, ut

esset sagittariorum, in Macedoniam misisse, quum 2
interrogati non inficiarentur, *apud Persea majorem numerum sagittariorum, quam apud Romanos, militare*, responsum est: *Si Cretenses bene ac gnaviter* 3
destinarent potiorem populi Romani, quam regis Persei, amicitiam habere, senatum quoque Romanum iis, tamquam certis sociis, responsum daturum esse. Interea nunciarent suis, placere senatui, dare ope- 4
ram Cretenses, ut, quos milites intra praesidia regis Persei haberent, eos primo quoque tempore domum revocarent. Cretensibus cum hoc responso dimis- 5
sis, Chalcidenses vocati; quorum legatio ipso introïtu, ob id quod Mictio princeps eorum pedibus captus lectica est introlatus, ultimae necessitatis extemplo visa res: in qua ita adfecto excusatio vale- 6
tudinis, aut ne ipsi quidem petenda visa foret, aut

ante. SIG. In Plutarchi Paullo nullus *Mictio* memoratur. Supra vero ad 35, 38, 1. *Mictio* non ex Plutarcho, sed ex veteri libro legendum Sigonius monuit, quum *Μικι Σίων* Appiano diceretur: pro eo *Micythio* reponendum esse, Gronovius ibid. conjecit. Pro *Micion*, ut est in ed. principe, *Miccion* dedit Frob. anno 1535. *Mictio*, ut Sigon. conjecit, Heinsius apud Elzevir. *Miction* Jac. Gronovius, et hinc reliqui. Sed. ultima litera iterum deleta, *Mictio* restituï, ut antea editum est. Ceteroqui *Micion*, vel *Micio* notum Graecorum nomen est. *Μικίων* Atheniensis memoratur Plutarcho in Arato p. 1046. qui *Μικύων* sive *Micyo* vocatur Polyb. 5, 106. *Μικίων* dux Macedonum occurrit apud Plut. in Phocion. 452. *Micio* a Terentio inducitur in Adelphis.

Ultimae necessitatis extemplo visa res] Non admodum eleganter dici videtur *legatio visa est res*. Melius abesset *res*. Si tamen est a Livio, non multum abest, quin suspicer, ante vocem *ultimae* aliquid desiderari: verbi gratia *omnes convertit*, aut si quid melius sententiae loci convenit, et scriptum fuisse, *est introlatus, omnes convertit. Ultimae necessitatis extemplo visa res. Convertere* homines dicuntur, quae insolentia et novitate aliqua in oculos incurrunt. 3, 38, 8. *Velut nova res mirabundam plebem convertit.* 22, 51, 9. *Praecipue convertit omnes substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus.* DUK. Locutio *legatio visa res ultimae necessitatis* etiam pingue quiddam et inelegans redolet Crevierio, qui alia ratione

7 data petenti non esset. Quum sibi nihil vivi reliquum, praeterquam linguam ad deplorandas patriae suae calamitates, praefatus esset, exposuit civitatis primum suae benefacta, et vetera, et ea, quae Persei bello praestitissent ducibus exercitibusque Ro-
8 manis: tum quae primo C. Lucretius in populares suos praetor Romanus superbe, avare, crudeliter feciſſet: deinde quae tum cum maxime L. Horten-
9 sius faceret. Quemadmodum omnia sibi, etiam iis, quae patiantur, tristiora, patienda esse ducant potius, quam se dedant Persi. *Quod ad Lucretium Hortensiumque adtineret, scire, tutius fuisse clau-*
10 *dere portas, quam in urbem eos accipere. Qui exclusissent eos, Emathiam, Amphipolim, Maroneam,*

mederi conatur. Delet enim vocem *legatio*, et legit *quorum ipso introitu* etc. *ultimae necessitatis extemplo visa res*. Vide, num vocula *res* in *est* mutata, legendum sit *quorum legatio ipso introïtu* etc. *ultimae necessitatis extemplo visa est*. An tamen *legatio* hic dicitur *res ultimae necessitatis*, ut *leges res surda*, *inexorabilis* supra 2, 3?

§. 9. *Potius, quam se dedant Persi*] Ita Gronov. ex antiquioribus edd. restituit supra 42, 25, 2.

§. 10. *Qui exclusissent eos, Emathiam, Amphipolim*] Malim *quae*: sunt enim haec urbium nomina. SIG. Per Emathiam, Amphipolim, Maroneam, Aenum, intelliguntur earum urbium incolae, ut saepe fieri solet. Ea ratione iam ferri potest *qui exclusissent*, ut etiam Doujatius et Crevierius viderunt, pro quo Sigonius male *quae exclusissent* legendum conjecit, et in contextum recepit; quod iterum ejeci. Liv. 8, 11, 12. *Latium Capuaque agro multati*. 32, 18, 9. *Elatia clausit portas, nec, nisi vi cogerentur, recepturi moenibus videbantur aut ducem, aut exercitum Romanum*. Vide, quae notantur ad 38, 29, 9. et mox ad cap. seq. §. 6. Insuper *τὸ eos* inducendum sibi videri, vir doctus ad marginem ed. Curionis monuit, forte quia modo praeceſſit, et inde hic commode repeti potest. Invito tamen cod. non muto. *Emathia* autem urbs ea est, quae olim *Oesyma* vel *Οἰσύμη* dicebatur. Vide Stephan. Byz. ea voce, ubi consulenda sunt, quae viri docti notarunt, et ad vocem *Ἡμαθία*.

Spoliataque sacrilegiis C. Lucretium navibus Antium devexisse] Corrige *Spoliaque sacrilegii*. J. FR. GRON. Vulgatum commode videtur exponi posse, quae spoliata erant per sacrilegia, quae spolia contraxerat sa-

Aenum, incolumes esse: apud se templa omnibus ornamentis compilata; spoliataque sacrilegiis C. Lucretium navibus Antium devexisse, libera corpora in servitutem abrepta, fortunas sociorum populi Romani direptas esse, et quotidie diripi. Nam, ex instituto C. Lucretii, Hortensium quoque in tectis hiemè pariter atque aestate navales socios habere, et domos suas plenas turba nautica esse; versari inter se, conjuges, liberosque suos, quibus nihil neque dicere pensi, neque facere. 11

VIII. (X.) Arcessere in senatum Lucretium placuit, ut disceptaret coram, purgaretque sese. Ceterum multo plura praesens audivit, quam in absentem jacta erant: et graviores potentioresque acces- 1 2

crilegia committendo. Certe probare nequeo consilium Joh. Clerici, qui Gronovii conjecturam in contextum Livii recepit. *sacrilegiis*, nam *templa* Chalcidensium *omnibus ornamentis compilata* erant.

§. 11. *Versari inter se, conjuges, liberosque suos*] Freinsh. in Ind. Flori v. *dubium*, eliminari jubet *se*. Hoc aliquam rationem habet; nec tamen omnino necessarium est. DUK. Quam causſam habuerit Freinsh. cur illud *se* delendum censeret, invito unico cod. videre nequeo: commode enim servari potest.

Quibus nihil neque dicere pensi, neque facere] Malim *pensi sit*. ut lib. 42, [23, 3.] *Id illi, cui nihil pensi sit, facile est*. SIG. Illud *sit* facile elidi potuit ab ultimis literis vocis praecedentis: facile etiam subintelligi potest.

§. 2. *M. Juventius Talva*] *M? Juventius Thalna* ex consulatu Capitolino. SIGON. Editiones admodum variant. Antiquissimae praeferunt *M. Juventius Talva*, pro quo Curio dedit *M. Juvencius Talva*. Licet autem interim Sigonius veram scripturam ex Fastis Capitol. indicasset, et in contextum admisisset, secuti tamen editores Curionis lectionem revocarunt, etiam Gruterus in postrema ed. cum in prioribus dedisset *M. Juventius Talna*. Heinsius deinde apud Elzevirios edidit *M. Juvencius Thalna*. Gronovius anno 1665. *M? Juvencius Thalna*. Clarissimi Clericus et Crevierius *M. Juvencius Thalna*. Sed solus Sigonius verum vidit et hic, et infra ad 45, 21, 1. *Juventius*, non *Juvencius*, scribendum esse, vidimus ad 33, 22, 8. *Thalna* etiam ad 34, 42, 4. Male Pighius in Ann. ad DLXXVIII. pag. 353. eum *M. Juventium* in Fastis Capit. et nummis vocari contendit. Verum, quod ad Fastos adtinet, in ipsis illis, quos Annalibus suis

sere accusatores duo tribuni plebis, M. Juventius
3 Thalna et Cn. Aufidius. Ii non in senatu modo eum lacerarunt, sed in concionem etiam pertracto,
4 multis objectis probris, diem dixerunt. Senatus jussu Chalcidensibus Q. Maenius praetor respondit: *Quae bene meritos sese, et ante, et in eo bello, quod geratur, de populo Romano dicant, ea et scire vera eos referre senatum, et, perinde ac debeant, grata*
5 *esse. Quae facta a C. Lucretio, fierique ab L. Hortensio praetoribus Romanis querantur; ea neque facta, neque fieri voluntate senatus, quem non posse*
6 *existimare? qui sciat, bellum Persi, et ante Philippo patri ejus, intulisse populum Romanum pro libertate Graeciae: non ut ea a magistratibus sociis atque*
7 *amicis pateretur. Literas se ad L. Hortensium praetorem daturos esse; quae Chalcidenses querantur acta, ea senatui non placere: si qui in servitutem liberi venissent, ut eos conquirendos primo quoque*

insernit Pighius, vocatur *M. IVVENTIVS* anno V. IDXC. idque Pighius ipse agnoscit pag. 403. Praeterea nummum, quem laudat, publicavit Goltzius in Fast. ad d. annum; sed ibi etiam *M. IVVENTIVS* vocatur.

§. 3. *In concionem etiam pertracto*] *Producere* in hac re usitatum verbum esse, vidimus ad 27, 51, 5. Videri itaque posset, hic etiam legendum esse *protracto*. et ita etiam legisse videtur Pigh. in Ann. ad A. V. IDLXXXIII. p. 370. At nihil mutandum. Liv. 45, 10, 6. *In concionem quoque eos iisdem precibus pertraxerunt.*

§. 5. *Quem non posse existimare*] Nisi cum interrogatione legas, nullus erit sensus. SIG.

§. 6. *Bellum Persi, et ante Philippo patri*] Ita Gronov. legendum docuit ex antiquioribus edd. ad Livii 42, 25, 2. Gruteri postrema ed. operarum lapsu dederat *Persei*, quod D. Heins. apud Elzev. in *Perseo* mutarat.

Non ut ea a magistratibus sociis atque amicis paterentur] Lege, *non ut ea a magistratibus socii atque amici paterentur*. J. FR. GRON. Vellem addidisset *suis*, et emendasset *non ut ea a magistratibus suis socii et amici paterentur*. DUKGronovii conjecturam, nihil monito lectore, in contextum rece-

tempore, restituendosque in libertatem curaret: sociorum navalium neminem, praeter magistros, in hospitia deduci aequum censere. Haec Hortensio 8
jussu senatus scripta. Munera binùm millium aeris legatis missa, et vehicula Mictioni publice locata, quae eum Brundisium commode pervcherent. C. 9
Lucretium, ubi dies, quae dicta erat, venit, tribuni ad populum accusarunt, multamque decies centum millium aeris dixerunt. Comitiis habitis, omnes 10
quinque et triginta tribus eum condemnarunt.

IX. (*XI.*) In Liguribus eo anno nihil memora- 1
bile gestum. nam nec hostes moverunt arma, neque consul in agrum eorum legiones induxit: et, satis 2
explorata pace ejus anni, milites duarum legionum Romanarum intra dies sexaginta, quam in provinciam venit, dimisit. sociorum nominis Latini ex- 3
ercitu mature in hiberna Lunam et Pisas deducto, ipse cum equitibus Galliae provinciae pleraque op-

pit Clericus. Doujatius contra vulgatum tuetur, ac nihil interesse judicat, utrum dicantur Chalcidenses a Romanis sociis atque amicis, an a Romanis pati aliquid Chalcidenses Romanorum socii atque amici. Eodem animo Crevierius locum ita interpretatur: non ut Graeci talia paterentur a magistratibus sociis atque amicis, qualia Chalcidenses ab Lucretio et Hostilio passi fuerant. Gronovii tamen conjecturam elegantiorem videri posse. fatetur. Ego etiam vulgatum defendi posse, et *paterentur* referendum esse existimo ad praecedens *Graeciae. Graecia paterentur* dictum, quasi foret *Graeci paterentur*, nomen regionis pro ejus incolis, de quo vide ad 38, 29, 9. Nihilominus Gronovii conjectura magis placet; eam tamen in contextum recipi, invito singulari libro, nolim.

§. 9. *Multamque decies centum millium aeris dixerunt*] V. ad cap. 6, 11.

§. 2. *Milites duarum legionum* etc. *divisit*] *dimisit* lego. nam praecedit *satis explorata pace ejus anni.* De consule A. Atilio loquitur. SIGON. Saepe haec verba confundunt librarii. V. ad 28, 2, 16. Mox verba proxima laudans Pighius in Annal. ad A. V. 1DLXXXIII. p. 369. praefert *intra dies XL.* sed, ut vi-

4 pida adiit. Nusquam alibi, quam in Macedonia, bellum erat: suspectum tamen et Gentium Illyrio-
5 rum regem habebant. itaque et octo naves ornatas a Brundisio senatus censuit mittendas ad C. Furium legatum Iſſam, qui cum praesidio duarum Iſſensium
6 navium insulae praeerat. duo millia militum in eas naves sunt inposita, quae Q. Maenius praetor ex senatusconsulto in ea parte Italiae, quae objecta Illyrico eſt, conscripsit: et consul Hoſtilius Ap. Claudium in Illyricum cum quatuor millibus peditum misit, ut
7 adcolas Illyrici tutarentur. qui, non contentus iis, quas adduxerat, copiis, auxilia ab sociis conrogando, ad octo millia hominum vario genere armavit: peragrataque omni ea regione, ad Lychnidum Dassaretiorum consedit.

1 X. (*XII.*) Haud procul inde Uscana oppidum finium plerumque Persei erat. decem millia civium habebat, et modicum, cuſtodiae cauſſa, Cretensium
2 praesidium. Inde nuncii ad Claudium occulti veniebant: *Si propius copias admovisset, paratos fore, qui proderent urbem. Et operae pretium esse, non se amicosque tantum, sed etiam milites praeda ex-*

detur, calami errore pro *LX*; ita enim, vel *sexaginta* servant omnes editi.

§. 6. *Ut adcolas Illyrici tutarentur*] Cl. Jac. Perizonius ad marginem Livii monuit, forte legendum eſſe *tutaretur*, quod verius: de uno enim Ap. Claudio eo miſſo intelligendum. Et ita conjecit etiam Crevier.

§. 7. *Ad octo millia hominum vario genere armavit*] Non omnino quidem improbo *homines vario genere*, pro *varii generis*; sed hoc tamen melius eſſe puto: nam illud etiam de varietate armorum accipi poteſt, quae non eſt mens Livii, qui de variarum gentium auxiliis loquitur. Juſtin. 11, 1. *In exercitu Philippi sicut variae gentes erant. Mistos* et *mistum genus hominum* alibi dicit Livius. 37, 39. 12. *Duo millia mistorum Macedonum, Thracumque.* et

pleturum. Spes cupiditati admota ita obcaecavit 3
animum, ut nec ex iis, qui venerunt, quemquam retineret; nec obsides, pignus futuros furto et fraude agendae rei, posceret; nec mitteret exploratum; nec fidem acciperet. die tantum ſtatuta profectus a Lychnido, duodecim millia ab urbe, ad quam tendebat, posuit caſtra. Quarta inde vigilia signa mo- 4
vit, mille ferme ad praesidium caſtrorum relictis: incompositi, longo agmine effusi, infrequentes, quum nocturnus error diſſiparet, ad urbem pervenerunt. Crevit neglegentia, poſtquam neminem ar- 5
matum in muris viderunt. Ceterum, ubi primum sub jactu teli fuerunt, duabus simul portis erumpitur; et ad clamorem erumpentium ingens ſtrepitus e muris ortus, ululantium mulierum cum crepitu undique aeris: et incondita multitudo, turba inmixta servili, variis vocibus personabat. Hic tam multi- 6
plex undique objectus terror effecit, ne suſtinere primam procellam eruptionis Romani poſſent. Itaque fugientes plures, quam pugnantes, interemti sunt: vix duo millia hominum cum ipso legato in caſtra perfugerunt. Quo longius iter in caſtra erat, 7

ibid. cap. 40, 9. 42, 51, 8. *Quingentis ex Graecia, misto generi hominum, praeerat.* et c. 58, 8. *Mistum genus, delecta plurium gentium auxilia.* DUKERUS.

Ad Lychnidum Dassaretiorum] Graeci enim Λύχνιδον. SIGON. *Lycnidum* ante Sigonium edebatur hic, et bis cap. seq. V. ad 33, 34, 11. Praeterea *Dassaritiorum* Sigonius edidit. Vide ad 37, 32, 9.

§. 3. *Ex iis, qui venerant, quemquam retineret*] Ita demum Gronovium anno 1665. edidiſſe video. Omnes antea typis descripti conſtanter legunt *qui venerunt*, quod revocavi.

Nec fidem acciperet] Jurejurando, puto. 22, 58, 6. *Nec pignus aliud fidei, quam ut jurarent se redituros, acceptum.* DUKER.

§. 5. *Ubi primum sub jactu*

8 eo plures fessos consectandi hostibus copia fuit. Ne moratus quidem in castris Appius, ut suos dissipatos fuga colligeret, (quae res palatis per agros saluti fuisset) ad Lychnidum protinus reliquias cladis reduxit.

1 XI. (*XIII.*) Haec et alia, haud prospere in Macedonia gesta, ex Sex. Digitio tribuno militum, qui
2 sacrificii caussa Romam venerat, sunt audita. Propter quae veriti Patres, ne quae major ignominia acciperetur, legatos in Macedoniam, M. Fulvium Flaccum, et M. Caninium Rebilum, miserunt, qui

teli fuerunt] Cod. nihil mutat, ut nec typis impressi: malim tamen *sub ictu teli*. Aliquoties in Livio occurrunt locutiones *esse sub ictu, venire sub ictum, esse extra ictum*. Supra 27, 18, 11. *Ut sub ictum venerunt, telorum primo omnis generis vis ingens effusa est in eos* 34, 28, 6. *Romani quum tantum a muro recessissent, ut extra ictum teli essent*. 37, 27, 8. *Adpropinquare non ausae naves, ne sub ictu superstantium in rupibus piratarum essent*. Vide etiam, quae notavi ad Silii 12, 277. *βελῶν ἔξω* dixit Xenoph. in Cyropaed. 3, 85. *ἔκτος βέλους* Polyb. 5, 13. Solent autem *ictus* et *jactus* confundi. V. ad 26, 40, 10.

§. 2. *M. Fulvium Flaccum*] Ita Froben. anno 1535. edidit; ed. princeps perperam praefert *M. Furius Flaccus*. In verbis praecedentibus *ne qua major* sibi legendum videri, Ant. Ferizonius ad marginem Livii monuit: quod haud displicet. 23, 35, 7. *Ne qua exprobratio discordiam sereret*. ubi vide. 43, 23, 5. *Ne qua vis sociis inferri possit*.

§. 3. *Uti mense Januario comitia haberi possent*] Tolle *τὸ comitia*. Sufficit eam vocem paullo ante expressam esse. J. FR. GRONOV. Gronovio adsentitur Crevierius. Sed vide ad 1, 3, 9.

§. 4. *M. Recio praetori mandatum*] Ita uno consensu omnes typis descripti legunt usque ad Crevierium, qui *M. Retio* edidit, quoniam ita supra scriptum reperit 27, 36, 3. ubi *M. Retius*, fortasse hujus praetoris pater, sic nominatur. Sed praefero sententiam Pighii in Annal. ad A. V. DCLXXXIII. pag. 369. qui per diphthongum *M. Raecio* scripsit. Ita enim in optimo Mſto Flor. id nomen exaratum inveni supra l. laud. Similiter in pluribus marmoribus apud Gruter. Reines. Fabrett. et alios, semper est *RAECIVS*, numquam *RECIVS*, vel *RETIVS*. Denique Graecis etiam vocatur *Ραικιος*. Ita apud Phleg. Trall. de Reb. mirab. c. 22 *Ραικίου Ταύρου, ἀνδρὸς στρατηγικοῦ, τῆς γυναικὸς θεράπαινα τῶν τετιμημένων ἀπεκύησε παῖδιον*. Quemadmodum igitur supra, ita etiam hic eam orthographiam recepi.

comperta, quae agerentur, referrent: et ut A. Ho- 3
ſtilius consul comitia consulibus subrogandis ita edi-
ceret, uti mense Januario comitia haberi poſſent,
et ut primo quoque tempore in urbem rediret. In- 4
terim M. Raecio praetori mandatum, ut edicto se-
natores omnes ex tota Italia (nisi qui reipublicae
cauſſa abeſſent) Romam revocaret. Qui Romae eſſent, 5
ne quis ultra mille paſſuum ab Roma abeſſet. Ea,
uti senatus censuit, sunt facta. Comitia consularia
ante diem quintum Kalendas Septembres fuere.
Creati consules sunt Q. Marcius Philippus iterum et 6

§. 5. *Ne quis ultra mille passuum ab Roma abesset*] In ed. Gronoviana anni 1679. operarum lapsu editum fuit *ab Roma abessent*, et tamen error adeo manifeſtus ab Amſtelaedamensibus in ed. anni 1710. deprehensus non eſt, quia Gronovius inter errata notare neglexerat.

Comitia consularia ante diem quintum Kalendas Septembres fuere] Malim legere *ante diem V. Kal. Feb.* Nam paullo ante refert, senatum decreviſſe, ut A. Hoſtilius consul comitia novis consulibus subrogandis ita ediceret, uti mense Januario comitia haberi poſſent. Igitur conciliandus ille locus eſt: alioquin suimet oblitus videtur Livius: neque illo tantum loco, sed etiam ubi, poſt comitia consulum praetorumque, legatos ex Macedonia, exacto admodum mense Februario, rediiſſe dicit. PIGHIUS in Annal. ad A.V. IDLXXXIV. pag. 372. Forte *Februarias*, ut vidit Pighius. J. FR. GRONOV. Primae edd. *ad V. Kal.* Sigonius vero admisit, divisis literis, quae male cohaerebant, *a. d. V. Kal.* id eſt, *ante diem quintum Kalendas*. Saepius autem hanc locutionem, a librariis vitiatam, Livio reſtituit. Vide ad 27, 23, 7. Probo etiam conjecturam Pighii aliorumque, qui *Kalendas Febr.* reposuerunt. Pro *Kal. Febr.* scriptum primo eſt *Kal. VIIbr.* et inde *Kal Septembr.* Mecum vero miratur Cl. Dukerus, Dodwell. de Cyclis Diſſ. 10. pag. 494. et 509. vulgatam Livii lectionem servare, eumque pro fundamento ponere observationum Chronologicarum.

§. 6. *Q. Servilius Caepio*] *Cn. Servilius* ex consulatu Cap. et Caſſiodoro. SIGON. Recte Sigonius. Cic. in Bruto 20. *Q. Marcio, Cn. Servilio consulibus mortem obiit Ennius.* V. Pigh. in Annal. ad A. V. IDLXXXIV. p. 372. ubi hunc Cic. locum laudavit, et Caſſiodorum ac Marianum, etiam *Q. Servilium* legentes, pariter emendandos monuit.

§. 7. *M. Sulpicius Gallus*] *C. Sulpicius* ex praetura et consulatu ejus. SIG. Et hic Sigonius bene Sulpicio praenomen *Caji* reddidit. Sulpicios enim *Marci* praenomine usos eſſe, nondum

7 Cn. Servilius Caepio. post diem tertium praetores sunt facti C. Decimius, M. Claudius Marcellus, C. Sulpicius Gallus, C. Marcius Figulus, Ser. Cornelius 8 Lentulus, P. Fontejus Capito. Designatis praetoribus, praeter duas urbanas, quatuor provinciae sunt decretae; Hispania, et Sardinia, et Sicilia, et clas- 9 sis. Legati ex Macedonia, exacto admodum mense Februario, redierunt. Hi, quas res ea aestate prospere gessisset rex Perseus, referebant, quantusque timor socios populi Romani cepisset, tot urbibus in 10 potestatem regis redactis. *Exercitum consulis in-*

notavi. Infra cap. 15. *C. Sulpicius* etiam in ed. principe vocatur. Vide quoque Scriver. curas posteriores ad Frontin. 1. Strateg. 12, 8.

§. 11. *Patres acceperunt, qui*] Haec tria verba expunxit Freinshemius, et, ut videtur, jure. Sed et *referebant* in fine hujus periodi aut delendum, aut pro eo scribendum *referentes*. J. FR. GRONOV. Freinshem. in Indice Flori in voce *Dubium* duas dictiones *qui* et in fine periodi *referebant* certe, istas autem *Patres acceperunt* forte ex contextu Livii eliminandas esse existimabat. Contra Clericus et Crevierius monuerunt, merito Freinshemium et Gronovium delenda judicasse duo vocabula *Patres acceperunt*, sed nihil praeterea novandum. Et sane potius a mala manu addita videntur, quae Freinshemius dubitanter, quam quae certe delenda censuit. Si quis tamen omnia illa quatuor vocabula ejicienda contendet, haud multum adversabor. Ceterum Doujatius neque Freinshemium, neque Gronovium satis diligenter vel adtente consuluit; scribere enim sustinet, duumviros hos voces *elevare eos* expungere; quas ipse, sed nemine contradicente, servandas opinatur. Ceterum *ta elevare eos* referenda sunt ad consulem et tribunos militum; quorum sententiam de clade Claudii legati ex Macedonia reversi senatui exposuerunt.

§. 13. *Hoc anno intercalatum est, tertio die post Terminalia Kalendae intercalares fuere*] Tempora annorum dimensionibus terminantur. Est autem annus, ut generaliter definitur, certum temporis intervallum, quod fit, dum sidus aliquod errans significrum orbem suo motu per signorum ordinem integre absolvit. Quamobrem observamus apud scriptores annum lunarem, solarem, et omnium planetarum annum, quem magnum dixere, quum scilicet omnia simul errantia sidera ad sua quaeque loca recurrunt. Sed lunaris annus quadrifariam accipitur: primus namque est, quum Luna, XXVII. diebus et VIII. horis Zodiacum percurrens, ad signum, ex quo egressa est, revertitur. Secundus

frequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem esse: culpam ejus rei consulem in tribunos militum, contra illos in consulem conferre. Ignominiam, Claudii temeritate acceptam, elevare eos Patres acceperunt, qui perpaucos Italici generis, et magna ex parte tumultuario delectu conscriptos ibi milites amissos referebant. Consules designati, ubi primum magistratum iniissent, de Macedonia referre ad senatum jussi: destinataeque provinciae iis sunt Italia et Macedonia. Hoc anno intercalatum est: tertio die post Terminalia Kalendae intercalares fuere. 11 12 13

duobus diebus et quatuor horis prolixior, qui consuete *mensis* appellatur, quum solem, a quo nova digressa est, XXIX. diebus et XII. horis exactis, jam defecta repetit. Tertius, qui XII. mensibus hujusmodi, id est diebus CCCLXIV. expletur, et vocatur communis. Quartus, qui ἐμβόλιμος Graece dictus, id est, superaugmentum, et habet menses XIII, id est, dies CCCLXXXIV. qui apud Hebraeos a principio mensis paschalis incipit, ibidemque finitur. Apud Romanos vero ab incipiente Junamensi Januarii sumit initium, ibidemque terminatur. Item solis est annus, quum ad eadem loca signorum redit, peractis diebus CCCLXV et horis sex, hoc est quadrante unius diei, quae pars quater ducta cogit interponi diem unum, quem Romani *bissextum* vocant, ut ad eundem circuitum redeatur, et sic annus bissextilis efficitur, qui et *intercalaris* etiam appellatur; eo quod mense Februario dies addatur, et, sicuti diebus XXVIII. perfici solet, in anno bissextili, die intercalato seu interposito, diebus XXIX. constet. Quamvis apud Graecos aliquando aliter sit intercalatum, scribente Cicerone in Verr. [lib. 2, 52.] *Tunc Cephaleditani decreverunt intercalarium XLV dies longum, ut reliqui menses in suam rationem reverterentur.* Et rursus [ibid.] *Est consuetudo Siculorum celerorumque Graecorum, quod suos dies mensesque congruere volunt cum Solis Lunaeque ratione, ut nonnunquam, si quid discrepet, eximant unum aliquem diem, aut summum biduum ex mense, quos illi exhaeresimos dies nominant: item nonnunquam uno die longiorem mensem faciunt, aut biduo.* His sic praemissis, sciendum adhuc, Romulum, primum Romanae urbis parentem, annum ex trecentis et quatuor diebus constituisse; sed quum ea dierum ratio neque Lunae neque Solis cursui conveniret, Numa Pompilius sex et quinquaginta dies addidit, ratus ea temporis intercapedine lunares cursus confici: namque ex hoc dierum numero et prioribus, duodecim menses constituit, quod prius feciisse Aegyptios scribit Herodotus [2, 4.] Verum, quia ad solis cursum conficiendum aliquot

Sacerdotes intra eum annum mortui, L. Flamininus

adhuc dies deerant, Graecorum more mensem intercalarem adhibuerunt, quod Macrobius lib. 1. Saturn. 14. his verbis annotavit: *Quum Romani ex distributione Pompilii ad lunae cursum, sicuti Graeci, annum proprium computarent, necessario etiam mensem intercalarem instituerunt more Graecorum:* et reliqua, quae de intercalatione author idem prosequitur. Et Livius lib. 1, [19, 6.] de Numa rege: *Omnium primum ad cursum lunae in duodecim menses describit annum, quem, quia trecenos dies singulis mensibus luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalares mensibus interponendo. ita dispensavit, ut vicesimo anno ad metam eandem solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent.* Quod vero intercalares dies non omnibus mensibus interposuerit, ut prima facie Livii verba sonare videntur, sed altero mense, *intercalari* dicto, comprehenderit, si recte illius dicta perpendantur, satis constare puto. Clarius autem id aperit idem Livius lib. 37, [59, 2.] ubi habet de L. Scipione: *Triumphavit mense intercalario, pridie Kalendas Martias.* Ita in l. 98. D. de Verb. Signif. ex Catone habemus apud jurisconsultos, mensem intercalarem esse additum, omnesque dies ejus pro momento temporis observari. In cujus loci annotat. Budaeus inquit, mensem intercalarem dici non modo eum, qui intercalatur, sed et in quo intercalatur, et priorem *intercalatitium*, posteriorem *intercalarem* dici, ejusmodi hodie est Februarius. Unde apud Cic. in Epist. [6. ad fam. 14.] *ad VI Kalendas intercalares priores.* Et ad Lig. *Ego tamen quum ad tertium Kalendas intercalares venissem.* Et in Orat. pro Quinct. [25.] *Dic, Naevi, diem. ante V. Kal. intercalares.* Et rursus [ibid.] *Pridie Kal intercalares.* Etsi vero intercalandi apud Romanos certam notam habitam colligamus ex Livii loco primum allegato, ut scilicet singulo quoque XX. anno mensis intercalaretur, nihilominus, quum intercalandi munus ad pontifices spectaret, factum est, ut illi in intercalando fraude uterentur, publicanis morem gerentes; cujus rei certissimum testem habemus Suetonium, scribentem ita in Caesare dict. cap. 40. *Conversus hinc ad ordinandum reipublicae statum fastos correxit, jam pridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriae aestate, neque vindemiarum autumno competerent. Annumque ad cursum solis accommodavit, ut CCCLXV. dierum esset, et, intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum e Kalendis Januariis nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem et Decembrem menses interjecit duos alios, fuitque is annus, quo haec constituebantur, XV mensium cum intercalari, qui ex consuetudine in eum inciderat.* De hac eadem re Amm. Marcell. l. 26. [1.] *Haec nondum extensis fusius regnis diu ignoravere Romani, perque secula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant, quum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi: qui, libenter gratificantes publicanorum vel litigantium commo-*

** pontifices duo decesserunt, L. Furius Philus et

dis, ad arbitrium suum detrahebant tempora, et augebant. Ex jam dictis itaque satis patere puto, Livii dicta intelligenda esse de anno, in quo intercalatum est, hoc est, in quo XIII. menses fuere, scilicet XII. ex consuetudine, et tertiusdecimus intercalaris. Quo autem in loco inter cacteros consuetos menses intercalaris reponeretur, ex Livii verbis intelligimus, nempe die tertio post Terminalia Kalendas intercalares fuisse. Terminalia autem sacrificia erant, quae fiebant Termino deo ad VIII. Kalendas Martias ex Lactantio Divin. instit. 1, 20. de his Terminalibus Cic. in Philipp. Horat. lib. 2. od. 9. Varro de Ling. Lat. lib. 5. et Ovid. 2. Fast. Itaque, circa finem Februarii intercalatum a Romanis, constat ex hoc loco Livii, et ex eodem 45, [44, 3.] ubi ait: *Intercalatum eo anno. postridie Terminalia intercalares fuere*, Kalendae scilicet, ut ego interpretor. Ubi notandum, hanc intercalationem a praecedenti distare per tres annos tantum: nam prior anno ab V. C. IↃLXXX. posterior anno IↃLXXXIII. Et Censorinus ait, intercalatum a Romanis inter Terminalia et Regifugium, et sicuti Terminalium festum celebrabatur VI. Kal. Martias, ita postridie Regifugii festum in memoriam Tarquinii fugae, qui eo die Roma profugit, quod pariter Macrob. confirmat. Ex quibus patet, quum apud Catonem legimus de Re rust. cap. 150. *Si intercalatum erit Kal. Majis, agnos XXX. non amplius promittat*, legendum *Kalen. Mart.* Postremo sciendum, et intercalandi modum a Caesare inventum, et a nobis observatum, vitio non carere: quod docuere Plinius 18, 25. et Budaeus in Poster. Annot. et Beda de ratione temporum, et denique omnes illi, qui de Gregoriano Kalendario constituendo scripsere. MARC. DONAT. Ex Macrobio 1. Sat. 13. videmus, mensem adoptivum inter Terminalia et Regifugium adscitum. Sed an constanti tamen lege ac ritu? Abire Livius videtur hoc loco. Equidem existimo, verbum potius in Livio, quam tempus in intercalatione mutatum. Forte librarius *postridiuo*, pro *postridie*, legerit: unde natum sit *triduo*, vel *tertio die post*. Vere igitur lib. 45, [44, 3.] *Intercalatum est eo anno postridie Terminalia*. At Varro [immo Cato] de Re rust. cap. 150. Kalendas Majas videtur assignare. *Si intercalatum erit Kal. Majis, agnos XXX ne amplius promittat*. Sed videtur: sola hic enim distinctione locus lucem capit. Prorsus non ad intercalationem Kalendae Majae, sed ad agnos referendae sunt: *Si intercalatum erit Kal. Majis* etc. Quippe si intercalatum non erit, *Kalendiis Juniis* (Varronis [Catonis] haec quoque sunt) *emtor fructu decedet.* ERYC. PUTEANUS de Bissexto cap. 2. Vulgatam lectionem *tertio die post Terminalia* defendit Dodwell. in Append. ad Praelect. Camden. pag. 743. 751. 761. et de Cyclis Dissert. 10. §. 26. pag. 492. Agnoscit Romae ordinarium fuisse, ut postridie Terminalia forent Kalendae intercalares: sed addit, interdum evenire potuisse, ut inter Terminalia et Kalendas intercalares dies medius intercederet; si nempe dies ante ex anno exemtus esset, ne nundinae in Nonas alicujus mensis, vel in Kalendas Januarias inciderent, qui postea supplebatur interponendo alium diem inter Terminalia et Kalendas interca-

C. Livius Salinator. in locum Furii T. Manlium Torquatum, in Livii M. Servilium pontifices legerunt.

1 XII. (*XIV.*) Principio insequentis anni quum consules novi Q. Marcius et Cn. Servilius de provinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam et Macedoniam, aut sor-
2 tiri placuit: priusquam id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam, quod res desideraret supplementi, de-
3 cerni. In Macedoniam peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites

lares: id autem hoc anno accidisse putat, et hinc Livium notare hoc anno Kalendas intercalares fuisse *tertio die post Terminalia*: primum enim diem numerat Terminalia; secundum, diem interpositum; tertium, Kalendas intercalares; quem numerandi morem, ut utriusque termini ratio habeatur, Livio sollemnem fuisse, praesertim posteriori loco aliquot exemplis probat. Vide ad 42, 10, 5.

Sacerdotes intra eum annum mortui, L. Flaminius. Pontifices duo] Deest nomen sacerdotii, quo praeditus erat L. Flaminius. Erat autem augur factus in locum P. Furii Phili anno IↃXXXVIII. Quare *L. Flamininus augur* legendum. SIGON. J. Fr. et Jac. Gronovii ediderunt *L. Flamininus * pontifices duo*, ut aliquid deesse significarent. Postea Laur. Theod. Gronovius in Observat. ad Marmoream basim Colossi Tiberiani cap. 11. experturus, an Livium asterisco, quo oneratur, levare possit, notat Mstum incomparabilem et unicum Caesareum legere *In sacerdotes intra eum annum mortuus est L. Flaminius Pontifices* etc. Hinc emendandum putat *Inter sacerdotes intra eum annum mortuus est L. Flaminius: Pontifices duo decesserunt.* Nondum tamen ita locum persanatum puto. Verisimile enim videtur, cum Sigonio legendum esse *L. Flamininus*, et indicari *T. Quinctium Flamininum*, qui supra 25, 2. augur creatus memoratur: et hinc non tantum excidisse hoc loco vocem *augur*, quam in contextum Sigonius et alii receperunt, sed etiam, ut Crevierius observat, et Dukerus me monuit, nomen ejus, qui in Flaminini locum augur factus est. Livius enim plerumque addit, quinam sacerdotes in mortuorum locum suffecti sint; quod quum hoc ipso loco in suffectis pontificibus observarit, non neglexisse videtur in successore L. Flaminini. Si autem suspicari liceret, successorem hunc fuisse ex Quinctiorum familia Flaminina, ex qua et mortuus erat, similis vocis repetitio caussa esse potuisset, cur unici Msti librarius aliquot voces perperam omiserit: et hinc verisimile fieret, Livium scri-

Romanos ducentos quinquaginta, socios trecentos. Veteres milites dimitti, ita ut in singulas Romanas 4
legiones ne plus sena millia peditum, trecenti equites essent. Alteri consuli nullus certus finitus nu- 5
merus civium Romanorum, quem in supplementum legeret. id modo finitum, ut duas legiones scriberet, quae quina millia peditum et ducenos haberent, equites trecenos. Latinorum major, quam colle- 6
gae, decretus numerus: peditum decem millia et sexcenti equites. quatuor praeterea legiones scribi jussae, quae, si quo opus esset, educerentur. Tri- 7

psisse *Inter sacerdotes intra eum annum mortuus est L. Flamininus augur. ei augures suffecerunt T. Flamininum. Pontifices duo decesserunt* etc. Per *T. Flamininum* autem intelligerem celeberrimi T. Quinctii Flaminini filium, qui munus gladiatorium mortis causa patris sui dedisse dicitur supra 41, 28, 10. et anno IↃCIII. consulatum gessit.

C. Livius Salinator] Hic potest esse *C. Livius*, quem 26, 23. non addito cognomine, A. V. IↃXLII. pontificem factum dixit. DUKERUS.

§. 1. *Placuit: priusquam*] Lenius procedet oratio, si legatur *placuit, et priusquam*. DUKER. Vide ad 9, 41, 10.

§. 2. *Priusquam id sors cerneret, in incertum*] Sors *cernere* dicitur, quum ejus aleae aliquid permittitur, ut id disceptet; ut eventus sit, quem dijudicaverit. TURNEBUS 16. Advers. 21. Id est, priusquam sors, tamquam judex, dijudicaret, utra utri consuli provincia obventura esset. Vide Perizon. ad Sanctii Minerv. 4, 15. pag. 769. 776. et Kuster. Diatr. de verbo *Cerno* §. 9. De illo *in incertum* vide Gronov. 1. Observ. 25. fine.

§. 4. *Sena millia peditum, trecenti equites*] *CCC equites* omnes typis descripti usque ad Gruterum, cujus ultima editio substituit *trecenti equites*. Sanam loquendi rationem non permittere, ut diversi generis numeri hac ratione conjungantur, supra vidimus ad 32, 28, 11. Notae igitur numerales erant reddendae *treceni equites*. Ita mox: *Id modo finitum, ut duas legiones scriberet, quae quina millia peditum et ducenos haberent, equites trecenos.* V. ad 42, 66, 5.

§. 6. *Peditum Latinorum major, quam collegae*] Inducendum *τὸ Peditum*. J. FR. GRON. Recte. Consuli enim, cui Italia obveniret, non modo major *peditum*, sed et *equitum* Latinorum numerus decretus est.

§. 7. *Tribunos iis non permissum, ut consules facerent*] Corrigo *Tribunos mil. non permissum*. SIG. *Tribunos militum non permissum* Sigonii est.

bunos his, non permissum, ut consules facerent: populus creavit. Sociis nominis Latini sexdecim
8 millia peditum, et mille equites imperati. Hunc exercitum parari tantum placuit, ut exiret, si quo
9 res posceret. Macedonia maxime curam praebebat. in classem mille socii navales cives Romani libertini ordinis, ex Italia * scribi jussi; totidem ut ex Sicilia scriberentur: et, cui ea provincia evenisset, mandatum,

Unicum exemplar *Tribunos iis non permissum*. Quod facile fero. Respicit, quod scripserat superiori libro cap. 31. Perinde est, ac si dixisset, *Tribunos ut consules facerent, non est iis permissum*. J. FR. GRON. Si hic sensus est, valde, et forsan sine exemplo disjecta sunt verba. Lipsius 2. de Milit. Rom. 9. haec citat e correctione Sigonii, et itidem putat, ad ea respici, quae 42, 31. scripta sunt. Sed dubitari potest, an non pronomen *his* tantum ad quatuor illas legiones pertineat, quae praeter duas legiones alterius consulis scribi jussae sunt; quibus consules videntur praeficere voluisse tribunos militum. Confirmat dubitationem locus non dissimilis 42, 35, 4. e quo simul conjectura fieri potest, has quatuor legiones urbanas fuisse. *C. Sulpicio Galbae praetori negotium datum, ut quatuor legiones scriberet urbanas, iisque quatuor tribunos militum legeret, qui praeessent.* etc. *Is exercitus uti paratus esset, quo senatus censuisset.* DUK. Optime Cl. Dukerus *tribunos iis* exponit tribunos quatuor illis legionibus. Neque aliter Crevierius verba accepit: qui insuper conjecit legendum *Tribunos his*, pro *iis*. Sed ita jam Gronovius anno 1665. et post eum reliqui omnes ediderunt.

§. 9. *Mille socii navales cives Romani libertini ordinis, ex Italia scribi jussi*] Haec non solum prava distinctione laborare, verum etiam mutila esse, mihi persuadeo. Vix dubitari potest, quin conjungenda sint verba *cives Romani libertini ordinis:* nam socii navales Romani fere ex hoc genere civium legebantur, et praeter eos alii sociis imperabantur. Hos *socios navales libertini ordinis ex Italia* numquam, illos *socios navales cives Romanos libertini ordinis* saepe vocat Livius. 40, 18, 7. *Naves viginti deductae navalibus sociis civibus Romanis, qui servitutem servissent, complerentur.* 42, 27, 3. *Socios navales libertini ordinis in quinque et viginti naves ex civibus Romanis C. Licinius praetor scribere jussus; in quinque et viginti parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret.* Et aliis locis apud Schefferum 2. de Milit. Nav. 4. Posterioris generis, id est, sociis imperati, fuerunt, qui hic dicuntur *ex Italia* scribi jussi: nimirum ex sociis maritimis Italiae, qui usum rei nauticae habebant, et Romanis etiam naves ex foedere

tum, ut eos in Macedoniam, ubicumque classis esset, deportandos curaret. In Hispaniam tria millia peditum Romanorum in supplementum, trecenti equites decreti. Finitus ibi quoque in legiones militum numerus, peditum quina millia, treceni et triceni equites. Et sociis imperare praetor, cui Hispania obveniſſet, juſſus quatuor millia peditum, et trecentos equites. 10 11

XIII. (*XV.*) Non sum nescius, ab eadem negle- 1

dare tenebantur. Sed quia, si verba *libertini ordinis* cum praecedentibus conjunguntur, sequentia *ex Italia* sine idoneo sensu sunt, notam numeri sociorum ex Italia scribi jussorum excidiſſe, et locum signo adposito ita diſtinguendum ac legendum puto: *mille socii navales cives Romani libertini ordinis, ex Italia * scribi jussi.* Ita expressus fuerit numerus sociorum e civibus Romanis, et ex sociis Italicis, quem his additum fuiſſe etiam ex eo intelligitur, quod totidem ex Sicilia scribi juſſi dicuntur. Qui autem sociorum navalium ex civibus Romanis, qui ex sociis Italicis numerus scribi soleret, adfirmare non poſſum. Unum de ea re habeo locum 42, 31, 6. 7. *Praetorem* etc. *Brundisium ad classem ire placuit, utque ibi recognosceret socios navales*, etc. *et daret operam, ut duae partes civium Romanorum, tertia sociorum esset.* Sed ex eo solo non conſici poteſt, id semper servatum fuiſſe. DUKER.

In Macedoniam, ubicumque classis esset) Id eſt, quacumque in parte orave Macedoniae classis eſſet. Quid ergo, si forte alio loco eſſet, quod fieri potuit, an amen in Macedoniam deportani erant? Hoc non admodum credibile eſt. Fortaſſis *in Macedoniam, aut ubicumque classis esset.* Claſſem sortitus eſt C. Marcius Figulus cap. 15. Ea autem, quum ad illam venit Marcius, Chalcide erat. 44, 1. DUK.

§. 10. *Peditum quina millia, trecenti et triginta equites*) Hanc lectionem demum inveni in ed. Francof. anni 1578. quae deinde ad omnes poſteriores propagata eſt. Quae paullo ante praeceſſerat, Paris. anni 1573. exhibet *peditum quina millia, treceni et triginta equites.* Omnes autem antiquiores *peditum quina millia, treceni et XXX equites.* Modo dictum eſt ad §. 4. perperam diversae poteſtatis numeros jungi. Si itaque nota numeralis literis exprimenda foret, dici deberet, *peditum quina millia, treceni et triceni equites.* Verum quum plures, quam trecentos, equites legioni additos eſſe non conſtet, certe alibi triginta supra trecentos memorari non meminerim, locum mendosum eſſe mihi persuadeo. Forte legendum, *peditum quina millia, treceni equites*, vel *et treceni equites*, vel *peditum quina millia duceni, et treceni equites.* Quidnam horum verius sit, sine emendationis Muſi ope dijudicari nequit.

gentia, qua nihil Deos portendere vulgo nunc credant, neque nunciari admodum nulla prodigia in
2 publicum, neque in annales referri. ceterum et mihi, vetustas res scribenti, nescio quo pacto, antiquus fit animus; et quaedam religio tenet, quae illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro
3 dignis habere, quae in meos annales referam. Anagnia duo prodigia eo anno sunt nunciata; facem in coelo conspectam, et bovem feminam locutam publice ali. Minturnis quoque per eos dies coeli ar-

§. 1. *Vulgo nunc credant, neque nunciari admodum nulla*] Scribe *credunt, neque nunciari admodum ulla*. J. FR. GRON. *ulla* hic recte legi potest. Vide tamen ad 21, 22. Adde Yvon. Villiomar. ad loca controv. Titii 1, 22. et Fabrott. ad Theophil. §. 10. Instit. de Susp. tutor. DUKER. Cl. Dukero adsentior, quum certum sit, Latinos more Graecorum duplicem negationem pro simplici usurpasse. V. supra ad 3, 26, 5. et Cort. ad Sall. Jug. 13, 5. Clericus et Crevierius Gronovii conjecturam in contextum receperunt.

§. 2. *Religio tenet*, etc. *ea pro dignis habere*] *Religio tenet*, sive *Religio est*, aut *Religioni est facere* tum dicitur, quum religio sive superstitio impedit, ne quid faciamus. Supra 5, 13, 8. *Religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent, vinciri.* ubi vide alia. Eodem modo *religiosum est facere* 5, 52, 8. *Ex hostium urbibus Romam ad nos transferri sacra, religiosum fuit.* ubi vide, quae notavi. Pari modo *religio cepit conandi*, quum superstitio obstat, ne quid conemur, 28, 15, 11. *Quosdam etiam religio ceperit ulterius quidquam eo die conandi.* Usus perpetuus et constans hujus locutionis docet, locum hunc corruptum esse. Quid enim, an Livius quotannis prodigia retulit, quia tenuit religio ea *pro dignis* habere, quae in annales referret, id est, quia superstitio inpediebat, ne pro dignis haberet? Immo contra, quia prodigia, quae majores susceperant, non audebat *pro indignis* habere, quae in annales referret. Recte igitur Cl. Crevierius monuit, sibi videri *indignis*, pro *dignis*, legendum esse. Ceterum si idem Crevier. observasset, in indice erratorum ed. Gronovianae anni 1679. moneri, operarum incuria *Sit animus* pro *fit* datum esse, ejus lectionis in notis posterioribus mentionem non fecisset.

§. 3. *Bovem feminam locutam publice ali*] Hoc etiam alias, eodem prodigio nunciato, factum fuerat ex responso aruspicum 35, 21. Adde 41, 13. Sed, quia hoc nondum editum erat, quo tempore Anagnini prodigium illud Romam nunciabant, id, quod dicunt bovem publice ali, aut ita intelligendum est, eam interim, dum resciscerent, quid

dentis species adfulserat. Reate imbri lapidavit. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacri- 4
mavit. in urbe Romana duo aeditui nunciarunt, alter, in aede Fortunae anguem jubatum a compluribus visum esse: alter, in aede Primigeniae Fortu- 5
nae, quae in colle est, duo diversa prodigia; palmam in area enatam, et sanguine interdiu pluisse. Duo non suscepta prodigia sunt, alterum quod in 6
privato loco factum esset, palmam enatam inpluvio suo T. Marcius Figulus nunciabat: alterum, quod in

aruspices jussuri essent, publice apud se ali, aut importune hoc loco positum videri potest. DUKERUS.

Coeli ardentis species adfulserat] Malim *effulserat*. Lib. 41, [21, 12.] *Tres simul soles effulserunt*. J. FR. GRON. *effulserat* probat etiam Celeberr. Burm. ad Val. Flacc. 6. vers. 27. ubi docet, verbum hoc de illis usurpari, quae subito fulgent. Supra 22, 1, 11. *Faleriis coelum findi velut magno hiatu visum, quaque patuerit, ingens lumen effulsisse*. 28, 15, 11. *Qualis* [sol] *inter graves imbre nubes effulget*.

Imbri lapidavit] Mire dictum, pro *pluit imbre lapideo*, quod est 30, 38, 18. *Lapideus imber, imber saxeus, imber lapidum* etiam apud alios leguntur. *imber carnis* Liv. 3, 10, 6. DUKER.

§. 4. *Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrimavit*] Verum est, ut Hearnius ad hunc locum notat, Julium Obseq. de Prodig. c. 87. *quatriduum* absque mentione noctium habere, quod idem Hearnius ad Obseq. etiam notat; verum vir doctus ex nominibus consulum, quae ad initium capitis illius adscripta sunt, videre potuit, Livium et Obsequentem non de eodem prodigio egisse.

§. 5. *In aede Primigenae Fortunae, quae in colle est*] Sic et Frobenius: sed scribendum *Primigeniae*, ut habent lapides antiqui, et ipse Livius alibi. J. FR. GRON. 29, 36, 8. *Principio pugnae aedem Fortunae Primigeniae vovit*. 34, 53, 5. *Aedem Fortunae Primigeniae in colle Quirinali dedicavit Q. Marcius Ralla*. Unde constat, *in colle* hoc loco intelligendum de colle Quirinali. Et quidem additur, *quae est in colle*, ut distinguatur ab alia ejusdem Fortunae Primigeniae aede, quam Servius rex in Capitolio construxit. Plutarch. de Fortun. Rom. pag. 322. Ἱδρύσατο δ' οὖν Σέρβιος Τύλλιος Τύχης ἱερὸν ἐν Καπιτωλίῳ, τὸ τῆς Πριμιγενείας λεγομένης. Ejusdem meminit idem Plutarch. in Quaest. Rom. pag. 281. Mox *pluvisse* primae edd. pro quo Curio dedit *pluisse*. Vide ad 1, 31, 1.

§. 6. *Palmam enatam inpluvio suo*] Lege *in impluvio*. J. FR. GRON. Supra 32, 1, 10. *In Herculis aede capillum ena-*

loco peregrino, Fregellis in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil ejus ambureret ignis, dicebatur. 7 Publicorum prodigiorum causa libri a decemviris aditi; quadraginta majoribus hostiis quibus Diis con- 8 sules sacrificarent, et addiderunt, uti supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia pulvinaria victimis majoribus sacrificarent, populusque co-

tum. Eodem cap. §. 12. *Scriptum erat, laurum in puppi navis longae enatam.* Paullo ante hoc cap. *Palmam in area enatam.* Facile autem praepositio excidere potuit ob primam syllabam dictionis sequentis. Vide ad 8, 33, 6.

Fregellis in domo L. Atrei] Legendum conjicio *L. Atrii.* Nam *Atreus* inter nomina Romana non notavi. At *C. Atrius Umber* supra obcurrit 28, 24. Similiter et sibi legendum videri, Cl. Dukerus monuit.

§. 7. *Consules sacrificarent, et addiderunt, uti supplicatio fieret*] Locus haud dubie mendosus, quem sic restituendum putamus: *Publicorum prodigiorum causa libris decemviri aditis, quadraginta majoribus hostiis quibus Diis consules sacrificarent, ediderunt, et, uti supplicatio fieret.* Haec restitutio confirmatur fere, quot locis negotii similis fit mentio. Lib. 36, [37, 4.] *Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos ex SC. decemviri quum adissent, renunciatum,* etc. *et unum diem supplicatio fieret; coronati supplicarent, et consul P. Cornelius, quibus Diis quibusque hostiis edidissent decemviri, sacrificaret.* Lib. 37, [3, 5.] *Supplicatio quoque earum religionum causa fuit; quibus Diis, decemviri ex libris, ut fieret, ediderunt.* Lib. 40, [45, 6.] *Ob ea decemviri jussi adire libros edidere, quibus Diis et quot hostiis sacrificaretur: et ob fulminibus complura loca deformata ad aedem Jovis ut supplicatio diem unum esset.* Lib. 41, [13, 3.] *Syracusanumque prodigium expiatum, editis ab aruspicibus Diis, quibus supplicaretur.* Lib. 42, [2, 6.] *Ob haec prodigia libri fatales inspecti, editumque ab decemviris est, et quibus Diis quibusque hostiis sacrificaretur, et ut supplicatio prodigiis expiandis esset.* J. FR. GRON. Clericus, professus se contextum Livii ad mentem Gronovii emendaturum, edidit *libris a decemviris aditis, quadraginta majoribus hostiis, quibus Diis consules sacrificarent. ediderunt, et uti supplicatio fieret.* Ex qua lectione commodus sensus effici nequit. Doujatius in referenda Gronovii emendatione omisit verbum *ediderunt.* Crevierius dubitari non posse fatetur, quin Livius scripserit *ediderunt.* Cetera vero, etsi haud dubie mentem Livii exprimunt, nec possunt longe abire ab ejus scriptura, habere tamen putat aliquid densius quodammodo et quasi confertius, quam solet Livius. Quid igitur?

ronatus esset. Omnia, uti decemviri praeierunt, facta.

XIV. (*XVI.*) Censoribus deinde creandis comi- 1
tia edicta sunt. petierunt censuram principes civitatis, C. Valerius Laevinus, L. Postumius Albinus, P. Mucius Scaevola, M. Junius Brutus, C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus. Hos duos censores creavit populus Romanus. Quum delectus ha- 2

si, reliqua emendatione Gronovii servata, in prioribus tantum verbis legamus *libri a decemviris aditi; qui quadraginta*; ita pressius inhaerebimus vulgatae lectioni, in qua Gronov. *libri a decemviris aditi* mutat in *libris decemviri aditis*; ego tantum post illa verba addo pronomen *qui*, quod facile elidi potuit a sequentis vocis syllaba initiali. In ultima parte verborum adsentior Gronovio, et *edidierunt* lego pro *addiderunt*. Id autem proprium in hac re verbum esse, vidimus ad 21, 62, 7. *Edere* etiam et *Addere* interdum in Mstis commutantur. Vide Cel. Burmann. ad Phaedr. 1, 14, 13.

Uti decemviri praeierunt] Obsecrationem a populo duumviris sacrorum *praeeuntibus* factam scribit 4, 21, 5. et populum, decemviro *verba praeeunte*, votum concepisse 41, 21, 11. Sed ita *praeire* hic non potest accipi. Malim *praeceperunt*, pro *praeierunt*. Nam decemviri dicuntur *imperare* et *jubere*, quae res divinae prodigiorum expiandorum causa faciendae essent. 31, 12, 9. et 38, 36, 4. et aruspices de prodigiis consulti *jubere* 35, 21, 5. 36, 37, 2. *praeire* pro *praecipere* nusquam alibi in Livio legi puto. Quod autem e Plinio 10. Epist. 54. quidam effecerunt: *Te rogo, ut mihi praeire digneris, quid me putes observare debere.* id in recentioribus edd. quoque est *mihi praecipere*. DUKERUS.

§. 1. *P. Mucius Scaevola, C. Junius Brutus*] Scribe *M. Junius Brutus*. Qui enim censuram petebant hoc tempore, consulares erant. Consul autem fuit *M. Junius Brutus*, non *Cajus*, ex consulatu ejus Capitolino et Cassiodoro. SIGON.

Ti. Sempronius Gracchus] *T. Sempronius* ed. princeps, pro quo Frob. anno 1535. dedit *Ti. Sempronius*; et ita vocatur in Fastis Capit. ad A. V. 1DLXXXIV. ubi censura ejus refertur. Vide ad 41, 8, 1.

§. 2. *Quod et juniores*] Supereſt τὸ *et*, aut plura desunt. J. FR. GRON. Clariss. Jac. Perizon. in margine Livii vulgatum adversus Gronovium tuetur, et existimat *et* hic poni pro etiam. Nimirum biennio ante, quo tempore *delectus consules multo intentiorem, quam alias, curam habebant, Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque: et multi voluntate nomina dabant, quia locupletes videbant, qui priore Macedonico bello, aut adversus Antiochum in Asia stipendia fece-*

bendi major, quam alias, propter Macedonicum bellum cura esset, consules plebem apud senatum ac-
3 cusabant, quod et juniores non responderent. Adversus quos C. Sulpicius et M. Claudius tribuni plebis causam egerunt. *Non consulibus, sed ambitiosis consulibus, delectum difficilem esse. neminem in-*
4 *vitum militem ab iis fieri. Id ita ut esse scirent et Patres conscripti, praetores, quibus et vis imperii mi-*

rant, teste Livio 42, 32, 5. nunc vero tantopere militum animi mutarant, ut non modo seniores, sed *et*, id est etiam, juniores non responderent. Nihil notius est, quam haec voculae significatio; et tamen saepe accidit, ut ad eam non adtendentes viri docti ex locis ceteroquin facillimis se non expedirent. V. ad 5, 26, 10. et 23, 42, 13. Ita apud Ovid. 20. Her. 181.

Nec bove mactato coelestia numina gaudent,
Sed, quae praestanda est et sine teste, fide.

ubi frustra Francius conjecit *vel sine teste*. Notat hunc ejus particulae usum Cel. Burmann. ad Suet. Aug. 14. Doujatius etiam recte vidit, voculam *et* eo sensu hic capi debere.

§. 3. *C. Sulpicius et M. Claudius tribuni plebis*] Non invenies in Livio ullum tribunum plebis e gente Sulpicia, quae adhuc integra erat inter patricias: immo neque in omni historia Romana ante Marii et Sullae tempora, quando P. Sulpicius Rufus seditiosus ille tribunus plebis fuit. Pighius tamen in Annalibus suis ex hoc loco duos hos, non tantum tribunos, sed et quaestores et aediles facit, ac caeteris ornat honorum titulis, Rufumque et Flamininum, si Diis placet, cognominat. Verum ego illos confidenter ex historia Romana exulare jubeo, nullosque eo nomine hoc tempore fuisse tribunos plebis affirmo. Nempe erant hi C. Sulpicius Gallus, M. Claudius Marcellus praetores hoc anno facti supra cap. 11. Hi plebis causam egerunt contra consules, et, quia ipsi praetores erant, receperunt, praetores vel communiter omnes, vel se solos, si ita senatui videretur, delectum perfecturos esse; quapropter etiam his ipsis C. Sulpicio, M. Claudio non sine suggillatione consulum ab senatu mandata est ea cura. Itaque ait Livius cap. 15, 1. *Quatuor a C. Sulpicio praetore scriptae legiones sunt.* Et deinde: *Ut C. Sulpicius, M. Claudius praetores ex his, quas scripsissent, legionibus, quas videretur, consuli darent.* Eodem quoque modo hic restituendum *C. Sulpicius, M. Claudius praetores plebis causam egerunt.* Scripta haud dubie fuit vox *praetores* per duas literas *P. R.* unde librarii pro solita oscitantia, maxime quia sequebatur continue *plebis*, fecerunt *TR.* h. e. tribuni. JAC. PERIZON.

Neminem invitum militem ab iis fieri] Monebat me vir doctus scribendum *neminem*, *nisi in-*

nor et auctoritas esset, delectum, si ita senatui videretur, perfecturos esse. Id praetoribus magna Patrum * non sine sugillatione consulum, mandatum est. Censores, ut eam rem adjuvarent, ita in concione edixerunt, *Legem censui censendo dicturos esse, ut, praeter commune omnium civium jusjurandum, haec adjurarent: Tu minor annis sex et quadraginta es, tuque ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii censorum*

vitum. id mihi secus videtur. Nam ambitiosorum est fugere offensiones, eoque neminem cogere, quod jure possis. Servius ad Virg. 2. Aen. vers. 81. *Palamedes, quum delectum militum per Graeciam ageret, simulantem insaniam Ulyssem duxit invitum. Quum enim ille junctis dissimilis naturae animalibus salem sereret, filium ei Palamedes opposuit. Quo viso Ulysses aratra suspendit, et ad bellum ductus habuit justam causam doloris.* Hanc illi si contempsissent, et severitate, qua Man. Curius bello Pyrrhi, usi essent, facilis fuisset delectus. J. FR. GRON.

§. 5. *Magna Patrum non sine sugillatione consulum*] Deest huic sententiae vox una; ut, *magna Patrum consensione.* SIG. Unica litera *g sugillatione*, non *suggillatione*, ut vulgo fit, scribendum monuit Gebhard. ad Livii 4, 35, 10. Vide, quae ibi notantur.

Legem censui censendo dicturos esse] Legem *censui censendo* dicere, pro censui agendo aestimandisque civium fortunis et facultatibus, veteri dicendi formula hic usurpavit Livius. Cic. pro Flacc. [32.] *Illud quaero, sintne ista praedia censui censendo.* TURNEBUS 16. Advers. 21. V. Cel. Graev. ad Cic. d. loc. De verbo *adjurare*, quod sequitur, vide Nic. Heins. ad Ovid. 20. Her. 159.

§. 6. *Tu minor annis sex et quadraginta es*] Dodwell. in Praelect. Camden. p. 266. omnino scribendum dicit *quinque et quadraginta.* Non magis hic ita, quam in Polybio, qui 6, 17. dicit, civibus Romanis necessario explenda esse stipendia ἐν τοῖς τεττεράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσι, pro ἓξ, πέντε legendum esse credo. Seniores non qui infra, sed qui *supra quadragesimum sextum* annum essent, appellatos fuisse, auctor est Tubero apud Gellium 10, 28. DUKER.

Ad delectum prodito] Considerandum puto, an legendum sit *prodibis.* Ita enim concipi solent hae formulae jurisjurandi. cap. 15, 8. *Tu in provinciam Macedoniam redibis.* Petron. cap. 109. *Ut tu, Tryphaena, neque injuriam tibi factam a Gitone quereris.* Et, *Tu Encolpium nec verbo contumelioso insequeris.* DUKER.

Quotiescumque delectus erit, quem hic censores magistratum habebunt] Voces *quem hic* mendosae sunt. mihi reponendum pro iis videtur *quicumque.* Erravit librarius, quia scriptum

ad delectum prodito: et, quotiescumque delectus erit, quem hic censores magistratum habebunt, si miles
7 *factus non eris, in delectu prodibis.* Item, quia fama erat, multos ex Macedonicis legionibus, incertis commeatibus per ambitionem imperatorum ab exercitu abeſſe, edixerunt de militibus P. Aelio, C. Popillio consulibus, poſtve eos consules in Mace-
8 doniam scriptis, *Ut, qui eorum in Italia essent, intra dies triginta, censi prius apud sese, in provinciam redirent. qui in patris aut avi potestate essent,*
9 *eorum nomina ad se ederentur. Missorum quoque caussas sese cognituros esse: et, quorum ante eme-*

legit *quic.* et in *quem hic* mutavit. Respondent autem haec inter se *quotiescunque* et *quicunque.* Porro autem *in delectum* lego; ut paulo ante *ad delectum prodito.* SIG. Locus eſt mendosiſſimus, ut videtur, sed qui aliquo modo reſtitui poſſit, si legamus, *et, quotiescunque delectus erit, quum hi censores magistratum habebunt.* URSINUS. Haec lectio [*quicumque censores*] ab Sigonio eſt, quam vel ideo repudiamus, quod credibile non eſt, censores de bello, quod in manu erat, tam male ominatos, ut proximis quoque censoribus, et pluribus deinceps eum magiſtratum gerentibus, reipublicae parem neceſſitatem fore delectus acerrime habendi animis praeciperent. Vetus lectio erat *quem hic censores.* Ita scilicet reddiderunt librarii vel editores, quod fuit olim: *quem his censs.* hoc eſt, *et, quotiescumque delectus erit, quem his censoribus magistratus habebunt, si miles factus non eris, in delectum prodibis.* Refertur ergo *eo quem* ad *delectum:* et sic hi censores tempus sui magiſtratus non egrediuntur. Sic omnino scripsit Livius. Fulvius, *quum hi censores magistratum habebunt.* Saltem *dum* scripsisset. Quod diximus, verum eſt. J. FR. GRON. Doujatius se non improbare teſtatur *quem hi censores magistratum habebunt:* verum haec verba commodum sensum efficere nequeunt. Quum tamen ipse ea exponat, *quamdiu ipsi censores essent*, operas aberraſſe, eumque legere voluisse puto, *quum hi censores magistratum habebunt*; quomodo praeter Ursinum emendat etiam Latinius. Sed potius Gronovio adhaereo, qui inde locum corruptum putat, quod olim per epitomen scriptum fuerit *his censs.* V. ad 10, 10, 2. Optime autem et Livio familiariſſima locutione *habere delectum* poni pro milites legere, conscribere, non opus eſt, ut multis exemplis probem, quum ea paſſim sponte obcurrant. Utrum vero cum Sigonio legas *in delectum*, an, ut vulgo editur, *in delectu*, nihil intereſſe videtur. Ab unici igi-

rita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros. Hoc edicto literisque censorum per fora et conciliabula dimissis, tanta multitudo juniorum Romam convenit, ut gravis urbi turba insolita esset. 10

XV. (*XVII.*) Praeter delectum eorum, quos in supplementum mitti oportebat, quatuor a C. Sulpicio praetore scriptae legiones sunt, intraque undecim dies delectus est perfectus. Consules deinde sortiti provincias sunt. nam praetores propter jurisdictionem maturius sortiti erant. Urbana C. Sulpicio, peregrina C. Decimio obtigerat, Hispaniam 1 2 3

tur codicis scriptura non discedo.

§. 7. *Per ambitionem imperatorum ab exercitu abesse*] Imperium in Macedonia hoc anno obtinebant A. Hostilius Mancinus consul, qui exercitui terrestri, et L. Hortensius praetor, qui classi et orae maritimae praeerant. Verum, quum legati, a senatu in Macedoniam missi, inde retulerint, *exercitum consulis infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem esse*, copiarum vero praetoris non meminerint, verisimile videtur, hic legendum esse, *per ambitionem imperatoris*; unde etiam addit *ab exercitu*, non *ab exercitibus*, abesse. Forte hic etiam per compendium scriptum fuerat *imp.* in quo exponendo librarii errarunt. Vide ad 10, 10, 2.

P. Aelio, C. Popillio consulibus] Respicit ad ea, quae 42, 17. de apparatu belli Macedonici scripsit. DUKER.

§. 8. *Qui in patris aut avi potestate essent*] Jusjurandum, quod praeter commune omnium civium jusjurandum praestari volebant censores, ad eos tantum pertinebat, qui ita censebantur, ut eorum censui censendo lex diceretur, id est qui patres familias essent. Quum autem, qui in patris aut avi potestate erant, ipsi ita non censerentur, eorum nomina ad se edi jusserunt, ut hos quoque, aeque atque eos, qui censi erant, in provinciam redire cogerent. DUKER.

Ante emerita stipendia gratiosa missio] *Gratiosa missio*, praeter causariam, et ignominiosam, et honestam confectis stipendiis, est, quae per ambitionem et gratiam impetrata est. TURNEBUS 16. Advers. 21. De missionibus vide Lips. de Milit. Rom. 5, 19. de gratiosa missione ibidem, et Salmas. ad Jus Attic. et Rom. cap. 21, 423. DUKERUS.

§. 3. *Cn. Servilio Italia*] Ita recte Sigonius edidit, quum priores haberent *Q. Servilio*. Vide ad cap. 11, 6.

M. Claudius Marcellus, Siciliam Ser. Cornelius Lentulus, Sardiniam P. Fontejus Capito, classem C. Marcius Figulus erat sortitus. Consulum Cn. Servilio Italia, Q. Marcio Macedonia obvenit. Latinisque
4 actis, Marcius extemplo est profectus. Caepione deinde referente ad senatum, quas ex novis legionibus duas legiones secum in Galliam duceret, decrevere Patres, ut C. Sulpicius, M. Claudius praetores ex his, quas scripsissent, legionibus, quas vide-
5 retur, consuli darent. Indigne patiente praetorum arbitrio consulem subjectum, dimisso senatu, ad tribunal praetorum stans postulavit, ex senatusconsul-

§. 5. *Indigne patiente praetorum arbitrio consulem subjectum*] Illud *patiente* nullo modo cohaeret caeterae orationi. Scribe *Indigne patiens praetorum arbitrio consulem subjectum*. Aute *τὸ Indigne* intelligendum vel relativum *is*, aut *ille;* vel substantivum *consul*, aut *Cn. Servilius Caepio*. De hac ellipsi jam saepius egimus. Non possum, vel inprimis ad confirmandam scripturam veterem, quam supra attigimus lib. 37, 20. non addere insigne exemplum ex lib. 25, 35, 7. 9. quod imperitis hujus rei non potest non esse obscurissimum. *Et inde una nocte ignaris hostibus, et ob id quietis, aliquantum emensus est iter. Luce, ut senserant profectos hostes, praemissis Numidis, quam poterant maxime citato agmine sequi coeperunt: ante noctem adsecuti Numidae nunc ab tergo, nunc in latera incursantes. Consistere coeperunt ac tutari agmen, quantum possent.* Hic *emensus est* dicitur de Cn. Scipione: *senserunt* et *coeperunt* de Poenis. Dein iterum *coeperunt* de Romanis: quum tamen nusquam compareant nominativi: sed placuit auctori sic attentum lectorem suum facere. Fortasse tamen malis: *Indigne patiens praetorum arbitrio consul se subjectum*. J. FR. GRON. Doujatius minus necessarium putat Gronovii conjecturam: *patiente* enim hic absolute sumi, et velut sequelam esse superioris sive commatis, sive periodi, ubi est *Caepione deinde referente*. Verum firmo stomacho esse debet, qui concoquere potest hoc genus loquendi. *Caepione indigne patiente Caepio stans postulavit*. Probo priorem Gronovii conjecturam, *Indigne patiens praetorum arbitrio consulem subjectum*. altera *consul se subjectum* minus placet. Ita enim pleraque vis et *ἐνέργεια*, quae est in obpositione vocum *praetorum* et *consulem*, periret. Caepio indigne patiebatur, non tam se, quam se consulem, praetorum arbitrio subjectum esse.

Praetores consuli in eligendo arbitrium fecerunt] Tuto

to deſtinarent sibi duas legiones. praetores consuli in eligendo arbitrium fecerunt. Senatum deinde 6
censores legerunt: M. Aemilius Lepidus princeps ab tertiis jam censoribus lectus. Septem e senatu ejecti sunt. In censu accipiendo populi milites ex 7
Macedonico exercitu, qui quam multi abeſſent ab signis, census docuit, in provinciam cogebant: causas ſtipendiis miſſorum cognoscebant: et, cujus non- 8
dum juſta missio visa esset, ita jusjurandum adigebant: *Ex tui animi sententia, tu ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii censorum in provinciam Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris?*

corrige *consulis*. Sic lib. 28, 8, 3. reſtituimus: *Senatus populi potestatem fecit*. Ubi vulgo erat *populo*. Lib. 42, [31, 5.] *Ne tribuni eo anno suffragiis crearentur, sed consulum praetorumque in eis faciendis judicium arbitriumque esset*. J. FR. GRON. 37, 52, 8. *Munificentiam eorum in se fratresque suos, ipsorum arbitrii debere esse*. Nepos in Conon. 4. *Id arbitrium Conon negavit sui esse consilii, sed ipsius, qui suos optime nosse deberet*. Doujatius vulgatum mavult. Sed v. ad 27, 8, 3.

§. 7. *Milites* etc. *in provinciam cogebant*] V. ad 32, 26, 3.

Caussas stipendiis missorum cognoscebant] Videtur excidiſſe *emeritis*. J. FR. GRONOV. Sed non erat, cur horum causas cognoscerent: nam omnes, qui emeritis ſtipendiis missi erant, juſtam causam miſſionis habebant. Itaque credo hoc intelligendum eſſe de causis eorum, qui nondum confectis ſtipendiis missi erant, et praecipue, quorum missio iis gratiosa videbatur, cap. 14. *mitti stipendiis* tamen non valde usitatum eſt, nec adhuc usquam alibi id inveni, quam in Valerio Probo Ernſtii, in quo *st. mis.* exponitur *stipendio missus*. DUK. Doujatius vulgatum defendit, et *stipendia* hic poni putat pro militia, *stipendiis missos* pro a militia dimissos. Gronovii vero emendatio ipsi displicet, quod, si omnes *emeritis stipendiis missi* eſſent, non potuiſſet non miſſio eorum juſta videri, nec opus fuiſſet *caussae cognitione*. Verum oportuerat, ut locutionem *missus stipendiis* eo sensu sumi exemplis docuisset: at Gronovii conjecturam *stipendiis emeritis missorum* expono, qui miſſi erant hoc praetextu, quasi forent emeritis ſtipendiis. Id itaque utrum verum, nihilque gratiae datum eſſet, censores cognoscebant. Crevierius duas voces excidiſſe, ac legendum conjecit *caussas stipendiis nondum emeritis missorum cognoscebant*.

§. 8. *Ita jusjurandum adigebant*] Locutionem hanc inluſtrat

1 XVI. (*XVIII.*) In equitibus recensendis tristis ad-
modum eorum atque aspera censura fuit: multis
2 equos ademerunt. in ea re quum equestrem ordinem
obfendissent, flammam invidiae adjecere edicto,
quo edixerunt, *Ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A.
Postumio censoribus publica vectigalia aut ultro tri-
buta conduxissent, ad hastam suam accederet, so-*
3 *ciusve aut adfinis ejus conductionis esset.* Saepe id
querendo veteres publicani quum impetrare nequis-
sent ab senatu, ut modum potestati censoriae inpo-
nerent, tandem tribunum plebis P. Rutilium, ex rei
privatae contentione iratum censoribus, patronum
4 cauſſae nacti sunt. Clientem libertinum parietem
in Sacra via adversus aedes publicas demoliri juſſe-
5 rant, quod publico inaedificatus esset. adpellati a
privato tribuni. quum praeter Rutilium nemo inter-
cederet, censores ad pignora capienda miserunt,

Doujatius loco Cincii apud Gell. 16, 4. *Jusjurandum eos tribunus militaris adigebat in verba haec.* Adde Gell. 4, 20. *Censor adigebat de uxoribus sollemne jusjurandum.* Ubi vide Gronov. et Davis. ad Caes. 7. B. Gall. 67. Dixerunt etiam *adigere ad jusjurandum*, et *adigere jurejurando.* Vide Davis. loc. laud. et Cortium ad Salluſt. Catil. 22.

Quod sine dolo malo facere poteris] Nota interrogationis addenda eſt. SIGON.

§. 2. *In ea quum equestrem ordinem obfendissent*] Ita errore operarum Gronovius anno 1665. edidit; quod, licet nihil sit, quo *ea* referri poſſit, tamen omnes poſteriores servarunt usque ad Crevierium, qui recte priorum editionum lectionem *in ea re* reſtituit.

§. 3. *Tribunum pl. Rutilium*] Ego *tribunum pl. P. Rutilium.* Sic enim etiam lib. sequenti [c. 16.] vocatur. SIGON.

§. 4. *Clientem libertinum parietem* etc. *demoliri jusserunt*] Pronomen deeſſe videtur, et fuiſſe *Clientem ejus libertinum.* Vel *Hujus clientem libertinum.* J. FR. GRON. Pronomine opus non esse, exiſtimat Doujatius: neminem enim non videre, Rutilii clientem indicari. Quia tamen nihil praeceſſit, unde id certo colligi poſſit, Gronovio pronomen deeſſe censenti adsentior. Et ita etiam Crevierius. Praeterea *jusserant* omnes ante Cu-

multamque pro concione privato dixerunt. Hinc 6
contentione orta, quum veteres publicani se ad tribunum contuliſſent, rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur: *Quae publica vectigalia,* 7
ultro tributa C. Claudius et Ti. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset. de integro locarentur, et ut omnibus redimendi et conducendi promiscue jus esset. Diem ad ejus rogationem concilio tribunus 8
plebis dixit. qui poſtquam venit, ut censores ad dissuadendum proceſſerunt, Graccho dicente, silentium fuit. quum Claudio obſtreperetur, audientiam facere praeconem juſſit. Eo facto, avocatam a se 9
concionem tribunus queſtus, et in ordinem se coactum, ex Capitolio, ubi erat concilium, abiit. Poſtero die ingentes tumultus ciere. Ti. Gracchi pri- 10
mum bona conseeravit, quod in multa pignoribusque ejus, qui tribunum adpellaſſet, interceſſioni non

rionem edd. quod poſtea quidem Sigonius loco reſtituit; sed nemo ipsum audire dignatus eſt ante Crevierium, qui nuper recepit.

§. 5. *Adpellati a privato tribuni, quum praeter Rutilium*] Ita primus diſtinxit Vascos. Sed recte maximam interpunctionem poſt *tribuni* admiserunt priores typis descripti, quos Crevier. secutus eſt.

§. 6. *Hic contentione orta*] Hanc lectionem demum in ultima Gruteri ed. inveni; quum omnes priores *Hinc* legant. Errorem Crevierius deprehendit, et priscam lectionem recte Livio reddidit.

§. 8. *Diem ad ejus rogationem*] Cujus *ejus*? Non poteſt aliter accipi, quam *ejus rogationis*. Sed omnino insolens eſt, diem dixit *ad rogationem rogationis*. Tolerabilius eſſet *diem ad eam dixit*, nempe perferendam vel jubendam. Sed hoc quoque fortaſſis sine exemplo eſt. DUKER.

§. 9. *Avocatam a se concionem tribunus queſtus*] *Avocare concionem* eſt concionem a magiſtratu, qui eam advocavit, abducere: quod, ut apud Gellium eſt 13, 14. jus erat aliquibus magiſtratibus facere: sed a tribuno avocare, ut ex hoc loco Livii auguramur, nefas. TURNEB. 16. Advers. 21.

Postero die ingentes tumultus ciere] Videtur ſtudiosae elegantiae. Nisi tamen scripsit Livius: *Postremo die, ingentes*

11 parendo, se in ordinem coëgisset. C. Claudio diem dixit, quod concionem ab se avocasset, et utrique censori perduellionem se judicare pronunciavit, diemque comitiis a C. Sulpicio praetore urbano pe-
12 tiit. Non recusantibus censoribus, qui minus primo quoque tempore judicium de se populus faceret, in ante dies octavum et septimum Kalendas Octobres

tumultus ciens, Ti. Gracchi primum bona consecravit, quod etc. *coëgisset: C. Claudio diem dixit.* J. FR. GRON. Mihi nihil mutandum videtur. Licet vero reliqua τοῦ πάνυ emendatio probanda foret, nondum tamen caussam viderem, cur pro *Postero die* maluerit *Postremo*.

§. 11. *Et utrique censori perduellionem se judicare pronunciavit*] Tribunus non tantum muletam irrogat, sed etiam crimen judicat, cum quem de crimine condemnat: qua de re apud populum post certabatur ex provocatione. Proinde Cicero scripsit lib. 3. de Legib. [3.] *Cum magistratus irrogassit, judicas sive.* TURNEB. 16. Advers. 21. Gronovius ad 23, 14, 3. ambigit, sitne hic et alibi restituendum *perduellionis se judicare*.

§. 12. *Quo minus primo quoque tempore judicium de se populus faceret*] Haec lectio per recentiores edd. omnes propagata est ex Gronoviana anni 1665. Priores, quas vidi, habent *qui minus*: quod Livio reddidi. V. ad 28, 43, 18.

§. 13. *Signatis tabellis publicis, clausoque tabulario*] *Tabularium* locus erat Romae, refertus omnibus instrumentis, tabulis, literisque publicis, in quibus omnia pascua, praedia, vectigalia, portoria, civitates, redemtionesque publicanorum perscripta erant. Erat autem in atrio Libertatis. De eo Maro 2. Georg. [502.] sic scripsit:

Insanumque forum et populi tabularia vidit.

TURNEBUS 16. Advers. 21. V. Casaub. ad Suet. Aug. 29.

Dimissis servis publicis] Qui in publico tabulario, id est, loco, in quo publicae scripturae custodiebantur, inserviebant tabularum obsignationi, *tabularios* dictos in Ammiani dilucidationibus [ad lib. 28.] docebimus; hos vero servos publicos fuisse, patet ex lib. ult. C. de Serv. reip. et Capitolinus in Gordianis [c. 13.] tabularios *servos publicos* appellat: *Non scribae, non servi publici, non censuales illis actibus interessent.* Quod etiam ex hoc Livii loco facile confirmari potest. Postea vero Arcadii et Honorii constitutione sancitum est, ut nulli deinceps ad tabularii officium pateret aditus, qui obnoxius esset servituti. Hi autem huic conditioni erant addicti et mancipati, ut non possent ad aliam aspirare militiam et dignitatem, quod patet ex l. 11. C. Qui potior. in pign. et l. 3. 5. 7. 8. C. Th. de Num. act. His tamen adversari videtur Taciti locus lib. 14. Ann. [40.] ubi de Balbo praetorio, sene orbo et divite, cujus propinquus Valerius Fabianus subdit testamen-

comitiis perduellionis dicta dies. Censores extemplo in atrium Libertatis ascenderunt: et, ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, et dimissis servis publicis, negarunt, se prius quidquam publici negotii gesturos, quam judicium populi de se factum esset. Prior Claudius caussam dixit: et, quum ex duodecim centuriis equitum octo censorem 13 14

tum, accitis Vicio Rufino et Terentio Latino, equitibus Romanis, et aliis minus illustribus, qui testamenti tabulas obsignarent. Taciti haec sunt verba: *Igitur Fabianus tabulariis, quos memoravi, et aliis minus illustribus obsignat.* Si itaque Vicium et Terentium equites et alios minus illustres *tabularios* nominat, non ergo veritati consentaneum, quod diximus cum Livio, hosce fuisse servos, seu generis servilis. Facile diluitur difficultas, si a Corneliano textu mendum auferamus, et literam genuinam legendam subdamus: namque postrema editio, praesertim a Lipsio et Vertranio recepta, ita habet: *Igitur Fabianus tabulas iis, quos memoravi,* etc. sicque patet, Tacitum locutum non de tabulariis publicis, sed de testibus testamentum obsignare solitis, qui septem erant antiquitus, quemadmodum et hoc tempore observatur. l. 1. C. de Testam. et Imperator §. 1. Instit. de Testam. ordin. ad quod spectat illud Cicer. in Verr. [lib. 1, 45.] *Tabulae testamenti obsignatae non minus multis signis, quam e lege oporteat.* Nos vero obsignatores nobiles deligi solitos colligimus ex Cic. pro Quinct. [cap. 6.] *Testificantur isti, P. Quinctium non stetisse, et se stetisse. Tabulae maximae signis hominum nobilium consignantur.* et ad Attic. [7, 2.] *Curii testamentum Ciceronum signis obsignatum.* MARC. DONATUS. Eadem fere habet Bosius in Cicer. 12. ad Att. 21. Sed recte accipi potest de servis publicis, qui, quemadmodum aliis magistratibus, ita etiam censoribus, non solum ad hanc rem, quae forsan non tam veteris instituti est, verum etiam ad alia, eaque varia, ministeria apparebant. Vide Sigon. 2. de Antiq. jur. Civ. Rom. 15. et Lips. 1. Elect. 22. DUKER.

§. 14. *Quum ex duodecim centuriis equitum*] Quare *duodecim* potius, quam *octodecim?* quot scilicet fecerat Servius Tullius. J. FR. GRON. Et ita etiam Gruchius legendum censuit 1. de Comit. Rom. 4. pag. 602. tom. 1. Thes. Antiq. Rom. Nec aliter citat Sigonius 3. de Judic. 15. DUKER. Primae edd. vulgo per notas numerales scribunt, *quum ex XII. centuriis equitum VIII. censorem condemnassent.* Octavius Pantagathus, notante Anton. Augustino apud Ursin. ad Liv. 1, 43, 12. malebat, *quum XIIX centuriae equitum censorem condemnassent.* Jac. Perizon. ad oram Livianam scribendum conjecit, *quum ex octodecim centuriis equitum duodecim censorem condemnassent.* Verisimilius puto Livium scripsisse, *quum ex duodeviginti centuriis equitum tredecim cen-*

condemnaſſent, multaeque aliae primae classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi, annulis aureis positis, veſtem mutarunt, ut supplices
15 plebem circumirent. Maxime tamen sententiam vertisse dicitur Ti. Gracchus, quod, quum clamor undique plebis esset, periculum Graccho non esse, conceptis verbis juravit, si collega damnatus esset, non exspectato de se judicio, comitem exsilii ejus
16 futurum. Adeo tamen ad extremum spei venit reus, ut octo centuriae ad damnationem defuerint. Absoluto Claudio, tribunus plebis negavit se Gracchum morari.

1 XVII. (XIX.) Eo anno, poſtulantibus Aquilejen-

sorem condemnassent; olim enim per notas exaratum fuiſſe *quum ex XIIX centuriis equitum XIII censorem condemnassent:* ex quo parva mutatione effici potuit, quod vulgo nunc editur.

Principes civitatis] Pro his verbis Sigon. 2. de Antiq. Jur. Civ. Rom. 3. et P. Faber 2. Semeſtr. 10. non longe a principio laudarunt *equites*. DUKER. Ita memoriae nimium confisi laudarunt contra mentem Livii; qui, si equites indicaſſet, *principes juventutis* dixiſſet? Vide ad 2, 20, 11. At per *principes civitatis* intelligit senatores, aut etiam nobiliſſimos ferme ordinis senatorii. Vide ad 35, 34, 3.

§. 15. *Graccho non esse conceptis verbis juravit*] Diſtinguenda verba ita, ut intelligamus plebe acclamante periculum Graccho non eſſe, Gracchum conceptis verbis jurasse. Ita enim factum eſſe, tradunt etiam caeteri. SIGON.

§. 1. *Postulantibus Aquilejensium legatis, ut numerum colonorum augeret*] Perspicue legendum eſt, *postulantibus a senatu Aquilejensium legatis*. Nam sequitur *augeret*, et *ex S. C. scriptae*. SIGON. Forte *numerus colonorum augeretur*. J. FR. GRON. Clariſſ. Jac. Perizon. ad Val. Max. 2, 2, 1. nihil aliud mutat, nisi quod pro *augeret* legendum censeat *augerent*; quod refert ad morem Livii, de quo egi ad 34, 56, 11. Haec, ut et Gronovii conjectura propius ad vulgatam lectionem accedunt, quam Sigoniana.

Mille et quingentae familiae ex senatusconsulto scriptae] Certus videtur in coloniis fuiſſe familiarum numerus, cui injuſſu senatus adjicere non licebat. Tacitus [1. Hiſt. 78.] *Emeritensibus familiarum adjectiones*. quem in sensum eſſe Taciti verba accipienda, quae tamen nonnullos in errorem induxerunt, oſtendit hic Livius. Sic

jensium legatis, ut numerum colonorum augeret, mille et quingentae familiae ex senatusconsulto scriptae, triumvirique, qui eas deducerent, missi sunt, T. Annius Luscus, P. Decius Subulo, M. Cornelius Cethegus. Eodem anno C. Popillius et Cn. Octa- 2
vius legati, qui in Graeciam missi erant, senatusconsultum, Thebis primum recitatum, per omnes Peloponnesi urbes circumtulerunt, *Ne quis ullam rem in bellum magistratibus Romanis conferret, praeterquam quod senatus censuisset.* Hoc fiduciam in 3
posterum quoque praebuerat, levatos se oneribusque inpensisque, quibus, alii aliis imperantibus, exhauriebantur. Achaïco concilio Argis agitato, be- 4
nigne locuti auditique, egregia spe futuri ſtatus ſi-

etiam *adjectione locorum* in quadam inscriptione [apud Gruter. CCXLVI, 8.] legitur: TRIBVS. XXIV. QVOD. LIBERALITATE. OPTIMI. PRINCIPIS. COMMODA. EARVM. LOCORVM. ADIECTIONE. AMPLIATA. SINT. TURNEBUS 16. Advers. 21. Nihil hic reconditae antiquitatis latet. Simplex et apertus eſt sensus verborum, Aquilejenses petiiſſe, ut sibi numerus colonorum augeretur; nec quidquam praeterea in illis viderunt Cujacius 18. Observ. 21. et Lipsius, aliique interpretes Taciti ad 1. Hiſt. 78. Priore anno queſti fuerant, coloniam suam novam et infirmam eſſe, et petierant, ut senatus curae haberet, quomodo ea muniretur cap. 1. Id nunc senatus praeſtitit, et numerum colonorum mille et quingentis familiis auxit. Crebra eſt in Livio mentio numeri colonorum propter infrequentiam coloniarum ex senatusconsulto suppleti. V. ad 2, 21. 4, 11. 31, 49. 32, 2. 33, 24. 37, 46. 47. Eorum numerum, baud secus ac quum novae coloniae deducebantur, pro modo agrorum majorem minoremve finiebat senatus; cui injuſſu illius nec adjici, nec demi quidquam poterat. DUKER.

§. 2. *C. Popillius et Cn. Octavius legati, qui in Graeciam*] Eorum geſta latius vide apud Polyb. in Exc. Legat. num. 74.

§. 3. *Hoc fiduciam in posterum quoque praebuerat*] Aut. Perizon. ad marginem Livii monuit, videri sibi legendum eſſe *praebuit*. Mox *oneribusque inpensisque* ed. princeps. Sed copulam *que* priori loco jam omiſit ed. Frob. anni 1535. quam reſtitui.

§. 4. *Achaïco concilio Argis agitato*] Scribendum ex Polybio *Aegii*, non *Argis*. nam sic eſt in Fragm. 74. *Διὸ συναχθείσης ἀντοῖς τῆς βουλῆς εἰς Αἴγιον.* Et ipse Livius lib. 35. [48, 1.] *Coram T. Quinctio Aegii*

5 dissima gente relicta, in Aetoliam trajecerunt. Ibi nondum quidem seditio erat, sed omnia suspecta, 6 criminumque inter ipsos plena. ob quae obsidibus postulatis, neque exitu rei inposito, in Acarnaniam 7 inde profecti legati sunt. Thyrii concilium legatis Acarnanes dederunt. Ibi quoque inter factiones erat certamen: quidam principum postulare, ut praesidia in urbes suas inducerentur adversus amentiam eorum, qui ad Macedonas gentem trahebant: 8 pars recusare, ne, quod bello captis et hostibus mos esset, id pacatae et sociae civitates ignominiae ac-

datum est concilium. URSIN. Similiter Ursinus emendandum censuit ad Polyb. locum laud. Aegii habitum Achaïcum concilium memorat etiam Liv. supra 28, 7. et 36, 35. At de emendatione hac dubitare videtur Jac. Perizonius, ad marginem Livii adscribens, supra narrari 38, 30. Philopoemenem aliosque id mutare, atque obtinere conatos esse, ne semper Aegii concilium haberetur. Quamvis autem Livius l. laud. tradat, Aegium a principio Achaïci concilii semper conventus gentis indictos esse, supersunt tamen loca, unde constat, conventus illos alio ante ea tempora indictos esse. Nam Argis habetur 31, 25. Sicyone 32, 19. Vel itaque Polybius ex Livio, vel, quod Ursinus voluit, Livius ex Polybio emendandus est: quod mihi etiam potius placet. Verisimilius enim est, ex nomine urbis minus notae *Aegii* apud Livium notiorem urbem *Argos*, quam contra apud Polybium, datam esse. Forte etiam pro *agitato* legendum *coacto*, vel simile. Nam *agitare concilium* apud Livium me legere non memini.

Egregia spe futuri status fidissima gente relicta] Muretus *fidissimae genti.* Sed et alterum habet, quo placeat. J. FR. GRONOV. Mureti conjecturam Clericus in contextum recepit, ita Gronovium recte emendasse testatus. Eam sibi etiam placere, in margine Livii monuit Jac. Perizonius, vel legebat *egregia spe futuri status et fidissima gente relicta.* Ego tamen potius cum Gronovio puto, vulgatum *habere*, quo placeat; et hinc nihil mutandum esse. Legati Romanorum gentem Achaeorum fidissimam reliquerunt egregia spe futuri status. Quid in hac locutione culpandum sit, non video. *gens relicta egregia spe*, pro in egregia spe, ut Crevierius voluit, eodem modo dictum est, quo *esse eodem statu.* V. ad 3, 68, 3. Mox §. seq. *criminum* est criminationum. V. ad 6, 14, 11. et cap. 15, 7.

§. 7. *Tyrrei concilium legatis Acarnanes dederunt*] Lege *Thyrii.* Stephanus: *Θύριον πόλις Ἀκαρνανίας.* SIG. Supra ad 38, [9, 2.] diximus, *Thurreo*, sive *Thyrreo* ibi scribendum esse,

ciperent. Justa deprecatio haec visa. Larissam ad 9
Hostilium proconsulem (ab eo enim missi erant) legati redierunt. Octavium retinuit secum. Popil- 10
lium cum mille ferme militibus in hiberna Ambraciam misit.

XVIII. (XX.) Perseus, principio hiemis egredi 1
Macedoniae finibus non ausus, ne qua in regnum vacuum inrumperent Romani, sub tempus brumae, quum inexsuperabiles ab Thessalia montes nivis altitudo facit, occasionem esse ratus frangendi finiti- 2
morum spes animosque, ne quid, averso se in Ro-

non *Purreo;* quae lectio hic quoque reponenda est, ut *Thurrei*, sive *Thyrrei* legamus, non *Purrei*. Nam Polybius in Fragm. 75. habet: *Κατα τὴν Ἀκαρνανίαν συναχθείσης τῆς ἐκκλησίας ἐις Θούριον.* URSIN. *Typri* ed. princeps. *Tyrrei* Froben. anno 1535. *Thyrii*, quod Sigonius voluit, Dan. Heinsii Elzeviriana recepit. *Thurei* Ursinus emendat ad Polyb. Exc. Legat. num. 75. V. supra ad 36, 11, 10. De iis, quae legati Romanorum apud Acarnanas egerint, vide Polyb. Exc. Legat. num. 75.

Adversus amentiam eorum, qui ad Macedonicam gentem trahebant] Videtur deesse verbum *res*, quod alibi positum est a Livio, et habetur apud Polybium in hujus rei narratione fragm. 75. *Εἶναι δὲ περὶ αὐτοὺς, τοὺς προφέροντας τὰ πράγματα πρὸς Περσέα καὶ Μακεδόνας.* URSIN. Fulvio Ursino videtur deesse verbum *res*, quod alibi positum sit a Livio, et habeatur apud Polybium in hac narratione. Sed non adhaesit singulis vocabulis Livius, et inepte hic illa *Macedonica gens* commemoratur. Repone: *qui ad Macedonas gentem trahebant.* Sic lib. 23, [8, 2.] *Princeps factionis ejus, quae traxerat rem ad Poenos.* J. FR. GRON. 35, 50, 4. *Trahentibus ad Antiochum quibusdam spe largitionum venalem pretio multitudinem.* Et 42, 44, 3. *Aliis ad regem trahentibus civitatem, aliis ad Romanos.* DUK. V. ad 23, 8, 2. Adde Gronov. 4. Obs. 4. pag. 49. ubi eamdem emendationem profert. Sane, si singulis vocabulis Polybii Livius inhaerere voluisset, dicere debuisset *qui res ad Persea et Macedonas trahebant.*

§. 8. *Ne, quod bello captis et hostibus mos esset*] Nec pejus foret, *ne, quod bello captos et hostes mos esset.* Intelligitur enim accipere ignominiae. J. FR. GRON. Gronovii emendationem probat, et genus loquendi illustrat Cortius ad Sallust. Catil. 3, 2.

§. 2. *Ne quid, averso se in Romanum bellum, periculi subesset, quum a Thracia*] Cl. Jac. Perizon. ad calcem Livii, quo uti solebat, monuit, interpungendum sibi videri *subesset. Quum*

manum bellum, periculi subesset, quum a Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione a Romanis praestarent, Dardanos recens domuisset bello, solum infestum esse Macedoniae latus, quod ab Illyrico pateret, cernens, neque ipsis quietis Illyriis, et aditum praebentibus Romanis, si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoque regem jam diu dubium in societatem perlici posse,

a Thracia. Verum nemini non diligentius adtendenti patebit, orationem, ab initio hujus capitis deductam, etiamnum supendi, et demum post §. 4. ad verba *Stuberam venit* finem accipere. Ut antea intercidi posset, inserendum esset verbum substantivum hoc modo: *occasionem esse ratus est frangendi finitimorum spes animosque, ne quid, averso se in Romanum bellum, periculi subesset. Quum a Thracia* etc.

Quum a Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione a Romanis praestarent] De Cotye rege Thraciae, et, ut ipse ait, [42, 29. 51.] Odrysarum alii multi. De Cephalo Acarnaniae duce sic Strabo lib. 10, [461.] *Φασὶ τοὺς Ταφίους καὶ τοὺς Τηλεβόας λεγομένους οἰκεῖν τὴν Ἀκαρνανίαν πρότερον, καὶ τὸν ἡγεμόνα αὐτῶν Κέφαλον.* Fuere autem haec multorum regulorum nomina, non unius duntaxat. SIG. Quid venit in mentem Sigonio, ut hic notaret de Cephalo Acarnaniae duce scribere Strabonem lib. 10? Astute autem abrumpit verba in illo, *καὶ τὸν ἡγεμόνα αὐτῶν Κέφαλον*, ne quid ultra scilicet de eo sciremus, et cogitaremus eundem esse, qui hic Livio nominatur. At sequitur apud Strabonem *κατασαθέντα ὑπὸ Ἀμφιτρύονος κύριον τῶν περὶ τὴν Τάφον νήσων.* Ergo hic Cephalus Sigonianus vixit ante tempora Trojana, nec magis ad hunc locum pertinet, quam Cotys ille, ad quem scripsit Ovidius. At si de hoc Cephalo, quem hic appellat Livius, cognoscere vis amplius, et cur deseruerit invitus partes Romanas, vide Excerpta ex Polybii lib. 27. J. FR. GRON. Cephali historiam, praeter Polyb. in Exc. Peiresc. a Gronovio laudatum, refert, sed paucioribus verbis, Appian. Alex. in iisdem Excerpt. pag. 309. Ceterum *praestarent* omnes typis descripti ante Gronovium, qui operarum, ni fallor, sphalmate exhibuit *praestaret*; quod tamen recentiores secuti sunt praeter Clariff. Crevierium, qui recte alterum restituit. V. ad 1, 31, 7.

Dardanos recens domuisset bello] Pars ea, qua Perseus domuisse Thracas et Dardanos tradebat Livius, desideratur in superiore hujus libri fragmento. Nam in Epitoma etiam est: *Res praeterea Perseo rege in Thracia prospere gestas continet, et victis Dardanis et Illyrico, cujus rex erat Gentius.* Reliqua igitur omnia, de Thracia et Dardanis ibi tractabantur.

cum decem millibus peditum, quorum pars phalangitae erant, et duobus millibus levium armatorum, 4 et quingentis equitibus profectus, Stuberam venit. Inde frumento complurium dierum sumto, jussoque 5 adparatu obpugnandarum urbium sequi, tertio die ad Uscanam (Peneſtianae terrae ea maxima urbs eſt) posuit caſtra: prius tamen, quam vim admoveret, 6 miſſis, qui tentarent nunc praefectorum praesidii,

Nunc res Illyricas exorditur, cum aït: *Solum infestum esse Macedoniae latus, quod ab Illyrico pateret, neque ipsis quietis Illyriis, et aditum praebentibus Romanis, si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoque regem jam dudum dubium in societatem perlici posse.* Ex his autem, et quae supra dixi, intelligi poteſt, multas paginas eo loco intercidiſſe. SIG.

§. 3. *Et aditum praebentibus Romanis*] Minore ambiguitate legeres *aditum praebentibus Romano.* J. FR. GRON. Conjecturam hanc probat Crevierius.

§. 4. *Et duobus millibus levium armatorum*] Scribe *levium armorum.* Lib. 44, [4, 5.] *Praecipue qui gravium armorum erant, spectatores pugnae stabant.* mendum, quod et alibi suſtulimus. Lib. 25, 34, 13. *Fuga confestim ex acie, duce amisso, fieri coepta est. caeterum ut ad erumpendum inter Numidas leviumque armorum auxilia haud difficilis erat.* Sic MSS. cum vulgo sit *Numidas aliaque levium armatorum auxilia.* Lib. 42, 65, 13. *Ipse, velitibus ad firmanda levium armorum auxilia adjectis, ad tumulum praecedit.* Sic prima editio. Nescio, quis nugator in poſt secutis (habent enim, quas video) auctor fuerit τοῦ *armatorum.* J. FR. GRON. V. ad 22, 37, 7.

§. 5. *Tertio die ad Uscana*] Infra semper *Uscanam* edit. SIGON. Invenio apud Stephan. Byz. *Ὑσκανα πόλις Ἰλλυριδος, ὀυδετέρως. Πολύβιος ἡ. Τὸ ἐθνικὸν Ὑσκανεύς.* Sed puto Stephan. in depravatos Polybii codices incidiſſe, ac legendum eſſe *Οὔσκανα*, et *Οὐσκανεύς*.. Forte etiam hoc loco nihil mutandum eſt. Notum enim hanc generum ac numerorum enallagen in nominibus urbium frequentem eſſe, et simili modo *Hierosolyma* numero singulari genere sequiori, et numero plurali genere neutro inveniri. Vide Salmas. ad Solin. pag. 98.

Penestianae terrae ea maxime urbs est] Forte *maxima.* J. FR. GRON. *maxima* edidit etiam Sigonius. Supra cap. 16. dixerat Livius *oppidum finium plerumque Persei* eſſe: cujus eo tempore praesidio etiam tenebatur, et fruſtra a Romanis obpugnata eſt. nunc vero in ea *cum juventute Illyriorum Romanum praesidium erat.* Interim igitur in poteſtatem Romaporum pervenit. Quod qua occasione factum fuerit, Livius narrare omisit; sed ex hoc loco intelligi voluit.

nunc oppidanorum animos. erat autem ibi cum ju-
7 ventute Illyriorum Romanum praesidium. Post-
quam nihil pacati referebant, obpugnare est ador-
tus, et corona eam capere conatus est. quum sine
intermissione interdiu noctuque alii aliis succeden-
tes, pars scalas muris, ignem portis inferrent, susti-
nebant tamen eam tempestatem propugnatores urbis;
8 quia spes erat, neque hiemis vim diutius pati Mace-
donas in aperto posse, nec ab Romano bello tantum
9 regi laxamenti fore, ut posset morari. Ceterum,
postquam vineas agi, turresque excitari viderunt,
victa pertinacia est. nam, praeterquam quod adver-
sus vim pares non erant, ne frumenti quidem aut
ullius alterius rei copia intus erat, ut in necopinata

§. 6. *Prius tamen, quam vim admoveret, missis, qui tenta-rent*] Cl. Jac. Perizonius ad marginem Livii legendum censuit *missi, qui tentarent*. Si quid mutandum, legerem *missi sunt, qui tentarent*. Solet autem *sunt*, unica litera *s* scriptum, vocabulo praecedenti adcrescere. V. ad 45, 17, 6. vel, mutata distinctione, *prius tamen, quam vim admoveret, missi, qui tenta-rent* etc. *animos*, (*erat autem ibi* etc. *praesidium*) *postquam nihil pacati*.

§. 7. *Est adortus, et corona eam capere conatus est*] Alterum *est* supervacuum. J. FR. GRON. V. tamen ad 35, 1, 12. Forte autem legendum est *est ador-sus*. Ita variant codd. supra 22, 9, 1. V. ad 8, 29, 13. et 31, 40, 6. *Adortus* contra supra est 37, 5, 8. cap. 32, 1. 43, 21, 4. 44, 12, 8.

Pars scalas muris, ignem portis inferrent] Suspicor fuisse, *alii aliis succedentes scalas muris, pars ignem portis inferrent*. V. ad 3, 37, 8. J. FR. GRONOVIUS.

§. 11. *Primum arma ademit*] Crevierius observat, hic alterum orationis membrum excidisse, quod respondeat τῷ *primum*: ex sequenti autem cap. adparere, Romanos a rege retentos esse; id igitur Livium hic significasse. Id verum puto; sed quibus verbis, quae exciderunt, concepta fuerint, sine ope integrioris Mssti dici non potest.

Uscanenses se urbemque dediderunt] *Uscanienses* omnes edd. antt. quae tamen cap. seq. *Uscanensibus* praeferunt. Sigonius deinde hic *Uscanenses*, ibi *Uscanensibus* edidit. Ultima Gruteri *Uscanienses* servavit, et cap. seq. *Uscaniensibus* substituit. Sed Dan. Heinsius in Elzevириana Sigonium secutus est. Et recte. Stephanus enim de Urb.

obsidione. Itaque quum spei nihil ad resistendum 10
esset, C. Carvilius Spoletinus et C. Afranius a praesidio Romano missi, qui a Perseo peterent, primo, ut armatos suaque secum ferentes abire sineret; dein, si id minus impetrarent, vitae tantum libertatisque fidem acciperent. Promissum id benignius 11
est ab rege, quam praestitum. exire enim sua secum efferentibus jussis primum arma ademit. his urbe egressis, et Illyriorum cohors, (quingenti erant) et Uscanenses se urbemque dediderunt.

XIX. (*XXI*) Perseus, praesidio Uscanae inposito, multitudinem omnem deditorum, quae prope numero exercitum aequabat, Stuberam abducit. Ibi 2
Romanis, (quatuor millia autem hominum erant) 1

in voce *Υσκανα*, pro quo *Ουσκανα* modo conjeci legendum, ejus gentile esse docet *Υσκανεὺς* (lege *Ουσκανεὺς*) *ὡς Δανεὺς*, *Τυανεὺς*. Ubi etiam recte Holsten. *Αδανεὺς* legisse, ex eodem Steph. voc. *Αδανα* et *Τύανα* constat. *Ουσκανεὺς* autem Latine est *Uscanensis*, non *Uscaniensis*.

§. 1. *Multitudinem omnem deditorum, quae prope numero exercitum aequabat*] Dediderunt se Illyriorum cohors et Uscanenses. Cohortem Illyriorum fuisse quingentorum militum, cap. praec. dixit: urbem autem Uscanam decem millia civium habere, supra testatur cap. 10. His adde praesidium Romanum, quod Perseus contra fidem datam detinuit. Id autem quatuor millia hominum praeter principes fuisse, mox addit. At Perseus Uscanam obpugnaturus eo profectus est cum decem millibus peditum, duobus millibus levium armatorum, et quingentis equitibus, ut Liv. cap. praec. tradit. Quomodo igitur hic inferre potest, *multitudinem omnem prope numero exercitum aequasse*? quum potius numero exercitum superarit. Persuasum mihi est, vitium latere §. seq. in numero praesidii Romani. Propemodum enim incredibile videtur, id quod etiam Cl. Dukerus observavit, tot millia militum Romanorum se tam facile, licet in magna frumenti et aliarum rerum inopia, Perseo dedidisse. Sine codicis autem auctoritate constituere, qua ratione id vitium, numero tantum, ut videtur, inhaerens, emendari debeat, admodum anceps est. Vide tamen, an numerus notis scriptus ita corrigi possit, *M M autem hominum erant*, id est *duo millia*, et ex prioris millenarii numeri nota *M* factum sit *IIII*. Mallem nihilominus si liceret, *mille autem hominum erant*.

praeter principes, in custodiam civitatium divisis, Uscanensibus Illyriisque venditis, in Penestiam exercitum reducit ad Oaeneum oppidum in potestatem
3 redigendum, et alioqui opportune situm, et trans-
4 itus ea est in Labeates, ubi Gentius regnabat. Praetereunti frequens castellum, Draudacum nomine, peritorum quidam regionis ejus, *Nihil Oaeneo capto opus esse*, ait, *nisi in potestate et Draudacum sit.*
5 *opportunius etiam ad omnia positum esse.* Admoto exercitu, omnes extemplo dediderunt sese. Qua spe celeriore deditione erectus, postquam animadvertit, quantus agminis sui terror esset, undecim alia ca-
6 stella eodem metu in potestatem redigit. ad perpauca vi opus fuit, cetera voluntate dedita: et in his recepti mille et quingenti dispositi per praesidia milites
7 Romani. Magno usui Carvilius Spoletinus erat in conloquiis, dicendo, nihil in ipsos saevitum. Ad Oaeneum perventum est, quod sine justa *obpugna-*

§. 2. *Ad Oaeneum oppidum*] Ita constanter omnes typis exarati; nisi quod solus Doujatius, incertum qua auctoritate, *Oeneum* hic et infra semper hoc cap. dederit. *Oaenaeum*, et *Daudracum*, quod Livio § seq. *Draudacum* dicitur, passim vocat Palmer. in Graec. Ant. 1 36 p. 217. et seqq. Alibi hujus oppidi mentionem non inveni.

§. 3. *Et alioqui opportune situm, et transitus ea est in Labeates*] An *situm, et quod transitus*? DUK. Ant. Perizonius in ora cod. sui emendat *et transitu in Labeates*. Sed verba haec majori distinctione a praecedentibus divisi, eaque per se accipio: oppidum Oaeneum alioqui opportune situm est, eaque transitus est in Labeates. Si quid tamen mutandum, emendationem Dukeri ei Perizonii longe praeferrem. Ceterum qui hic *Labeates*, Plinio 3, 22. vocantur *Labeatae*. Inde casus quartus formatur *Labeatas* infra 45, 26, 13. casus secundus *Labeatarum*, vel *Labeatûm* 44, 31, 10. Non tamen audeo hic *Labeates* mutare in *Labeatas*, licet accusativus ille aeque a recto *Labeates*, quam a *Labeatae*, formari possit. Videtur enim utrumque *Labeatae* et *Labeates* antiquis in usu fuisse. Vide ad 44, 31, 10.

§. 4. *Opportunius enim ad omnia positum esse*] Ita demum ultima Gruteri editio. Priores

tione capi non poterat; et majore aliquanto, quam cetera, juventute, et validum oppidum moenibus erat. et hinc amnis Artatus nomine, hinc mons 8
praealtus et aditu difficilis cingebat. haec spem ad resiſtendum oppidanis dabant. Perseus, circumval- 9
lato oppido, aggerem a parte superiore ducere inſtituit, cujus altitudine muros superaret. quod opus 10
dum perficitur, crebris interim proeliis, quibus per excursiones et moenia sua oppidani tutabantur, et opera hoſtium inpediebant, magna eorum multitudo variis casibus absumta eſt: et, qui supererant, labore diurno nocturnoque et vulneribus inutiles erant. Ubi primum agger injunctus muro eſt, et cohors re- 11
gia, quos Nicatoras adpellant, transcendit, et scalis multis simul partibus inpetus in urbem eſt fatus. puberes omnes interfecti sunt: conjuges liberosque eorum in cuſtodiam dedit: praedae alia militum ceſſere. Stuberam inde victor revertens ad 13

praeferunt *opportunius etiam*; quod recte Crevierius Livio reſtituit.

§. 7. *Ad Oaeneum perventum*] Valde abruptum eſt. Fortassis *Inde ad Oaeneum perventum*. DUKER.

Et majore aliquanto, quam cetera, juventute, et validum oppidum moenibus erat] Forte *in caeteris*, puta oppidis. J. FR. GRON. Non opus eſſe puto, ut Gronovii emendationem probemus. Oaeneum erat oppidum et majore aliquanto juventute, quam cetera sc. oppida erant, et validum moenibus. De Artato fluvio, cujus Livius §. seq. meminit, vide Palmer. 1. Graec. Ant. 36. pag. 218.

§. 13. *Ad Gentium legatos, Pleuratum* etc.] Cum his conferendus eſt Polyb. in Exc. Legat. num. 76.

Aputeum Macedonem a Beroea mittit] *Adaeum* ex Polybio Legat. 76. H. VALES. *Aputeum* ante Valesium suspectum etiam fuit Ursino ad d. loc. Polybii. Ceterum Palmer. 1. Graec. Antiq. 36. pag. 218. Livio vitio vertit, quod ἐκ Βερρόιας, vel ἀπὸ Βερρόιας verterit *a Berroea*, quum deberet *Beroeensem*: non enim miſſum eſſe a Berroea, sed a Stubera. Verum primo notandum eſt, Livium hic reddidiſſe verba Polybii, eumque loco laud. scripsiſſe τὸν Βεροιαῖον Ἄδαιον, ut Ursinus e-

Gentium legatos, Pleuratum Illyrium, exsulantem apud se, et Aputeum Macedonem a Beroea, mittit.
14 Iis mandat, ut exponerent aestatis ejus hiemisque acta sua adversus Romanos Dardanosque. adjicerent recentia in Illyrico hibernae expeditionis opera. hortarentur Gentium in amicitiam secum et cum Macedonibus jungendam.

1 XX. (*XXII.*) Hi transgressi jugum Scordi montis, per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus faciles Dardanis in Illyricum aut Macedoniam essent, Scodram la-
2 bore ingenti tandem pervenerunt. Lissi rex Gentius erat. eo adciti legati, mandata exponentes, benigne auditi sunt: qui responsum sine effectu tulerunt; *Voluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Ro-*

mendavit ex Livio, quum in Msto legeretur *τὸν Βερόλιον Ἀδατον*. Deinde non jungendum esse *a Beroea mittit*, ipse enim Livius dicit, Persea Oaeneo Stuberam revertentem legatos hos misisse, quae loca a Beroea satis erant remota; sed jungi debere *Macedonem a Beroea*, id est Macedonem Beroeensem. Est autem Livio familiare hoc genus loquendi. Ita *legati ab Ardea* 4, 7, 4. *coloni a Velitris* 6, 17, 7. quibus locis plura notantur. Ejusdem generis est *captivi ex Illyrico*, pro captivi Illyrii, cap. seq. Palmerium perperam Livium reprehendisse, observavit etiam Clariss. Dukerus.

§. 14. *Hortarentur Gentium in amicitiam secum* etc. *jungendam*] Magis placeret Crevierio, si legeretur *ad amicitiam*.

§. 1. *Jugum Scordi montis*] Ursinus ad Polyb. Legat. 76. ex Polybio et Ptolemaeo 2, 17. *Scardi* legendum contendit. Idem ex Ptolemaeo et Strabone suspicatur Ortelius in Thes. Geogr. Sed Ursinus sibi non satis constat: nam ipse in Polybio edidit *ὑπὲρ τὸ Σκόρδον ὄρος*, quod etiam ed. Jac. Gronovii expressit. Cellarius 2. Geogr. Ant. 8. a corrigendo abstinet, et ita scribit, quasi putaverit, montem, qui Graecis *Σκάρδος* est, a Livio *Scordum* dici. DUKER.

Scodram labore ingenti] Urbs haec *Κόρδα* vocatur in Msto apud Polyb. Ecl. Legat. 76. pro quo nunc *εἰς Σκόρδαν* in optimis edd. vulgatur, quum tamen *εἰς Σκόδραν* ex hoc loco Livii et Plinii 3, 22. Ursinus legendum monuerit. Et recte. In Msto Polybii datum erat *εἰς Κόρδαν*, vel *Κόδραν*, pro *εἰς Σκόρδαν*, prima litera posterioris vocis ab ultima praecedentis intercepta.

manis: ceterum ad conandum id, quod velit, pecuniam maxime deesse. Haec Stuberam retulere regi, 3
tum maxime captivos ex Illyrico vendenti. Extemplo iidem legati, addito Glaucia ex numero cuſtodum corporis, remittuntur sine mentione pecuniae, qua una barbarus inops inpelli ad bellum poterat. Ancyram inde populatus Perseus, in Peneſtas rur- 4
sum exercitum reducit: firmatisque Uscanae, et circa eam per omnia caſtella, quae receperat, praesidiis, in Macedoniam sese recipit.

XXI. (*XXIII.*) L. Coelius, legatus Romanus, 1
praeerat Illyrico: qui, moveri non ausus, quum in iis locis rex eſſet, poſt profectionem demum ejus conatus in Peneſtis Uscanam recipere, a praesidio, quod ibi Macedonum erat, cum multis vulneribus

Scodra etiam infra vocatur 44, 31. 32. et 45, 25. et apud Ptolem. 2, 17. Holſtenius insuper in Annot. ad Ortelii Thes. Geogr. pag. 171. ex Ligorio laudat nummum Imperatoris Claudii cum hac inscriptione: *COL. CLAVDIA. AVGVSTA. SCODRA.*

§. 3. *Tum maxime captivos*] Ita et primae, et reliquae edd. omnes uno consensu legunt. V. ad 27, 4, 2.

§. 4. *Ancyram*] Hujus nusquam alibi mentionem in hoc tractu inveni. Ex eo, quod dicit *populatus*, colligo regionem fuiſſe, non urbem. DUKER.

Firmatisque Uscanae etc. *praesidiis*] Hic locus tuetur vulgatam scripturam 32, 40, 10. quae viris doctis suspecta erat. Similiter 44, 8, 1. *Ab Dio ad Philam ducit, simul ut praesidium ejus firmaret.*

§. 1. *L. Caelius, legatus Romanis*] Ita primum ed. Paris. anni 1573. et pleraeque poſtea excusae. Priores omnes, quas vidi, cum nonnullis recentiorum *L. Coelius.* Utroque modo hoc nomen in marmoribus exarari, rationemque, cur id fiat, docet Pighius in Annal. Rom. ad A. V. 1DCXXV. pag. 28. In nummis vero tantum vel *COELIVS*, vel *COILIVS* scriptum vidi. Priorem orthographiam revocavi, quia eam semper antea receperunt editores Livii.

Qui, moveri non ausus] Haec conſtans eſt omnium, quas consului, editionum lectio. Doujatius autem monet, *moveri* hic poni pro movere, vel se movere, id eſt, aliquid adgredi. Malim tamen credere, locum corruptum, ac legendum eſſe *movere*, quomodo vir doctus ad marginem ed. Curionis, Ant. Perizo-

2 repulsus, Lychnidum copias reduxit. Inde post dies paucos M. Trebellium Fregellanum cum satis valida manu in Peneſtas misit ad obsides ab his urbibus, quae in amicitia cum fide permanserant, ac-
3 cipiendos. Procedere etiam in Parthinos (ii quoque obsides dare pepigerant) jussit: ab utraque gente sine tumultu exigi. Peneſtarum obsides Apolloniam, Parthinorum Dyrrachium (tum Epidamni
4 magis celebre nomen Graecis erat) missi. Ap. Claudius, acceptam in Illyrico ignominiam corrigere cupiens, Phanotem Epiri caſtellum adortus obpugna-

nius ad oram Livii sui, et Cl. Heumannus scribendum conjecerunt. Livium autem id verbum saepissime, quasi neutrum foret, sine casu usurpasse, patet ex illis, quae notantur ad 10, 4, 9. Mox *Lycnidum* primae edd. Sigonius addita adspiratione emendavit *Lychnidum*. Vide ad 27, 32, 9.

§. 3. *Ab utraque gente sine tumultu exigi*] Scribe *exegit*, vel potius *exacti*. J. FR. GRON. *exegit* probat Palmer. in Graec. Ant. 1, 34, 182. contra *exacti* Cleric. et Crevier. quorum prior etiam in contextum recepit. Paullo ante *Partinos* edd. principes. Postea quidem Sigonius *Parthinos* emendavit; eum tamen secuti editores alteram lectionem servarunt, donec ultima Gruteri editio bona fide emendationem Sigonii reciperet. Vide ad 33, 34, 11.

§. 4. *Phanotem Epiri castellum*] Hoc oppidum Φανότεια, Φανότη, καὶ Φανοτεὺς dictum est, auctore Stephano; quibus modis variavit etiam Livius. SIG. Recte observat Doujatius, Sigonium hic confundere urbem Phocidis, quae Stephano vocatur Φανοτεύς, Φανότη et Φανότεια, cum castello Epiri, hoc loco memorato. De urbe Phocidis vide ad 32, 18, 6. Castellum Epiri memoratur etiam infra 45, 26, 3. *Cum reliquo exercitu in Epirum est profectus, ubi prima Phanota ei dedita.* qui locus exigere videtur, ut etiam hic *Phanotam* legamus, sive, ut Crevierius edidit, *Phanoten*. Utrumque locum distinguit etiam Vales. ad Exc. Peiresc. p. 24. Mox scribendum videtur *adorsus obpugnare*. Vide ad cap. 18, 7.

§. 5. *In Elimeam profectus, et circa eam exercitu lustrato*] Crevierius, qui hic *Elymeam*, alibi semper *Elimeam* edidit, judicat, quae Livius dicit de exercitu circa Elimeam lustrato, melius convenire urbi, quam regioni. Quum autem in regione Elimiotide sit urbs Elima vel Elimea, hic etiam *Elimeam*, vel *ad Elimeam profectus* legendum censet. Sed v. ad 42, 53, 5. Idem etiam Crevier. in verbis proximis *Aetolis*, pro *Epirotis*, legendum colligit ex sequentibus,

re, et auxilia Athamanum Thesprotorumque, praeter Romanum exercitum, ad sex millia hominum secum adduxit: neque operae pretium fecit, Cleva, 5
qui relictus a Perseo erat, cum valido praesidio defendente. Et Perseus, in Elimeam profectus, et circa eam exercitu lustrato, ad Stratum, vocantibus Epirotis, ducit. Stratus validissima tum urbs Aeto- 6
liae erat. sita est super Ambracium sinum, prope amnem Acheloum. Cum decem millibus peditum eo profectus est et equitibus trecentis: quos pauciores propter angustias viarum et asperitatem du-

ubi Stratus dicitur urbs *Aetoliae*, quae regi traditur per Archidamum principem *Aetolorum*; et refert Livius, regem exspectasse, ubi ad Stratum accessit, in fidem suam venturos omnibus portis effusos *Aetolos*. His adde, Livium cap. seq. §. 3. referre, principes *Aetolorum*, praesentis Archidami auctoritate compulsos, regem arcessivisse.

§. 6. *Sita est super Ambracium sinum*] Palmer. 3. Graec. Ant. 5. hic notandam dicit supinitatem Livii, qui, quod Polyb. scripserat *ὑπὲρ τὸν Ἀμβρακικὸν κόλπον*, interpretatus fuerit *super Ambracium sinum*, quum vertendum fuisset *ultra Ambracium sinum*. Sane *super Ambracium sinum* ex Livii consuetudine loquendi est ad Ambracium sinum, in litore sinus Ambracii. 32, 15, 8. *Sita est urbs super Peneum amnem*. 33, 6, 10. *Super Onchestum amnem posuit castra*. 34, 28, 1. *Ad Sellasiam super Oenunta fluvium pervenit*. 42, 55, 6. *Super Peneum amnem posuit castra*. Hoc alibi *super ripam fluminis* dicit. 27, 48, 2. *Quum castra metari Poenus in tumulo super flumini ripam vellet*. et 35, 33, 10. *Castris super ripam Tiberis positis*. Sed, Stratum longius a sinu Ambracio abfuisse, quam ut ita *super eum* sita fuisse dici possit, apertum est e testimonio veterum apud Palmerium. Verum nolim adfirmare, *super* a Livio et aliis scriptoribus semper hac significatione usurpari, nec loca, quae a mari ad interiora et mediterranea tendentibus sunt, umquam dici *super mare* esse. Etsi autem non difficulter Palmerio largior, Livium haec ex Polybio sumsisse, tamen eum satis confidenter pronunciare puto, Polybium scripsisse *ὑπὲρ τὸν Ἀμβρακικὸν κόλπον*, et id a Livio debuisse verti *ultra Ambracium sinum*. Nam quum in iis, quae ex Polybio supersunt, nihil de situ Strati legatur, nemo pro certo dicere queat, quid ille scripserit, aut quomodo Livius, quod ab eo scriptum invenierat, vertere debuerit. Quin etiam si concedamus, Livium haec a Polybio accepisse, tamen primum non certum foret, hunc potius scripsisse *ὑπὲρ τὸν Ἀμβρακικὸν κόλπον*, quam

7 xit. Tertio die quum perveniſſet ad Citium mon-
tem, vix transgreſſus propter altitudinem nivis, lo-
8 cum quoque caſtris aegre invenit. Profectus inde,
magis quia manere non poterat, quam quod tole-
rabilis aut via aut tempeſtas eſſet, cum ingenti vexa-
tione, praecipue jumentorum, altero die ad tem-
plum Jovis, quem Nicaeum vocant, posuit caſtra.
9 Ad Arachthum inde flumen, itinere ingenti emenso,
retentus altitudine amnis, mansit. Quo spatio tem-
poris ponte perfecto, traductis copiis diei progres-
sus iter, obvium Archidamum principem Aetolo-
rum, per quem ei Stratus tradebatur, habuit.

1 XXII. (*XXIV.*) Eo die ad finem agri Aetoli ca-
ſtra posita. Inde altero die ad Stratum perventum:
2 ubi, prope Acheloum amnem caſtris positis, quum
exspectaret, effusos omnibus portis Aetolos in fidem
suam venturos, clausas portas, atque ipsa ea nocte,
qua venerat, receptum Romanum praesidium cum
3 C. Popillio legato invenit. Principes, qui praesen-

ὑπὲρ τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου, quemadmodum Thucyd. 1, 48. *Ἐξ Αἰσιοπίας τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτου.* Et Dio lib. 54, 514. *οἱ Αἰσίοπες οἱ ὑπὲρ Αἰγύπτου οἰκοῦντες.* Deinde non major causa esset *ὑπὲρ* vertendi *ultra*, quam *supra:* nam hoc etiam de situ locorum, quae ad interiora terrarum recedunt, dicunt Latini. Plinius 33. H. N. 7. *Supra Ephesum Cilbianis agris.* Ita interpretes Thucydidis et Dionis verterunt *ὑπὲρ*, et Livius quoque hic fortaſſis non *super*, sed *supra*, scripsit. DUKER.

§. 7. *Ad Citium montem*] *Citium* Macedoniae oppidum Livius supra memorat 42, 57. sed, montis *Citii* mentionem alibi factam, me reperire non memini. Ortelius in Thes. Geogr. voce *Cittus*, Citium eſſe exiſtimat, quem *Κίττον ὑπὲρ τῆς Μακεδονίας* vocat Xenophon de Venat. pag. 995. Mihi verius videtur, montes Citium et Cittum diversos eſſe; illum inter Macedoniam et Aetoliam, ut itineris Persei ratio docet; hunc versus Thraciam, et forte eum, qui ab aliis *Κισσὸς* vocatur; de quo vide ipsum Ortelium ibid. voce *Cissus*. Puto vero haud male Doujatium ſtatuiſſe, *Citium* eſſe partem Pindi, qua proxime ad Acroceraunios accedit.

§. 9. *Ad Arachthum inde flu-*

tis Archidami auctoritate compulsi regem arceſſierant, obviam egreſſo Archidamo segniores facti, locum adversae factioni dederant ad Popillium cum mille peditibus ab Ambracia arceſſendum. In tem- 4
pore et Dinarchus, praefectus equitum gentis Aetolorum, cum sexcentis peditibus et equitibus centum venit. Satis conſtabat, eum, tamquam ad Persea 5
tendentem, Stratum veniſſe: mutato deinde cum fortuna animo, Romanis se, adversus quos venerat, junxiſſe. Nec Popillius securior, quam debebat eſſe, 6
inter tam mobilia ingenia erat. claves portarum cuſtodiamque murorum suae extemplo poteſtatis fecit: Dinarchum Aetolosque cum juventute Stratiorum 7
in arcem per praesidii speciem amovit. Perseus, 8
ab inminentibus superiori parti urbis tumulis tentatis conloquiis, quum obſtinatos atque etiam telis procul arcentes videret, quinque millia paſſuum ab urbe trans Petitarum amnem posuit caſtra. Ibi con- 9
silio advocato, quum Archidamus Epirotarumque

men] De hoc flumine vide Palmer. Graec. Ant. 2, 7, 305. 318. et alibi.

Retentus altitudine amnis, mansit] Clariſſ. Jac. Perizon. ad oram Livii teſtatur, sibi videri hic excidiſſe vocem *diem*, *biduum*, vel similem; aut potius *mansit* hic capiendum eſſe *pernoctavit*. Prius verius eſſe puto. Ita enim mox verbis proximis recte subjungitur *Quo spatio temporis*. Et ita *mansit* eſt subſtitit, ut paullo ante. *Profectus inde, magis quia manere non poterat, quam quod tolerabilis aut via, aut tempestas esset.* Supra 5, 55. *Hic manebimus optime.* Idem etiam sibi in mentem veniſſe Crevier. monuit.

Obviam Archidamum principem Aetolorum] Ita edidit Gronov. Omnes priores conſtanter legunt *obvium*; quod recte Crevierius reduxit. V. ad 1, 26, 2.

§. 8. *Trans Petitarum amnem*] Vide Palmer. 3. Graec. Antiq. 13. pag. 421.

§. 9. *Ibi consilio advocato*] Haec antiquiſſimarum edd. lectio eſt. Eam primus mutavit Vascos. subſtituens *concilio*: quod pleraeque poſtea edd. retinuerunt usque ad Gronovium, qui anno 1665. alterum revocavit, et pluribus adſtruxit ad 44, 2, 5. Nihi-

transfugae retinerent, Macedonum principes non pugnandum cum infesto tempore anni censerent, nul-
10 lis praeparatis commeatibus; quum inopiam prius obsidentes, quam obsessi, sensuri essent, maxime quod hostium haud procul inde hiberna erant; ter-
11 ritus in Aperantiam castra movit. Aperantii eum, propter Archidami magnam in ea gente gratiam auctoritatemque, consensu omnium acceperunt: is ipse cum octingentorum militum praesidio his est praepositus.

1 XXIII. (*XXV.*) Rex cum minore vexatione jumentorum hominumque, quam venerat, in Macedoniam rediit. Appium tamen ab obsidione Phanotis
2 fama ducentis ad Stratum Persei submovit. Clevas,

lominus *concilio* iterum edidit Crevierius. Mox per *Epirotas* idem Crevierius illos intelligit, qui erant ex factione Cephali, superius c. 18. memorati, quos *transfugas* vocatos putat, quia, quum primo ab Romanis stetissent, postea ab iis defecerunt: vel pro *Epirotarumque* legit *Aetolorumque*. V. ad cap. praec. §. 5.

§. 11. *Aperantii eum, propter Archidami*] De *Aperantia* dictum est ad 36, 33, 7. Adde Palmer. Graec. Ant. 4, 4. Secundum Stephan. Byz. Ἀπεράντεια πόλις Θεσσαλίας est. Palmerius in Aperantia nullum oppidum memorari testatur, nisi quis huic Stephani loco fidem habere velit. Sigonius Stephani locum laudans ad Livii 36, 33, 7. inde adfert *Χώρα Θεσσαλίας*. qua tamen fide, ignoro. Praeterea Palmerius *Aperantiam* magno errore in *Thessalia* poni contendit, et pro *Θεσσαλίας* legendum censet Αἰτωλίας. Insuper ab Aperantia τὸ ἐθνικὸν Ἀπεραντοί, ὡς Ἀμαραντοί, ὀξυτόνως, teste Stephano. Id si verum, hoc loco legendum erit *Aperanti eum*; et apud Plutarch. in Flaminino pag. 377. Ἀχομένων δὲ καὶ φερομένων ὑπὸ τοῦ Μακεδόνος τοῦτο μὲν Δολόπων καὶ Μαγνήτων, τοῦτο δὲ Ἀθαμάνων καὶ Ἀπεραντῶν. ubi nunc est Ἀπεράντων.

§. 1. *Rex cum minore vexatione jumentorum hominumque*] Immo *Rex non minore*. Vidit quoque Freinshemius. J. FR. GRON. Potuit Perseus in reditu minoribus incommodis vexatus esse, vel quod anni tempestas clementior, vel quod regio, in quam rediret, non adeo aspera, vel quod viae minus difficiles essent. Non igitur omni exceptione major est conjectura vi-

vas, cum praesidio inpigrorum juvenum insecutus, sub radicibus prope inviis montium ad mille hominum ex agmine inpedito occidit, ad ducentos cepit. Appius, superatis anguſtiis, in campo, quem 3
Elaeona vocant, ſtativa dierum paucorum habuit. Interim Clevas, adsumto Philoſtrato, qui Epirotarum gentem habebat, in agrum Antigonensem transcendit. Macedones ad depopulationem profecti; 4
Philoſtratus cum cohorte sua in insidiis loco obscuro consedit. in palatos populatores quum erupiſſent ab Antigonea armati, fugientes eos persequentes effusius in vallem inseſſam ab hoſtibus praecipitant. ibi ad mille occisis, centum ferme captis, 5
ubique prospere geſta re, prope ſtativa Appii caſtra movent, ne qua vis sociis suis ab Romano exercitu

rorum doctorum, quam confidenter in contextum receperunt. Solet autem Livius in similibus locutionibus praepositionem *cum* adhibere. Supra cap. 21, 8. *Cum ingenti vexatione, praecipue jumentorum, altero die ad templum Jovis, quem Nicaeum vocant, posuit castra.* 44, 5, 8. *Cum omni genere vexationis processerunt.* Similiter *cum ferro ignique excursiones facit* supra 4, 9, 8. *venit nullis cum aliis mandatis* 34, 30, 4. *cum qua fama venerunt* 38, 17, 17. *vagari eos cum belli terrore* cap. 42, 11. *rediit Romam cum magna fama gestarum rerum* 40, 43, 4. *exceptus cum tanto honore* 42, 11, 2. *ingenti cum invidia in senatum venit* c. 22, 4. Si tamen non levioribus malis Persen in reditu vexatum velis, legerem *cum non minore vexatione.*

Ab obsidione Phanotis] Scribe *Phanotes.* Eſt enim Φανότη. SIG. Mallem *Phanotae.* Infra enim 45, 26. non *Phanote*, sed *Phanota* vocatur. Vide ad cap. 21, 4.

§. 3. *In campo, quem Eleona vocant*] Τῆς Καλυδωνίας Χωρίον ὀχυρὸν, ὃ καλεῖται Ἔλαιος memoratur Polyb. 4, 65. Verum locus ille huc non pertinet. Forte indicatur campus urbi Elaeunti vicinus. Urbs autem Ἐλαιοῦς inter mediterraneas Epiri memoratur apud Ptolem. 3, 14. Hinc saltem per diphthongum *Elaeona* scribendum foret. Alia eſt *Elaeus* Chersonesi Thracicae urbs, de qua v. ad 31, 16, 5.

Philostrato, qui Epirotarum gentem habebat] Crevierio hoc obscurum erat; cui mendi suspicionem augebat id, quod sequitur, *Philostratus cum cohorte sua*, quia gens Epirota-

6 inferri posſit. Appius, nequidquam in his locis terens tempus, dimiſſis Chaonumque, et si qui alii Epirotae erant, praesidiis, cum Italicis militibus in Illyricum regreſſus, per Parthinorum socias urbes in hiberna militibus dimiſſis, ipse Romam sacrificii caus-
7 sa rediit. Perseus ex Peneſtarum gente mille pedites,

rum in unam cohortem contribui non poterat. Legendum igitur conjicit *Epirotarum transfugas*, si recte illi nominati sunt cap. praec. §. 9.

§. 6. *Per Parthinorum socias urbes*] *Partinorum* edd. vett. *Partynorum* ed. Curionis. *Parthinorum* recte Sigonius. Vide ad 33, 34, 11. Ceterum verba haec aliquid ambiguitatis habere, sed Parthinorum urbes socias Romanorum, non urbes socias Parthinorum intelligendas esse, monuit Palmer. 1. Graec. Antiq. 34. pag. 182.

In hiberna militibus dimissis] Modo praeceſſit, *dimissis Chaonumque, et si qui alii Epirotae erant, praesidiis*. Hinc Clariſſ. Ant. Perizon. in margine Livii hoc loco legendum censet *in hiberna militibus divisis*: quam emendationem se adprobare Jac. Perizon. monuit. Voces illas frequenter a librariis commutari, et utrumque verbum de hac re usurpari, docuimus ad 37, 45, 19. Contra solam dictionis repetitionem idoneam causam non esse, cur locus suspectus habeatur, supra vidimus ad 1, 3, 9.

§. 7. *Cassandriam, praesidio ut essent, misit*] Alibi fere semper a Livio *Cassandrea* vocatur. Ita 28, 8, 14. 31, 45, 14. et 45, 11, 1. Et tamen hic nihil mutandum eſt. Graece dicitur Κασσάνδρεια, vel Καςάνδρεια, quod Latini reddunt *Cassandrea* et *Cassandria*; unico etiam sibilo *Catandrea*, teſte Nic. Heinsio ad Virg. 2. Aen. 343. Simili modo promiscue dixerunt *Antigonea*, et *Antigonia*, *Alexandrea* et *Alexandria*. Vide ad 31, 43, 5. et 44, 19, 11.

§. 8. *Ab Gentio eadem adferentes redierunt*] Confer cum his Polyb. in Exc. Legat. num. 77.

Nec tamen impetrare ab animo posset] Corrigo *nec tamen impetrare ab homine posset*. Loquitur de Perseo rege, qui impetrare ab animo suo non posset, ut pecunia Gentium in societatem suam alliceret. Caeterum quae de Elonico traduntur in Epitoma a Perseo facta esse, hic desiderantur. Itaque finis libri eſt aſterisco signandus. SIGON. Abjeci Sigonii conjecturam *nec tamen impetrare ab homine*. nam apparet, sollicitatum ab Perseo Gentium: quum tamen interim non impetraret animo suo, ut pecuniam una mitteret, quia pecunia expugnari posset Gentius. Haec scripseram, cum vidi, ipsum in editione sua poſtrema revocaſſe hanc emendationem, revocata lectione vulgari. Bonum factum. GRUTER. Corrigo, inquit Sigonius, *nec tamen impetrare ab homine posset*. Loquitur enim de Gentio rege, a quo societatem impetrare non poſſet Perseus. At ego intercedo, et corrigere eum veto. Ab illo impetrari debebat, cujus erat sumtum facere: aït enim, *nec impetrare posset, ut impensam in rem ma-*

ducentos equites revocatos, Cassandriam, praesidio ut
essent, misit. Ab Gentio eadem adferentes redierunt. 8
nec deinde alios atque alios mittendo tentare eum de-
stitit, quum adpareret, quantum in eo praesidii esset;
nec tamen impetrare ab animo posset, ut inpensam
in rem maximi ad omnia momenti faceret. * * * *

ximi ad omnia momenti faceret. Hic non erat Gentius, cui dudum superius dixit pecuniam praecipue defuisse. Loquitur ergo de Perseo, cum *ab animo* suo pusillo et contracto, hoc est a se ipso propter ingentem avaritiam, impetrare non potuisse, ut daret in sumptum belli Gentio. Coelius ad Ciceronem [8. ad fam. 12.] *Et cum homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset.* Hoc est Liviana phrasi *ab animo impetrare* non posset. Sic dicimur *parcere animo*, cum frenum laxamus, *vincere animum*, cum resistimus affectibus alia dictantibus, quam honestas aut tempus imperat. J. FR. GRON. Emendationem *ab homine*, pro *ab animo*, cum illa interpretatione, quam hoc loco carpit Gronovius, proposuit Sigonius in prima Scholiorum editione, eamque lectionem in contextum recepit. Haec emendatio et explicatio ipsi postea displicuit. Itaque in illa Sigoniana editione, quae anno 1592. diu post ejus mortem prodiit, restituta est prisca lectio, et priori expositioni alia supposita est, quae hic sub nomine ejus adparet. Ut tamen ea locum habere posset, delenda erant verba initialia: Corrigo, *nec tamen impetrare ab homine posset:* quae perperam reliquit is, qui post ejus mortem editionis istius curam gessit. Ceterum, quod Sigonius ad finem libri deesse putet, quae in Epitome hujus libri de Olonico sive Elonico referuntur, refutavit Gronov. ad Epit. et docuit, ejus rei narrationem intercidisse in initio cap. 4. hujus libri. Doujatius etiam in fine libri desiderari existimavit historiam latae legis Voconiae; de qua tamen Livium lib. 41. egisse, ejus Epit. docet. Unde Crevierius eam fini libri istius subtexuit. Ipse igitur Crevierius nihil ex fine hujus libri periisse autumat. Omnino tamen librum hunc mutilum esse arbitror, et in fine ejus Livium inter alia retulisse, quemadmodum Perseus Hippiam ad Gentium miserit, per quem Illyriorum regi trecenta argenti talenta pactus est, ut Romanis bellum inferret. Id enim Livium alicubi narrasse, ex 44, 23. colligitur. Et quidem, quum legati ad Gentium missi eadem renunciassent, quae priores supra renunciarunt c. 21. Perseus Hippiam iterum ad eum misit ad foedus firmandum, nulla facta mentione pecuniae; qua sibi ad bellum gerendum opus esse Gentius indicarat. Vide Polyb. Exc. Legat. num. 77. Is postea redux factus adtulit, Gentium paratum esse bellum adversus Romanos suscipere, si trecenta sibi talenta numerarentur. Vide Polyb. in Exc. Legat. num. 85. Ejus itaque et aliarum rerum narrationem hic deesse mihi persuadeo.

EPITOME

LIBRI QUADRAGESIMI QUARTI.

Q. Marcius Philippus per invios saltus penetravit in Macedoniam, compluresque urbes occupavit. Rho-

Q. Marcius Philippus per saltus penetravit] Vet. lib. *per invios saltus penetravit.* SIGON. Ita etiam omnes scripti noſtri, et ed. Camp. nisi quod *penetraverat* sit in Boenderm. Supra Livius 9, 14, 10. *Non haec Furculas, nec Caudium, nec saltus invios esse.* 40, 27, 12. *Hos ipsos Ligures per saltus invios consectati ceciderunt.* 44, 20, 2. *Exercitum per invios saltus in Macedoniam inductum.* Contra *saltus pervius* eſt 9, 43, 8. 7, 34, 1. et alibi. Insuper *Marcius Philippus*, omiſſo praenomine, Voſſ. *M. Philippus* Boend. *Marcus Philippus* ed. Camp. *C.* vel *Gajus Martius Philippus* Norvic. et plures ex primis edd. *L. Martius Philippus* editio princeps, teſte Hearnio. Error inde ortus eſt, quod librarii literam initialem omiserint, ut poſtea variis coloribus ornatius exararent; quod deinceps alii facere neglexerunt, alii perperam aliud, quam debebant, praenomen addiderunt, alii nomen gentile *Marcius* in praenomen *Marcus* mutarunt, et vel integre solita nota *M.* scripserunt. Vide ad Epit. Liv. 62. Mox *et complures urbes* Leid. Lovel. 2. et Berg. *quam plures urbes* Voſſ.

Misere legatos Romam, minantes, ut Perseo essent auxilio, nisi p. R. c. e. p. atque amicitiam conjungeret] Annotaverat Muretus, hanc epitomen valde sibi suspectam eſſe. Credo ob hunc ipsum locum, quem tamen sic tentat: *legatos Romam, ut Perseo essent auxilio, minantes populo Romano, nisi cum eo.* Certius auxilium Gudiani minoris, in quo eſt: *Rhodii misere legatos Romam, minantes, se Perseo auxilio futuros, nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret.* Poſtremum verbum sic quoque Voſſ. et Gudianus alter edunt. J. FR. GRON. *legatos Romam miserunt* Boend. et ed. Camp.. Tum *minantes, ut Perseo auxilio essent* Voſſ. Berg. Boend. et ed. Camp. *minantes, quod Perseo auxilio essent* Lovel. 2. *minantes fore, ut Perseo essent auxilio* Jac. Perizonius ad marginem Livii emendavit. Sed praefero lectionem, a Gronovio ex Gud. minore probatam, et a Clerico ac Crevierio receptam, quam firmat insuper Leid. Deinde *nisi* (*ni* Boend.) *populus Romanus cum eo* (*cum illo* Lovel. 2. Berg. et Voſſ.) *pacem atque amicitiam jungeret* omnes noſtri Mſti, Exc. Pithoei, et ed. Camp. De locutione *jungere amicitiam* vide ad 35, 12, 9. Ea etiam utitur auctor Epit. Liv. 7. *Amicitia cum Karthaginien-*

dii misere legatos Romam, minantes, se Perseo auxilio futuros, nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret. indigne id latum. Quum id bellum L. Aemilio Paullo, sequentis anni consuli iterum, mandatum esset, Paullus, in concione precatus, ut, quidquid diri populo Romano inmineret, in domum suam converteretur, et in Macedoniam profectus, vicit Persen, totamque Macedoniam in potesta-

sibus juncta. Similiter *jungere pacem* Livius dixit 1, 1, 6. 27, 9, 6. Auctor Epit. 85. *jungere foedus* 7, 30, 4. *jungere societatem*, vide ad Epit. Liv. 46. Mox *indigne latum*, omissa media voce, Voss.

Quum id bellum L. Aemilio Paullo] Gud. major *Cum id bello L. Aemilio Paullo.* J. FR. GRON. Similiter Lov. 2. quod Clericus recepit. V. ad 7, 26, 12. Reliqui tamen nostri vulgatum servant, quod praetuli.

Paullus in concione precatus est, ut, etc.] Qui epitomam hanc scripsit, parum accurate videtur Liviana verba legisse: neque enim in concione, quam Paullus habet, antequam in provinciam exeat, quicquam tale invenitur. Immo Paullus ait, se tali usum esse precatione, postquam Perseum vicerat. Verba ejus sunt in oratione ad Quirites post triumphum lib. 45, [41, 8.] *Postquam omnia secundo navium cursu in Italiam pervenerant, neque erat, quod ultra precarer, illud optavi, ut, cum ex summo retro volvi fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius, quam respublica, sentiret.* Idem Valerius lib. 5. cap. 10. *Paullus*, inquit, *in oratione, quam de rebus a se gestis ad populum habuit. Cum in maximo proventu felicitatis vestrae, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur, Jovem optimum maximum, Junonemque Reginam, et Minervam precatus sum, ut, si adversi quid populo Romano immineret, totum in meam domum converteretur.* Ergo neque antequam in Macedoniam iret, neque in concione ita precatus est. SIG. Tres membranae: *precatus, ut quicquid diri populo Romano immineret, in suam domum converteretur, et in Macedoniam profectus vicit Persen, totamque Macedoniam in potestatem redegit.* Voss. unus *super domum suam.* J. FR. GRONOV. Tribus Gronovii codd. ex meis consentiunt Lov. 2. Berg. et Boend. et primo omittunt *το est*, dein legunt *in suam domum*, vel *in domum suam*, pro *supra domum suam*, ac denique *vicit Persen, totamque*, pro *Perseum vicit universamque.* Verbum *est* omittunt etiam Leid. et Voss. *super* vel *supra domum suam*, quod servant Voss. et Leid. Latine dictum non est. *in domum suam* etiam Exc. Pithoei. Eam autem lectionem firmat locus Valer. Max. a Sigonio laudatus. *Persen vicit* etiam Leid. et Voss. Ita mox hac epit. probavi *Perses*, pro *Perseus.* Vide ad 42, 25, 2.

tem redegit. Antequam confligeret, C. Sulpicius Gallus tribunus militum praedixit exercitui, ne miraretur, quod luna nocte proxima defectura esset. Gentius quoque rex Illyriorum, quum rebellasset, ab Anicio praetore victus, venit in deditionem, et cum uxore, et liberis, et propinquis, Romam missus est. Ale-

Hinc *totamque Macedoniam* iidem quoque Leid. et Voss. Solent hae voces in Mstis Epitomarum passim commutari. Vide ad Epit. Liv. 52. Lectionem itaque Gronovii recte Crevierius recepit. Eumdem errorem auctoris hujus Epitomes, quem carpit Sigonius, observat etiam Jac. Perizon. in Animadv. Hist. cap. 9. pag. 375. Insuper vox initialis *Paullus* deest in Leid.

Antequam confligeret, dixit exercitui, etc.] Haec non Paullum dixisse; sed C. Sulpicium Gallum tribunum militum, tradit Livius [cap. 37.] et Valerius lib. 8. cap. 11. Itaque legendum est: *Antequam confligeret, C. Sulpicius Gallus tribunus militum dixit.* In veteribus autem libris est *praedixit exercitui, ne miraretur, quod luna defectura erat.* SIG. Quatuor voces, *C. Sulpicius Gallus tribunus militum*, a Sigonio additae, exsulant a Voss. Lovel. 2. Berg. et Boend. earum duas posteriores *tribunus militum* agnoscit Leid. Deinde *praedixit* est in omnibus quinque Mstis nostris, et in ed. Camp. Praeterea *proxima nocte defectura esset* Lovel. 2. et ed. Camp. *proxima nocte defectura erat* Berg. *proxima nocte defutura esset* Boend. *nocte proxima defectura erat* Leid. Similiter in his vocibus variant scripti supra 3, 22, 2. et 4, 30, 7. Eodem modo *fui* et *feci*. Vide ad 40, 50, 5.

Rex Illyriorum, quum rebellasset, ab Anicio praetore victus] MS. mendose *a Licinio*. Scribendum *a L. Anicio*. nam ita quum scriptum fuisset, librarii *ab Anicio* effecerunt. DELRIUS. *ab Anicio* primus edidit Froben. anno 1531. *a Licinio* omnes priores, consentientibus Leid. Voss. Berg. Boenderm. et Norv. *a Latino* Lovel. 2. Puto, Delrium recte conjecisse *a L. Anicio*. Insuper *rex Illyricorum* Boend. Norv. et priscae edd. Verum vide ad Epit. Liv. 20.

Cum uxore, et liberis, et propinquis, Romam missus] Ita primus Gronov. edidit anno 1665, concinentibus Leid. et Voss. Priores *et cum uxore, et liberis, et propinquis*, quod servant Boend. et Norvic. *et cum uxore, liberis, ac propinquis* Lovel. 2. et Berg. An legendum *et cum uxore, liberis, ac propinquis Romam missus est*? quod in Berg. inveni. Vide ad verba sequentia.

Ab Alexandria legati a Cleopatra et Ptolemaeo regibus venerunt] *Legati ab Alexandria ad Cleopatram et Ptolemaeum regibus* Boend. *Ex Alexandria legati a Cleopatra* Voss. *Legati Alexandria a Cleopatra* Leid. *Legati Alexandri a Cleopatra* Lov. 2. *Legati ab Alexandria a Cleopatra* Berg. et ed. Camp. Legendum puto *Alexandria legati a Cleopatra*, ut est in nonnullis edd. Illud *ex*, quod ob-

xandria legati a Cleopatra et Ptolemaeo regibus venerunt, querentes de Antiocho rege Syriae, quod his bellum inferret. Perses, sollicitatis in auxilium Eumene rege Pergami, et Gentio rege Illyriorum, quia his pecuniam, quam promiserat, non dabat, ab iis relictus est.

vium fuit in Voſſ. mutandum eſt in *est*, et referri debet ad proxime praecedentia *Romam missus*. Quum poſtea abiiſſet in *ex*, alii ei subſtituerunt *ab*, alii plane omiserunt.

De Antiocho rege Syriae, quod is bellum inferret] Vet. lib. *his*, id eſt, Cleopatrae et Ptolemaeo. SIGON. *qui his bellum inferret* Leid. *quod his bellum referret* Voſſ. *quod his bellum inferret* Boend. et ed. Camp. *quod eis bellum inferret* Berg. *quod is bellum inferret* Norv. et Lov. 2. Mox *Persen sollicitatis* Voſſ. *Perses sollicitatis* Leid. quod admisi. Vide paullo ante.

Quia eis pecuniam, quam promiserat, non dabat] *quod his pecuniam* Boend. *quia is pecuniam* ed. Frob. anni 1531. quod editores servarunt usque ad Gronovium, qui anno 1665. vulgatum subſtituit. Tum *minime dabat* Norv. et edd. ante Sigonium. Vide ad Epit. Liv. 49.

Ab eis relictus est] Hoc de Eumene et Gallis verum eſt, non de Gentio, quem victum in deditionem veniſſe paullo ante recte scripsit. DUKER. *relictus ab his est* Lov. 2. Berg. Boend. et ed. Camp.

T. LIVII PATAVINI

LIBER QUADRAGESIMUS QUARTUS.

1 I. Principio veris, quod hiemem eam, qua haec
gesta sunt, insecutum est, ab Roma profectus Q.
Marcius Philippus consul cum quinque millibus (quod
in supplementum legionum secum trajecturus erat)
2 Brundisium pervenit. M. Popillius consularis et alii

§. 1. *Cum quinque millibus*] Hic aliquid deesse Crevierius existimat. Numerum enim absolute et per se, non adjecta re, quae numeretur, stare in oratione non posse: sed et ipsum numerum vitiatum esse; supra etiam 43, 12. in supplementum exercitus Macedonici decerni *peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Romanos ducentos quinquaginta, socios trecentos.* Neque verisimile videtur, reliquos milites in supplementum decretos ante consulem in provinciam profectos esse. Supra enim Liv. 43, 15. narrat, post conscriptos milites consules provincias sortitos esse, et Marcium, cui Macedonia obvenerat, extemplo post actas Latinas eo profectum esse. Praeterea imperatores in provinciam abeuntes nova supplementa secum adsumunt. Ita Quinctio Macedoniam sortito in supplementum decernuntur tria millia militum Romanorum et trecenti equites, item sociorum quinque millia peditum et quingenti equites 32, 8. cum totidem autem militibus a Brundisio transmittens Corcyram tenuit 32, 9. Interdum quidem contrarium factum est; verum tum Livius plerumque monet, militum partem antea in provinciam missam esse.

Quod in supplementum legionum secum trajecturus erat] Scribe *quod supplementum.* Est enim genus loquendi, quale 31, [36, 4.] *ante prima signa locatis elephantis, quo auxilio tum primum Romani usi sunt.* 32, [4, 3.] *Ipsis faucibus imminentes, quam Coelen vocant.* 33, [8, 7.] *Cum cetratis et cornu dextro peditum, robore Macedonici exercitus, quam phalangem vocant.* Adde ad 2, 20, 5. J. FR. GRON. *quod supplementum* Gronovius, ut relativum cum voce sequente conveniat; de quo v. ad 32, 30, 6. Posses tamen minori mutatione *quot in supplementum* legere. Voculas autem *quot* et *quod* ob similitudinem soni in pronunciatione, et quod scribenti verba praeiens ea minus distincte enunciarit, in Mstis con-

pari nobilitate adolescentes tribuni militum in Macedonicas legiones consulem secuti sunt. Per eos dies et C. Marcius Figulus praetor, cui classis provincia evenerat, Brundisium venit: et simul ex Italia profecti, Corcyram altero die, tertio Actium Acarnaniae portum tenuerunt. Inde consul, ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. Praetor, superato Leucata, Corinthium sinum invectus, et Creüsae relictis navibus, terra et ipse per mediam Boeotiam diei unius expedito itinere Chalcidem ad classem contendit. Castra eo tempore A. Hostilius in Thessalia circa Palaepharsalum habe- 3 4 5

fundi, frequentissimum est. Exempla v. ad 3, 13, 8. 5, 1, 2. c. 33, 9. 6, 18, 5. c. 24, 7. 9, 18, 12. 10, 16, 4. 22, 16, 1. 26, 49, 9. 33, 14, 3. 34, 50, 7. apud Heins. ad Nason. 6. Her. 118. et Corte ad Plinii 8, 14, 5. et 4, 27, 4.

§. 5. *Praetor, superato Leucata*] Doujatius legendum putat *superato Leucate:* promontorium enim casu recto *Leucates*, urbem et insulam *Leucas* vocari. Sed fallitur. Promontorium enim Graecis dicitur *Λευκάτα*, *Λευκάτη*, et *Λευκάτας*, cujus casus secundus *τοῦ Λευκάτα* est apud Strab. 10, 452. 456. quartus *τὸν Λευκάταν* apud Scylac. in Peripl. pag. 29. Latinis *Leucata* et interdum *Leucate*. Supra 26, 26, 1. *Superato Leucata promontorio*. Ita pro *Leucate* ibi ex scriptis edidi. Virgil. 3. Aen. 274. *Leucatae nimbosa cacumina montis*. Silius 15, 302. *Vada Leucatae*. Contra *ab Leucate*, pro *ab Leucade*, Sigonius emendat 36, 15, 9. *promontorium Leucates* est apud Plin. 4. Hist. Nat. 1. quod eadem forma dictum est, qua *promontorium Pachyni* 24, 35. a recto nempe *Leucate*. Id forte Doujatium in errorem pellexit, quod *superato Leucata* dici non posse existimarit. Verum observat Vossius 3. Gramm. 10. montium nomina proprie ejus esse generis, cujus esse solent similiter exeuntia; si vero, quae vi terminationis mulichria esse debebant, a poëtis in virili usurpentur, id fieri per synthesin, quia respicitur nomen *mons*. Idem obtinet etiam in nominibus promontoriorum; quae si neutro genere usurpentur, quum respectu terminationis alterius generis esse deberent, id itidem per synthesin fieri existimandum est, ac respici vocem *promontorium*, ut ex priori Livii loco patet, ubi expresse additam videmus. Ceterum hic locus docet, synthesin illam non solis poëtis usurpatam esse, sed etiam in scriptis aliorum obcurrere.

§. 5. *Ad cunctam militarem disciplinam*] Suspicor *ad unicam militarem disciplinam*. Ut

bat; sicut nulla re bellica memorabili gesta, ita ad cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formato milite, et sociis cum fide cultis, et ab omni
6 genere injuriae defensis. Audito successoris adventu, quum arma, viros, equos cum cura inspexisset, ornato exercitu obviam venienti consuli pro-
7 cessit. Et primus eorum congressus ex dignitate ipsorum ac Romani nominis, et in rebus deinde ge-
8 rendis *. Proconsul enim ad exercitum **. Paucis
9 post diebus consul concionem apud milites habuit.

lib. 2, [58, 5.] *Se unico consule objecto.* Lib. 3, [33, 8.] *Et in unica concordia inter ipsos summa adversus alios aequitas erat.* Lib. 7, [cap. 1, 9.] *Fuit enim vir vere unicus in omni fortuna.* J. FR. GRON. Vox *unicus* eo sensu Livio familiarissima est. Praeter exempla a Gronov. laudata, vide alia 1, 21, 2. 3, 55, 4. 6, 6, 17. et 22, 9. 7, 12, 13. et 25, 11. 8, 31, 5. 9, 15, 10. 22, 27, 4. 23, 11, 10. 21, 5. 42, 4. 24, 34, 2. 25, 28, 8. Aliorum exempla vide apud Passerat. ad Catull. pag. 24. ad Propert. pag. 150. et apud Torren. ad Valer. Max. 2, 3, 3. Nihilominus Gronovii conjectura non sine causa Jac. Perizonio displicuit, qui ad oram Livii notavit, *cunctam militarem disciplinam* sibi positum videri pro omni genere militaris disciplinae: quod probo. Indicat enim Livius, milites per Hostilium adactos esse non ad hanc vel illam, sed ad omnes partes disciplinae militaris observandas. *Cunctus* igitur, ut alibi *omnis*, hic ponitur pro *totus*. Ita *cuncta acies* est tota acies 4, 33, 6. *cuncta moenia* sunt omnes partes moenium apud Sallust. in Jug. 57. *Cuncta moenia exercitu circumvenit.* ubi vide Cortium, et ad Plinii 1, 9, 1. Eodem sensu *omnis* usurpari, vidimus ad 5, 42, 1.

§. 6. *Quum arma, viros, equos cum cura inexisset*] Manutius *inspexisset*. SIG. Illud *inexisset* verbum nequam est et nullum in lingua Latina. quid ni igitur in locum ejus subrogemus *curavisset*? TURNEB. 29. Adv. 7. Verbum mendosum *inexisset*: fortasse restituetur, si in *instruxisset* mutetur. URSIN. *cum cura inspexisset* melius est, quam *curavisset*, quod Turnebus conjicit. Nam nec satis usitatum genus loquendi est *cum cura curare*, nec imperatoris erat arma, viros, equos curare. 29, 24, 13. *Singulos milites inspexit.* DUKER. Sigonius priori ed. notarum emendat *innexisset*, ab *innecto*, quod vir doctus in margine ed. Curionis exponit miscuisset. In secunda ed. ipse conjecturam tacitus improbavit, et omisit. In illa vero, quae post ejus mortem edita est, adscivit Manutii conjecturam *inspexisset*: quod unice verum est, et placuit etiam Pighio in Annal. ad A. V. DLXXXIV. pag. 377. Id verbum in hac re proprium est, et etiam supra adhibetur 29,

orsus a parricidio Persei perpetrato in fratrem, cogitato in parentem, adjecit, *post scelere partum regnum, veneficia, caedes, latrocinio nefando petitum Eumenem, injurias in populum Romanum, direptiones sociarum urbium contra foedus, ea omnia quam Diis quoque invisa essent, sensurum in exitu rerum suarum. Favere enim pietati fideique Deos, per quae populus Romanus ad tantum fastigii venerit.* Vires deinde populi Romani, jam terrarun orbem complectentis, cum viribus Macedoniae, exercitus

10 11 12

1. *Legiones inde quum inspiceret, plurimorum ex iis stipendiorum milites delegit.* Auctor B. Alex. 56. *Classem, quam parabat, ut inspiceret, Hispalim accedit.* Ursini *instruxisset* non placet. Ut enim *instruere viros, equos* recte dicitur, ita *instruere arma* quid sit, non intelligo.

§. 7. *Et primus eorum congressus ex dignitate ipsorum ac Romani nominis* etc.] Nonnulla hic deesse unusquisque sentire potest, quorum haec videtur fuisse sententia: *primus eorum congressus ex dignitate eorum ipsorum ac Romani nominis, et in rebus gerendis summe utilis Philippo consuli fuit. Proconsul enim ad exercitum conversus eum ad rem fortiter gerendam hortatus est, eoque consuli tradito Romam reversus est. Paucis post diebus consul concionem apud milites habuit.* Locutum hic esse de traditione exercitus apparet, cum subdit: *profectus decimo die, postquam exercitum acceperat, castra movit.* SIG. Pighius in Annal. ad A. V. IↃLXXXIV, pag. 377. locum depravatum ac mutilum ita supplendum existimat. *Et primus eorum congressus ex dignitate ipsorum ac nominis Romani, et in rebus deinde gerendis summe utilis fuit. Proconsul enim ad exercitum conversus, eum commendans successori tradidit, ac Romam inde reversus est. Paucis post diebus* etc. Quod autem Sigonius *ex dignitate eorum ipsorum*, pro *ex dignitate ipsorum*, malebat, necesse non videtur. Nam *ipse* pro is ipse saepe usurpari solet. V. ad 5, 43, 4. Illa, quibus lacunam explet Sigonius, etiam Crevierio displicent: quem enim dicturum, eum summe utilem duci in rebus gerendis fuisse, qui tantummodo hortatus milites ad rem fortiter gerendam statim abierit? odiose insuper geminari voces. Putat vero mentem Livii ex reliquiis ejus non satis adparere, nec alios auctores adjuvare: praestare igitur locum mutilum relinqui.

§. 9. *Adjecit post, scelere partum regnum, veneficia,* etc.] Ita primus distinxit Curio. Priores *adjecit post scelere partum regnum.* Sed recte vidit Crevier. interpungendum esse *adjecit, post scelere partum regnum, veneficia.*

§. 10. *Sensurum in exitu re-*

cum exercitibus comparavit. *Quanto majores Philippi Antiochique opes non majoribus copiis fractas esse?*

1 II. Hujus generis adhortatione accensis militum animis, consultare de summa gerendi belli coepit. Eo et C. Marcius praetor a Chalcide, classe accepta,
2 venit. Placuit, non ultra morando in Thessalia

rum suarum] Praepositionem delet Muretus. J. FR. GRON.

§. 4. *Menstruum jusso milite secum ferre*] *Frumentum* scilicet. Vide Lipsium 5. de Milit. Rom. 2. et Schel. ad Polyb. cap. 7. DUKER.

§. 5. *Convocatis itinerum ducibus, quum, exponerent in concilio, jussisset*] Legimus: *et unius diei progressus iter, convocatos itinerum duces quum exponere in consilio jussisset, qua quisque ducturus esset, summotis iis, quam potissimum peteret, retulit ad consilium.* Pluribus locis apud Livium confusae sunt hae voces *consilium* et *concilium*, nonnumquam forte, alibi judicio editorum: itaque libet de illorum differentia, quod potissimum ad nostrum pertinet, uberius addere. Primo *consilium* publicum est senatus: unde Pacuvius lib. 23, [3, 5.] inducitur dicens: *aut, quod unum liberae civitatis consilium est, senatus habendus est.* In eo peccatum lib. 23, 22, 2. *Solitudinem curiae paucitatemque convenientium ad publicum consilium respexerunt.* Et lib. 24, 22, 6. *Quod sicut regnante Hierone manserat publicum consilium.* Sic optimae membranae. Male vulgo *concilium*. Deinde *consilium* militare imperatorum Romanorum erant legati, tribuni militum, quosque, quoties aliquid deliberandum incidebat, advocabant in consilium. In eo peccatum saepissime. Sic scribendum lib. 8. 6, 14. *Agitatum etiam in consilio est*, nempe consulum T. Manlii, P. Decii. Lib. 9, 15, 1. *Dimissa concione consilium habitum.* a Publilio Papirioque consulibus. Lib. 22, 3, 8. *Caeteris omnibus in consilio* (apud C. Flaminium) *salutaria magis, quam speciosa, suadentibus.* Lib. 25 31, 3. *Marcellus consilio advocato, et adhibitis etiam Syracusanis.* Et sequenti: *Ibi consilium advocatum*, a Scipione videlicet. Lib. 27, 46, 5. *Postero die consilium habitum.* a Livio et Claudio consulibus. Et, *is tum in consilio aderat.* Moxque *consilio dimisso.* Lib. 28, 26, 4. *consilio dimisso*, quod P. Scipio convocaverat. Eodemque, cap. 29, 10. *citantis nomina damnatorum in consilio.* Lib. 30, 5, 1. *His praeparatis, convocatoque consilio.* Eodemque libro, cap. 31, 9. *est, quod referam ad consilium.* Et cap. 36, 10. *In consilio, quamquam justa in omnes*, etc. L. 32, 6, 3. *Postero die consilium habuit.* P. Villius. Eodemque libro, cap. 9, 8. *Consilium habuit, utrum recto itinere.* T. Quinctius. Lib. 37, 13, 5. *Consilium habitum*, (ab Livio praefecto classi) *utrum extemplo.* Iterumque cap. 14, 5. *Aemilius* (successor ejus) *consilium advocavit.* Cap. 35, 1. *Ad-*

tempus terere, sed movere extemplo castra, atque pergere inde in Macedoniam; et praetorem dare operam, ut eodem tempore classis quoque invehatur hostium litoribus. Praetore dimisso, consul, menstruum jusso milite secum ferre, profectus decimo post die, quam exercitum acceperat, castra movit: et, unius diei progressus iter, convocatis itinerum

3 4 5

vocato frequenti consilio, legati verba sunt audita. apud L. Scipionem. Lib. 42, 60, 8. *Et in consilio apud consulem.* Hoc l. 44, 35, 10. *Dimissoque consilio Perraebos mercatores.* Consul Aemilius Paullus. Ibidemque §. 14. *quod in consilio agitatum erat.* Cap. 34, 2. *Cum iis, quos advocaverit in consilium.* Cap. 37, 13. *ad consilium vocavit.* Lib. 45, 7, 1. *Et in consilio advocato literas praetoris quum recitasset.* Itemque, §. 5. *Adversus advocatos in consilium considere jussit.* Iterumque 8, 7. *consilio dimisso.* Cap. 26, 12. *Pronunciavit de sententia consilii.* Nam et decem legati, more majorum missi, erant *consilium* imperatorum, provincias constituentium. Idem error in Caesare admissus lib. 3. cap. 3. de Bello Gall. *Concilio celeriter convocato sententias exquirere coepit.* Eodemque lib. cap. 23. *Hac re ad concilium delata.* Loquitur de Galba et Crasso legatis vel praefectis Caesaris. Igitur scribe *consilio* et *consilium.* Erant praetorum *consilium* judices adsessoresque: ideo *in consilio esse, in consilium ire, mitti* dicebantur. In eo erratum lib. 29, 20, 4. *Cum eo consilio praetorem cognoscere.* Praeterea regum *consilium* sunt consiliarii ipsorum, quos deliberationibus adhibent, ut et ducum regiorum, qui exercitibus praesunt, alii praefecti minores. In eo labes lib. 1, 34, 12. *Ut publicis pariter ac privatis consiliis belli domique interesset.* Lib. 35, 17, 3. *Rex, dimissis iis, consilium de bello Romano habuit.* Cap. 19, 1. *Annibal non adhibitus in consilium.* Ibidemque, §. 7. *Ex consilio ita discessum est.* Lib. 36, 43, 3. *et consilium extemplo habuit, faciendumne periculum navalis certaminis foret.* Polyxenidas praefectus classis Antiochi, [immo ipse Antiochus rex.] Lib. 42, 50, 1. *Perseus consilium habuit.* Cap. 57, 1. *Sub idem deinde tempus consilium et consul et rex habuerunt.* Cap. 62, 3. *Consilium habenti regi de summa.* Lib. 43, 22, 9. *Ibi consilio advocato.* Lib. 44, 26, 12. *Haec relata regi quum essent, advocato consilio.* Denique *consilium* est etiam prudentia, astus, vel prudens inventum. Sic oportuit accipi 2, 44, 9. *Diu sustentatum id malum partim consiliis Patrum, partim patientia plebis.* Lib. 35, 36, 5. *Sed ut oportuit in consilio fraude coepto.* L. 39, 35, 8. *Et quum omnia ira, non consilio, gererentur.* Quibus omnibus locis male omnes libri vulgati, quos quidem diversarum editionum ante oculos habeo, *concilium* iterant. Sic Ovidius in Epistola Helenes:

Quae mihi sunt comites consiliumque duae.

ducibus, quum, exponerent in consilio, jussisset,

Non *concilium*: nam dicit consiliarias vel consiliatrices. Multo minus de Remedio [vers. 703.] *Consilium est, quodcumque cano.* Sequitur enim *parete monenti.* Qui monet, consilium dat: et secunda sors ingenii est bene monenti obedire, ut Minucius apud nostrum ait [22, 29.] Sic lib. 1. Artis [353.] *Proxima consiliis dominae.* quae adest vel intereat secretis sermonibus. Juvenalis [6, 497.] *Est in consilio matrona.* At vicissim *concilium* interdum significat comitia seu conventum populi cujusque. Ita restituendum lib. 24, 37, 11. *Si ad consulem gravarentur mittere, sibi saltem darent populi concilium.* Caesar lib. 8, 14. de Germanis Rhenum transgressis: *Qui omnibus rebus subito perterriti, et celeritate adventus nostri et discessu suorum neque concilii habendi, neque arma capiendi spatio dato perturbabantur.* Nec enim illic paucorum consilium, sed vitio libertatis, ut ait Apollonius [3. Argon. 173.]

Ξυνὴ γὰρ Χρειὼ, ξυνοὶ δέ τε μῦθοι ἔασι
Πᾶσιν ὁμῶς.

Eodem libro de Suevis, Caesare Rhenum transgresso, c. 19. *Suevos, postquam per exploratores pontes fieri comperissent, more suo concilio habito, nuntios in omnes partes dimisisse.* Significat et communem rempublicam conjunctorum populorum, ut cum l. 42. [44, 6.] *Boeotico concilio discusso* dicitur, et ibidem legati Romani nuntiant, *Boeotorum quoque se concilium arte distraxisse.* Sic restituendum lib. 39, 48, 5. *Et Messene desciverat a concilio Achaïco.* Est, ubi ponitur pro congressu secreto, coïtione seu coetu conspirantium clanculum; unde conjungit interdum noster *concilia coïtionesque.* Id non animadversum l. 4, 6, 6. *Consules, quum per senatum, intercedentibus tribunis, nihil agi posset, concilia principum domi habebant.* Sed etiam conventus legatorum ab diversis populis sociis *concilium* appellatur. Et sic posuerat noster lib. 33, 12, 6. *Et illos prioribus omnibus conciliis colloquiisque de conditionibus pacis semper disseruisse.* Non enim tam suam causam in eo bello jactabant Romani, quam libertatem Graeciae. Unde et cap. seq. recte: *Tertio die datur ei Romanorum et sociorum frequens concilium.* Et ita accipiendum puto lib. 34, 30, 5. *Concilio advocato, quum omnes colloquium dandum censuissent.* Aderant enim, praeter Eumenem regem, principes Graeciae, ut apparet ex cap. 26, 5. ubi advocat concilium de oppugnandis Argis: *Omnium principum Graeciae sententia erat.* Itaque non adsentior Modio istic legenti *consilio*; etsi jubebat videre Parerga Brissonii, quae nobis in promtu non sunt. Ambiguum potest videri lib. 34, 33, 5. *Ita et tyranno ad consultandum tempus datum est, et Quintius, sociorum etiam principibus adhibitis, habuit concilium.* Sic nunc vulgati: at Andreas *consilium.* Idque puto verius. Non enim proprie sociorum conventus fuit, sed praefectorum Romanorum apud imperatorem, cui aliquot sociorum sunt adhibiti. Sic lib. 42, 57. *consilio* apud Licinium Crassum habito interfuerunt Eumenes cum fratre: neque tamen eo id *concilium* fuit. Hinc colligas licet, quid sentiendum sit de eo, quod scribit Barthius 57. Advers. 7. Dictyi Cretensi *con-*

qua quisque ducturus esset; submotis iis, quam po-

silium et *concilium* eandem rem esse, ut aliis quoque non minus probis atque utilibus. J. FR. GRON. In eo Gronovio adsentior, *in consilio* legendum esse. De differentia utriusque dictionis *consilium* et *concilium* vide etiam Georg. Henr. Ursinum in Observ. Philolog. Capp. 3. 4. et 5. Saepius hae voces in membranis antiquis confunduntur. Vide Cel. Burm. ad Nemes. Ecl. 1, 51. Seren. Samon. 1018. Oudend. ad Caes. 5. B. Gall. 28. et alios. Ex Livio, in cujus Mstis id frequentissimum est, nullum addo exemplum. Sat multa inde laudavit Gronovius. Reliquas Gronovii emendationes, quarum partem Clericus, nihil monito lectore, in contextum recepit, adversus singularis codicis auctoritatem probandas non esse censeo, quum vulgata lectio commode defendi possit. Pro *convocatis itinerum ducibus* et *exponerent* legit *convocatos itinerum duces* et *exponere*; quod posterius etiam Crevierio placuit, et a Clerico in contextu admissum est. Et quidem *convocatos duces* conjecit, ne quis perperam jungeret *jussisset convocatis ducibus*, eoque exemplo abuteretur, ut probaret, verbo *jubere* casum tertium ab optimis scriptoribus addi; quam locutionem Livio indignam esse, toties testatus fuerat. Vide ad 27, 24, 3. Hac conjectura probata, necesse erat Gronovio, ut *exponerent* mutaret in *exponere*. Verum voces *convocatis itinerum ducibus* a verbo *jussisset* disjungendae, et absolute accipiendae sunt; quo sensu Perizonius ad Sanctii Minerv. 2, 4. pag. 180. accipi debere docuit locum Silii 12, 607.

Coelicolis raptim excitis, defendere tecta
Dardana, et in septem discurrere jusserat arces.

ubi vide, quae notavi. Pari modo consuli potest loco Justini 26, 1. *Cunctantibus privato periculo publicum finire, et deliberandi spatium postulantibus, arcessitis servis, jubet observari fores, tyrannoque nunciari.* Ubi Gronovius invitis iterum codd. malebat *arcessitos servos jubet observare fores, tyrannoque nunciare.* Praeterea *jussisset, exponerent*, pro ut exponerent, familiarem Livio ellipsin esse, vidimus ad 10, 41, 8. et 32, 16, 9.

Quam potissimum peteret, retulit ad consilium] Legendum est *qua:* ut *qua quisque ducturus esset;* nisi *viam* addere malimus, ut paullo post, *quod iter petiturus esset, ignarus.* SIG. Prima editio *quam potissimum peteret.* Sigonius corrigit *qua*, nisi, inquit, *viam* addere malimus. Immo non est addenda ea vox, quam Livius voluit intelligendo huc referri ex sequentibus: *Restabat aliquantum viae communis. quam peteret* dixit sine dubio intelligendo *viam*: ut in illo *qua ducturus esset*, sine dubio *via*. Est autem *petere viam*, legere viam: ut Virgil. 4. Georg. [8.] *sedes apibus statioque petenda.* Cicero lib. 3. ad Att. 8. *Ille incertus, ubi ego essem, fortasse alium cursum petivit.* J. FR. GRONOV. Liv. lib. 22, 2, 2. *Propiorem viam per paludem petit.* DUK. Sigonii conjectura Doujatio placuit; at rectius Gronovium vulgatum defendisse Crevierius censet; nisi quod vocem *viam* non ex sequentibus repetat, sed ex praecedentibus *qua*, nempe via, *quisque ducturus esset. Petere viam, iter*, recte dicitur. Ovidius 3. ex Pont. 2, 79.

6 tiſſimum peteret, retulit ad conſilium. Aliis per Pythium placebat via: aliis per Cambunios montes, qua priore anno duxerat Hoſtilius conſul: aliis 7 praeter Ascuridem paludem. Reſtabat aliquantum viae communis: itaque in id tempus, quo prope divortium itinerum caſtra poſituri erant, deliberatio 8 ejus rei differtur. in Perrhaebiam inde ducit, et inter Azorum et Dolichen ſtativa habuit ad conſulen- 9 dum rursus, quam potiſſimum capeſſeret viam. Per eosdem dies Perseus, quum adpropinquare hoſtem sciret, quod iter petiturus eſſet ignarus, omnes saltus

- - - *qua vos tamen urbe venitis?*
Quove parum fausta puppe petistis iter.

3. Art. Amat. 643.

Nomine quum doceat, quid agamus, adultera clavis,
Quasque petas, non det janua sola, vias.

ubi vide Celeberr. Burm. Valer. Flacc. 1, 91.

Accepere Deae, celerique per aethera lapsu
Diversas petiere vias.

Curtius 4, 12. *Ad itinera, quae hostis petiturus erat, occupanda praemisit.* Praeterea, quum antiquiores edd. exhiberent *ad conſilium*, Modius demum ad *concilium* dedit. At recte Gronovius priorem lectionem reduxit.

§. 6. *Per Pythium placebat via*] Ita Sigonius edidit, quem vide ad 42, 53, 6. Priores praeferunt *per Pythoum*.

§. 10. *Decem millia levis armaturae juvenum*] Crevierius vel delendam putat vocem *juvenum*, ut plane otiosam; vel in ea latere nomen gentis, quaecumque tandem illa sit: ut in altero praesidio, quocum Hippias dicitur juſſus tenere saltum ad Lapathunta, diserte exprimitur illud fuiſſe *duodecim millium Macedonum*.

§. 12. *Circa Dium stativa habuit*] Confer cum his Diodor. Sicul. in Exc. Peiresc. apud Vales. pag. 309. Mox *per litora*, pro *litore*, legit Crevier. et laudat locum Livii cap. 4. *Quum ad Dium per litora cum equitibus vagaretur rex.*

Nunc Heracleum, nunc Philam percurrebat] Ita Gronovius anno 1665. edidit, quum jam antea in prima ed. notarum sic legendum eſſe ad cap. 5, 13. monuiſſet. Similiter etiam vocatur apud Scylac. in Peripl. pag. 61. ubi πρώτη πόλις Μακεδονίας dicitur, et proxime ante Pydnam et Dium memoratur. Alia exempla laudavit Gronov. dicto loco. Antea hic edebatur *Heracleam*. Eodem modo Ἡράκλεια adpellatur apud Polyb. in Exc. Legat.

tus insidere praesidiis ſtatuit. In jugum Cambunio- 10
rum montium (Voluſtana ipſi vocant) decem millia
levis armaturae juvenum cum duce Asclepiodoto
mittit: ad caſtellum, quod super Ascuridem palu- 11
dem erat, (Lapathus vocatur locus) Hippias tenere
saltum cum duodecim millium Macedonum praesi-
dio juſſus. Ipse cum reliquis copiis primo circa 12
Dium ſtativa habuit. deinde, adeo ut obtorpuiſſe
inops consilii videretur, cum equitibus expeditis li-
tore nunc Heracleum, nunc Philam percurrebat, eo-
dem inde cursu Dium repetens.

III. Interim consuli sententia ſtetit eo saltu du- 1

num. 78. et *Heraclea* apud Plin. 4. Hiſt. Nat. 10. ad quem locum graviter offendit Harduinus, exiſtimans situm Heracleae, cujus Plinius ibi meminit, describi a Livio 36, 22, 5. *Sita est Heraclea in radicibus Oetae montis.* etc. quum tamen a Livio eo loco describatur Heraclea Trachiniae sive Trachin, memorata Plinio lib. 4, 7. Illam vero Heracleam, vel Heracleum, cujus hic Livius et Plinius 4, 10. mentionem faciunt, describit Liv. 44, 8, 9. *Heracleum abest a Phila quinque millia ferme passuum, media regione inter Dium Tempeque, in rupe amni inminente positum.* Amnis autem, ad quem Heracleum situm eſſe Livius ibi tradit, *Apilas* videtur vocari a Plinio 4, 10. quem Harduinus ibidem male confundit cum Asopo Livii 36, 22. ad Asopum enim sita eſt Heraclea Trachin. Ceterum, si Gronovius hic et aliis Livii locis recte emendavit *Heracleum*, forte etiam ita apud Plinium legendum eſt, ut et Ἡράκλειον apud Polyb. praesertim quum Polybium etiam alibi nomen iſtius urbis eo modo formaſſe Gronovius docuerit. Insuper Gronovius dicto loco malebat *intercurrebat*; de quo verbo v. ad 2, 29. 4. Ita *intercursus* 30, 11, 9. *Ut pedes Romanus repentino per turmas suas viam dantes intercursu stabilem aciem fecit.* Et *intercursare* 21, 35, 1. *Postero die, jam segnius intercursantibus barbaris, junctae copiae.*

§. 1. *Ubi propter Octolophum diximus regis castra. Praemitti tamen*] Locus mancus ita reſtitui poteſt: *ubi propter Octolophum diximus regis castra Philippi fuisse. Praemitti tamen.* Librarius enim oculos a *Philippi* transtulit ad *Praemitti* ob quandam similitudinem literarum: rem autem ita habuisse, intelligi poteſt ex l. 31, [36.] ubi de rege Philippo cum Quintio dimicante agitur. SIG. Sed Livius 31, 36, 6. non Philippum, verum Sulpicium, qui biennio ante T. Quinctium consul fuit, caſtra ad Octolophum habuiſſe scribit. DUK. Sigonii supple-

cere, ubi propter Octolophum diximus regis ca-
2 stra *. Praemitti tamen quatuor millia armatorum ad loca opportuna praeoccupanda placuit: quis praepositi sunt M. Claudius, Q. Marcius consulis
3 filius. confestim et universae copiae sequebantur. Ceterum adeo ardua et aspera et confragosa via fuit, ut praemissi expediti biduo quindecim millium passuum aegre itinere confecto castra posuerint: tur-
4 rim Eudieru, quem cepere, locum adpellant. Inde postero die septem millia progressi, tumulo haud procul hostium castris capto, nuncium ad consulem remittunt: *perventum ad hostem esse, loco se tuto et ad omnia opportuno consedisse; ut, quantum ex-*
5 *tendere iter posset, consequeretur.* Sollicito consuli, et propter itineris difficultatem, quod ingressus erat, et eorum vicem, quos paucos inter media praesidia hostium praemiserat, nuncius ad Ascuridem pa-
6 ludem obcurrit. Addita igitur et ipsi fiducia est, conjunctisque copiis, castra tumulo, qui tenebatur, qua aptissimum ad loci naturam erat, sunt adcli-
7 nata. Non hostium modo castra, quae paullo plus mille passuum aberant, sed omnis regio ad Dium et

mentum neque Doujatio, neque Crevierio satisfacit. Et quidem Doujatio, quin plura alia desint, dubium non est: Marcium enim consulem ad duodecimum a Dio milliare per invios montes transgressum in Macedoniam paullo post narrari: ab Octolopho autem ad Dium circiter centum ac viginti millia passuum numerari necesse esse. Crevierius vero observat, ex narratione rerum a Sulpicio adversus Philippum gestarum, quae obcurrit lib. 31. constare, Octolophum ad occiduum Macedoniae latus situm esse, et longe abfuisse ab Heracleo, et Phila, et Dio, quae prima Macedoniae oppida hic Marcio e jugis digresso obcurrunt: vel igitur duplicem locum fuisse, qui Octolophi nomen habuerit, alterum in Dassaretiis, alterum in finibus Perrhaebiae; vel hic mendum agnoscendum esse. Praeterea non quidem tentat ex-

Philam, oraque maris, late patente ex tam alto jugo prospectu, oculis subjicitur. Quae res accendit militi animos, postquam summam belli, ac regias omnes copias, terramque hostilem tam e propinquo conspexerunt. Itaque quum alacres, protinus duceret ad castra hostium, consulem hortarentur; dies unus fessis labore viae ad quietem datus est. tertio die, parte copiarum ad praesidium castrorum relicta, consul ad hostem ducit. 8 9 10

IV. Hippias nuper ad tuendum saltum ab rege missus erat: qui, ex quo castra Romana in tumulo conspexit, praeparatis ad certamen animis suorum, venienti agmini consulis obvius fuit: et Romani expediti ad pugnam exierant, et hostes. levis armatura erat, promptissimum genus ad lacessendum certamen. Congressi igitur extemplo, tela conjecerunt. multa utrimque vulnera temerario incursu et accepta, et inlata: pauci utriusque partis cecidderunt. Irritatis in posterum diem animis, majoribus copiis atque infestius concursum ab illis, si loci satis ad explicandam aciem fuisset: jugum montis, in angustum dorsum cuneatum, vix ternis ordinibus ar- 1 2 3 4

plere, quae desunt; credit tamen, regem, cujus hic mentio fit, potius Persea fuisse, quam Philippum. Editi ante Sigonium praeferunt *Octolopum*.

§. 2. *Quis praepositi sunt M. Claudius, Q. Marcius*] *et Q. Marcius* edidit Froben. anno 1535. quam scripturam omnes retinuerunt usque ad Gronovium. Is autem copulativam, quam non agnoscit prima editio, anno 1665. iterum expunxit.

§. 3. *Turrim Eudieri*] Graeca terminatione pro *Eudieri*. V. infra hoc lib. ad cap. 28, 7.

§. 4 *Concursum ab illis, si loci satis*] Forte *majoribus copiis atque infestius concurrissent, si loci satis ad explicandam aciem fuisset*. J. FR. GRONOV. Doujatius vulgatum tuetur, et *concursum* supplet per *esset*, vel huc revocandum censet verbum *fuisset* ex fine periodi, quasi bis positum foret.

5 matorum in fronte patuit. Itaque, paucis pugnantibus, cetera multitudo, praecipue qui gravium ar-
6 morum erant, spectatores pugnae ſtabant. levis armatura etiam per amfractus jugi procurrere, et ab lateribus cum levi armatura conſerere, per iniqua atque aequa loca pugnam petere. ac, pluribus ea die vulneratis, quam interfectis, proelium nocte di-
7 remtum eſt. Tertio die egere conſilio Romanus imperator: nam neque manere in jugo inopi, neque regredi sine flagitio, atque etiam periculo; sed cedenti ex superioribus locis inſtare hoſtis poterat:
8 nec aliud reſtabat, quam audacter commiſſum pertinaci audacia, quae prudens interdum in exitu eſt,
9 corrigere. Ventum quidem erat eo, ut, si hoſtem similem antiquis Macedonum regibus habuiſſet consul, magna clades accipi potuerit. sed, quum ad Dium per litora cum equitibus vagaretur rex, et ab duodecim millibus prope clamorem et ſtrepitum pugnan-

§. 6. *Ab lateribus cum levi armatura conſerere*] Hic aliquid vitii eſſe suspicor; quia *conſerere* solum pro *certamen*, *pugnam*, *manum conſerere* insolens eſt. Primum cogitabam, fortaſſis excidiſſe *manum* propter similitudinem literarum in voce *armatura*: sed hoc deinde repudiavi, quia hoc quoque, ut cetera, de iis dicitur, qui pede collato cominus et e propinquo pugnant, quod gravis armaturae eſt, non levis; quae procursando eminus miſſilibus rem gerit. 2, 30, 12. *Ubi ad manum venisset hostis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere.* Ibid. cap. 46, 3. *Pilis inter primam trepidationem abjectis temere magis, quam emissis, pugna jam in manus, jam ad gladios, ubi Mars est atrocissimus, venerat.* 21, 50, 1. *Romanus conſerere pugnam, et ex propinquo vires conferre velle.* 27, 16, 2. *Pilis tantum conjectis, prius paene, quam consererent manus, terga dedere.* Adde 28, 2, 5. 6. Unde *procul missilibus pugnam lacessere, missilibus pugnam eludere* et *pugnam conſerere* opponuntur. Vide 27, 18, 14. et 37, 16, 9. DUKER. Vocem vel *manum* vel *pugnam* excidiſſe, conjecit Crevierius.

§. 7. *Neque regredi sine flagitio, atque etiam periculo; sed cedenti ex superioribus locis in-*

tium audiret, nec auxit copias integros felſis submittendo, neque ipse, quod plurimum intererat, certamini adfuit: quum Romanus imperator, ma- 10
jor sexaginta annis, et praegravis corpore, omnia militaria munera ipse inpigre obiret. Egregie ad 11
ultimum in audacter commiſſo perseveravit: et, Popillio relicto in cuſtodia jugi, per invia transgressus, praemiſſis, qui repurgarent iter, Attalum et Misagenem, cum suae gentis utrumque auxiliaribus, praesidio eſſe saltum aperientibus jubet. ipse, equi- 12
tes inpedimentaque prae se habens, cum legionibus agmen cogit.

V. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina 1
jumentorum sarcinarumque. Progreſſis vixdum quatuor millia paſſuum nihil optabilius eſſe, quam redire, qua venerant, si poſſent. Hoſtilem prope tu- 2
multum agmini elephanti praebebant: qui, ubi ad invia venerant, dejectis rectoribus, cum horrendo

stare hostis poterat] Lege: *nam neque manere in jugo inopi, neque regredi sine flagitio atque etiam periculo, si cedenti ex superioribus locis instaret hostis, poterat.* Et sic quoque conjecerat Muretus. J. FR. GRONOV. Doujatius nihil mutandum censet; sed *τὸ poterat*, quod sequitur, retrahit etiam ad priora *manere* et *regredi*, ut pertineat tam ad imperatorem Romanum, quam ad hostem Persea. Sed praefero Gronovii et Mureti conjecturam.

§. 8. *Ne aliud restabat, quam audacter commissum*] *nec aliud stabat* ed. prima, pro quo mox Frob. anno 1535. emendavit *restabat*. Deinde vel *commissum* hic notat peccatum propter sequens *corrigere*, vel notat inceptum, inchoatum; ut mox hoc cap. *Egregie ad ultimum in audacter commisso perseveravit*. cap. 6, 14. *Supererat nihil aliud in temere commisso, quam in Macedoniam ad Dium per medios evadere hostes.* Ita *bellum prospere commissum* supra 8, 25, 5. *felici expeditione bellum commissum* 31, 28, 1. Vide Freinsh. Indic. Flori ea voce.

§. 11. *Popillio relicto in custodia jugi*] Si quis pertinaciter vulgatum defendendum exiſtimet, non adversabor. Non displicet tamen *relicto in custo-*

ſtridore pavorem ingentem, equis maxime, incutie-
3 bant, donec traducendi eos ratio inita eſt. Per proclive, sumto faſtigio, longi duo validi afferes ex inferiore parte in terra defigebantur, diſtantes inter
4 se paullo plus, quam quanta belluae latitudo eſt. in eos transversi incumbentes tigni, ad tricenos longi pedes, ut pons eſſet, injungebantur: humusque insuper
5 injiciebatur. modico deinde infra intervallo similis alter pons: dein tertius, et plures ex ordine, qua ru-
6 pes abscisae erant, fiebant. Solido procedebat elephas in pontem: cujus priusquam in extremum procederet, subcisis afferibus conlapsus pons, usque alterius initium pontis, prolabi eum leniter co-
7 gebat. alii elephanti pedibus insiſtentes, alii cluni-

diam jugi, id eſt, ideo relicto, ut jugum cuſtodiret, ut ei praesidio eſſet.

§. 5. *Inde tertius, et plures ex ordine*] *dein tertius* prima editio; quod Froben. anno 1535. mutavit in *deinde tertius*. Sed v. ad 3, 3, 6. Quum autem *deinde* praeceſſiſſet, eam ob cauſſam Modius permotus fuiſſe videtur, ut *inde tertius* ederet, quod recentiores omnes retinuerunt. At priscam lectionem nunc demum revocavi. Nam, *dein* poſt *deinde* inferri, non magis suspectum eſſe debet, quam si *deinde* poſt illud inferatur, apud Cic. 2. de Divin. 38. *Illud erat philosophi, totius augurii primum naturam ipsam videre, deinde inventionem, deinde constantiam.* et aliquoties 3. ad Famil. 7. *An ego tibi obviam non prodirem? primum Ap. Claudio? deinde, imperatori? deinde, more majorum? deinde, quod caput est, amico?*

Qua rupes abscissae erant] Frobenius *abscisae*. Et sane sic paſſim, ac fere ubique optimi atque antiquissimi codices; ut aut abolendum omnino sit *abscissus*, aut non tam membranas, quam rationem aliquam et aurem, decernere oporteat, ubi sit hoc aut illud ponendum. Itaque eo progreſſi sunt viri docti, ut fecerint *scindo*, *scidi*, *scisum*: nam et *abscidere* pro *abscindere* apud Plautum legi, et non mirum a σχίζω σχιδεῖν *scindo* et *scido* eſſe. Sed quantitas mediae in praeteritis oſtendit, duo verba fuiſſe *abscindo* et *abscido*. Sunt enim Virgilii [3. Aen. 418.] *Hesperium Siculo latus abscidit*, et Ovidii [1. Met. 22.] *terris abscidit undas*; et viciſſim Ovidii in 12. [Met. 362.] *Abscidit jugulo pectus*, et Senecae in Phoeniſſ. [193.] *vitae bona Projecit atque abscidit*, et Lucani lib. 4, 503.

Abscidit nostrae multum sors invida laudi.

bus subsidentes, prolabebantur. ubi planicies altera pontis excepiſſet eos, rursus simili ruina inferioris pontis deferebantur, donec ad aequiorem vallem perventum eſt. Paullo plus septem millia die Romani 8
proceſſerunt; minimum pedibus itineris confectum. plerumque provolventes se simul cum armis aliisque oneribus, cum omni genere vexationis, processerunt: adeo ut ne dux quidem et auctor itineris inficiaretur, parva manu deleri omnem exercitum potuiſſe. Nocte ad modicam planiciem pervene- 9
runt: neque, an infeſtus is locus eſſet, septus undique, circumspiciendi spatium fuit. vix tandem ex in- 10
sperato ſtabilem ad insiſtendum nactis locum poſtero quoque die in tam cava valle opperiri Popil-

(ut quidem in scriptis observavimus) et Martialis [3, 66.]

Abscidit vultus ensis uterque sacros.

Jam *rescindere decretum*, et *rescindere vulnus* Latini dicunt, non *recidere*: at *recidere sumtum*, non *rescindere*. Sic et *proscissam terram*. at *praecisum os*, et *percisos*, quod nolo dicere. J. FR. GRON. Doujatius hic malebat *abscissae*, quod in ed. Vascos. primum adparuit; nullam tamen sententiae rationem reddit. Eamdem lectionem defendendam censet Cl. Arntzen. ad Aurel. Vict. Epit. cap. 23, 3. quia *abscidere* adhibetur, si de parte aliqua corporis humani detruncata mentio fiat; *abscindere*, si de aliis rebus sit sermo, quae vi aliqua abrumpuntur. At vide, quae supra notata sunt ad 31, 34, 4. et Nic. Heinsium ac Burmann. ad Virg. 2. Georg. 23.

§. 6. *Solido procedebat elephas*] Sic recte Gronov. edidit: priores exhibent *praecedebat*; cui verbo hic locus non eſt. Saepe *procedere* et *praecedere* librarii in membranis commutarunt. V. ad 4, 32, 10. Epit. Liv. 13. 35, 34, 9. et alibi. Cauſſam vide ad 9, 10, 7.

§. 8. *Septem millia die Romani processerunt*] Forte *septem millia eo die*. J. FR. GRONOV. Doujatius et Crevierius vulgatum tuentur, quorum hic *die* exponit per diem, idque opponi putat τῷ *nocte*, quod sequitur paullo poſt. Non displicet tamen Gronovii conjectura *eo die*. Compendium ⊂, quo vox *millia* scribitur, ductibus parum differt a τῷ *eo*; unde etiam pro ⊃ *D* librarios perperam *eod*, vel *eodem* dediſſe, vidimus ad 31, 21, 2. Illa vero ductuum similitudo cauſſa eſſe potuit, cur vocula *eo* exciderit. Nolim tamen illud *eo* cum Clerico in contextum recipere, praesertim non monito lectore.

lium, ac relictas cum eo copias, neceſſe fuit: quos et ipsos, quum ab nulla parte hoſtis terruiſſet, lo-
11 corum asperitas hoſtiliter vexavit. Tertio die conjunctis copiis eunt per saltum, quem incolae Callipeu-
12 cen adpellant. quarto inde die per aeque invia, sed adsuetudine peritius, et meliore cum spe, quod nec hoſtis umquam adparebat, et mari adpropinquabant, degreſſi in campos, inter Heracleum et Libethrum

§. 12. *Tertio inde die per aeque invia*] *quarto* legendum; priore enim versu dixit *Tertio die conjunctis copiis eunt*, et supra *posteri diei* memineraat. SIG. Per notas scriptum fuerat *IV inde die*; nota autem *V* sollemni errore mutata eſt in binarii numeri notam *II*. Vide ad 37, 22, 4.

Quod nec hostis umquam adparebat] *usquam*; perspicue. SIGON. Paſſim vocabula illa a scribis commutantur. Vide ad 39, 31, 5. Poteſt tamen et vulgatum servari, ut *umquam* dicatur ratione totius diei et variarum ejus partium.

Digressi in campos] *degressi*: nam de descensu loquitur, non discesſu, ut supra. SIGON. V. ad 4, 17, 11.

Inter Heracetum ac Libethrum posuerunt castra] Scribe *Heracleum ac Libethrum*. Quod nomen urbis in hac hiſtoria fere semper corruptum eſt. Supra c. 2, 12. *Litore nunc Heracleum, nunc Philam percurrebat.* non *Heracleam*. Ubi vereor, ne Livius reliquerit *intercurrebat* propter ea, quae diximus ad 2, 29. Infra cap. 8, 8. *Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleum mittit.* Polybius de hoc ipso in fragmento apud Suidam: *Σημαία τάξις πολεμική, δι' ἧς τὸ Ἡράκλειον ἤλω.* Ubi monuit de eodem Livii loco Valesius. Cap. 9. 10. *Capto jam Heracleo.* Cap. 10, 5. *Cum classe ab Heracleo Thessalonicam profectus.* Cap. 35, 14. *Q. Fabium Maximum filium suum cum quinque delectis millibus Heracleum mittit.* Plutarchus in eadem re [in vita Aemilii Paulli pag. 263.] *κατεστρατοπέδευσε παρὰ τὸ Ἡράκλειον.* J. FR. GRON. *Heracetum* demum Modius edidit; corruptius priores *Haracetum;* quod recte Gronov. in *Heracleum* mutavit. V. ad cap. 2, 12. et c. 8, 8. Praeterea *Libetthyrum* prima ed. pro quo proximae *Libethrum* dederunt. Et quidem *Libethra* nomen eſt urbis, *Libethrum* vero fontis. Suidas. *Λείβηθρα ὄνομα πόλεως. Λείβηθρος δὲ ὀχητὸς ὑδραγωγικός.* Libethra urbs memoratur Pausaniae in Boeotic. cap. 30. *Ἐν τῷ Ὀλύμπῳ πόλις οἰκοῖτο Λίβηθρα, ᾗ ἐπὶ Μακεδονίας τέτραπται τὸ ὄρος.* Et quidem eſſe plurale neutrum, conſtat ex Conon. Narrat. 45. *Ἔφοιτα μὲν οὖν τακταῖς ἡμέραις ὡπλισμένον πλῆθος Θρακῶν καὶ Μακεδόνων ἐν Λιβήθροις, εἰς οἴκημα συνερχόμενον μέγατε καὶ πρὸς τελετὰς εὖ πεποιημένον.* An igitur etiam hic *Libethra* legendum sit, ju-

posuerunt castra peditum: quorum pars major tumulos tenebat. ii vallem, campi quoque partem, ubi 13
eques tenderet, amplectebantur.

VI. Lavanti regi dicitur nunciatum, hostes ad- 1
esse. quo nuncio quum pavidus exsiluisset e solio, victum se sine proelio clamitans proripuit; et, sub- 2
inde per alia atque alia pavida consilia et imperia trepidans, duobus ex amicis Pellam, alterum Ascle-

dicet lector. Fons tamen *Libethra* vocatur Melae 2, 3. et Plinio 4. H. Nat. 9.

§. 13. *Ii vallem, campi quoque partem*] Lege *ii vallem campique partem, ubi eques tenderet, amplectebantur*. Sic et Muretus. J. FR. GRONOV. Pro *ii* insuper legendum videtur *alii*. Nam ii, quorum pars major tumulos tenebat, vallem et partem campi amplecti non poterant. 6, 24, 11. *Magna pars et in ipso certamine, et post in fuga caesi; caeteri in castris*. 30, 24, 9. *Onerariae pars maxima ad Aegimurum* etc. *aliae adversus urbem ipsam ad Calidas Aquas delatae sunt*. Sallustius Jugurth. 57. *Pars eminus glande aut lapidibus pugnare, evadere alii, alii succedere*. DUK. Gronovio et Mureto adsentior, legendum esse *campique partem*. V. ad 5, 27, 1. Cum Clerico tamen ei in contextu locum dare non audeo.

§. 2. *Duobus ex amicis Pellam, alterum Asclepiodotum, ubi pecunia deposita erat*] Neque *Pella* viri est nomen, neque *Asclepiodotus* loci. Verba autem illa, *ubi pecunia deposita erat*, omnino sunt aliena. Possis existimare, post τὸ *trepidans* interjectum aliquid fuisse, quo narraret Livius, quod breviter innuit infra c. 10, 1. *Perseus tandem a pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto animo, malle imperiis suis obtemperatum non esse, quum trepidans gazam in mare dejici Pellae, Thessalonicae navalia jusserat incendi*: ejusque narrationis particulam esse illa, *ubi pecunia deposita erat*. Sed credo potius addidisse librarium, qui invenerat illud adscriptum voci *Pellam*, postquam in hanc transformatum verum nomen exstitit. Etsi enim hoc loco narrandum illud fuisset, tamen, intelligi ex postea narratis more suo Livium id maluisse, certum habeo. Est autem omnino scribendum: *et subinde per alia atque alia pavida consilia et imperia trepidans, duos ex amicis, Hippiam, alterum Asclepiodotum, ex praesidiis revocat. omnesque aditus aperit bello*. quam conjecturam suggerunt, quae habes in hanc rem cap. 2. et 7. Nec mirere: *duos ex amicis, Hippiam, alterum Asclepiodotum*: quasi non videremus, τὸ *alterum* esse repetendum. Scimus hoc posse alicui in mentem venire, sed nos id necessarium non esse judicamus. Solet auctor distributiones per voces *alter, pars, alii, plerique, partim, simul*, quae vulgo repeti solent, ita concipere, ut semel eas tantum ponat, de

piodotum, ubi pecunia deposita erat, ex praesidiis
3 revocat; omnesque aditus aperit bello. Ipse, ab
Dio auratis statuis omnibus raptim, ne praeda hosti
essent, in classem congestis, ocius demigrare Pyd-
4 nam cogit: et, quae temeritas consulis videri po-
tuisset, quod eo processisset, unde invito hoste re-
gredi nequiret, eam non inconsultam audaciam fe-
5 cit. Duos enim saltus, per quos inde evadere pos-
sent, habebant Romani: unum per Tempe in Thes-

quibus largiter ad l. 3, [37, 8.] et 35. et 36, [17, 9.] Sic et lib. 42, [65, 11.] *Quum et hoc et alio omni genere telorum pars vulnerata militum esset, nec facile jam arma fessi sustinerent.* Quod est perinde, ac si diceret: *pars fessi non facile arma sustinerent.* Valerius Maximus lib. 2, 5. *Quae cum viros suos clandestinis insidiis veneno perimerent, unius ancillae indicio protractae, pars capitali judicio damnatae, centum et septuaginta numerum expleverunt.* Tacitus lib. 2. Hist. [100.] *Ita accelerare legiones Cremonam, pars Hostiliam petere jussae.* J. FR. GRON. 31, 21, 13. *L. Valerio imperat, ut parte duarum legionum equites, alterâ sociorum equitatum in hostes emittat.* Ubi contra consensum MSS. editum erat *ut altera parte duarum legionum.* Non dubito, quin locus corruptus sit: eidem etiam Gronoviana emendatione commodum sensum, qui antea deerat, additum esse, certum est. Locum tamen persanatum esse, praestare nequeo. Quin contra persuasum est, locum mutilum esse, et ea excidisse, quae ipse Gronovius in initio adnotationis innuit. Ea reparari posse partim ex Livii cap. 10. partim ex Diodoro in Exc. Valesian. pag. 310. monuit Crevierius, et in hunc fere modum supplenda censet: *Duobus ex amitis, Niciam proficisci jussit Pellam, ubi pecunia deposita erat, et, quidquid ejus ibi nanciscereturi, in mare dejicere: alterum Andronicum misit Thessalonicam, ut navalia incenderet. Simul Hippiam et Asclepiodotum ex praesidiis revocat.* Ne enim calculum adjicere queam sententiae Gronovii, adfirmantis Livium ea ex postica narratis hic intelligi maluisse, efficiunt voces *Pellam* et *ubi pecunia deposita erat*; quas, iis, quae excidisse videntur, exponendis optime convenientes, ab indoctis librariis additas esse, mihi persuadere nequeo.

§. 3. *Auratis statuis omnibus* etc. *in classem congestis, ocius demigrare Pydnam cogit*] Non additur, quos Perseus Pydnam demigrare coëgerit. Intelligi incolas Dii cum omnibus familiis, constat ex Diodoro Sic. in Excerpt. Vales. pag. 310. Ὁ αὐτός, τοὺς Χρυσοῦς ἀνδριάντας ἀναστάσας ἐκ Δίου, πάντας τοὺς ἐκ τῆς πόλεως ἀναλαβὼν μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἀνεχώρησεν εἰς Πύδναν. An igitur et hic locus mutilus est, ac quaedam nobis verba perierunt? Aliter sub-

saliam, alterum in Macedoniam praeter Dium; quae utraque regiis tenebantur praesidiis. Itaque si dux 6
intrepidus decem dies primam speciem adpropinquantis terroris sustinuisset, neque receptus Romanis per Tempe in Thessaliam, neque commeatibus pervehendis eo patuisset iter. Sunt enim Tempe sal- 7
tus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis. nam praeter angustias per quinque millia, qua 8
exiguum jumento onusto iter est, rupes utrimque

currit Cl. Jac. Perizon. qui ad marginem Livii scribendum conjecit *demigrare Pydnam cogitat*: mox enim in fine cap. addi *ad Pydnam refugit*. Verum ita silet Livius, urbis Dii incolas Pydnam demigrare coactos esse: quod eum narrasse ex Diodoro verisimile fit.

§. 4. *Eam non consultam audaciam fecit*] Legendum *non inconsultam audaciam*. Nam contrarium temeritati quaerimus: praeterea supra eandem sententiam protulit [c. 4, 8.] *Nec aliud restabat, quam audacter commissum pertinaci audacia, quae prudens interdum in exitu est, corrigere*. Quam ergo ibi *prudentem audaciam*, hic *non inconsultam* vocavit, SIG. Probo Sigonii *non inconsultam*. Ipse nimirum Perseus ignavia sua. Muretus: *eam consultam inaudacia fecit*: ut apud Horat. [3. od. 20, 3. *inaudax*. J. FR. GRON.

§. 6. *Intrepidus decem dies primam speciem adpropinquantis terroris sustinuisset*] Non intelligo, quid sit *sustinere primam speciem terroris*. An forte legendum *prima specie adpropinquantis terrorem sustinuisset*? ut *terror adpropinquantis* sit, quem adpropinquans incutit, quo alius adpropinquantis causa adficitur. 9, 41, 6. *Tantum terrorem sui fecit, ut nomen omne Etruscum foedus ab consule peteret*. 36, 10, 3. *Ratus terrore caeterarum expugnatarum* (urbium) *non ultra in pertinacia mansuros*. Eodem modo *timor, metus hostium* 21, 56. et 36, 10. Mox voces *per Tempe in Thessaliam* huc inmigrasse ex §. praec. iisque nihil hic opus esse, existimat Crevierius. Mihi aliter videtur. Duorum saltuum, per quos Romani evadere possent, §. praec. Livius meminerat. Nunc de difficultatibus, quibus Romani impliciti fuissent, utro eorum se recipere conarentur, per partes agit: quum autem de difficultatibus, quae Romanis in Macedoniam praeter Dium inrumpere conantibus superandae erant, §. 14. agens, nominatim hunc saltum memoret; cur idem hic facere prohibendus sit Livius, ubi exponit difficultates ad alterum saltum, si nempe Romani per Tempe in Thessaliam se recipere vellent, me non videre profiteor.

§. 8. *Praeter angustias per quinque millia, qua exiguum jumento onusto iter est*] Parum descriptioni Livianae convenit illa Plinii 4. Hist. Nat. 8. *Tempe*

ita abscisae sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei
9 amnis. Hic locus, tam suapte natura infestus, per quatuor distantia loca praesidiis regis fuit inseſſus.
10 unum in primo aditu ad Gonnum erat: alterum Condylon castello inexpugnabili: tertium circa La-
11 pathunta, quem Characa adpellant: quartum viae ipsi, qua et media et angustissima vallis est, inposi-
12 tum, quam vel decem armatis tueri facile est. In-

vocantur quinque millium passuum longitudine, et ferme sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis adtollentibus se dextera laevaque leniter convexis jugis. ut et illa Aeliani 3. Var. Hiſt. 1. *Τὸ μὲν μῆκος ἐπὶ τεσσαράκοντα διήκει σαδίους, τόγε μὴν πλάτος, τῇ μέν ἐσι πλέθρου, τῇ δὲ καὶ πλεῖον ὀλίγῳ.* De longitudine inter omnes convenit; de latitudine diſſentiunt. Tantas eſſe anguſtias, *ut exiguum tantum jumento onusto iter sit,* auctor eſt Livius; at Plinio eſt *latitudo sesquijugeri*, Aeliano *alibi plethri*, *alibi paullo major.* Praeterea Livio *rupes utrimque ita abscisae sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit;* Plinio *dextera laevaque leniter convexa juga.*

Rupes utrimque ita abscisae sunt] Haec eſt principum edd. lectio. Primus deinde Vascos. dedit *abscissae*; quod secuti editores, servarunt usque dum Gronov. anno 1665. revocaret *abscisae*; quum jam antea in prima ed. notarum ad cap. 5. ita legendum eſſe monuiſſet. Vide, quae ibidem notantur.

§. 9. *Hic locus, tam suapte natura infestus*] Hoc non sollicito quidem, etsi non nihil ingratum eſt propterea, quod ſtatim sequitur *loca*; nam multa similia sunt in Livio: mallem tamen *Hic saltus.* Paullo ante, *Sunt enim Tempe saltus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis.* Asinius Pollio ad Cicer. 9. Epiſt. Famil. 31. *Saltus Castulonensis, etsi nunc frequentioribus latrociniis infestior factus est.* DUKER.

Praesidiis regis fuit insessus] *regiis* malebat Gronov. ad verba seq. quod etiam probat Crevier. Ita supra hoc cap. *Quae utraque regiis tenebantur praesidiis.* V. ad 32, 6, 6. Infra tamen obcurrit c. 9, 2. *Ignes ad Enipeum ex regis castris adparebant.* c. 26, 8. *Septuaginta quinque millia ab Axio flumine et castris regis aberant.* ad quae loca nihil viri docti monuerunt. c. 35, 11. *Quum loca non iniqua esse dicerent, praesidiis autem regis obsideri.* Hic Crevier. iterum conjicit *regiis.* 33, 11, 7. *Donis regis inminere credebant.* Ita unicus cod. pro quo ex conjectura datum eſt *regiis.*

§. 10. *Alterum Condylon ca-*

tercluso per Tempe simul aditu commeatibus, simul reditu, ipsi montes, per quos descenderant, repetendi erant. quod ut furto fefellerant, ita propalam, tenentibus superiora cacumina hostibus, non poterant: et experta difficultas spem omnem incidisset. Supererat nihil aliud in temere commisso, quam in Macedoniam ad Dium per medios evadere hostes: quod, nisi Dii mentem regi ademissent, ipsum ingentis difficultatis erat. Nam quum Olympi radices montis paullo plus quam mille passuum ad

13

14

15

stello inexpugnabili] Scribe *alterum ad Condylon*. Et intellige *praesidium* ex illo, *praesidiis regiis*. Sic enim, non *regis*. J. FR. GRON. Hanc conjecturam, non monito lectore, recepit Clericus. Posses forte *alterum in Condylo, castello inexpugnabili*; ut praepositionem *in* elisserit ultima litera vocis praecedentis. V. ad 10, 13, 3.

§. 15. *Paullo plus quam mille passuum ad mare relinquant spatium*] Potius *paullo plus quam mille passuum ad mare relinquant spatii*. J. FR. GRONOV. Hanc conjecturam Gronovii non modo probat Nic. Heinsius ad Vellej. Pat. 2, 110, 1. verum insuper voculam *quam* delendam censet. Si alterutra emendatio, vel *paullo plus spatii, quam mille passuum*, ut Gronovius, vel *paullo plus spatii, mille passuum, ad mare relinquant*, ut Heinsius legunt, Msti fide niteretur, eam admittendam putarem: utramque enim formulam loquendi probam esse agnosco. Nunc vero, quum vulgata lectio utrici codicis auctoritate firmetur, et non minus commoda sit, quam quod viri docti substituerunt, eam minime mutandam existimo. quid enim in hac locutione, *relinquant paullo plus, quam spatium mille passuum*, culpari possit, non video. Ut vero primum Heinsio respondeam, confiteor equidem, Livium saepissime post τὰ *plus, amplius, minus*, et similia omisisse particulam *quam*, et tamen eamdem constructionem adhibuisse, quasi eam addidisset. Exempla vide ad 31, 34, 7. et 41, 12, 8. Hinc etiam, si codices eo ducant, hanc, quam Livius toties captavit, elegantiam ipsi non invideo: inde tamen non sequitur, eumdem semper, et praesertim hoc loco, similiter loqui voluisse. In eamdem enim formulam Livium, vel quemcumque alium scriptorem, etiam invitis Mstis, ubique adigere, praeceps ac temerarium est. Certe innumeris apud nostrum locis post illas dictiones τὸ *quam* additur; quibus eodem jure, quo hic, expungi potest. Id tamen si quis tentare auderet, neminem consilium ejus probaturum confido. Quod autem ad Gronovii conjecturam, quam etiam Nic. Heinsius recepit, adtinet, neque eam admittendam arbitror. Nam *paullo plus spatii, quam mille passuum* elliptice dicitur, pro

mare reliquant spatium, cujus dimidium loci occupat ostium late restagnans Baphyri amnis, partem planiciae aut Jovis templum, aut oppidum tenet; 16 reliquum perexiguum fossa modica valloque claudi poterat, et saxorum ad manum silvestrisque materiae tantum erat, ut vel murus objici, turresque ex- 17 citari potuerint. Quorum nihil quum dispexisset caecata mens subito terrore, nudatis omnibus praesidiis, patefactisque bello, ad Pydnam refugit.

1 VII. Consul, plurimum et praesidii et spei cernens in stultitia et segnitie hostis, remisso nuncio ad Sp. Lucretium Larissam, ut castella, relicta ab

paullo plus spatii, quam spatium mille passuum, secundum ipsius Gronovii doctrinam lib. 1. de Pecun. Vet. 10. At *paullo plus, quam spatium mille passuum* aeque ellipticum est, pro paullo plus spatii, quam spatium mille passuum. Praeferendum igitur illud judicio, quod codex manu exaratus tuetur.

Ostium late restagnans Baphyri amnis] *Balyri* ed. prima, pro quo Frob. anno 1535. *Baphyri* reposuit. *Βήφυρος* vocatur Lycophr. in Cassandr. vers. 274. At *Βαφύρας* Pausan. in Boeot. 30. *Ῥεῖ δὲ καὶ ποταμὸς Ἑλικῶν ἄχρι σταδίων ἑβδομήκοντα πέντε, προελθόντι δὲ τὸ ῥεῦμα ἀφανίζεται τὸ ἀπὸ τούτου κατὰ τῆς γῆς. διαλεῖπον δὲ μάλιστα δύο καὶ εἴκοσι στάδια, ἀνεισὶ δὲ ὕδωρ ἀνθεῖς καὶ ὄνομα Βαφύρας ἀντὶ Ἑλικῶνος λαβὼν κάτεισιν ἐς Σάλασσαν ναυσίπορος.* ubi Sylburg. *Βαλύρας* legendum conjicit, quia hujus nominis fluvius memoratur apud eumdem Pausan. in Messen. cap. 33. Verum, ut ipse vidit, intervallum locorum huic conjecturae obstat. *Balyras* enim Peloponnesi fluvius est, *Baphyras* Macedoniae. Praeterea *Δῖον Πιερικὸν παρὰ Χεῦμα Βαφύρα* memorat Archestratus apud Athen. 7. c. 22. ubi vide Casaub. Hoc nomen restituendum videtur Ptolem. 3, 13. ubi inter Dium coloniam et Penei fluminis ostia memorantur *Φαρίβου ποταμοῦ ἐκβολαί*, pro quo, trajectis consonis, legendum videtur *Βαφύρου*.

Partem planiciei] Prima editio *partem planitiae aut Jovis templum, aut oppidum tenet.* Caesar. l. 1. de B. Civ. 43. *Erat inter oppidum Ilerdam et proximum collem, ubi castra Petrejus atque Afranius habebant, planitia circiter passuum trecentorum.* J. FR. GRON. *partem planiciae* non tantum prima, sed et omnes aliae edd. usque ad Francof. anni 1578. quae operarum culpa praefert *planicie;* id vero aperte falsum, non inspectis prioribus excusis, mox Modius mutavit in *planiciei.* Sed recte Gronov. *planiciae* revocavit. Ita Hirtius in B. Afric. 28.

hoſte, circa Tempe occuparet, praemiſſo Popillio ad explorandos transitus circa Dium, poſtquam patere omnia in omnes partes animadvertit, secundis caſtris pervenit ad Dium: metarique sub ipso templo, ne quid sacro in loco violaretur, juſſit. Ipse, urbem ingreſſus, sicut non magnam, ita exornatam publicis locis et multitudine ſtatuarum, munitamque egregie, vix satis credere, in tantis rebus sine cauſſa relictis non aliquem subeſſe dolum. Unum diem ad exploranda circa omnia moratus, caſtra movet: satisque credens, paratam frumenti copiam fore, eo die ad amnem nomine Mityn proceſſit. Po-

Consederat cum copiis rex loco natura munito, quod erat ipse excelsior; planicia ex omnibus partibus subjecta. c. 51. *E regione oppidi Uzitae, quod inter sua castra et Scipionis in planicia positum erat.* in B. Hisp 28. *Nulla planicia dividit.* Idem vocabulum hac forma apud Hygin. et Frontin. de Limit. et in veteri Inscript. quam Ursinus ad Caesar. locum laud. edidit, reperiri, teſtis eſt Vossius 3. Gramm. 35. Pari modo *segnitia* et *segnities* et alia duplici hac forma antiquis in usu fuiſſe, vidimus ad 31, 6, 5.

§. 16. *Et saxorum ad manum silvestrisque materiae tantum erat*] Ed. princeps *Thessalorum ad manum.* pro quo Frob. anno 1535. vulgavit *et saxorum ad manum.*

§. 17. *Quorum nihil quum dispexisset caecata mens subito terrore*] Forte *occaecata.* J. FR. GRON. V. ad 22, 34, 11. Apud Livium quidem *caecare* eo sensu nondum inveni, apud Ciceronem tamen aliosque saepius obcurrit: quare vulgatum damnare non audeo. Gronovii conjectura displicet etiam Doujatio.

§. 2. *Metarique sub ipso templo, ne quid sacro in loco violaretur, jussit*] Vulgatum sine auctoritate Mſti haud facile mutandum censeo: non displicet tamen *metatusque*, quod vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit.

§. 5. *Agassam urbem*] Falsi insimulare hunc locum facile possem, quod nulla illis in locis, quod sciam, eſt Agaſſa, ut *Pagausam* reſtituendum putem. TURNEB. 30. Advers. cap. 37. Video, quid sit apud Turnebum. At lib. 45, [27, 1.] habes *Ad Aeginium et Agassas diripiendas mittit: Agassas, quod, quum Marcio consuli tradidissent urbem, petita ultro societate Romana, defecerunt rursus ad Persea.* Sine dubio idem oppidum eſt. An voluit Turnebus *Pagasas?* J. FR. GRONOV. Si Turnebus *Pagasam*, vel *Pagasas* voluit, a vero aberravit. Pagasae enim urbs eſt Magne-

ſtero die progreſſus, Agaſſam urbem, tradentibus sese ipsis, recepit: et, ut reliquorum Macedonum animos sibi conciliaret, obsidibus contentus, sine praesidio relinquere se eis urbem, inmunesque ac
6 suis legibus victuros, eſt pollicitus. Progreſſus inde diei iter, ad Ascordum flumen posuit caſtra: et, quantum procederet longius a Theſſalia, eo majorem rerum omnium inopiam sentiens, regreſſus ad
7 Dium eſt; dubitatione omnibus exemta, quid intercluso ab Thessalia patiendum fuiſſet, cui pro-
8 cul inde abscedere tutum non esset. Perseus, contractis in unum omnibus copiis ducibusque, increpare praefectos praesidiorum, ante omnes
9 Asclepiodotum atque Hippiam: ab his dicere clauſtra Macedoniae tradita Romanis esse: cujus culpae reus nemo juſtius, quam ipse, fuisset.
10 Consuli poſtquam ex alto conspecta classis spem fe-

siae: at nunc Marcius Macedoniam ingreſſus ulterius processerat; et quidem, ut praecedentia et sequentia docent, ultra Dium, cujus situs notus eſt, urbs hic memorata inveſtiganda eſt. Ego nihil mutandum censeo. Non enim ob aliam cauſſam locus viris doctis suspectus fuiſſe videtur, quam quod urbis Agassae alibi mentionem fieri non repererint. Verum, si omnia nomina urbium aliorumve locorum in suspicionem mendae vocanda sunt, quod semel tantum apud priscos scriptores memorentur, innumeris adhuc locis monumenta veterum interpolanda erunt: praesertim ubi bella describuntur, in regionibus, quarum minima quaeque oppida et loca in tot bonorum scriptorum naufragio non ita nota sunt, gesta. Si quid tamen mutandum erit, vel hic nomen numero multitudinis, vel bis infra 45, 27. numero singulari proferendum esse puto; ad quem locum videbimus de conjectura Ortelii, *Tagassas* pro *Agassas* legentis.

§. 6. *Quantum procederet longius a Thessalia, eo majorem*] Scribe *quanto*, ut et Muret. J. FR. GRON. Emendatio Mureti et Gronovii, secundum quam *tà quanto* et *eo* adjunctum comparativum habentia componuntur, firmatur locis Livii 3, 8, 8. *Quum circumacto agmine redirent, quanto longius ab urbe ho-*

fecit, cum commeatu naves venire, (ingens enim caritas annonae ac prope inopia erat) ab invectis jam portum audit, onerarias naves Magnesiae relictas esse. Incerto inde, quidnam agendum foret, (adeo 11 sine ulla ope hostis quae adgravaret, cum ipsa difficultate rerum pugnandum erat) peropportune literae a Sp. Lucretio adlatae sunt: castella se, quae 12 super Tempe essent et circa Philan, tenere omnia, frumentique in iis et aliarum in usum rerum copiam inveniisse.

VIII. His magnopere laetus consul ab Dio ad 1 Philan ducit, simul ut praesidium ejus firmaret, simul ut militi frumentum, cujus tarda subvectio erat, divideret. Ea profectio famam haudquaquam se- 2 cundam habuit. nam alii, metu recessisse eum ab hoste, ferebant, quia manenti imperatori proelio dimicandum foret: alii ignarum, belli quae in dies 3 fortuna novaret; ut qui, obferentibus sese rebus,

stium abscederent, eo solutiore cura. 30, 30. *Quanto altius elatus erat, eo foedius conruit.* Similiter tamen *quantum* et *eo* componi solent, licet cuique earum vocum addatur comparativus. Ita 3, 15, 2. *Quantum juniores Patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contra tribuni tendebant.* Eodem casu etiam componi *quantum* et *tanto* constat ex illis, quae notantur ad 5, 10, 5. ubi de eo latius actum est. Hinc vulgatum *quantum* hoc loco servandum puto; in quo mihi adsentiuntur Dukerus et Crevierius.

§. 12. *Quae super Tempe essent et circa Philan*] *Philam* forma Latina hic et cap. seq. edidit Sigonius; quod a sequentibus editoribus repudiatum Hearne, ejusque exemplo Crevierius revocarunt. Ea forma etiam obcurrit supra 42, 67. et 44, 3. Nihilominus hic utroque loco prima ed. et reliquae Sigonio antiquiores *Philan* servant.

§. 2. *Manenti imperatori proelio dimicandum foret*] Cl. Crevierius vocem *imperatori* hic omnino otiosam putat. Idem judicabat Cl. Dukerus, cui hoc loco nec vim nec emphasin ullam habere videbatur.

§. 3. *Alii ignarum belli, quae in dies fortuna novaret*] Transposita videntur vocabula, quum

omisiſſet e manibus ea, quae mox repeti non pos-
4 sent. Simul enim ceſſit poſſeſſione Dii, excitavit
hoſtem, ut nunc tandem sentiret, recuperanda eſſe,
5 quae prius culpa omiſſa forent. Audita enim pro-
fectione consulis, regreſſus Dium, quae disjecta ac
vaſtata ab Romanis erant, reficit: pinnas moe-
nium decuſſas reponit, ab omni parte muros firmat:
deinde quinque millia paſſuum ab urbe citra ripam
Enipei amnis caſtra ponit; amnem ipsum, transitu
6 perdifficilem, pro munimento habiturus. Fluit ex
valle Olympi montis, aeſtate exiguus, hibernis idem

fuerit: *alii ignarum, quae belli indies fortuna novaret.* Aut saltem diſtinctio mutanda: *alii ignarum, belli quae indies fortuna.* J. FR. GRON. Non opus eſt, ut vocabula transponantur: sufficit diſtinctionem mutari. Pronomen relativum non semper in initio periodi poni, sed interdum poſt primam vel alteram vocem rejici, vidimus ad 28, 12, 13. Clariſſ. Perizonius ad oram Livii conjecit *alii ignarum belli, quaeque in dies fortuna novaret.* Non diffiteor, facile *tó que* a praecedenti *quae* elidi potuiſſe, cujus erroris exempla v. ad 39, 16, 13. minus tamen periculi in solius interpunctionis mutatione eſſe censeo.

Omisisset e manibus] Hoc usitatius dicitur *emittere.* 21, 48, 6. *Emissus hostis de manibus est.* 28, 42, 14. *Quem tum e manibus tuis in Italiam emisisti.* 35, 6, 10. *Hostes e manibus emissos.* Cic. pro Coelio 28. *Cur Licinium e manibus emiserit.* DUKER. 37, 12, 3. *Emissa de manibus res est.* Vide ad 22, 3, 10.

§. 6. *Et supra rupes ingentes gurgitibus facit, et intra prorupta*] Forte: *supra rupem ingentes gurgites facit, et infra prorutam in mare evolvendo terram.* J. FR. GRON. Doujatius, proposita hac Gronovii emendatione, teſtatur, sibi placere, *gurgites* pro *gurgitibus*, et *praerupta* pro *prorupta* reponi: cetera non displicere. Crevierius etiam Gronovii emendationem probat; cui et ego adhaereo. Scriptum fuerat *supra rupē ingentes*, vel etiam ultima litera vocis *rupem* exciderat ob primam syllabam sequentis vocis *ingentes*, quemadmodum mox his iisdem verbis *prorupta in mare* dederunt pro *prorutam in mare.* Vide ad 37, 29, 5. inde poſtea alii fecerunt *supra rupes ingentes*, praeſertim quum pro *gurgites* vel *gurgitis* sollemni scribarum errore datum esset *gurgitibus.* V. ad 22, 8, 7. Recte deinde *infra* legendum censet pro *intra*; id enim requirit praecedens *supra.* Saepe autem haec verba in Mſtis confunduntur. Vide ad 34, 50, 3. Denique optime *prorutam* emendavit pro *prorupta*; cujus vocis ultimam literam a sequenti vocula *in* eliſam eſſe, modo vidimus. *proru-*

incitatus pluviis: et supra rupes ingentes gurgitibus facit, et intra prorupta, in mare evolvendo terram, praealtas voragines, cavatoque medio alveo ripas utrimque praecipites. Hoc flumine Perseus septum 7
iter hostis credens, extrahere reliquum tempus ejus aestatis in animo habebat. Inter haec consul a Phi- 8
la Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleum mittit. abest a Phila quinque millia ferme 9
passuum, media regione inter Dium Tempeque, in rupe amni inminente positum.

IX. Popillius, priusquam armatos muris admo- 1

ta vero et *prorupta* innumeris locis commutantur. V. ad 4, 29, 3. Doujatii *praerupta* ideo minus placet, quod ad vocem *infra* commode *τὸ rupem*, ex praecedentibus retrahi potest. *supra rupem et infra*, scilicet rupem, ut apud Cic. 9. ad Famil. 26. *Supra me Atticus, infra Verrius.* 2. de Nat. Deor. 54. *Partes eae, quae sunt infra id, quod devoratur, dilatantur; quae autem supra, contrahuntur.* Eodem modo *cis Padum ultraque* Livius 5, 35, 4. *ante signa circaque* 9, 32, 1. *super theatrum circaque* 24, 39, 1. *alteros qui citra, alteros qui ultra quinquagesimum lapidem* 25, 5, 6. *intra eam, extraque* 31, 24, 9. *post me erat Aegina, ante Megara* Cic. 4. ad fam. 5. *uls et cis Tiberim* Varro. 4. de Ling. Lat. 22.

§. 7. *Septum iter hostis credens*] Melius fore *hosti* putat Crevierius. Ita Liv. locutus est 4, 25, 12. *Obseptum plebi sit ad honorem iter.* 9, 34, 5. *Haec plebi ad curules magistratus iter obsepsit.* 43, 1, 9. *Viam tot nationibus in Italiam aperiret.* Invito tamen unico cod. vulgatum non damno. Non minus enim rectum est *hostis*, quam *hosti.* Ita *arcis munitae expugnandae viam cernere* dixit Liv. 25, 11, 12. ubi etiam potuerat dicere *arci.* Similiter 41, 23, 9. *Viam regiae societatis quaeri*, non *societati.*

§. 8. *Heracleum mittit*] Ita etiam hic pro *Heracleam*, ut antea edebatur, emendavit Gronov. ad cap. 5. §. 12. Eum autem recte emendasse, aperte hic locus indicat. Sequitur enim mox *positum*; quod non habet, quo referatur, si *Heracleam* legimus. Si vero probamus *Heracleum*, eo referri potest *positum.* Nam licet omnia nomina urbium adjectiva generis sequioris adsciscere possint, possunt tamen etiam ejus generis haberi, cujus sunt vocabula similiter desinentia. Vide Vossium 3. Art. Gramm. 10. Hic locus effugerat indoctos librarios, qui, *τὸ positum* ad praecedens *Heracleum* referendum esse, non viderunt. Ceteroquin enim, quum *Heracleam* dedissent, emendassent etiam *posita*; quemadmodum mox cap. seq. *capta jam Hera-*

veret, misit, qui magistratibus principibusque suaderent, fidem clementiamque Romanorum, quam
2 vim, experiri mallent. nihil ea consilia moverunt, quia ignes ad Enipeum ex regis castris adparebant. Tum terra marique (et classis adpulsa ab litore stabat) simul armis, simul operibus machinisque, ob-
3 pugnari coepti. Juvenes etiam quidam Romani lu-

clea, pro *capto jam Heracleo*, subposuerunt.

§. 2. *Ex regis castris adparebant*] Vide ad cap. 6, 9.

§. 3. *Juvenes etiam quidam Romani*] Probabilis est conjectura Lipsii 1. Poliorc. 5. et Henr. Valesii in Fragm. Polybii e Suida, haec e Polybio descripta esse. DUKERUS.

§. 4. *Bestiis omnium gentium circum complendi*] Omnino videtur legendum *bestiis omnium generum*: ut parva mutatione locus restituatur. URSINUS. Ita Pompejus in theatri dedicatione inter varia alia spectacula Θηρίων πολλῶν καὶ παντοδαπῶν σφαγὰς ἐποιησε, sive *ferarum multarum et omnis generis venationes edidit*, apud Dion. Cass. 39, 109. Solent etiam voces *genus* et *gens* saepe a librariis commutari. V. ad 34, 17, 6. Hic tamen nihil mutandum esse, recte Doujatius vidit, ac monuit, in eo maxime versari ambitionem magistratuum Romanorum, Livii aetate ludos edentium, ut ex longinquis maxime regionibus conquisitas magno studio feras populo exhiberent; et huc pertinere inprimis Coelii ad Ciceronem epistolas complures, veluti 4. 8. 9. libri 8. Eodem pertinent querelae Petron. in Satyr. cap. 119.

Quaeritur in silvis Mauris fera, et ultimus Ammon
Afrorum excutitur. ne desit bellua dente
Ad mortes pretiosa suas, premit advena classes
Tigris, et aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum populo spectante cruorem.

Nec, semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horae tempus utrumque circulum complebat] Prima editio *utrumque curriculum*. Quod male profecto mutarunt. Non bene dici de desultore *curriculum* crediderunt, quod vocem acciperent, ut apud Tacitum 14. Ann. 14. *curriculo quadrigarum insistere*. Quasi non et *cursum* significaret saepe apud Plautum. Sed et scribendum existimo: *et semel quadrigis, semel desultore misso*. Non, inquit, ita multiplicabantur quadrigarum et desultorum missus, ut nunc: semel quadrigae mittebantur, dein exhibebantur desultores: et utrumque horum curriculum vix horae spatium complebat. Ut tamen producerent muneris tempus, varia alia conquirebant genera spectaculorum, in quibus erat illa *testudo*. *Curriculum* etiam conjecit Lipsius [1. Poliorc. 5.] J. FR. GRONOVIUS. Ita etiam citat Xylander ad Plutarchi Phocion. ubi vide plura de desultoribus in circo, item apud Valesium ad notas Mauslaci in Harpocrationem vo-

dicro circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac 4
effusione inducta beſtiis omnium gentium circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera: nec, semel quadrigis, semel desultore miſſo, vix unius horae tempus utrumque curriculum complebat. Inter cetera sexageni ferme juvenes, inter- 5

ce Ἀποβατης, et apud Salmas. ad Vopisci Carin. cap. 19. DUK. *curriculum* legunt primae edd. *circulum* demum adparuit in ed. Basil. anni 1539. Licet vero subinde Sigonius iterum *curriculum* reſtituerit, sequentes tamen editores *circulum* revocarunt: unde non tantum Lipsio loc. laud. sed et Ludov. Dorleans ad Taciti 12. Ann. pag. 632. occasio data eſt vocem *curriculum* denuo vindicandi: quorum judicio recte Gronov. calculum adjecit, ac docuit, *curriculum* hic notare cursum, quo sensu non tantum apud alios scriptores, sed apud Livium etiam usurpatur 45, 33, 5. *Spectaculo fuit ei, quae venerat, turbae non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, sed praeda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita.* Ceterum pro *nec semel quadrigis*, cujus loco *et semel quadrigis* Gronov. legendum censuit, Onuphr. Panvin. hunc locum ad partes advocans, 2. de Ludis Circens. 10. laudat *nam semel quadrigis.* Et ita legere voluiſſe videtur Dorleans ad Tacit. loc. laud. apud quem tamen operarum errore, ut videtur, nunc editur *nam quadriga semel desultore misso.* Alia ratione loco laboranti obcurrit Jac. Perizon. In margine enim cod. sui legebat *ac semel quadrigis;* vel mox voculam *vix* tollendam consebat. Ex his lector eligat, quod verius putet, modo illud *vix* salvum maneat. Invito enim codice integram voculam delere, nimis temerarium puto.

§. 5. *Interdum plures ab adparitoribus ludi armati inducebantur*] Praepositionem adjecit aliquis recentiorum. In prima editione non habetur, nec in priori Sigoniana, cui adscripserat Muretus *apparatioribus ludis.* J. FR. GRON. *apparatoribus* in his verbis citat Salmas. ad Lampr. Alexand. Sev. 53. Hoc non ratione analogiae, sed auctoritate scriptorum veterum defituitur. *apparitoribus* non poteſt ferri. DUK. Praepositionem prima adjecit ed. Lugd. anni 1553. unde accepit Paris. anni 1573. et hinc recentiores. Sed omnino cum viris doctis legendum eſt *interdum plures adparatioribus ludis.* Sunt autem *ludi adparatiores*, majori pompa exhibiti, magnificentiores. Cic. in Pison. 27. *Instant post hominum memoriam adparatissimi magnificentissimique ludi.* Liv. 27, 6, 19. *Ludos pro temporis ejus copia magnifici adparatus fecerunt.* ubi vide Gronov. Ita *adparatae epulae* sunt splendidae, opiparae. V. ad 23, 4, 3.

Elegantioris exercitii, quam militaris artis] Expunge vocem *artis*, quae non eſt Livii, et sensum obturbat. J. FR. GRONOV.

dum plures, adparitoribus ludi armati inducebantur. horum inductio in parte simulacrum decurrentis exercitus erat; ex parte elegantioris exercitii, quam militaris artis, propiorque gladiatorium armo-
6 rum usum. Quum alios decursus edidiſſent motus, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, ſtantibus primis, secundis submiſſioribus, tertiis magis et quartis, poſtremis etiam genu nisis, faſtigatam, sicut tecta aedificiorum sunt, teſtudinem
7 faciebant. Hinc quinquaginta ferme pedum spacio

Crevierius Gronovio adsentitur; at Perizonius in margine Livii, una voce transposita, legebat *elegantioris, quam exercitii militaris, artis.* Forte etiam in praecedentibus *inductio ex parte*, pro *in parte*, legendum eſt: quomodo *ex altera parte, ex altera* apud Cic. frequens eſt. Ita pro Mur. 20. *Quaestio peculatus ex altera parte lacrimarum et squaloris, ex altera plena catenarum atque indicum.* In Somn. Scip. 5. *Extrema ex altera parte graviter, ex altera acute sonent.*

Propiorque gladiatorium armorum usum] Ludov. Dorleans ad Tacit. 12. Ann. p. 632. legit *propiorque ad gladiatorum armorum usum.* Verum si ad ſtilum Livii adtendiſſet, praepositione *ad* non opus eſſe noviſſet, idque familiariſſimum Livio eſſe, ut voci *propior* vel *propius* jungat casum quartum. V. supra ad 2, 41, 11. Similiter conſtruitur *prope.* V. ad 6, 42, 10. et *proxime.* V. ad 1, 21, 1. Praeterea *usum armorum gladiatorum*, si codicis fide niteretur, non mutandum judicarem: solet enim Livius uni voci jungere duos genitivos, quorum alter ex altero pendet. Vide ad 25, 15, 11. Verum id, unico Mſto adversante, non captandum arbitror.

§. 6. *Quum alios decursus edidissent motus*] *edere decursus* et *edere motus*, nemo negabit recte dici. Sed quid eſt *edere decursus motus*, in quo *motus* haud dubie secundus casus eſt? Credo aliquid vitii subeſſe. Conjici poſſet *decursus edidissent et motus*, vel *decursu edidissent motus.* Hoc melius videtur: et ita descripsit ex hoc loco Lipsius 1. Poliorc. 5. DUKER. *decursu edidissent motus* conjecit etiam Doujatius, quod deinde probavit Crevierius. In vulgata lectione Clericus et Crevierius non *motus*, sed *decursus* pro genitivo habent.

Fastigatam, sicut tecta aedificiorum sunt, testudinem faciebant] *fastigiatam* ex ed. Sigonii adnotat Hearnius, et habent in his verbis Panvin. 2. de Lud. Circ. 10. et Lipsius dicto loco. Sed verum eſt *fastigatam.* V. Gronov. ad Livii 1, 38. et Perizon. ad Pompon. Mel. 1, 4. DUKER. *fastigatam* praefert ed. princeps; sed *fastigiatam* mox subſtituit ed. Frob. anni 1535. quod recentiores servarunt us-

distantes duo armati procurrebant, comminatique inter se, ab ima in summam testudinem per densata scuta quum evasissent, nunc velut propugnantes per oras extremae testudinis, nunc in media inter se concurrentes, haud secus quam stabili solo persultabant. Huic testudini simillima parti muri ad- 8
mota, quum armati superstantes subissent, propugnatoribus muri fastigio altitudinis aequabantur: depulsisque iis, in urbem duorum signorum milites transcenderunt. Id tantum dissimile fuit, quod, 9

que ad Gronov. qui anno 1665. priscam lectionem revocavit. Postea Clericus et Crevierius *fastigiatam* praetulerunt. Sed vide, quae notantur ad 37, 27, 7.

§. 7. *Hinc quinquaginta ferme pedum spatio distantes*] Primae edd. per notam legunt *Hinc L ferme pedum*. Modius deinde perperam iterata ultima litera primae vocis dedit *hinc CL ferme pedum*; quod ultima Gruteri reddidit *Hinc centum quinquaginta*. Gronovius tandem anno 1665. priscam lectionem reduxit, et vocem *centum* recte expunxit.

§. 9. *Quod, et in fronte extrema, et ex lateribus, soli*] Lego *in fronte, extremi*. Idque res clamat. LIPSIUS 4. epist. Quaest. 13. Similiter etiam in ora ed. Livianae emendandum conjecit Jac. Perizonius. Sed vulgatum mutare nulla nos cogit necessitas. *soli et in fronte extrema, et ex lateribus*, id est, soli illi milites, qui consistebant in fronte extrema hujus agminis, et ex utroque ejus latere. Per *extremam* autem *frontem* intelligo primam. Eo sensu *ultimus* pro primus poni, docuerunt viri docti ad Nepot. Attic. 1. et Vorst. ad Justin. 2, 1.

Praetecta pugnantium more] Forte *praetenta*. LIPSIUS 1. Poliorc. 5. *praetenta* nemini displiciturum puto. 38, 7, 10. *Intersepientibus cuniculum, ubi vellent, nunc ciliciis praetentis, nunc foribus raptim objectis*. Sueton. Claud. 10. *Praetenta foribus vela*. Ovid. 12. Met. 376. *praetentaque sustinet arma*. DUK. *praetenta* etiam legendum monuerunt Latinus Latinius, et Gronovius in prima ed. notarum. Doujatius hic alte dormitavit. Vulgatum enim *praetecta* retinet, idque exponit tecta ex anteriori parte, et ad praecedens *corpora* referri posse existimat. Sed vel tiro deprehendet, *praetecta* ad remotius *scuta* referendum esse. Non habebant scuta supra capita, sed eadem illa scuta habebant praetecta, ne, si supra capita elata haberent, corpora nudarentur. *Praetegere* verbum est optimae notae, quod inlustravit Broukhus. ad Prop. 3, 12, 12. id tamen hic commodo sensu ferri nequit: non enim scuta erant *praetecta*, sed praetegebant corpora. Nihil itaque restat, quam ut legamus *praetenta*. Verbum autem *praetendere* proprie esse militare, et de iis dici, qui pri-

et in fronte extrema, et ex lateribus, soli non habebant super capita elata scuta, ne nudarent corpora; sed praetecta pugnantium more. ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes laeserunt, et testudini injecta imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. Et consul, capto jam Heracleo, castra eo promovit; tamquam Dium, atque, inde submoto rege, in Pieriam etiam progres-

mo loco ante alios tendunt, hinc transferri a geographis ad loca, quae ante alia jacent, docet Cel. Burm. ad Valer. Flacc. 5, 167. quia autem, quae ante alia jacent, ea quasi tegunt, et tuta reddunt, hinc scuta hic dicuntur *praetenta* scilicet corporibus, quae corpora tegunt, et a vulnere ac telis hostium tuta praestant. Vide Nic. Heins. ad Ovidii 8. Met. 341. et 11. Met. 511.

Imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur] Istud *imbris in modum*, ut Sallustius loquitur, suspicio de mendo. Magis est, ut Livius scripserit *imbricis in modum*. Imbrex incurvum genus tegularum ad derivandam aquam. Isidorus [14. Orig. 8.] *Tegulae vocatae, quod tegant aedes: Imbrices, quod accipiant imbres.* Glossarius liber *Imbrex*, καλυπτήρ. Plautus et Sisenna. Frustra est vir doctus, qui confundit cum Festi *Ambrex*. Quod ad Livii sententiam, nil pote aptius. Semper illa coagmentatio et quasi contextus scutorum in testudine amat comparari cum aedium tectis. Plutarch. in Antonio [pag. 936.] *Τὸ δὲ σχῆμα παραπλήσιον ἐρέψει γινόμενον, ὄψιν τε θεατρικὴν παρέχει, καὶ τῶν προβλημάτων σεσανωτάτον ἐστὶ πρὸς οἴεσθαι ἀπολισθαίνοντας.* Quod ait *ὄψιν τε θεατρικὴν παρέχει*, non fuit vertendum, ut vulgus interpretum, *speciem theatri praebet.* Neque enim Plutarchus dixit, testudinem formam theatri referre; sed *ea forma tectis aedium non absimilis, et ludicri theatralis spectaculum praebet, et firmissimum munimentum est.* etc. Nam *ὄψις* hic *θέαμα*. Imo et testudinem hanc solent in circum inducere voluptatis caussa; et inde traducta res ad usum belli. Vide Livium proximis superioribus verbis diffuse explicantem. LIPS. 4. Epist. Quaest. 13. *imbricis in modum* legi aliquando volui. Sed nihil opus: et Ammianus quoque ab ista scriptura stat, qui, velut imbrem e tecto, delabi facit tela lib. 26, [8.] Tamen nec de *Imbrice* inepte. Et cum tegulari tecto comparat quicumque scriptor apud Suidam: *Κεραμωτόν, τακτικὴ διάταξις, ὅπερ ἐποίουν Ῥωμαῖοι ἐν παιδιᾶς μέρει. Tegulare, ordinis quaedam instructio, quod Romani faciebant in loco ludicri.* LIPSIUS 1. Poliorc. 5. Vulgatum adversus Lipsium defendit Juret. ad Paullini vitam B. Martini 3, 453. ut Hearnius monuit.

§. 10. *Capto jam Heraclea*] *capta jam Heraclea* primae edd.

surus. Sed, hiberna jam praeparans, vias commeatibus subvehendis ex Theſſalia muniri jubet, et eligi horreis opportuna loca, tectaque aedificari, ubi diversari portantes commeatus poſſent. 11

X. Perseus, tandem a pavore eo, quo adtonitus fuerat, recepto animo, malle, imperiis suis non obtemperatum eſſe, quum trepidans gazam in mare dejici Pellae, Theſſalonicae navalia jusſerat incendi. 1

sed *capto jam Heracleo* emendavit Gronov. ad cap. 5, 12. V. supra ad cap. 2, 12. et 8, 9.

In Piëriam etiam progressurus] Doujatius *in Piëriam* intelligit in Piëriam ulteriorem, sive borealem; Ptolemaeum enim ipsum Dium ponere in Piëria. At potius meminiſſe debuerat, quemadmodum aliis regionibus, ita etiam Piëriae non omni tempore eosdem terminos ab omnibus scriptoribus tribui. Nam Ptolemaeus quidem 3, 13. eam a Lydiae fluminis oſtio extendit ad Peneum, adeoque ad eam refert urbem Dium: verum Strabo, vel qui Strabonem in compendium redegit, ejus terminos flumina hinc Haliacmona, inde Axium memorat, et ita Dium ipsi eſt extra Piëriam. Ita enim inquit 7, 330. *Μετὰ τὸ Δῖον πόλιν ὁ Ἁλιάκμων ποταμός ἐσιν ἐκβάλλων εἰς τὸν Θερμαῖον κόλπον. καὶ τὸ ἀπὸ τούτου, ἡ πρὸς βορρᾶν τοῦ κόλπου παραλία Πιερία καλεῖται ἕως τοῦ Ἀξιοῦ ποταμοῦ.* Non eos autem Livium Piëriae terminos ſtatuere, quos Ptolemaeus, etiam ex aliis argumentis patet. Ptolemaeus enim, eam regionem extendens usque ad fluvium Peneum, agnoscere debuit, in ea sitam eſſe urbem Heracleum, quae tamen hic extra Piëriam eſt. Similiter infra cap. 20. narrat, regem Perseum Piëriam tenere, et tamen consulem ad ripas Enipei caſtra habere. Enipeus autem fluvius medio ferme spatio eſt inter Peneum terminum Piëriae secundum Ptolemaeum, et Haliacmona ejusdem terminum secundum Strabonem. Ex his patet, non tantum alios Piëriae terminos Ptolemaeum, alios Strabonem dediſſe, sed etiam Livium Strabonis sententiam secutum eſſe, et propterea recte ſtatuiſſe, Dium eſſe extra Piëriam.

§. 11. *Ubi diversari portantes commeatus possent*] Forte reponendum eſt *deversari*. V. ad 1, 51, 8.

§. 1. *Perseus, tandem pavore eo*, etc. *recepto animo, mallet imperiis*] Melius *a pavore recepto animo*. alibi, *Collecto a pavore animo*. Et [hoc lib. c. 13] *Collectis ex necopinato pavore animis*. Corrigo etiam *malle*, pro *mallet*, juxta notam figuram dicendi. SIG. Senec. Consol. ad Helv. cap. ult. *Huic parem virtutem exhibeas, opertet, et animum a luctu recipias*. Liv. 2, 50, 10. *Ut respirandi superior locus spatium dedit, recipiendique a pavore tanto animum*. An tamen potius legendum *tandē e pavore eo*? ut Livius loquitur in loco altero,

2 Andronicus, Theſſalonicam miſſus, traxerat tempus, id ipsum quod accidit, poenitentiae relinquens locum. incautior Nicias Pellae projiciendo pecuniae 3 partem, quod fuerat nactus: sed in rem emendabilem visus lapsus eſſe, quod per urinatores omne 4 ferme extractum eſt. tantusque pudor regi pavoris ejus fuit, ut urinatores clam interfici jusſerit; deinde Andronicum quoque et Nician, ne quis tam 5 dementis imperii conscius exsiſteret. Inter haec C. Marcius, cum claſſe ab Heracleo Theſſalonicam profectus, et agrum pluribus locis, expositis per litora

quem laudat Sigon. et ita 21, 5, 16. *Priusquam tanto ex pavore reciperent animos.*

§. 2. *Traxerat tempus, id ipsum quod accidit, poenitentiae*] Scabra oratio. Forte *traxerat tempus in id ipsum quod accidit.* Cessaverat imperio fungi usque ad diem, quo diversa jussus eſt, spatium scilicet dans regi in poenitentiam. J. FR. GRON. Ant. Perizonius margini Livii adscripsit, eo se nihil offendi, quod hic absolute dicatur *traxerat tempus.* At non puto Gronovium exiſtimaſſe, aliquid scabri illi locutioni ineſſe: eam enim probam et non infrequentem esse, docuit Cortius ad Salluſt. Jug. 27. Potius ei displicuisse videtur *id ipsum* absolute positum. Verum et illud non displicet Crevierio, qui *poenitentiae locum relinquens, id ipsum quod accidit* exponit, quod quidem ipsum accidit, nempe ut regem poeniteret. Ceterum Andronicus, qui hic tempus traxiſſe dicitur, ut poenitentiae regiae locum relinqueret, eo consilio mandata regia exsequi diſtuliſſe dicitur, quia se rem Romanis gratam facturum exiſtimabat, apud Diodor. Sicul. in Exc. Peiresc. apud Vales. pag. 310. Ἀνδρόνικον δὲ τὸν σωματοφύλακα ἐξέπεμψε εἰς Θεσσαλονίκην, συντάξας ἐμπρῆσαι τὰ νεώρια τὴν ταχίστην· ὅς γενηθεὶς τούτου φρονιμώτερος ἦλθεν εἰς Θεσσαλονίκην· οὐ μὴν ἐπάιηοε τὸ προσταχθὲν, νομίζων φίλιον τοῖς ὅλοις κρατεῖν Ῥωμαίοις.

§. 3. *Incautior Nicias Pellae projiciendo pecuniae partem, quod fuerat nactus*] Freinshemius [ad Flori 2, 12, 5.] *quod fugerat, nactus*, vel *pecuniae quod fuerat nactus*, expungendo *το partem.* Nec habeo meliora, nisi κατ' ἐπεξήγησιν accipias: *projiciendo pecuniae partem*, nempe omne id, *quod ejus fuerat nactus.* Ita infra [cap. 20.] *Partem, maxime qui ex Sicilia fuerint, domos suas abisse.* Caesar lib. 6. de Gall. [30.] *Pars in continentes paludes profugit, qui proximi oceano fuerunt.* Forte tamen *projiciendа pecunia raptim, quod fugerat, nactus*, iram scilicet Persei indignationem. J. FR. GRON. Et hic nihil mutat Crevierius, sed praefert Gronovii

armatis, late vaſtavit, et procurrentes ab urbe, secundis aliquot proeliis, trepidos intra moenia compulit. jamque ipsi urbi terribilis erat, quum, dispo- 6
sitis omnis generis tormentis, non vagi modo circa muros, temere adpropinquantes, sed etiam qui in navibus erant, saxis tormento emicantibus percutiebantur. Revocatis igitur in naves militibus, 7
omiſſaque Theſſalonicae obpugnatione, Aeniam inde petunt. quindecim millia paſſuum ea urbs abeſt, adversus Pydnam posita, fertili agro. Pervaſtatis fini- 8
bus ejus, legentes oram, Antigoneam perveniunt.

expositionem *κατ' ἐπεξήγησιν projiciendo pecuniae partem*, scilicet id *quod fuerat nactus*. Et id mihi quoque praeſtare videtur; nam sequitur mox *omne ferme extractum est*. Id autem non haberet, quo commode referri poſſet, si vel primam Freinshemii, vel ultimam Gronovii conjecturam reciperemus. Ceterum Livio consentiens Appianus ad pecuniam in mare projiciendam a Perseo miſſum *Niciam* vocat in Exc. Peiresc. p. 561. *Νικίαν καὶ Ἀνδρόνικον ἐπὶ τὸν καταποντισμὸν τῶν Χρημάτων καὶ τὸν ἐμπρησμὸν τῶν νεῶν ἐπεπόμφει*. At Diodor. eum vocat Niconem, et missum dicit Phacum ibid. pag. 310. *Νίκωνα μὲν τὸν Ϛησαυροφύλακα ἐξέπεμψε, συντάξας τὴν ἐν τῷ Φάκῳ γάζαν καὶ τὰ Χρήματα καταποντίσαι*, ad quem locum Vales. ex Liv. 44, 46. docet, gazam regiam Pellae servatam esse, non Phaci. Id etiam colligitur ex cap. 23, 9. *Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent*. Et ex Polyb. Exc. Legat. num. 85. *Τοὺς ἐπὶ τὰ Χρήματα παρόντας εἰς Πέλλαν ἐξέπεμψεν, ὡς ἐκεῖ παραληψομένους*.

Sed in rem emendabilem visus lapsus esse] Lego *sed in errorem emendabilem*. J. FR. GRON. Poſſes etiam *in re emendabili*. At *in errorem emendabilem lapsus*, ut *labi in servitutem*, de quo v. ad 3, 37, 2.

§. 4. *Andronicum quoque et Nician, ne quis* etc.] Appian. in Exc. Peiresc. p. 561. *Νικίαν καὶ Ἀνδρόνικον συνίσορας ἡγούμενος αἰσχροῦ φόβου καὶ ἑτέροις ἐλαγγέλλειν ἀπέκτεινεν ἀζημίως*.

§. 5. *Ab Heracleo Thessalonicam profectus*] *ab Heraclea* edd. ante Gronov. qui *ab Heracleo*, emendavit supra cap. 5, 12.

§. 6. *Saxis tormento emicantibus percutiebantur*] *percuterentur* legendum monuit Crevierius.

§. 7. *Aeniam inde petunt*] *Aenia* urbs eſt Perrhaebiae, quam Livius hic indicare non potuit. At *Aenea* eſt urbs Macedoniae, Theſſalonicae vicina, quam verisimiliter Marcius petiit, Theſſalonicae obpugnatione omiſſa. Legendum itaque puto *Aeneam*. Vide ad 40, 4, 9.

ibi, egressi in terram, primo et vastarunt agros passim, et aliquantum praedae contulerunt ad naves. 9 dein palatos eos adorti Macedones, mixti pedites equitesque, fugientes effuse ad mare persecuti, quingentos ferme occiderunt, et non minus ceperunt. 10 Nec aliud, quam ultima necessitas, quum recipere se tuto ad naves prohiberentur, animos militum Romanorum, simul desperatione alia salutis, simul in- 11 dignitate, irritavit. Redintegrata in litore pugna est. adjuvere et, qui in navibus erant. Ibi Macedonum ducenti ferme caesi; par numerus captus. Ab Antigonea classis profecta, ad agrum Pallenen- 12 sem exscensionem ad populandum fecit. Finium is ager Cassandrensium erat, longe fertilissimus omnis orae, quam praetervecti fuerant. Ibi Eumenes rex,

§. 3. *Nec minus, quam in altum magnitudine Atho mons, excurrit*] Livius et alii saepe dicunt, *linguas, promontoria, terras in altum eminere* et *excurrere*. Livius 36, 15, 8. *Excurrente in altum velut promontorio*. 37, 31, 9. *In altum lingua mille passuum excurrens*. Mela *projici* et *abire* dicit. 1, 7. *Promontoria vaste projecta in altum*. 2, 2. *Pallene tota in altum abit*. Hic tamen mihi suspectae sunt voces *in altum*, quia eas tam paucis interjectis repeti non modo plane ingratum, verum etiam non necessarium est. Nam *excurrit* solum satis erat. Liv. 26, 42, 8. *Ab intimo sinu peninsula excurrit*. Florus 2, 2, 19. *Clupea prima a Punico litore quasi arx et specula procurrit*. Mela 3, 1. *Lusitania primum ingenti impetu in altum abit*. etc. *Qua prominet, bis in semet recepto mari, in tria promuntoria dispergitur. Anae proximum quia lata sede procurrens*. Non *qua in altum prominet*, nec *in altum procurrens. magnitudine* quoque omnino supervacaneum est, nec quemquam alium ita locutum credo. Gatakerus 2. Advers. Miscell. 17. hunc locum Livii citans omisit *magnitudine*, et pro *Atho* habet *Athos*. Qui in nominativo *Atho* dixerint, non scio. Vossius 2. de Anal. 7. non videtur aliam, quam hujus loci, auctoritatem habuisse. DUKER. Doujatius existimat, Chersonesi Pallenensis longitudinem comparari cum altitudine montis Athonis, ut *in altum* hic notet in sublimitatem, quomodo *in altitudinem* dixit Liv. 28, 5. *Mons est in altitudinem ingentem cacuminis editi*. Et ita *altum* pro coelo poni, exemplis plu-

viginti tectis navibus ab Elea profectus, obvius fuit; et quinque missae a Prusia rege tectae naves.

XI. Hac virium accessione animus crevit praetori, ut Cassandream obpugnaret. Condita est a Cassandro rege in ipsis faucibus, quae Pallenensem agrum ceterae Macedoniae jungunt, hinc Toronaïco, hinc Macedonico septa mari. Eminet namque in altum lingua, in qua sita est: nec minus, quam in altum magnitudine Atho mons, excurrit, obversa in regionem Magnesiae duobus inparibus promontoriis; quorum majori Posideum est nomen, minori Canastraeum. Divisis partibus obpugnare adorti: Romanus ad Clitas, quas vocant, munimenta, cervis etiam objectis, ut viam intercluderet, a Macedonico ad Toronaïcum mare perducit. ab altera

ribus probat Nic. Heins. ad Nason. 1. Fast. vers. 109. Crevierius vocem *magnitudine* eliminandam putat: at mihi tres voces *in altum magnitudine* additae videntur a sciolo, qui montem hunc praecipuae altitudinis fuisse noverat; quum Livius potius longitudinem promontorii, quod efficit mons Athos, et promontorii Pallenes inter se comparasse videatur. Mecum Clariss. Dukerum sentire gaudeo. *Atho* primo casu alibi non inveni: at casu quarto 45, 30, 4. *Portus ad Toronem ac montem Atho.* casu tertio 44, 28, 6. *Insula est interjecta Eleae et Atho.* casu sexto ibid. §. 3. *Deductae naves in portum primum, qui sub Atho monte sunt.* Vide Nic. Heins. ad Virg. 1. Georg. 332.

Canastreum] *Canastraeum.* Nam Graece *Κανασραῖον.* SIG. V. ad 31, 45, 13.

§. 4. *Romanus ad Clitas, quas vocant*] Ita priores edd. Gruteri postrema admisit *ad Clytas*; quam scripturam male Doujatius servavit, licet interim Gronov. anno 1665. *ad Clitas* reposuisset, et ipse conjeciisset, locum a declivitate, aut ab obliquitate montium dictum esse, quasi *τὰ κλίτη*, (putat *κλίτη*) vel quasi claves *τὰς κλειδάς.* In verbis proxime praecedentibus forte legendum *obpugnare adorsi.* V. ad 35, 51, 8.

Cervis etiam objectis] Qui, qualesque essent *cervi* in re bellica, et in munimentis conficiendis, discere licet ex Julio Caes. lib. 7. B. Gall. [72.] de obsidione Vercingetoricis verba faciente, ubi ita scriptum reliquit: *duas fossas quindecim pedes latas, eadem altitudine perduxit, quarum anteriorem, campestribus et demissis locis, aqua ex flu-*

5 parte euripus est: inde Eumenes obpugnabat. Romanis in fossa complenda, quam nuper objecerat Perseus, erat plurimum laboris. Ibi quaerenti praetori, quia nusquam cumuli adparebant, quo regesta e fossa terra foret, monstrati sunt fornices: *non ad eamdem crassitudinem, qua veterem murum, sed sim-*
6 *plici laterum ordine, structos esse.* Consilium igitur cepit, transfosso pariete iter in urbem patefacere. fallere autem ita se posse, si, muros a parte alia scalis adortus, tumultu injecto, in custodiam

mine derivata complevit. post eas aggerem et vallum duodecim pedum exstruxit. Huic loricam pinnasque adjecit, grandibus cervis eminentibus ad commissuras pluteorum atque aggeris, qui adscensum hostium tardarent. et caetera, quae sequuntur. Ex quibus elicimus, fuisse *cervos* ligneos stipites, truncos seu cippos humi infixos ad hostium impetum retardandum, quod et Livius hoc loco confirmare videtur, inquiens munimentis a Romanis fabrefactis, et cervis objectis viam interclusam. Vocatos autem *cervos*, et ab aliis stipitibus differre arbitror, quod in supernis cacuminibus veluti bifurcati essent, et acuminati instar animalium cervorum cornua. Ita et *cervi* appellatae furcae, quae ad casae agresiis sustentationem figebantur, et eadem de causa. Unde Virgil. [(Ecl. 2, 29.]

Atque humiles habitare casas, et figere cervos.

Ita et a similitudine celeritatis animalis cervi fugientes servos *cervos* appellatos eadem ratione, docet Pomp. Festus. Idem et Varro refert lib. 4. de Ling. Lat. [30.] inquiens, cervos in castris a similitudine cornuum cervorum appellatos, quorum meminit et Tibull. 4, [1, 84.]

Qualiter adversos hosti defigere cervos.

Male enim, qui legunt *nervos.* namque verbum illud *defigere* quis non videt, *nervis* minime aptari posse? MARC. DONAT. V. Lipsium 2. Poliorc. 2. Ejusdem formae erant valli, quos describit Livius 33, 5. Vide ad 8, 38, 7.

§. 5. *Quia nusquam cumuli adparebant*] De voce *cumulus* vide ad 38, 7, 7.

Non ad eamdem crassitudinem, qua veterem murum] Scribo *qua vetus murus.* et paulo post, pro *structos esse, structi.* TURNEB. 29. Advers. 7. Turnebus *qua vetus murus*, deinde *structi:* at mihi placet, his manentibus, ut sunt, scribi: *monstratum est.* J. FR. GRON. Conjecturam Gronovii alteri Turnebi praeferendam puto. Posses etiam *monstrarunt*, pro *monstrati sunt*, eodem genere erroris, atque illa, quae plura congessi ad 23, 29, 16. *monstrarunt* autem sine addito nomine, de quo vide ad 34, 56, 11. Crevie-

ejus loci propugnatores urbis avertisset. Erant in 7
praesidio Cassandreae, praeter non contemnendam
juventutem oppidanorum, octingenti Agrianes, et
duo millia Penestarum Illyriorum, a Pleurato inde
missi, bellicosum utrumque genus. His tuentibus 8
muros, quum subire Romani summa vi niterentur,
momento temporis parietes fornicum perfossi urbem
patefecerunt. quod si, qui inrupere, armati fuis-
sent, extemplo cepissent. Hoc ubi perfectum esse 9
opus militibus nunciatum est, clamorem alacres

rius vulgatum tuetur: interpungit nempe post voces *monstrati sunt fornices* media distinctione: in sequentibus autem *ea veterem murum* et *structos esse* pendere putat a verbo *dicebant*, vel *dictum est* intellecto, ex sollemni more Livii: considerat autem sequentia tamquam verba addita ab iis, qui fornices monstrarunt, sed obliqua oratione a Livio prolata. unde etiam illa alio genere characterum excudi jussit. Ejus exemplum imitatus sum; quod certe tutius est, quam cum Clerico Gronovii conjecturam admittere.

§. 7. *Et M. Millia Penestarum Illyriorum*] *M M* scribe, id est *duo millia*. SIG. Ut Sigonius emendat, est in omnibus edd. excepta sola Basil. anni 1554. quae perperam *M. Millia* praefert. Observat autem Crevierius, Livium supra narrare 43, 23. Perseum ex Penestarum gente mille pedites, ducentos equites revocatos Cassandriam, praesidio ut esset, misisse. Id probare videtur, *eodem*, ut Gronovius ad verba sequentia conjicit, admitti non debere.

A Pleurato inde missi] Lege *et duo millia Penestarum Illyriorum, a Pleurato eodem missa*, vel *missi*. J. FR. GRON. Doujatius *inde* defendit adversus Gronovium, et exponit ex regione Penestarum Illyriorum. Crevierius vel Gronovii conjecturam probat, vel pro *inde* legit *deinde*.

§. 8. *Quod si, qui inrupere, armati fuissent*] Nullos irrupisse, satis constat ex cap. seq. Neque inermes id fuissent ausi, nisi si quos vitae taedium cepisset. Forte *qui irrumperent*. Hoc sensu: si praesto fuissent armati, qui irrumperent in urbem, extemplo eam cepissent. JAC. PERIZON. Doujatius conjicit *qui perrupere*, id est perfodere. Crevierius *qui perfodere*, vel *qui perrupere*. Vir doctus ad marginem ed. Curionis, *quod si qui irrumpere armati ausi fuissent*. Sed ante omnia Perizonii conjectura placet.

§. 9. *Aliis parte alia in urbem inrupturis*] Forte *tollunt, alii parte alia in urbem irrupturi*. J. FR. GRON. Satis commodam vulgatam lectionem existimo, quam sine codicis auctoritate non mutabo.

gaudio repente tollunt, aliis parte alia in urbem inrupturis.

1 XII. Hoſtes primum admiratio cepit, quidnam
2 sibi repentinus clamor vellet. poſtquam patere urbem accepere praefecti praesidii Pytho et Philippus, pro eo, qui occupaſſet adgredi, opus factum eſſe rati, cum valida manu Agrianum Illyriorumque
3 erumpunt: Romanosque, qui alii aliunde coïbant convocabanturque, ut signa in urbem inferrent, incompositos atque inordinatos fugant, persequunturque ad foſſam: in quam compulsos ruina cumulant. sexcenti ferme ibi interfecti, omnesque prope, qui inter murum foſſamque deprehensi erant, vul-
4 nerantur. Ita suo ipse conatu perculsus praetor, segnior ad alia factus consilia erat: et ne Eumeni quidem, simul a mari, simul a terra adgredienti,
5 quidquam satis procedebat. Placuit igitur utrique, cuſtodiis firmatis, ne quod praesidium ex Macedonia intromitti poſſet, quoniam vis aperta non pro-
6 ceſſiſſet, operibus moenia obpugnare. Haec parantibus his, decem regii lembi, ab Theſſalonica cum delectis Gallorum auxiliaribus miſſi, quum in salo

§. 2. *Pytho et Philippus Proeo, qui occupasset adgredi*] Abeat in malam rem iſte *Proco*. Scribe autem cum Freinshemio, *Pytho et Philippus pro eo, qui occupasset aggredi, opus factum esse rati*. J. FR. GRONOVIUS.

§. 3. *Inter murum fossamque deprehensi erant*] Ita demum exhibet ultima Gruteri ed. *deprensi* legunt priores. V. ad 2, 29, 4, Paullo ante *afferrent* ed. princeps, pro quo Frob. anno 1535. dedit *inferrent*. V. ad 2, 53, 1.

§. 7. *Ad Toronem classem adpulerunt*] Legendum vel *ad Toronen*, vel *ad Toronam* forma Latina. Oppidum enim *Torone* vel *Torona* dicebatur. Supra 31, 45, 15, *Superato Toronae pro-*

salo ſtantes hoſtium naves conspexiſſent; ipsi, obscura nocte, simplici ordine, quam poterant proxime litus tenentes, intrarunt urbem. Hujus novi 7
praesidii fama absiſtere obpugnatione simul Romanos regemque coëgit. circumvecti promontorium, ad Toronen classem adpulerunt. Eam quoque ob- 8
pugnare adorti, ubi valida defendi manu animadverterunt, irrito incepto Demetriadem petunt. Ibi quum adpropinquantes repleta moenia armatis vidissent, praetervecti ad Iölcon classem adpulerunt; inde, agro vaſtato, Demetriadem quoque adgreſſuri.

XIII. Inter haec et consul, ne segnis sederet tan- 1
tum in agro hoſtico, M. Popillium cum quinque millibus militum ad Meliboeam urbem obpugnandam mittit. Sita eſt in radicibus Oſſae montis, qua 2
parte in Thessaliam vergit, opportune inminens super Demetriadem. Primus adventus hoſtium percu- 3
lit incolas loci: conlectis deinde ex necopinato pavore animis, discurrunt armati ad portas ac moenia, qua suspecti aditus erant: spemque extemplo inciderunt, capi primo inpetu posse. Obsidio igi- 4
tur parabatur, et opera obpugnationum fieri coepta. Perseus, quum audisset, simul Meliboeam a consu-

montorio navigantes Acanthum petiere. Mela 2, 3. *Urbes Toronen et Physcellam atque, unde ipsi nomen est, Mecybernam incingit.* Idem error etiam infra eſt 45, 30, 4. Supra etiam 28, 7. bis *Toronem* ac semel *ab Torone* obcurrit; sed, ibi *Thronium* et *ab Thronio* legendum eſſe, inter viros doctos conſtat. *Toronen* hic quidem edidit Crevierius: at infra lib. seq. *Toronem* servat.

§. 8. *Eam quoque obpugnare adorti*] An forte *adorsi?* Vide ad 43, 18, 7.

§. 3. *Conlectis deinde ex necopinato pavore animis*] Praepositio *ex* exsulat ab edd. antiquiſſimis. Eam primus addidit Vascos. Et recte. V. ad c. 10, 1.

lis exercitu obpugnari, simul classem Iölci stare, ut inde Demetriadem adgrederetur, Euphranorem quemdam ex ducibus cum delectis duobus millibus Me-
5 liboeam mittit. eidem imperatum, ut, si a Meliboea submovisset Romanos, Demetriadem prius occulto itinere intraret, quam ab Iölco ad urbem
6 castra moverent Romani. Et ab obpugnatoribus Meliboeae, quum in superioribus locis repente adparuisset, cum trepidatione multa relicta opera sunt,
7 ignisque injectus. ita a Meliboea abscessum est. Euphranor, soluta unius urbis obsidione, Demetriadem extemplo ducit. nec tum moenia modo, sed agros etiam confiderunt se a populationibus tueri posse: et eruptiones in vagos populatores non sine
8 vulneribus hostium factae sunt. Circumvecti tamen moenia sunt praetor et rex, situm urbis contemplantes, si qua parte tentare aut opere aut vi possent.

§. 7. *Agros etiam confiderunt se a populationibus tueri posse*] Ita constanter praeferunt typis descripti: at Scioppio displicuit verbum *confiderunt* insolita forma; pro quo in Infam. Famiani pag. 42. *confidere* legendum censet. Contra Ol. Borrich. in Cogitat. pag. 289. vulgatum tuetur, ac docet, infinitivo more historicorum posito hic locum esse non posse, quia mox sequitur *et eruptiones factae sunt*, neque conjunctionem *et* similem distractionem pati. Addit insuper, *diffidi* pro *diffisus sum* pari modo dixisse Quinctil. Declam. 287. *Omnes dixissent, caussae patris diffidisset vir fortis.* Quem locum non integrum esse, ipsa orationis compositio docet: quare Gronovius quidem *diffidit vir fortis*, at Schulting. *diffidisse virum fortem* legendum conjecerunt. Aeque *confidi*, ac *confisus sum*, dici posse, ex uno hoc loco probat Vossius 5. Gramm. 26.

§. 9. *Per Cydantem Cretensem*] *Cydas*, *Cydam* edit. Itaque *Cydam Cretensem* inquit Cic. Philipp. 5, (5.) SIG. Etiam Cic. Philipp. 8, 9. *Ne suorum aliquis a Cyda, Lysiade, Curio condemnetur.* His omnibus tamen nondum evicit Sigonius, quemadmodum Cic. a *Cydas* formavit *Cydae*, ita Livium inde formare non potuisse *Cydantis.* Certe ita etiam supra est 33, 3, 10. *Quingenti Gortynii Cretensium duce Cydante, et trecenti Apolloniatae haud dispari*

Fama fuit, per Cydantem Cretensem et Antima- 9
chum, qui Demetriadi praeerat, tractatas inter Eumenem et Persea conditiones amicitiae. ab Demetriade certe absceſſum eſt. Eumenes ad consulem 10
navigat: gratulatus, quod prospere Macedoniam intraſſet, Pergamum in regnum abit. Marcius Figu- 11
lus praetor, parte claſſis in hiberna Sciathum miſſa, cum reliquis navibus Oreum Boeotiae petit, eam urbem aptissimam ratus, unde exercitibus, qui in Macedonia, quique in Thessalia erant, mitti commeatus poſſent. De Eumene rege longe diversa tra- 12
dunt. Si Valerio Antiati credas, nec claſſe adjutum ab eo praetorem eſſe, quum saepe cum literis arceſſiſſet, tradit; nec cum gratia ab consule profectum in Asiam, indignatum, quod, ut iisdem caſtris tenderet, permiſſum non fuerit. ne ut equites qui- 13
dem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret, im-

armatu se conjunxere. ubi Horrion malebat *Cydate.* Sed vide, quae ibi notavi. Hic igitur veterem scripturam *Cydantem* reduxi.

§. 10. *Gratulatus, quod prospere Macedoniam intrasset.*] Forte legendum *gratulatusque, quod prospere.* Facile autem copula *que* a sequenti vocula *quod* elidi potuit. Vide ad 21, 46, 5. 33, 42, 4. Similiter excidit ante vocem *qua.* Vide ad 23, 48, 12. ante *quem.* Vide ad 32, 21, 14. ante *quibus.* Vide ad 34, 49, 7. ante *quum.* V. ad 38, 40, 7. ante *quae.* V. ad 41, 2, 11. Poſſes etiam *gratulatum*, vel *gratulaturus, quod prospere Macedoniam intrasset: Pergamum inde in regnum.* Sed prius malo. Mox *abiit* demum inveni in ed. Paris. anni 1573. priores legunt *abit*; quod revocavi.

§. 11. *Oreum Boeotiae petit*] Utrum *Oropum Boeotiae*, an *Oreum Euboeae*? J. FR. GRON. *Oreum* defenditur ab ipso Livio 44, 30, 1. *Novi duces in provinciam venerant, consul Aemilius in Macedoniam, Octavius Oreum ad classem. Oropum* vero Atticae attribuit, non Boeotiae, 45, 27, 10. *Inde Oropum Atticae ventum est.* Etsi olim de eo loco certaverint Attici et Boeoti, ut discimus ex Strabone. JAC. GRON. *Oreum* recte defenditur ex cap. 30. non item, quod in Boeotia ponitur, quam alii omnes urbem Euboeae fuiſſe tradunt, et Livius ipse di-

petrari ab eo potuisse. Attalum fratrem ejus et remansisse apud consulem, et sinceram ejus fidem aequali tenore egregiamque operam in eo bello fuisse.

XIV. Dum bellum in Macedonia geritur, legati Transalpini ab regulo Gallorum (Balanos ipsius traditur nomen; gentis, ex qua fuerit, non traditur) Romam venerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratiae ab senatu actae, muneraque missa, torquis aureus duo pondo, et paterae aureae quatuor pondo, equus phaleratus, armaque equestria. Secundum Gallos Pamphyli legati coronam auream, ex viginti millibus Philippeorum factam, in

serte 28, 5. Si hic *Boeotiae* scripsit, non video, quomodo erroris absolvi possit. Sed puto veram esse alteram conjecturam J. Fr. Gronovii *Oreum Euboeae*; et *Boeotiae* scribis deberi, quos nonnullae utriusque vocis literae eaedem in errorem inducere potuerunt. DUKER. Omnes edd. vett. *petit*. Quum vero §. praec. operarum errore *abiit* pro *abit* datum esset, Gruterus etiam hoc loco in ultima ed. *petiit* reposuit; quum potius hic vulgatum *petit* servandum, §. praec. *abit* restituendum esse docere posset vox ejusdem §. *navigat*. Priscam igitur lectionem Livio reddidi. Ceterum in unico cod. legitur *Boetiae*. Facile autem ex *Oreŭ Euboeae* fieri potuit *Oreŭ Boetiae*.

§. 2. *Torquis aureus duo pondo*] Gronov. 1. de Pec. Vet. 7. pag. 36. legendum censet *torquis aureus duapondo*. *duapondo* autem et *trepondo*, quorum vocabulorum Quinctil. meminit 1. Instit. Orat. 5. pro *duas pondo* et *tres pondo* dici existimat; intellectu utrobique voce *libras*. Literam enim *s* primo pronunciando, mox etiam scribendo elisam esse, ut et in aliis vocibus factum est. Sed pluribus dicto loco videri potest.

§. 3. *Pamphyli legati*] Qui statis Pamphyliae hoc tempore ac deinde fuerit, exponit Norisius Cenotaph. Pisan. Dissert. 2. cap. 11. DUKER.

Coronam auream, ex viginti millibus Philippeorum factam] Non additur, utrum corona haec facta sit ex viginti millibus Philippeorum aureorum, an argenteorum; sive utrum aequaverit pretium viginti millium Philippeorum aureorum, an argenteorum. Quum tamen dicatur, *coronam auream*, et *ex viginti millibus Philippeorum factam* esse, verisimile est, intelligi Philippeos aureos. Verum ita immensa ac vix credenda pecuniae summa in hanc coronam impensa erit, partim si spectemus Pamphylos, qui obtulerunt, populum neque magnum neque divitem; partim si cum hac corona

curiam intulerunt: petentibusque iis, ut id donum in cella Jovis optimi maximi ponere, et sacrificare in Capitolio liceret, permissum. benigneque amicitiam renovare volentibus legatis responsum, et binûm millium aeris singulis missum munus. Tum ab rege Prusia, et paulo post ab Rhodiis, de eadem re longe aliter differentes legati auditi sunt. utraque legatio de pace reconcilianda cum rege Perseo egit. Prusiae preces magis, quam postulatio, fuere, profitentis, *et ad id tempus se cum Romanis stetisse, et, quoad bellum foret, staturum. Ceterum, quum ad se a Perseo legati venissent de fi-*

4 5 6 7

comparemus eas, quas alii obtulerunt. Si quilibet Philippeus aureus undenis florenis nostratibus aestimetur, viginti eorum millia efficient ducenta ac viginti millia florenorum. Jam autem Attalus rex Asiae, at quam potens ac dives! *coronam auream ducentûm quadraginta sex pondo* Romae per legatos in Capitolio posuit supra 32, 27, 2. Philippus Macedoniae rex *centum pondo coronam auream* 36,35,12. Alabandenses *coronam auream quinquaginta pondo* 43,6,6. Si vero libram auri aestimemus quingentis quinquaginta florenis Hollandicis, corona a Pamphylorum legatis Romae in cella Jovis posita vel septuaginta, et quod excurrit, millibus florenorum etiam Attali coronam superabit: quod nemini verisimile videbitur. Restat igitur, ut locum mendosum existimemus. Posset quidem reponi *ex X. ∞. Philippeorum.* Verum ita adhuc alterum tantum coronam Philippi regis Macedonum superabit. Forte igitur legendum *ex ∞ ∞ Philippeorum*, sive *ex duobus millibus:* ita tantum quinque florenorum millibus minor erit corona Alabandensium. Solent autem notae numerales *X* et ∞ in manuscriptis confundi. Vide ad 33, 14, 5.

§. 6. *Preces magis, quam postulatio, fuere*] Forte *Prusiae preces magis, quam postulata, fuere.* J. FR. GRONOV. Necesse non puto, ut invitis membranis vulgatum mutemus. Supra 8, 33, 10. *Non tam perpetuae orationes, quam altercatio, exaudiebantur.* ubi iterum Gronov. sine ullius cod. auctoritate *exaudiebatur*; quum pro recepta lectione stent optimi Mssti.

§. 7. *Petere, si possent* etc.] Hic quoque infuscati aliquid. Non dubium tamen, legendum *et petere*, si integra, quae praecedunt; nec fuerunt, *se iis pollicitum deprecatorem apud senatum futurum petere.* Illorum *se quoque* sensum video: se quoque admitti inter pacificatores, et partem gratiae in reconciliata pace ferre. Haereo nonnihil in verbis. Possis: *se*

niendo cum Romanis bello, et iis pollicitum deprecatorem apud senatum futurum; petere, si possent inducere in animum, ut finiant iram, se quoque in gratia reconciliatae pacis posse uti. haec regii legati.
8 Rhodii, superbe commemoratis erga populum Romanum beneficiis, et pene victoriae, utique de Antiocho rege, majore parte ad se vindicata, adjece-
9 runt: *Quum pax inter Macedonas Romanosque esset, sibi amicitiam cum rege Perseo coeptam. eam se invitos, nullo ejus in se merito, quoniam ita Romanis visum sit in societatem se belli trahere, inter-*
10 *rupisse. Tertium se annum multa ejus incommoda belli sentire. mari intercluso, inopia insulam premi, amissis maritimis vectigalibus atque commeatibus.*

quoque in gratia reconciliatae pacis uti ponerent. Ciceronis est *ponere in gratia*, vel *in gratiam*, lectum pluribus, quam satis intellectum. Est enim alicujus apud aliquem erga ipsum aut pro eo studium commemorare ac laudare. Coelius ad Ciceronem ep. 6. *Amabo, si quid, quod opus fuerit Appio, facies, ponito me in gratiam.* Hoc est, fac, sciat ille, quod ei praestiteris, etiam te mihi pro illo intervenienti dedisse, ut et ego hac re apud illum ineam gratiam. Lib. 5. ad Att. ep. 3. *Apud Lentulum ponam te in gratiam.* Significabo Lentulo, te pro illo mecum sollicite egisse. Eodem libro ep. 11. *Apud Patronem te in maxima gratia posui.* Quendi ei, quod desiderat, id te mihi vehementer commendasse. Lib. 6. ep. 1. *Lepta tua epistola gaudio exsultat: etenim scripta belle est, meque apud eum magna in gratia posuit.* Fidem ei fecit, me tecum de illo sic egisse, ut eum valde devinxerim. Epist. 6. *At te apud eum (Dii boni) quanta in gratia posui? eique legi literas non tuas, sed librarii tui.* Monitum Tullii est ad eundem lib. 2. ep. 25. *Cum aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum scire ex te, me id fecisse.* Hoc est, me ponas in gratia. Possis etiam deleta praepositione: *se quoque gratia reconciliatae pacis uti posse.* Foret enim *gratia uti*, ut *ambitione uti* apud Cic. 5. Fam. 20. *Sane moleste tuli, non illa beneficia tuae potius ambitioni reservata esse, quam meae, qui ambitione nihil uterer.* J. FR. GRON. De locutione *uti ambitione, gratia, pace* vide Gronov. 3. de Pec. Vet. 17. pag. 254. Idem Gronov. in priori ed. notarum ultima verba ita refingenda arbitrabatur, *se quoque in gratia reconciliatae pacis eos*

Quum id ultra pati non possent, legatos alios ad 11
Persea in Macedoniam misisse, qui ei denunciarent
Rhodiis placere, pacem eum componere cum Roma-
nis: se Romam eadem nunciatum missos. Per quos 12
stetisset, quo minus belli finis fieret, adversus eos
quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos
esse. Ne nunc quidem haec sine indignatione legi 13
audirive posse, certum habeo. inde existimari pot-
est, qui habitus animorum audientibus ea Patribus
fuerit.

XV. Claudius, nihil responsum, auctor est: tan- 1
tum senatusconsultum recitatum, quo Caras et Ly-
cios liberos esse juberet populus Romanus, literas-
que extemplo ad utramque gentem * scirent indi-

uti: quod exponit, se quoque illos adhibere tamquam medium, se quoque admitti ab illis inter pacificatores, et partem gratiae in reconciliata pace ferre. Hearnius autem testatur, Pithoeum etiam, expuncta praepositione, legisse *se quoque gratia reconciliatae pacis posse uti;* at vir doctus in margine ed. Curionis conjecit, *se quoque ea gratia reconciliatae pacis posse uti. petere se posse uti,* pro petere ut uti possit; de quo vide ad 37, 49, 1.

§. 8. *Majore parte a se vindicata*] Corrige *ad se vindicata.* SIGON. Optime Sigonius *ad se.* Sic lib. 3, [20, 1.] *Consularis officii partem ad se vindicabat.* Lib. 9, [43, 14.] *Si alterum exercitum utriusque victoriae compotem sinerent fieri, nec ad se sui belli vindicarent decus.* Cic. pro Rabirio repetund. [9.] *Perpetienda illa fuerunt, ut se aliquando ad suos vindicaret.* J. FR. GRON. De legatis Rhodiorum, partim Romam et ad consulem, partim ad Perseum destinatis, vide Exc. Legat. Polybii num. 86.

§. 10. *Inopia insulam premi, amissis* etc. *commeatibus*] Hinc Rhodii omnibus legatis hoc bello Romam missis mandarunt, ut frumenti exportandi facultatem a senatu impetrare conarentur. Vide Polyb. Exc. Legat. num. 73. et 80.

§. 1. *Caras et Lycios liberos esse*] Antiocho victo pars Cariae Eumeni, pars Rhodiis, et iisdem Lycia, paucis exceptis, data fuerat. 37, 55. 56. et 38, 39. Lycios a Rhodiis crudeliter habitos et bello vexatos fuisse, tradit Liv. 41, 6. et 25. sed eos sub ditione Rhodiorum mansisse o 42, 14. apparet. Victo Perseo jussi sunt praefectos ex Lycia Cariaque deducere. 45, 22. DUKER.

catum mitti. Qua audita re, principem legationis, cujus magniloquentiam vix curia paullo ante cepe-
rat, conruisse. Alii responsum esse tradunt, *Populum Romanum et principio hujus belli haud vanis auctoribus compertum habuisse, Rhodios cum Perseo rege adversus rempublicam suam occulta consilia inisse: et, si id ante dubium fuisset, legatorum paullo ante verba ad certum redegisse: et plerumque ipsam se fraudem, etiamsi initio cautior fuerit, detegere. Rhodios nuncio in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere: Deorum nutu arma sumturos positurosque Romanos esse. jam non Deos foederum*

Literasque extemplo ad utramque gentem scirent indicatum mitti] Scribe *ut scirent indicatum*. Causam enim affert, cur senatus jusserit, extemplo literas ad Caras et Lycios de libertate mitti, ut Rhodii, inquit, legati, qui id aegre laturi erant, scirent scriptum esse. SIGON. Gronovius hic tacet, ut vel in sententia Sigonii adquieverit, vel, quid melius reponendum foret, non invenerit. Mihi *ea ut scirent indicatum* displicet; neque tamen, quid eorum loco substitui debeat, subcurrit: nisi forte *literasque extemplo ad utramque gentem senatusque consultum mitti*. Vide Gronov. ad 40, 41, 10. Eamdem conjecturam etiam Crevierio in mentem veniisse video, nisi quod legerit *et senatusconsultum mitti*.

§. 3. *Principio hujus belli*] Ita demum ed. Basil. anni 1554. quod recentiores servarunt. Priores *ejus belli*.

§. 4. *Si id ante dubium fuisset, legatorum paullo ante verba*] Forte *si id adhuc dubium fuisset, legatorum paullo ante verba ad certum redegisse*. J. FR. GRON. Caussa, cur Gronovius vulgatum mutarit, fuisse videtur vocis *ante* repetitio. Potest esse, Livium, ut Gronovius conjecit, nobis reliquisse. Attamen vocis repetitionem non satis justam caussam esse, ut locus *mendae* suspectus fiat, supra vidimus ad 1, 3, 9.

§. 5. *Rhodios nuncio in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere*] An *nunciis?* ut ita per contemptum appellet legatos. J. FR. GRON. Crevierius vulgatum tuetur, et exponit nuncio per orbem terrarum misso, laudato hoc Ciceronis loco ex orat. pro L. Manil. cap. 5. *Tot civium Romanorum millibus uno nuncio atque uno tempore necatis*. Cl. Jac. Perizon. ad marginem Livii conjecit *Rhodios nunc in orbe terrarum*. ita ultimae literae voci *nuncio* adcreverunt ex sequentibus, *t orbe*, sive *in orbe*. Vulgatum *nuncio*, vel Gronovii *nunciis* non displicet: ut senatus Ro-

testes, sed Rhodios, habituros. Itane tandem iis 6
pareatur, exercitusque de Macedonia deportentur?
Visuros esse, quid sibi faciendum sit. Quid Rhodii 7
visuri sint, ipsos scire. Populum certe Romanum,
devicto Perseo, quod prope diem sperent fore, visu-
rum, ut pro meritis cujusque in eo bello civitatis gra-
tiam dignam referat. Munus tamen legatis in sin- 8
gulos binùm millium aeris missum est: quod ii non acceperunt.

XVI. Literae deinde recitatae Q. Marcii consu- 1
lis sunt, *Quemadmodum, saltu superato, in Mace-*
doniam transisset: ibi et ex aliis locis commeatus a 2

manus rideat confidentiam Rhodiorum, qui sibi persuadere possint, se nuncio vel nunciis impetraturos, quod conscripto exercitu erat obtinendum. Vell. Pat. 2, 50. *Festinationem itineris ejus aliquamdiu morata Massilia est, fide melior, quam consilio prudentior; intempestive principalium armorum arbitria captans, quibus ii se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt.* Ubi Cel. Burmann. locutionem *arbitria belli pacisque agere* inluftravit duobus locis Juftini 5, 2. et 22, 2. quibus adde Tacit. lib. 12. Ann. 60. *C. Oppius et Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare.* Id *pacis ac belli modum facere* vocat Livius 9, 14, 5. *Vanissimam increpans gentem, quae, suarum inpotens rerum domesticis seditionibus discordiisque, aliis modum pacis ac belli facere aequum censeret.*

*Deorum nutu arma sumturos posituros*que] Optime Jac. Perizon. ad marginem Livii conjecit *eorum nutu*. Librarios has voces in Mftis commutaffe, supra vidimus ad 29, 11, 6. Similiter, vel etiam *Rhodiorum*, legendum conjecit Crevierius.

§. 6. *Itane tandem iis pareatur*] In his verbis, vix sensum commodum video. Idem etiam de se teftatur Cl. Dukerus. Parva emendatione ac mutata interpunctione non male subcurrere videtur Cl. Crevierius, legendo *Itane tandem? Ni pareatur, exercitusque de Macedonia deportentur, visuros esse, quid sibi faciendum sit?* et monet, ultima verba ex oratione Rhodiorum desumta hic per inrisionem repeti. Reliqui omnes interpretes hoc loco silent.

§. 2. *Et ibi et ex aliis locis*] Prius *et* abeft ab edd. primis, et demum comparuit in ed. Paris. anni 1573. quod sensus respuit, et neglegentia operarum ex ultimis literis praecedentis vocis *transisset* adscitum videtur. Ex contextu igitur ejeci. Mecum sentiunt viri Cl. Dukerus et Crevierius.

praetore prospectos in hiemem habere, et ab Epirotis viginti millia modiûm tritici, decem hordei sumsisse: ut pro eo frumento pecunia Romae legatis eo-
3 *rum curaretur. Vestimenta militibus ab Roma mittenda esse: equis ducentis ferme opus esse, maxime Numidis: nec sibi in his locis ullam copiam esse.*
4 Senatusconsultum, ut ea omnia ex literis consulis fierent, factum est. C. Sulpicius praetor sex millia togarum, triginta tunicarum, et equos deportanda in Macedoniam, praebendaque arbitratu consulis locavit, et legatis Epirotarum pecuniam pro fru-

Commeatus rempublicam prospectos in hiemem habere] Vox *rempublicam* vitiosa est. Saepe autem, admonui, quam facile et quam saepe lapsi sint librarii in his vocibus *P. R.* et *R. P.* et *PR.* id est *populus Romanus, respublica, praetor* inversis, aut disjunctis, aut conjunctis, contra quam opus erat, literis. Hoc ergo loco idem vitii est. pro *rempublicam* restituendum est *a praetore:* praetorem autem intelligit C. Marcium Figulum classis praefectum, cui commeatus cura erat tradita. Itaque paulo ante dixerat [cap. 7, 10.] *Consuli postquam ex alto conspecta classis spem fecit cum commeatu naveis venire.* SIG. Vestigiis Sigonii insistens Doujatius legendum censuit *commeatus praetorem prospectos in hiemem habere.* Solere autem voces *PR.* et *R. P.* sive *praetor* et *respublica* a librariis confundi, vidimus ad 31, 4, 7. Utrum tamen is error hoc loco commissus sit, admodum dubito; quia, praetorem prospiciendis commeatibus aliquid contulisse, ex superioribus non adparet. Nam consul, praetorem cum classe adventantem conspiciens, spem quidem concepit, naves cum commeatu venire, ut supra c. 7. loco a Sigonio laudato Livius dixit; verum spes illa fefellit: nam addit Livius, eum ab invectis jam portum audisse, onerarias naves Magnesiae relictas esse: contra vero, quum ad summas annonae angustias adactus esset, literas a Lucretio adlatas esse, se in castellis expugnatis frumenti copiam invenisse: hinc consulem eo movisse, ut militi frumentum divideret. expugnato deinde Heracleo, jussisse, vias commeatibus subvehendis ex Thessalia muniri, et horreis opportuna loca eligi, cap. 9. Unde patet, commeatus terrestri itinere ad hiberna consulis subvectos esse, non vero opera praetoris C. Marcii Figuli praefecti classis; qui post captum Heracleum cum classe profectus oram Macedoniae maritimam infestavit, et subinde exscensione facta varias urbes frustra tentavit. Vide c. 10. 11. et 12. Locum tamen non integrum puto, cui qua ratione medendum sit, ulterius cogitandum est.

mento solvit; et Onesimum, Pythonis filium, nobilem Macedonem, in senatum introduxit. Is pacis 5
semper auctor regi fuerat, monueratque, sicut pater ejus Philippus institutum usque ad ultimum vitae diem servabat, quotidie bis in die foederis icti cum Romanis perlegendi; ut eum morem, si non semper, crebro tamen usurparet. Postquam deter- 6
rere eum a bello nequiit, primo subtrahere sese per alias atque alias causas, ne interesset iis, quae non probabat, coepit: postremo, quum suspectum se esse cerneret, et proditionis interdum crimine

Ut pro frumento pecunia Romae] Ita major Jac. Gronovii editio; sed verisimiliter operarum culpa. Minor enim anni 1678. praefert *pro eo frumento*, ut est in omnibus prioribus; nisi quod editio Sigonii, quae post mortem ejus prodiit Venet. 1592. itidem pronomen *eo* omittat. Eumdem errorem postea adoptarunt Doujatius et Clericus; sed emendarunt Hearnius et Crevierius.

§. 3. *Equis CC ferme opus esse*] *CC* numerus Manutio est suspectus, et ∞ reponit; ut mille equis opus esse scribat. SIGON. Notas illas numerales *CC* et ∞ a librariis commutari, vidimus ad 35, 35, 4. At Doujatius judicat, forte *ducentorum* numerum sufficere, quia tantum agitur de equis ad priorem numerum adjiciendis. Adde, tantum agi de supplemento equorum maxime Numidarum.

§. 5. *Is pacis semper auctor regis fuerat*] Scribe *regi*. Sic enim Latina locutio postulat. SIGON. 7, 23, 4. *Auctor Patribus scribendi alterius exercitus*. 23, 41, 2. *Hanno auctor rebellionis Sardis*. 45, 26, 5. *Universae genti auctores desciscendi ab Romanis*. Verum non aliter legunt edd. principes, et *regis* demum operarum errore receptum est in Basil. anni 1554. Mox pro *servabat* legendum videtur *servarat*. Nam Philippus mortuus non amplius *servabat*.

Quotidie bis in die foederis icti cum Romanis perlegendi] Alterutrum, vel *quotidie*, vel *in die*, abesse potest: in quo mihi consentiunt viri Cl. Dukerus et Crevierius. Forte autem delendum est *quotidie*, ac legendum *in diem*; ex cujus interpretatione, olim margini adscripta, et postea in contextum recepta, natum est illud *quotidie*. Ita 31, 29, 15. *Natura enim, quae perpetua est, non mutabilibus in diem caussis, hostes fiunt*. Posses etiam *in dies*, ut vocis *dies* litera ultima excideret ob initialem sequentis. Vide ad 4, 33, 11. Perpetuam enim non esse differentiam, quam inter *in diem* et *in dies* Valla statuit, vidimus ad 21, 11, 11. Et ita 38, 37, 3. *Feritas inmanium barbarorum, incertusque in dies terror*.

insimulari, ad Romanos transfugit: magno usui
7 consuli fuit. Ea introductus in curiam quum memoraſſet, senatus in formulam sociorum eum referri juſſit: locum, lautia praeberi: agri Tarentini, qui publicus populi Romani eſſet, ducenta jugera dari, et aedes Tarenti emi: uti ea curaret, C. Deci-
8 mio praetori mandatum. Censores censum Idibus

§. 6. *Transfugit: magno usui consuli fuit*] Ita editio princeps. Proxima et sequentes dederunt *magnoque usui*. Gronovius demum anno 1665. omnesque poſtea recentiores copulam ejecerunt, quae tamen neceſſaria videtur. An igitur legendum *et magno usui?* ut vocula *et* intercepta sit ab ultimis literis praecedentis. Vide ad 9, 41, 10. Mox §. seq. perperam ed. princeps *locum, lautiam praeberi*, pro quo proxima *lautia*.

§. 8. *Tribunus plebis eos violenter accuſaret*] *accuſarat* perspicue. SIGON. *accuſarat* inveni in omnibus edd. ante Sigonium, praeterquam in Bas. anni 1554. ubi neglegentia operarum datum eſt *accuſaret*.

Tribu quoque is motus, et operarius factus ad opera publica faciendu. Quum eis dimidium ex vectigalibus ejus anni adtributum] Censores variis poenis animadvertiſſe in illos, quos nota afficiebant, legimus. Namque equum adimebant quandoque, scilicet quem ei e publico in bellicos usus assignatum habebat; vel tribu movebant, hoc eſt, e honeſtiore tribu in minus honeſtam transferebant, uti ex ruſtica in urbanam, vel ex ruſtica in ruſticam, quod docet Livius [45, 15.] ubi de Claudio Censore. Nam in urbanam tribum transferri ignominiosum erat, ut teſtatum reliquit Plinius 18, 3. praeterea in Ceritum tabulas referebant, hoc eſt suffragio spoliabant. Ad haec aerarium faciebant, id eſt, (si Paediano credimus [ad Cic. Divin. cap. 3.]) nullum aliud civitatis jus relinquebant in centuria, atque adeo in tribu, quam ut pro capite suo aes penderent. Senatores etiam aliquos notabant, et senatu amovebant. Haec tantum censoriae poenae genera ex hiſtoriis recentiores adnotarunt. Addimus nos, hoc Livii loco moniti, sextum genus, quod erat operarium facere ad opera publica facienda: scilicet, ut pecunias solverent in opera publica impendendas, hoc eſt, solvendas illis, quibus opus aliquod publicum faciendum locassent censores. Ita apud eundem Livium legimus lib. 10, [23.] ex pecunia collecta ex foeneratorum damnatione plura opera publica facta, ita et alia opera publica confecta ex pecunia multaticia, a pecuariis damnatis exacta, lib. 35, [10.] et lib. 35, [41.] de multa quoque foeneratorum quadrigas inauratas, clipeos inauratos in Capitolio positos, et porticum factam extra portam Tergeminam. MARC. DONAT. Legendum sine dubio: *tribu quoque is motus, et aerarius factus. Ad opera publica faciendа quum eis dimidium ex vectigalibus ejus anni attribu-*

Decembribus, severius quam ante, habuerunt: multis equi ademti, inter quos P. Rutilio, qui tribunus plebis eos violenter accusarat: tribu quoque is motus, et aerarius factus. Ad opera publica facienda 9
quum eis dimidium ex vectigalibus ejus anni adtributum ex senatusconsulto a quaestoribus esset; Ti. 10
Sempronius ex ea pecunia, quae ipsi adtributa erat,

tum ex senatusconsulto a quaestoribus esset. Confirmat hanc emendationem alius locus, qui lib. 40, [51, 1. 2.] habetur, in quo est: *Censores* etc. *tres ejecti de senatu. retinuit quosdam Lepidus a collega praeteritos. Opera ex pecunia attributa divisaque inter se haec confecerunt.* URSIN. Optime hunc locum Ursinus restituit: cujus emendationem non antea viros doctos deprehendisse, mirum est. Passim utraque haec censorum poena, *tribu movere*, et *aerarium facere*, jungitur. Exempla vide 4, 24. 24, 18. 43. et alibi. De ipsa poena *aerarium facere* vide ad 24, 18, 6. Dein censoribus *ad opera publica facienda* pecuniam attributam fuisse, patet ex illis, quae notantur ad 40, 46, 16.

§. 10. *Ex ea pecunia, quae ipsi adtributa erat*] Ex hoc Livii loco patet, differentiam illam, quam Car. Sigon. lib. 2. de Antiq. Jur. Provinc. cap. 8. statuit inter *pecuniam attributam* et *vectigalem*, corruere. Ait enim, *pecuniam attributam* fuisse, quae hauriebatur ex aerario; *vectigalem* vero, quae ex vectigalibus et tributis colligebatur. At haec pecunia attributa T. Sempronio, ex vectigalibus fuit collecta; ergo non ex aerario, quod ex ejusdem Livii verbis elicitur, sic scribentis: *censoribus dimidium ex vectigalibus ejus anni attributum ex senatusconsulto a quaestoribus: ex qua pecunia attributa T. Sempronius basilicam faciendam curavit, quae postea Sempronia appellata est.* Cael. Rodig. lib. 10. cap. 3. videtur innuere, *attributam pecuniam* fuisse, quae tributi nomine flagitaretur, idque ex Liv. lib. 39, [44, 2. 3.] scribente de censura Catonis aspera ita in omnes ordines; *ornamenta, et vestem muliebrem, vehicula, et mancipia aestimarentur, et his omnibus rebus terni in millia aeris attribuerentur.* Item lib. 1, [43, 9.] ait: *Unde equites alerent equos, ex publica pecunia emptos, viduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent.* Huic sententiae favere videtur Varro lib. 4. de Ling. Lat. [4a.] *Tributum dicitur a tribubus, quod in pecunia, quae a populo imperata erat, tributim a singulis pro portione census exigebatur.* Cic. in praetura urb. [1. in Verr. 13.] inquit: *Ne diutius teneam pecuniam attributam, profectus est quaestor in provinciam.* Quae verba exponens Asconius, *attributam pecuniam* esse inquit, *quae in militum stipendium de aerario a tribunis aerariis quaestori annumerabatur.* Haec sententia etsi specifice sustineri possit, tamen generice et in univer-

aedes P. Africani pone Veteres ad Vortumni signum, lanienasque et tabernas conjunctas in publi-
11 cum emit, basilicamque faciendam curavit, quae postea Sempronia adpellata est.

1 XVII. Jam in exitu annus erat, et propter Ma-

saliore significatione mihi magis probatur Budaei expositio in prioribus Annotat. in ff. ex tit. de Offic. Quaest. ubi pecuniam attributam *assignatam* interpretatur. Nam quae in stipendium militum assignabatur, *attributa* dicebatur ex Cic. et Ascon. locis adductis; ita et quae equis alendis assignata erat ex viduarum censu, ex Livio *attributa* appellata; sic et quae magistratibus in provinciam proficiscentibus assignabatur, *attributa pecunia* dicta. Cic. in Pison. [35.] *Nonne sestertium centies et octogies, ex aerario tibi attributum, Romae in quaestu reliquisti.* Idem Cic. consul ad Caninium scribens [2. ad Famil. 17.] inquit. *De drachmis centies mille nihil est, quod in isto genere cuipiam possim accommodare. omnis enim pecunia ita tractatur, ut praeda a praefectis, quae autem mihi attributa est, a quaestore curetur. Attribuere* enim inter ceteras significationes accipitur pro assignare. Cic. in Anton. 5, [2.] *Antonius mihi pecuniam attribuit.* et rursus [9, 7.] *Quantique locarint, tantum pecuniam redemtori resolvendam attribuendamque curent.* et ad Attic. [12, 28.] *Puellos attribue ei, quot et quos videbitur.* et ad Q. Fratr. [1, 1.] *Insulae, quae erant a Sylla Rhodiis attributae.* et alibi pluries. Quare hoc in loco pecuniam T. Sempronio attributam *assignatam* interpretandam puto, sicque omnem difficultatem tolli. MARC. DONAT.

Aedes P. Africani pone Veteres ad Vortumni signum.] Signum Vortumni haud procul circo maximo fuisse, significat Cic. 1. Verr. 59. De eo agunt Donat. 2. de urbe Rom. 15. et Nardin. 5. Rom. Vet. 5. DUKER. Doujatius per *Veteres* vel intelligit veteres aedes P. Scipionis, *vel* veteres curias. Quod ad primam sententiam adtinet, probandum erat, novas a scriptoribus antiquis memorari aedes P. Scipionis, et veteres; praeterea novas illas fuisse pone veteres ejus aedes. Quod ad alteram, ea jam ante placuerat Lipsio ad Taciti 12. Ann. 24. Is autem per *veteres curias* intelligit domos illas curiales, quas Romulus unicuique curiae tribuit, ut in iis homines cujusque curiae, festis diebus convenientes cum curionibus suis, sacra facerent, et una epularentur. Vide Dion. Halic. 2. Antiq. 93. et Festum. v. *Curia.* Eas *veteres* vocari, quia, quum parum amplae a Romulo factae essent, *novae* postea proxime compitum Fabricium aedificatae sunt, docet Fest. in voce *Novae curiae. Veterum* earum meminerunt etiam Varr. 4. de Ling. Lat. 37. et Tacit. loc. laud. Contra Donat. 2. de Urb. Rom. 27. per *Veteres* intelligit tabernas, vel domos veteres. Certe *novas tabernas* memorat Liv. 3, 48. *Seducit filiam ac nutricem prope Cloacinae ad Tabernas, quibus nunc Novis est nomen.* Idem etiam novas tabernas, dictas argentarias, distinguit a septem tabernis, quae

cedonici maxime belli curam in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent. itaque senatusconsultum factum est, ut Cn. Servilius primo quoque tempore ad comitia habenda veniret. Senatuscon- 2 3

postea quinque fuerunt, 26, 27. *Eodem tempore septem tabernae, quae postea quinque, et argentariae, quae nunc novae adpellantur, arsere.* Docent autem Donatus l. laud. et Fam. Nardin. 5. Rom. Vet. 8. saepe apud scriptores loca urbis, quae *sub Novis*, *sub Veteribus* vocant, memorari; eorum autem nomine verisimiliter tabernas novas et veteres intelligi.

Laneasque et tabernàs conjunctas in publicum emit] Ego *lanienas* puto scribendum, quas Varro *lanignas* appellavit, auctore Nonio. Erant illic tabernae quaedam laniorum. TURNEBUS 29. Advers. 7. *lanienasque* praeter Turnebum hic legendum monuerunt etiam Lipsius ad Tacit. 12. Ann. 24. et Pighius in Annal. ad A. V. ıɔLXXIV. pag. 374. Eamdem vocem Varroni 2. de Vita Pop. Rom. apud Nonium voc. *Tabernas* restituendam existimat Scalig. ad Catalect. Virg. pag. 221. ubi olim legebatur *tabernis ligneis*. Eamdem emendationem *tabernis lanienis* proponit etiam Fam. Nardin. 5. Rom. Vet. 8. et *lanienas* has memorari docet ab eodem Varr. apud Nonium in v. *Expulsim*, et a Plaut. in Epid. 2, 2, 15. Contra *tabernis lineis* legendum censet Aus. Popma ad Varron. pag. 591. *tabernis lanignis* Turneb. 14. Adv. 19. et a lanio *lanignum* pro lanionium formari docet; cujus sententiam probavit Mercerus ad d. l. Nonii voc. *Tabernas*. Quum autem Varro illo loco testetur, ex tabernis lanienis argentarias factas esse, hinc Nardino loc. laud. ansa data est conjectandi, argentarias illas ea occasione *novas* dictas esse: de quo quid sentiam, vide ad 26, 27, 2. Id autem vere addit, non omnes tabernas lanienas in argentarias conversas esse. Nam, praeterquam ex loco Varronis apud Nonium v. *Expulsim*, quem laudat, id etiam ex hoc loco constare potest; ubi adhuc *tabernae lanienae* memorantur, quas Sempronius in publicum emit, ut in aream earum basilicam construeret; quum tamen jam diu antea argentariae fuissent, ut constat ex loco Livii ad verba praecedentia laudato.

§. 3. *Senatusconsultum Sulpicius praetor ad consulem * post paucos dies recitavit, quibus ante diem * in urbem venturum*] Foede corruptus locus est, et asterisco notandus. Sententia est, praetorem consuli senatusconsultum recitasse, consulem se in urbem ad certam diem venturum, et comitia habiturum edixisse, paucisque post diebus et ipsum maturasse, et comitia eo die, qui dictus erat, esse perfecta. Sic lib. 9, [38, 13.] *Profectique ad Fabium consulem legati, cum senatusconsultum tradidissent.* SIGON. Foede corruptum locum hunc, et asterisco notandum censet Sigonius; sententiam vero, praetorem consuli senatusconsultum recitasse; consulem se in urbem

sultum Sulpicius praetor ad consulem * post paucos dies recitavit, quibus ante diem ** in urbem venturum. Et consul maturavit, et comitia eo die, qui dictus erat, sunt perfecta. Consules creati L. Aemilius Paullus iterum, septimo decimo anno postquam primo consul fuerat, et C. Licinius Crassus. Praetores postero die facti Cn. Baebius Tamphilus, L. Anicius Gallus, Cn. Octavius, P. Fontejus Balbus, M. Aebutius Elva, C. Papirius Carbo. Omnia ut maturius agerentur, belli Macedonici stimulabat cura. itaque designatos extemplo sortiri placuit pro-

ad certum diem venturum, et comitia habiturum edixisse. Demendo adsentior: sed sententiam puto, praetorem ad consulem senatusconsultum misisse, et receptas ab eo literas post paucos dies in senatu recitasse, quibus ille se ante diem (hic deest numerus et nomen mensis) in urbem venturum significabat. J. FR. GRON. Locum non integrum esse, viris doctis adsentior; plura tamen deesse, quam Gronov. credidit, colligere posse videor ex verbis *comitia eo die, qui dictus erat, sunt perfecta.* In praecedentibus enim diei dicti nulla mentio obcurrit. Omnia igitur aut hoc, aut simili modo supplenda judico: *ad consulem [misit, a quo receptas literas in senatu] post paucos dies recitavit, quibus [in] ante diem* (numerus diei et nomen mensis hic excidit) *[comitia edici jussit: se ante id tempus] in urbem venturum.* Poterat autem praetor urbanus in diem, quem consules jusserant, comitia edicere. Supra 22, 33, 9. *Ab eodem praetore ex senatusconsulto literae ad consules missae, ut, si iis videretur, alter eorum ad consules creandos Romam veniret; se in eam diem, quam jussissent, comitia edicturum.*

§. 4. *Septimo decimo anno, postquam primo consul fuerat*] *quarto decimo* scribendum. tot enim anni numerantur a priore consulatu Paulli ad posteriorem. Error ex notis numerorum emanavit *XIIII* et *XVII.* duo enim *II* et *V* mutata sunt. Praeterea *primum*, non *primo*, in hoc genere dicendum est. sic enim ubique alias. SIG. Crevierius vel *decimo quarto*, vel, si ambo extremi anni numerentur, *decimo quinto* legendum putat. Livium interdum utrumque annum extremum, interdum unum, interdum nullum numerasse, dictum est ad 42, 10, 5. Utrum igitur eum hic fecisse statuamus, arbitrarium esse puto. Malo tamen Sigonio adsentiri, ut ita pateat, quo casu librarius a vera lectione aberrans numerum vitiarit. Vide plura ad 37, 22, 4. Quod vero *primum* pro *primo* legat, de eo vide ad 5, 16, 1.

provincias; ut, utri Macedonia consuli, cuique praetori classis veniſſet, sciretur: ut jam inde cogitarent pararentque, quae bello usui forent, senatumque consulerent, si qua re consulto opus esset. *Latinas, ubi magistratum inissent, quod per reli-* 8
giones posset, primo quoque tempore fieri placere; neque consulem, cui eundum in Macedoniam esset, teneri. His decretis, consulibus Italia et Macedo- 9
nia, praetoribus, praeter duas jurisdictiones in urbe, classis, et Hispania, et Sicilia, et Sardinia provinciae nominatae sunt. Consulum, Aemilio Mace- 10
donia, Licinio Italia evenit. Praetores, Cn. Baebius

§. 5. *Cn. Baebius Pamphilus*] *Tamphilus*, ut supra. SIG. V. ad 31, 49, 12.

M. Ebutius Helva] *M. Aebutius Elva*, ut supra. SIG. *Aebutius* per diphthongum scribendum esse, Sigon. monuit supra 2, 19, 1. ubi vide. Deinde cognomen *Elva* adspirationem non admittere, supra dictum est ad 4, 21, 10.

§. 7. *Cuique praetori classis venisset*] Crevierius *evenisset*, vel *obvenisset* legendum monet. ita etiam ubique Livium loqui. Et sane *evenisset* exhibet ed. Basil. anni 1554. pro quo Paris. anni 1573. *venisset* revocavit. Si alterutrum, vel *evenisset*, vel *obvenisset*, in Mſto unico fuisse constaret, id omnino recipiendum censerem. Nunc vero, quum primae edd. ex eo *venisset* dederint, utrum aliquid mutandum sit, vehementer dubito. Certe *venire* pro evenire vel obvenire, et apud Livium, et apud alios scriptores, obcurrit. *Omnia, quae deinde venerunt* supra inlustratur 9, 12, 1. *si quid in Sum-*
nio adversi venisset 10, 45, 3. *cui Sicilia provincia sorti venisset* supra 29, 20, 4. in Mſtis optimis legi vidimus. *Ptolemaeo Aegyptus sorte venit* dixit Justin. 13, 4, 10. quam lectionem auctoritate Mſtorum, et optimorum exemplis adversus alios, qui *evenit* ex conjectura reponunt, defendit Graevius.

§. 9. *Consulibus Italia et Macedonia*] Ita mox *Consulum, Aemilio Macedonia, Licinio Italia evenit. Italia* autem etiam comprehendit Galliam Cisalpinam. Constat ex 45, 12, 11. *Licinius profectus in Galliam circa Macros campos ad montem Siciminum et Papinum stativa habuit.* c. 17, 2. *C. Licinius Crassus, collega in consulatu Paulli, tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat.* Et paulo post ibid. §. 5. *Quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret.*

§. 10. *Consulum, Aemilio Macedonia, Licinio Italia evenit*]

urbanam, L. Anicius peregrinam, et si quo senatus censuisset, Cn. Octavius classem, P. Fontejus Hispaniam, M. Aebutius Siciliam, C. Papirius Sardiniam est sortitus.

1 XVIII. Extemplo adparuit omnibus, non segniter id bellum L. Aemilium gesturum; praeterquam quod alius vir erat, etiam quod dies noctesque intentus ea sola, quae ad id bellum pertinerent, ani-
2 mo agitabat. Jam omnium primum a senatu petit, ut legatos in Macedoniam mitterent ad exercitus visendos classemque, et comperta referenda, quid

Et quidem sorte evenit: praecessit enim: *Designatos sortiri placuit provincias; ut, utri Macedonia consuli, cuique praetori classis venisset, sciretur.* A Livio igitur dissentit Plutarch. qui Macedoniam Paullo sine sorte decretam esse tradit in ej. vit. pag. 260. *Κατέσησαν ὕπατον τὸ δεύτερον, ὃν ἐάσαντες κλῆρον γίνεσθαι, καθάπερ ἐιώθει περὶ τῶν ἐπαρχιῶν, ἀλλ' ἐκείνῳ ψηφισάμενοι τοῦ Μακεδονικοῦ πολέμου τὴν ἡγεμονίαν.*

Praetores, Cn. Baebius urbanam, L. Anicius etc.] Modo praecessit *Consulum, Aemilio Macedonia, Licinio Italia evenit.* Videri ergo posset, etiam hic legendum esse *Praetorum, Cn. Baebio.* Id vero tanto verisimilius existimari posset, quia in fine periodi subjungitur *est sortitus*; quum, si *praetores* dixisset, potius scripsisset *sunt sortiti.* Sed nihil muto. Nam iniquum foret, Livium, qui passim orationem omni modo variare conatus est, in eamdem loquendi formulam ubique cogi. Neque verum est, Livium, si vulgatum servandum sit, potius *sunt sortiti*, quam *est sortitus*, dicere debuisse. Supra 3, 27, 6. *Legiones ipse dictator, magister equitum suos equites ducit.* ubi vide. Contra si *praetorum* reliquisset, attamen etiam *sunt sortiti* dicere potuisset. 9, 27, 8. *Consulum Sulpicius in dextro, Poetelius in laevo cornu consistunt.*

§. 1. *Non segniter id bellum Aemilium gesturum*] Ita errore operarum, quem Doujatius et Clericus secuti sunt, edidit Jac. Gronov. quum priores praeferant *L. Aemilium*; quod Hearnius et Crevierius refituerunt.

Quae ad id bellum pertinerent, animo agitabat] Ita edd. principes. Postea anno 1573. Parisiis vulgatum est *animo cogitabat*, quod recentiores servarunt usque ad Gronov. qui in prima ed. notarum *agitabat* restituendum monuit, eamque lectionem postea recepit. Supra 21, 22, 7. *Quum, quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo.* Ita *agitare in animo* 21, 2, 2. *Ut adpareret, majus eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum. mente agitare* 7, 35, 3. *Nunc quae*

aut terreſtribus, aut navalibus copiis opus eſſet: praeterea ut explorarent copias regias, quantum 3
poſſent, quaque provincia noſtra, qua hoſtium foret: utrum intra saltus caſtra Romani haberent, an jam omnes anguſtiae exsuperatae, et in aequa loca pervenissent: qui fideles nobis socii, qui dubii su- 4
spensaeque ex fortuna fidei, qui certi hoſtes viderentur: quanti praeparati commeatus, et unde terreſtri itinere, unde navibus subportarentur: quid ea aeſtate terra marique rerum geſtarum eſſet: ex his bene cognitis certa in futurum consilia capi

mente agitem, audite. 8, 25, 2. *Alia nova nihil tum animo tale agitantibus accesserunt auxilia.* Cic. de Senect. 12. *Nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente posset.* Ovid. 18. Her. 54.

Mente agito furti tempora prima mei.

Juſtin. 8, 3. *Quasi omnia, quae agitasset animo, ei licerent. agitare secum* Flor. 4, 2. 83. *Dicitur in illa perturbatione et de extremis agitasse secum.* et simpliciter *agitare* supra 25, 36, 5. *Circumspicere atque agitare dux coepit, si quo modo posset vallum circuminjicere.* Ubi recte Gronov. vulgatam lectionem adversus Sigonium *cogitare*, pro *agitare*, subſtituentem defendit. Vide Cortium ad Salluſt. Catil. 20, 5.

§. 2. *Omnium primum a senatu petit*] Videtur legendum *petiit*, quomodo etiam Cl. Dukerus conjecit. V. ad 37, 45, 2.

Navalibus copiis opus est]*opus esset* aperte legendum. SIGON.

§. 3. *Quaque provincia noſtra, qua hostium foret*] Vir doctus ad oram ed. Curionis emendat, *quaque provincia castra nostra.* Verum id demum inquirere jubentur verbis proximis: *Utrum intra saltus castra Romani haberent, an jam omnes angustiae exsuperatae, et in aequa loca pervenissent.* Praeterea nescio, an satis Latine dicatur *qua provincia Macedoniae*, quod Latini dicerent *qua parte, qua regione Macedoniae.* Nihil igitur mutandum. *qua*, scilicet parte, Macedonia *foret provincia nostra, qua foret hostium*, id eſt, qua parte foret in noſtra poteſtate, qua in poteſtate hoſtium.

§. 4. *Qui dubii suspensaeque ex fortuna fidei*] Neque hic viro docto ad marginem ed. Curionis *suspensique* emendanti adsentior. *esse suspensae ex fortuna fidei* eodem modo dictum, ut *esse bonae fidei* apud Suet. Aug. 42.

Quid ea aestate terra marique rerum gestarum esset] Lege *gestum esset.* J. FR. GRONOV. Doujatius *quid rerum gestarum* exponit, quae res geſtae. Jac.

5 posse ratus. Senatus Cn. Servilio consuli negotium dedit, ut is in Macedoniam, quos L. Aemilio vide-
6 retur, legaret. Legati biduo post profecti, Cn. Domitius Ahenobarbus, A. Licinius Nerva, L. Baebius. Bis in exitu anni ejus lapidatum esse nun-

Perizonius vulgatum inlustrat adscripto loco Livii ex 37, 23, 11. *Extremo agmini loci nihil ad terram relicti erat.* Magis tamen probo Gronovii emendationem. Ita *nihil relictum esse virium*, non *nihil relictarum*, 2, 57, 3. ubi vide, quae notantur.

§. 5. *Quos L. Aemilio videretur, legaret*] Hoc Lipsius 2. de Milit. Rom. 2. ad legatos imperatorum in bello refert. Sed de iis hic non agitur. Vide cap. 20. Adde ad 43, 1. DUKER.

§. 6. *Cn. Domitius Aenobarbus*] *Ahenobarbus*, ut supra. SIGON. V. ad 34, 42, 4.

Bis in exitu anni ejus lapidatum esse nunciatum est; in Romano agro, simul in Vejentibus. novemdiale sacrum] Manutius ex ingenio reponit *semel*. SIG. Possis *nunciatum est; in Romano agro simul et in Vejentibus.* Ut infra [cap. 34.] *Adventu consulis simul et veris principio.* Possis etiam legere: *nunciatum est in Romano agro, semel in Vejentibus.* J. FR. GRONOV. Passim cognoscimus, quoties lapidaverit, toties novemdiale sacrum fuisse. Unde sicut plus vice simplici nunc lapidatum nunciabatur, sic quoque sacra illa repetita esse dicere debuit, et voluit. Immo et ipsae literae probant scripsisse Livium: *Bis in exitu anni ejus lapidatum esse nunciatum est in Romano agro, simul in Vejenti. Bis novemdiale sacrum factum est.* JAC. GRON. Bis factum sacrum novemdiale, etiam Dodwellus existimat in Append. Praelect. Camden. p. 678. ad Fragmenta, quae feruntur, actorum urbanorum diurnorum, in quibus legitur *III. Kal. Aprileis lapidibus pluit in Vejenti.* Quae ibi Vir Eruditissimus de prodigiis prioris anni, a sequentis anni consulibus ante Latinas celebratas expiatis, differit, probabili ratione nituntur. Sed quod verbis Actorum significari putat, pluviam illam lapideam non III. Kal. April. factam, sed hunc ultimum diem novemdialis sacri fuisse, mihi non persuadet. Nec facile cuiquam alii, ni fallor, persuadebit, *III. Kal. Apr. lapidibus pluit in Vejenti*, idem esse, quod *III. Kal. Apr fuit ultimus dies secundi sacri novemdialis, quo prodigium in Vejenti factum expiatum est.* Nec ullo certo argumento probat, haec novemdialia sacra octo diebus, quod contendit, conclusa fuisse. Utrumque horum ideo commentus est, ut inter Livium et Acta illa aliqua ratione conveniret. Nam quum consules Idibus Martiis magistratum inierint cap. 19. et Aemilius statim post Latinas pridie Kal. Apr. celebratas in provinciam profectus fuerit cap. 22. non nisi sedecim dies inter Idus Martias et III. Kal. Apr. relinquuntur, quibus gemina illa sacra novemdialia peragi potuerint. Ex his rationibus primus dies primi sacri fuerunt Idus Martiae, is ipse, quo novi consules inierunt,

ciatum eſt; in Romano agro, simul in Vejentibus. novemdiale sacrum factum eſt. Sacerdotes eo anno 7
mortui sunt, P. Quinctilius Varus, flamen Martialis; et M. Claudius Marcellus, decemvir: in cujus locum Cn. Octavius subfectus. Et jam magnificen- 8

poſtremus XI. Kal. Apr. idemque primus secundi et hujus poſtremus III. Kal. Apr. Sed haec omnia plane incerta sunt, et ab acumine ingenii Dodwelliani excogitata ad tuendam fidem Actorum illorum. Qui ea pro genuinis habent, et oſtendere conantur, nihil in iis eſſe, quod a moribus Romanorum, et hiſtoria temporum, ad quae pertinent, abhorreat, multis se difficillimis nodis implicant, quibus explicandis saepe ad leviſſimas, interdum etiam absurdas conjecturas confugere coguntur. Mihi quidem, quum dudum suspectam habuiſſem illorum fidem, dubitationem omnem de hac re exemerunt, quae Clar. Weſſelingius 2. Probab. 39. disputavit, e quibus manifeſtum eſt, ea ab aliquo hiſtoriae et antiquitatis Romanae non quidem plane rudi, nec tamen satis perito, conficta et pro veris supposita eſſe, ad fucum faciendum iis, qui omnia, quae speciem aliquam antiquitatis prae se ferunt, tamquam coelo miſſa ἐριπύδεα δῶρα θεῶν suspicere consueverunt. DUKER. *semel*, quod Manutius apud Sigonium et Gronovius reponendum censent, et *simul* saepe in Mſtis commutari, vidimus ad 24, 22, 14. et ita *in Romano agro, semel in Vejentibus* positum erit pro semel in Romano agro, semel in Vejentibus, eodem modo, quo *virgis caedi, alii securi subjici* pro alii virgis caedi, alii securi subjici, de quo similibusque plura notantur ad 3, 37, 8. Praeterea *in Romano agro, in Vejentibus* eodem orationem variandi ſtudio, quo dixit *per Volscos, Falernumque agrum*. Vide ad 7, 26, 9. Verum mihi, aeque ac Jac. Gronovio, vulgatum *in Vejentibus* displicet; at ob diversam rationem. Ipse eam reddidit, quod, quoties lapidaſſe nunciatum erat, toties etiam, novemdiale sacrum fuiſſe, memorandum eſſet. Id enim non perpetuum eſſe puto. Nam observatur quidem 27, 37, 1. 4. non vero 35, 9, 4. 5. ubi, licet *Ariciae, Lanuvii et in Aventino lapidibus pluisset*, attamen simpliciter tantum additur *novemdiale sacrum factum*. Sed manifeſtius 36, 37, 3. *Terracinae et Amiterni nunciatum est aliquoties lapidibus pluisse*, et tamen consulti decemviri renunciarunt, *ut novemdiale sacrum fieret*. Mihi vero *in Vejentibus* displicet, quia poſt Vejos captos et eversos, vel nulla vel rara admodum *Vejentium* mentio occurrit, at aliquoties *agri Vejentis*. Ita 6, 2, 14. *Partem unam in agro Vejente Etruriae obposuit*. Supra vero Livius, quum simile prodigium in agro Vejente accidiſſe indicare vellet, dixit *Vejis de coelo lapidaverat* 27, 37, 1. Ob hanc igitur cauſſam, vel Jac. Gronovii emendationem probo, vel lego *in Romano agro semel, et in Vejenti. Novemdiale sacrum* etc. *in Vejenti* vel repetito ex praecedenti *in agro*, quemadmodum *in agro Vejente* habuimus, et supra eſt 26, 34, 10. *Neve ipsi posterive*

tia crescente notatum est, ludis circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicae et P. Lentuli aedilium curulium sexaginta tres Africanas, et quadraginta ursos et elephantos lusisse.

1 XIX. L. Aemilio Paullo, C. Licinio consulibus, Idibus Martiis principio insequentis anni, quum in exspectatione Patres fuissent, maxime quidnam con-

eorum uspiam pararent haberentve, nisi in Vejente, aut Sutrino, Nepesinove agro. vel *in Vejenti* simpliciter, ut 6, 14, 10. *Fundum in Vejente subjecit praeconi.* 42, 2, 4. *In Vejenti apud Rementem lapidatum.* apud Jul. Obseq. de Prodig. 71. *Vejenti lana ex arboribus nata.* cap. 90. *Oleo et lacte in Vejente pluit.* Ita *in Antiati* Liv. 22, 1, 10. ubi vide.

§. 8. *Sexaginta tres Africanas*] Plinius 8, 17. docet, *Africanas* pantheras esse, in haec verba de pantheris scribens: *senatusconsultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam advehere. Contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius tribunus plebis, permisitque circensium gratia importari. Primus autem Scaurus aedilitate sua varias centum quinquaginta universas misit. Dein Pompejus Magnus quadringentas decem, D. Augustus quadringentas viginti.* Sueton. Calig. cap. 18. inquit: *Edidit et circenses plurimos a mane usque ad vesperam, interjecta modo Africanarum venatione, modo Trojae decursione.* Dictae autem pantherae *Africanae*, eo quod in Africa frequentes sint, et inde in Italiam translatae, quemadmodum et *ventum Africanum* ita appellarunt, quod ex Africa flare incipit. Horatius [1. od. 1, 15.] *Luctantem Icariis fluctibus Africum.*

Et *gallinae Africanae*, quae ex Africa ad nos convehuntur, quarum meminit Varro 3. de Re rust. 9. Vocatae quoque *pantherae variae*, ut a Plinio loco citato, ob maculas quibus sunt conspicuae, unde et *mensae* quaedam *pantherinae* ab eodem Plin. 13, 15. hoc est varietate ciborum insignes. Et elegantissime Plautus in Epid. [1, 1, 15.] scribit. *qui varie valent, Caprigenum hominum non placet mihi neque pantherinum genus.* Scilicet homines ingenii varii et inconstantis. Cicero semper *pantheras* vocavit, praesertim lib. de Nat. Deor. bis de illis verba faciens [1, 31. et 2, 50.] Ita et Jurisconsulti l. 2. D. ad legem Aquil. quamvis et apud eosdem *panthera* genus retis sit et aucupii, Ulp. l. 2. D. de Act. empt. cujus et meminit Varro lib. 4. de Ling. Lat. [p. 26.] Suidas quoque ejusdem vocabuli fecit mentionem, licet illius significatum omiserit explicare. Graeci animal παν θήρ, rete πάνθηρον dixere, voces distinguentes, sicuti et res ipsae significatae distinguuntur. MARC. DONATUS. Vide Viros doctos ad Suet. Calig. 18. et Petron. Satyr. cap. 35.

Et quadraginta ursos et elephantos lusisse] Pighius in An-

sul de Macedonia, cujus ea provincia esset, referret; *nihil se habere*, Paullus, *quod referret, quum nondum legati redissent*, dixit. *Ceterum Brundisii* 2 *legatos jam esse, bis ex cursu Dyrrachium ejectos. Cognitis mox, quae nosci prius in rem esset, rela-* 3 *turum: id fore intra perpaucos dies. Et, ne quid* 4 *profectionem suam teneret, pridie Idus Aprilis Lati-*

nal. ad A. V. 1DLXXXIV. pag. 375. excidisse putat numerum elephantorum, qui circensibus his luserunt.

§. 2. *Bis ex cursu Dyrrachium ejectos*] Manutius legit *rejectos*. SIGON. Hoc verbum de naufragis dici, notavimus ad M. Senecam (3. Controv. 16.) quale incommodum hi non sunt passi. Potius ergo *rejectos*. Caesar 4. Gall. (28.) *Tanta tempestas subito coorta est, ut nulla earum cursum tenere posset, sed aliae eodem, unde erant profectae, referrentur, aliae ad inferiorem partem insulae, quae est propius solis occasum, dejicerentur*. V. ad 23, 34, 16. J. FR. GRONOV. Recte notat Gronov. *ejici* proprie dici de naufragis. Supra 33, 41, 7. *Inde profectum eum foeda tempestas oborta prope cum omni classe demersit. multae naves ejectae, multae ita haustae mari, ut nemo in terram enaverit*. 44, 28, 12. *Pars velis datis ad Chium naves ejecere*. V. Cel. Burm. ad Petron. cap. 115. p. 537. Adsentior itaque emendantibus *rejectos*. Quemadmodum enim *dejici* dicuntur, qui vehementia venti ac vi fluctuum a cursu, quem tenebant, repelluntur, v. ad 23, 34, 16. ita *rejici* dicuntur, qui eodem, unde solverant, referuntur. Cic. 1. Philipp. 3. *rejectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam*. 1. Tuscul. cap. ult. *Sin, reflantibus ventis, rejiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur, necesse est*. 16. ad Attic. 7. *Quum a Leucopetra profectus stadia circiter trecenta processissem, rejectus sum austro vehementi ad eamdem Leucopetram*. pro Caecin. 30. *Si qui ex alto, quum ad patriam accessisset, tempestate subita rejectus optaret, ut, quum esset a patria dejectus, eo restitueretur*. Caesar 5. B. Gall. 23. *Ex iis* navibus, *quae inanes ex continente ad eum remitterentur, perpaucae locum caperent, reliquae fere omnes rejicerentur*.

§. 3. *Id fore intra perpaucos dies*] Ita recte Frob. anno 1535. et post eum omnes ediderunt. Male enim *infra per paucos dies* princeps editio. *infra* et *intra* saepissime commisceri, vidimus ad 34, 50, 3.

§. 4. *Ne quid profectionem suam teneret*] Ita constanter typis descripti usque ad ultimam Gruteri editionem, quae perperam dedit *retineret*. Monuit id Gronov. ad 32, 9, 1. et priori ed. notarum ad h. loc. De verbo *tenere* hoc sensu vide ad d. l. lib. 32.

Pridie Idus Aprilis Latinas esse constitutam diem] Paullo post autem (cap. 22.) ait, Latinas fuisse pridie K. Aprilis; sic

nis esse constitutam diem. Sacrificio rite perfecto, se et Cn. Octavium, simul senatus censuis-
5 *set, exituros esse. C. Licinio collegae suo fore curae, se absente, ut, si qua parari mittive ad id bellum opus sit, parentur mittanturque. Interea legationes exterarum nationum audiri posse.*
6 Sacrificio rite perfecto, primi Alexandrini, legati ab

enim inquit: *Ab hac concione Latinis, quae pridie Kal. Aprilis fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato.* Aut ergo mendum est, aut diem Latinis praetulit. SIGON. *pridie Kalendas Apr.* ex cap. 22. et ex Fragmentis Actorum corrigunt Pighius in Annal. ad A. V. IↃLXXXV. p. 377. et Dodwell. in Append. Praelect. Camden. pag. 682. Si non habuissent auctoritatem Actorum illorum, non major ratio fuisset hic pro *pridie Idus* emendandi *pridie Kalendas*, quam cap. 22. pro *pridie Kal.* scribendi *pridie Idus*. Nam nullo argumento ex Livio ipso ostendi potest, uter locus corruptus sit. Sed quia acta testantur, Latinas *pridie Kal. April.* fuisse, non dubitarunt viri doctissimi, quin cap. 22. recte *pridie Kal.* hic perperam *pridie Idus* scriptum sit. Nec potuerunt aliter, quum Fragmenta illa pro certissimae fidei monumento Antiquitatis haberent. Sed si vera sunt, quae in iis leguntur, auctori eorum, quod etiam Clar. Wesselingius attigit, non optime cum Livio convenit. Nam si Livius hic, quod illi volunt, scripsit, *pridie Kalendas Aprilis Latinis esse constitutam diem*, consequens est, Paullum et Octavium non ante diem III. Non April. id est, non ante perpetratum in monte sacrificium Latinarum, cui tum quatuor dies, ut notum est, impendebantur, in provinciam exire potuisse. Neque enim quemquam futurum puto, qui non sit judicaturus his verbis, sive *pridie Idus*, sive *pridie Kalendas Aprilis Latinis esse constitutam diem* scripsit Livius, primum diem hujus sacri, et iis, quae cap. 22. leguntur, consulem et praetorem Cn. Octavium *Latinis, quae pridie Kalendas Aprilis fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde in Macedoniam profectos*, ultimum designari. Sed si Actis credimus, Paullus et Octavius *Kalendis Aprilis*, qui, si pridie Kalendas Aprilis Latinis esse *constitutam diem*, de primo eorum die dictum est, secundus dies Latinarum erat, nondum perfecto solenni, *paludati egressi sunt urbe in provinciam Macedoniam.* Hoc si consideraſſent Pighius et Dodwellus, facile animadvertissent, si hic legatur *pridie Kal. Aprilis*, Livium non alia ratione cum Actis in concordiam posse redigi, quum ut primum conarentur ostendere, verba Livii de *die* Latinis *constituta* de postremo die earum accipi posse: deinde, si id non possent, docerent, magistratus Romanos non coactos fuisse totos quatuor dies huic sacro interesse, sed religione illius defunctos fuisse, si ei vel uno die operam dedissent; et quod Livius cap. 22. dicit,

Ptolemaeo et Cleopatra regibus, vocati sunt. Sordidati, barba et capillo promisso, cum ramis oleae ingressi curiam, procubuerunt: et oratio, quam habitus, fuit miserabilior. Antiochus Syriae rex, qui obses Romae fuerat, per honestam speciem majoris Ptolemaei reducendi in regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui tum Alexandriam tenebat, 7 8

Paullum et Octavium *sacrificio* in monte rite *perpetrato* in provinciam profectos fuisse, non necesse esse de ultimo die sacri accipi: in quibus eos non parum laboraturos fuisse arbitror. Qui nobis hoc non auro contra, si Diis placet, carum monumentum concinnavit, videtur verba Livii hoc cap. *Latinis esse constitutam diem*, et cap. 22. *Latinis, quae pridie Kalendas Aprilis fuerunt*, de postremo die earum intellexisse; quorum neutrum rationem habet. Utrum autem hic *pridie Kalendas*, an c. 22. *pridie Idus* legendum sit, non possum decernere; quia, ut dixi, neque pro hac, neque pro illa scriptura ullum argumentum e Livio peti potest. Fragmenti Actorum nulla est apud me auctoritas, nec quidquam aliud ex eo probari potest, quam auctorem illius cap. 22. legisse *pridie Kalendas Aprilis*. DUK. Alterutrum locum, vel hunc, ubi *pridie Idus Aprilis*, vel illum c. 22. ubi *pridie Kalendas Aprilis* legitur, mendosum esse, ut vero, uter eorum emendandus sit, definiamus, anceps esse, viris doctis consentire malo, quam cum Sigonio statuere, consules diem Latinis praetulisse. Id enim si factum fuisset, aeque Livius monuisset, ac fecit antea de triumpho M. Fulvii 39, 5. Ceterum *pridie Idus*, vel *pridie Kalendas Apriles*, non *Aprilis*, legendum arbitror. Ita enim Livius ubique loquitur his posterioribus historiarum superstitibus libris, excepto uno vel altero loco, ubi id a mala manu mutatum esse videtur. V. ad 4, 37, 3.

§. 6. *Sacrificio rite perfecto, primi Alexandrini, legati) Sacrificium* hic non Latinarum intelligit, sed solenne sacrum, quod consules suscipiebant ineuntes, antequam de republica referrent aut agerent: at paulo ante cum dixit: *sacrificio rite perfecto se et Cn. Octavium, simul senatus censuisset, exituros esse*, solenne Latinarum intelligit. SIGON. Dodwellus loco laud. nec sacrum a consulibus magistratum ineuntibus factum, nec sacrificium Latinarum, sed sacrificium primi diei Quinquatrium, intelligi ex eo colligit, quod legati Romani c. 20. Quinquatribus ultimis ex Macedonia Romam rediisse dicuntur. Ex ejus sententia sacrificium, de quo hic Livius agit, primo die Quinquatrium rite perfectum, legati Aegyptii auditi, et senatusconsultum de legatis ad reges mittendis factum est; qui quarto die Quinquatrium cum Alexandrinis profecti sunt. Haec omnia non aeque certa sunt; sed verum esse puto, Livium hic non loqui de sacro Latinarum. DUKER.

9 gerens, et ad Pelusium navali proelio victor fuerat, et, tumultuario opere ponte per Nilum facto, transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam terrebat: nec procul abesse, quin potiretur regno 10 opulentissimo, videbatur. Ea legati querentes orabant senatum, ut opem regno regibusque amicis im- 11 perio ferrent. *Ea merita populi Romani in Antiochum, eam apud omnes reges gentesque auctoritatem esse, ut, si legatos misissent, qui denunciarent, non placere senatui, sociis regibus bellum fieri, extemplo abscessurus a moenibus Alexandriae, abdu- 12 cturusque exercitum in Syriam esset. Quod si cun-*

§. 9. *Obsidione ipsam Alexandriam terrebat*] Ita recte ed. princeps. At mox Frobeniana anni 1535. subsitdit *tenebat*, prono ac facili operarum errore; quem etiam a librariis commissum esse, vidimus ad 23, 1, 10. Licet autem in illa lectione vix sanus sensus adpareat, putidum tamen peccatum patienter tulerunt secuti editores usque ad Gronov. qui in priori ed. notarum *terrebat* revocandum docuit, et postea etiam contextui restituit, quamvis ipsam adnotationem omiserit.

§. 10. *Orabant senatum, ut opem* etc. *ferret*] *ferrent* omnes edd. usque ad ultimam Gruteri, vulgati auctorem. Priscam lectionem Livio reddidi, qui vocem *senatus* tamquam collectivam cum verbo plurali construere solitus est. Vide, quae notantur ad 4, 58, 4. Ita mox addit *si legatos misissent*, scilicet senatus, cui soli jus mittendi legatos competebat, et *Quod si cunctentur facere.*

§. 11. *Abscessurus a moenibus Alexandriae*] Ita demum Vascos. at superiores *Alexandreae*; quae orthographia saepius in his posterioribus libris a primis editoribus exhibetur. Exempla vide 45, 10. 11. et 33. quibus omnibus locis recentiores, ut etiam hoc loco, literam *e* syllabae penultimae in *i* mutarunt. Eamdem scripturam non tantum in hac voce, sed et aliarum urbium nominibus, quae apud Graecos in penultima syllaba *ει* habent, optimos codd. servare vidimus ad 31, 43, 5.

§. 13. *C. Popillium Laenatem, et C. Decimium, C. Hostilium*] Scribe *Laenatem, C. Decimium, et C. Hostilium.* Sic enim loquitur paullo post in iisdem legatis nominandis. SIG. Lectio, quae Sigonio non sine causa displicuit, demum obvia fuit in ed. Basil. anni 1554. Ei se mederi credebat copulam trajiciendo ante ultimi legati nomen. At, si priores edd. inspicere operae duxisset, deprehendere potuisset, legendum esse *et C. Decimium, et C. Hostilium*;

ctentur facere, brevi extorres regno Ptolemaeum et Cleopatram Romam venturos, cum pudore quodam populi Romani, quod nullam opem in ultimo discrimine fortunarum tulissent. Moti Patres precibus 13
Alexandrinorum, extemplo C. Popillium Laenatem, et C. Decimium, et C. Hostilium legatos, ad finiendum inter reges bellum, miserunt. Prius Antio- 14
chum, dein Ptolemaeum adire jussi, et nunciare, ni absistatur bello, per utrum stetisset, eum non pro amico, nec pro socio habituros esse.

XX. His intra triduum simul cum legatis Ale- 1
xandrinis profectis, legati ex Macedonia Quinqua-

quod recte receperunt Paris. anno 1573. Quod autem ad locum paullo post, in quo Livium, eosdem legatos nominantem, sic loqui Sigonius testatur, innuere videtur eum, qui cap. 29. obcurrit: ita quidem tempore Sigonii ibi edebatur, sed et primae edd. et recentiores nunc itidem legunt *Legati Romani C. Popillius, et C. Decimius, et C. Hostilius.* Ceterum C. Hostilium filium fuisse C. Tubuli, qui anno DXLIV. praetor fuit, conjicit Pighius in Annal. ad A. V. DCLXXXIII. pag. 370. quin etiam ipsum quoque praetorem fuisse statuit biennio ante, A. Hostilio Mancino, et A. Atilio Serrano consulibus, cujus anni comitia in Livio lib. 43. post cap. 3. perierunt: non enim verisimile videri, C. Hostilium, nisi eo honore functum, tam speciosae legationi deputatum, ac collegis Popillio consulari, et Decimio praetorio adjunctum fuisse. At argumentum pro praetura C. Hostilii admodum infirmum est. Senatus enim plerumque observare solebat, ut ex tribus legatis, quos ad res sociorum ac regum foederatorum inspiciendas mittebant, unus esset consularis, alter praetorius, tertius qui neque consulatu, neque praetura functus erat. Vide ad 31, 2, 3. Inde igitur potius efficiendum videtur, C. Hostilium hoc tempore nondum praeturam gessisse, et pro Hostilio illo alium quaerendum esse, qui ante biennium hunc honorem obtinuit.

§. 1. *Quinquatribus ultimis adeo exspectati venerunt*] Vulgatissimum est, Quinquatria fuisse festa, quae Minervae seu Palladi fiebant, ita appellata, quod per quinque dies post Idus, qui inter atros connumerabantur, fiebant, uti Ovidius 3. Fast. [809.]

Una dies media est, et fiunt sacra Minervae,
Nomina quae a junctis quinque diebus habent.

Et Varro de Ling. Lat. lib. 5. [p. 47.] docet, Quinquatria fuisse festa Minervae sacra per quinque dies ab Idibus. Gell. 2, 21. *Quod quinquatrus*, inquit, *di-*

tribus ultimis adeo exspectati venerunt, uti, nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fue-
2 rint. Postero die senatus fuit, legatique auditi sunt. Ii nunciant, *Majore periculo, quam emolumento, exercitum per invios saltus in Macedoniam indu-*
3 *ctum. Pieriam, quo processisset, regem tenere; ca-*

cimus, quod quinque ab Idibus dierum numerus sit, atrus nihil significet. Porphyrion, enarrans illud Horatii lib. 2. Ep. 2. vers. 197.

At potius puer, ut festis quinquatribus olim,

scribit, quinquatrus a quinque diebus dici, qui dies ad ferias Minervae pertinent, propterea quod festae solemnitates ejusdem Deae per hoc spatium celebrabantur. Cic. in Epist. [ad fam. 12, 25.] *Quinquatribus egi causam tuam, non invita Minerva.* Et rursus [2, 12.] *Ita tumultuosae conciones, ita molestae Quinquatriis afferebantur.* Domitianum imperatorem Quinquatria quotannis Minervae celebrasse solemnia in monte Albano, ita ut et collegium ad magisterium earum instituerit, testis est Suetonius in illo cap. 4. Quod etiam insigniter describit Juvenalis Sat. 2. tam liber et verax, quam contra vani et adulatores Papinius et Martialis. Nero, Agrippinae matri struens insidias, eam Bajas evocavit ad solemnia Quinquatrium simul celebranda, ut docet Suet. cap. 34. Errant sane toto coelo, ut ajunt, qui quinquatrum diem unum solummodo fuisse festum ex Varrone existimant, scribente lib. de Ling. Lat. 2. quinquatrum diem unum festum sic appellari, quod erat post diem quintum Idus Martii; quam sententiam et sequutus est Beroaldus in comm. loci citati, qui tamen una cum aliis ejusdem opinionis facile erroris convincitur. Nam Sueton. in Aug. cap. 71. scribit: *Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis jucunde egimus, lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus.* Praeterea Livius lib. 26, [27, 1.] sic habet: *Interrupit hos sermones nocte, quae pridie Quinquatrus fuit, pluribus simul locis circa forum incendium ortum.* quo loco *pridie Quinquatrus* interpretandum non dubito priorem ex Quinquatriis diem. Sic et apud Cic. ad Attic. 9, [13.] *Fuit enim pridie Quinquatrus egregia tempestas, qua illum usum puto.* Gellius namque 10, 24. putat dictum *pridie*, quasi *pristini*, id est, priore die. Sed de re hac clarius Ovidius 3. Fast. [809.]

— — Sunt sacra Minervae,
Nomina quae a junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro;
Caussa, quod est illo nata Minerva die.
Altera tresque super strata celebrantur arena.
Ensibus exsertis bellica laeta Dea est.

Ex his, quae a Livio sunt dicta *ultima Quinquatria*, facile colligimus, non ultimum quinquatrium, diem videlicet quintum, intelligere, haec illius verba clare demonstrant: *Legati ex Ma-*

*stra castris prope ita conlata esse, ut flumine Enipeo interjecto arceantur. neque regem pugnandi potestatem facere, nec nostris vim ad cogendum esse. Hiemem etiam asperam rebus gerendis intervenisse, 4 in otio militem ali, nec plus quam sex ** frumentum habere. Macedonum dici triginta millia armato-*

cedonia quinquatribus ultimis adeo exspectati venerunt, ut, nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fuerint. Postero die senatus fuit, legatique auditi sunt. Hunc genuinum sensum verborum Livii esse etsi arbitror, nihilominus et aliam expositionem afferre libet hujusmodi. Habemus ex Festo Pompejo lib. 11. [voc. *Minuscula*] Quinquatria proprie Minervae festum fuisse post Idus Martias, aliud vero festum Quinquatrium post Idus Junias, quae vocabantur *Quinquatrus minusculae*, seu *minores*, et erat festum tibicinum, qui colebant Minervam. Hinc Ovid. 6. Fast. [651.]

Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores,
Huc ades o coeptis, flava Minerva, meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in urbe,
Quid sibi personae, quid toga longa volunt?

Itaque *ultima Quinquatria* interpretari possumus haec minora vocata, quae postremo tempore celebrabantur, mense scilicet Junio ad differentiam priorum, quibus proprie colebatur Minerva mense Martio; utramlibet accipiat lector expositionem. MARC. DONAT. Posteriorem illam expositionem veram non esse, quisque sponte videre potest. Redierunt enim legati ex Macedonia ante celebratas Latinas, quae edictae erant in pridie Idus Aprilis. Ergo *quinquatria ultima*, quibus advenerunt, de quinquatribus minusculis mense Junio celebratis accipi nequeunt; sed indicatur ultimus dies quinquatrium, qui incidit in 11. Kal. Apriles. Nec melioris notae est, quod *pridie Quinquatrus* apud Cic. 9. ad Att. 13. exponat priorem ex quinquatriis diem. An ergo *pridie Kalendas*, *Nonas*, *Idus* notant priorem ex Kalendis, Nonis, Idibus diem? Tirones norunt, quum *pridie* Gellius dictum testetur quasi *die pristini* seu *pristino*, *id est, priore*, etiam *pridie Quinquatrus* dici quasi die priore ante Quinquatrus, ut *pridie Kalendas* est die priore ante Kalendas. De quinquatribus vide Malaspin. ad d. l. Ciceronis.

§. 2. *Ii nunciant*] Vir doctus legebat *nunciarunt*, vel *nunciabant*, ut in fine capitis repetitur.

§. 3. *Pieriam, quo processit, regem tenere*] Latinus sermo *quo processisset*. J. FR. GRON. Non aliter editiones omnes usque ad Francof. anni 1578. ex qua *processit* perperam propagatum est per recentiores usque ad Gronovium.

§. 4. *In otio militem ali, nec plus, quam VI frumentum, habere*] Suspicor legendum esse: *nec plus, quam sex dierum frumentum, habere:* siquidem jam hiems exacta erat, in quam com-

5 *rum esse. Si Ap. Claudio circa Lychnidum satis validus exercitus foret, potuisse ancipiti bello distinere regem: nunc et Appium, et quod cum eo praesidii sit, in summo periculo esse, nisi propere aut justus exercitus eo mittatur, aut illi inde deducantur.*
6 *Ad classem se ex castris profectos, sociorum navalium partem morbo audisse absumtam; partem, maxime qui ex Sicilia fuerint, domos suas abisse, et*

meatus parati fuerant a praetore. Jam enim consulatum inierat Paullus Idibus Martiis; omnia autem imminuunt legati. SIGON. Utut omnia minuant legati, vix tamen verisimile videtur, adeo parum commeatibus prospectum esse, ut circa finem Februarii, vel initium Martii tantum sex dierum frumentum superfuerit. Displicet igitur illud *dierum* a Sigonio interpositum; nec tamen, quid substituendum sit, video. Adscitam igitur vocem iterum ejiciens locum asterisco notavi. Forte legati renunciarunt numerum modiorum frumenti in horreis repositi. Is vero quantus fuerit, non nisi ope cod. integrioris restitui potest. Insuper Jac. Perizon. in margine Livii emendabat *in otio militem vix ali:* qua emendatione opus non esse videtur. Militem enim in otio alere consuli necesse erat, quia hiems aspera rebus gerendis intervenerat, nec tamen plus quam sex ** frumentum habebat.

§. 5. *Si Sp. Claudio circa Lychnidum*] Ita major Jac. Gronovii editio, sed sine dubio operarum sphalmate; minor enim recte *Ap. Claudio*, ut praeferunt antiquiores. Et tamen manifestum hunc errorem servant Doujatius et Clericus.

Potuisse ancipiti bello distinere regem] Lege *distineri*. J. FR. GRON. Gronovii conjecturam receperunt Clericus et Crevierius, verum ille non monito lectore. Contra Doujatius vulgatum recte tuetur. Si Ap. Claudio satis validus exercitus fuisset, potuisse eumdem illum Ap. Claudium distinere regem ancipiti bello.

§. 7. *Eumenem classemque ejus, tamquam vento adlatas naves, sine caussa et venisse, et abisse*] Videtur significare, classem illam, quum sociis opem non tulerit, parvoque temporis spatio illic manserit, videri potuisse non consilio eo venisse, sed tempestate delatam fuisse. Naves enim, quum vi ventorum aliquo adpelluntur, statim cessantibus illis abeunt. VICTORIUS 17. Var. Lect. 22. Verba Livii recte quidem explicantur a Victorio, et favet Cic. in Lucullo (3.) ubi ait: *Et ad quamcumque sunt disciplinam, quasi tempestate, delati, tamquam ad saxum adhaerescunt.* Sed puto ego in illis verbis pusillum quoddam mendum latere, quod tamen pulcherrimam collationem, qua uti voluit Livius, mirifice depravat: idque satis constare potest, quia hujusmodi παραβολαὶ sive εἰκόνες, ut eas appellat Demetr. Phal. consueverunt sumi a re diversa, proxima tamen

homines navibus deesse. qui sint, neque stipendium 7
accepisse, neque vestimenta habere. Eumenem clas-
semque ejus, tamquam vento adlatas naves, sine
caussa et venisse, et abisse: nec animum ejus re-
gis constare satis visum. Sicut omnia de Eumene
dubia, Attali egregie constantem fidem nunciabant.

XXI. Legatis auditis, tunc de bello referre sese 1
L. Aemilius dixit. Senatus decrevit, *ut in octo le-* 2

naturae illius, quae explicatur. Sed enim Livius eo sermone non discesserit ab appulsu navium ad aliquem portum: discesserit autem, quod maxime, ut videtur, oportet, si legamus *aves* ἀντὶ τοῦ *naves*. Omnes autem norunt, globos certarum avium aliquo ferri quandoque consuevisse impetu ventorum, quae postmodum, vento illo cessante, statim ab illis locis, ad quae fortuito delatae fuerunt, recedunt. Atque haec similitudo plurimum sane valet ad ostendendum et quasi ante oculos collocandum id, quod hic Livius monstrare in animo habebat. Juvat hanc meam conjecturam, quod legitur apud Strab. 5, [221.] *Καὶ οἱ τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες ἱστοροῦσι περὶ τῶν Πελασγῶν, ὡς καὶ Ἀθήνησι γενομένων τῶν Πελασγῶν· διὰ δὲ τὸ πλανήτας εἶναι καὶ δίκην ὀρνέων ἐπιφοιτᾶν ἐφ' οὓς ἔτυχε τόπους, Πελαργοὺς ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν κληθῆναι.* atque adhuc magis particulatim de Alcyonibus fortasse intelligi potest ob id, quod de eis scriptum reliquit Aristotel. lib. de Histor. 5, [9.] ad hunc modum. *Πάντων δὲ σπανιώτατον ἰδεῖν ἀλκυόνας ἐστί. σχεδὸν γὰρ περὶ Πλειάδος δύσιν καὶ τροπὰς ὁρᾶται μόνον, καὶ ἐν τοῖς ὑφόρμοις πρῶτον, ὅσον περιϊπταμένη περὶ τὸ πλοῖον ἀφανίζεται ἐνθύς. διὸ καὶ Στησίχορος τοῦτον τὸν τρόπον ἐμνήσθη περὶ αὐτῆς.* Simile peccatum visitur in codicibus Apulei Metam. 5. [p. 167. ed. Elm.] *Protinus tanti mali confinium sibi etiam eximie metuentes, flatus alitis impulsu solito porrectae super scopulum ilico pernici se fuga proripiunt: statimque conscensis navibus abeunt.* ubi fortasse legendum est *avibus*. quomodo etiam non multo post [p. 168.] *avem. Quasi de morte parentis aliquid comperisset, statim navem adscendit, et ad illum scopulum protinus pergit.* Verumtamen nihil nimis affirmo. ROBERTUS TITIUS. 20. Locor. Controv. 13. Cl. Brencmannus, qui excerpta ex ineditis Rob. Titii libris mecum communicavit, ad marginem adnotarat, Clariss. Salvinium nihil in Livio mutandum censere; eique *aves* longius petitum, simplicius ac verius *naves* videri. Ceterum *Eumenen* hic et fere semper hoc libro, interdum etiam supra et libro seq. unicus cod. praefert, sed inperitia librarii: qui, Graecae linguae rudis, se ita casum quartum more Graecorum exprimere credidit.

Sicut omnia de Eumene dubia, Attali] Excidit particula; *ita Attali egregie constantem fidem nunciabant.* J. FR. GRONOVIUS.

§. 2. *Ut in octo legiones pa-*

giones parem numerum tribunorum consules et populus crearent: creari autem neminem eo anno placere, nisi qui honorem gessisset. Tum ex omnibus tribunis militum uti L. Aemilius in duas legiones in Macedoniam, quos eorum velit, eligat, et ut, sollemni Latinarum perfecto, L. Aemilius consul, Cn. Octavius praetor, cui classis obtigisset, in provinciam proficiscantur. Additus est his tertius L. Anicius praetor, cujus inter peregrinos jurisdictio erat, eum in provinciam Illyricum circa Lychnidum Ap. Claudio succedere placuit. Delectus cura C. Licinio consuli inposita. is septem millia civium Romanorum et equites ducentos scribere jussus: et sociis nominis Latini septem millia peditum imperare, quadringentos equites; et Cn. Servilio Galliam obtinenti provinciam literas mittere, ut sexcentos equites conscriberet. Hunc exercitum ad collegam primo quoque tempore mittere in Macedoniam jussus. neque in ea provincia plus quam duas legiones esse; eas repleri, ut sena millia peditum, trecenos haberent equites. ceteros equites peditesque in praesidiis disponi. qui eorum idonei ad militandum non essent, dimitti. Decem praeterea millia peditum imperata sociis, et octingenti equites. Id praesidii additum Anicio, praeter duas legiones, quas por-

rem numerum tribunorum consules et populus crearent] V. Lipsium 2. Milit. Rom. 9. DUK. Editio princeps *Uti octo legiones*. Frobenius deinde anno 1535. dedit *Ut in octo*. Posses etiam *Uti in octo*, ut praepositio *i* sive *in* elisa sit a vocis praecedentis litera extrema. Vide ad 37, 41, 8. Praeterea etiam *crearet* ed. prima; pro quo eadem Frobenii recte dedit *crearent*.

portare in Macedoniam est jussus, quina millia peditum et ducenos habentes, trecenos equites: et in classem quinque millia navalium sociùm sunt scripta. Licinius consul duabus legionibus obtinere provinciam jussus: eo addere sociorum decem millia peditum, et sexcentos equites. 11

XXII. Senatusconsultis perfectis, L. Aemilius consul e curia in concionem processit, orationemque talem habuit. *Animadvertisse videor, Quirites, majorem mihi, sortito Macedoniam provinciam, gratulationem factam, quam quum aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratum inissem: neque id ob aliam caussam, quam quia bello in Macedonia, quod diu trahitur, existimastis dignum majestate populi Romani exitum per me inponi posse. Deos quoque huic favisse sorti spero, eosdemque in rebus gerendis adfuturos esse. Haec partim opinari, partim sperare possum. Illud adfirmare pro certo habeo audeoque, me omni ope adnisurum esse, ne frustra vos hanc spem de me conceperitis. Quae ad bellum opus sunt, et senatus decrevit, et (quoniam extemplo proficisci placet, neque ego in mora sum) C. Licinius collega, vir egregius, aeque enise parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos, quae scripsero senatui, aut vobis, credite. rumores credulitate vestra ne alatis, quorum auctor nemo ex-* 1 2 3 4 5 6

§. 6. *Quae scripsero senatui, aut vobis*] *senatui et vobis*, vel *ac vobis*, ad marginem Livii scribendum conjecit Cl. Jac. Perizon. *Rumores credulitate vestra ne elatis*] Hanc sententiam pariter expressit Plutarchus in concione Paulli (pag. 260.) *ἐι δὲ πιστεύουσιν αὐτῷ, μὴ παραπρατηγεῖν, μηδὲ λογοποιεῖν, ἀλλ' ὑπουργεῖν διωπῇ τὰ δέοντα πρὸς πόλεμον.* SIGON.

7 *stabit. Nam nunc quidem, quod vulgo fieri, hoc*
praecipue bello, animadverti, nemo tam famae con-
8 *temtor est, cujus non debilitari animus possit. In*
omnibus circulis, atque etiam (si Diis placet) in
conviviis sunt, qui exercitus in Macedoniam ducant;
ubi castra locanda sint, sciant; quae loca praesidiis
occupanda; quando, aut quo saltu intranda Mace-
donia; ubi horrea ponenda; qua terra, mari subve-
hantur commeatus; quando cum hoste manus con-
9 *serendae; quando quiescendum sit. Nec, quid me-*
lius faciendum sit, modo statuunt, sed, quidquid
aliter, quam ipsi censuere, factum est, consulem vel-
10 *uti dicta die accusant. Haec magna inpedimenta*
res gerentibus sunt. nec enim omnes tam firmi et
constantis animi contra adversum rumorem esse pos-
sunt, quam Fabius fuit: qui suum imperium minui
per vanitatem populi maluit, quam secunda fama
11 *male rem gerere. Non sum is, qui non existimem*
admonendos duces esse: immo eum, qui de sua unius

§. 8. *Qui exercitus in Macedoniam ducant*] Qui se scire putent, ac doceant, per quas vias et quomodo haec omnia agenda sint. De hac figura vide Casaub. ad Theophr. Charact. c. 8. DUKERUS.

§. 10. *Contra adversum rumorem esse possunt, quam Fabius fuit*] Respicit versum Ennii apud Cic. 1. de Offic. 24. et de Senect. 4.

Unus qui nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.

§. 12. *Deinde ab iis, qui intersunt gerendis loco, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident*] Suspectam habeo hanc lectionem, *qui intersunt gerendis loco, qui hostem.* Malim ita: *qui intersunt gerendis rebus, qui loca, qui hostem,* SIGON. Doujatius parum referre opinatur, utrum lectio Sigonii recipiatur, an vero prisca servetur: nam *gerendis loca* poni pro in loco, id est opportune gerendis. At non vidit, mox subjungi: *qui temporum opportunitatem vident.* Mallem *qui intersunt gerendis, qui loca, qui hostem.*

§. 14. *Piget, et otium urba-*

sententia omnia gerat, superbum judico magis, quam sapientem. Quid ergo est? Primum a prudentibus, 12
*et proprie rei militaris peritis, et usu doctis, monendi imperatores sunt: deinde ab his, qui intersunt gerendis * loco, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut navigio participes sunt periculi. Itaque si quis est, qui, quod e repu-* 13
blica sit, suadere se mihi in eo bello, quod gesturus sum, confidat; ne deneget operam reipublicae, et in Macedoniam mecum veniat. nave, equo, tabernaculo, viatico etiam a me juvabitur. Si quem id fa- 14
cere piget, et otium urbanum militiae laboribus praeoptat, e terra ne gubernaverit. Sermonum satis 15
ipsa praebet urbs. loquacitatem suam contineat: nos castrensibus consiliis contentos futuros esse sciat. Ab 16
hac concione, Latinis, quae pridie Kalendas Apriles fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde et consul et praetor Cn. Octavius in Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriae, 17

num] Edd. antiquiores ignorant copulam *et*, quam addidit Paris. anni 1573. Id facile patior, quum verisimile sit, particulam illam interceptam esse ab ultimis literis τοῦ *piget*, ut saepe alibi contigit. Vide ad 35, 41, 7.

§. 16. *Latinis, quae pridie Kalendas Aprilis fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato*] *Latinis* est tempore Latinarum, quibus diebus Latinae celebrabantur. Ita *ludis* 2, 36, 1. ubi plura vide. Deinde *pridie Calend. April.* edd. vett. pro quo *pridie Calendas Aprilis* dederunt Lugd. anni 1553. et Paris. anni 1573. quod recentiores servarunt. At malo more Livianó *pridie Kalendas Apriles*. V. supra ad cap. 19, 4.

§. 17. *Ac prope certa spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico bello*] Dele posterius *esse*. J. FR. GRON. Illud deleri Doujatius non necessarium judicat. Recte. V. ad 1, 41, 5. Si quid tamen mutandum, mallem *finem adesse Macedonico bello*. Supra 5, 1, 1. *In armis erat tanta ira odioque, ut victis finem adesse adpareret.* Similiter etiam Crevierius scribendum vidit.

majore, quam solita, frequentia prosequentium consulem celebratum; ac prope certa spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico bello, maturumque reditum cum egregio triumpho consulis fore.

1 XXIII. Dum haec in Italia geruntur, Perseus, quod jam inchoatum perficere, quia inpensa pecuniae facienda erat, non inducebat in animum, ut
2 Gentium Illyriorum regem sibi adjungeret; hoc, postquam intrasse saltum Romanos, et adesse discrimen ultimum belli animadvertit, non ultra differendum ratus; quum per Hippiam legatum trecenta argenti talenta pactus esset, ita ut obsides ultro ci-

§. 2. *Per Hippiam legatum trecenta talenta pactus esset*] Hujus legationis mentionem, quae apud Polyb. in Exc. Legat. num. 77. et 85. obcurrit, in Livio non inveni: sed cum multis aliis excidisse videtur temporum injuria ex fine libri 43. ut eo loco notavi.

Pantauchum misit] Ita recte Gronov. anno 1665. edidit. Priores male praeferunt *Pantaucum*. Vide ad 42, 39, 7.

§. 3. *Medeone Labeatidis terrae*] *Medione*, ut ante dixi [ad 36, 11, 10.] ex Stephano. Quamquam Polybius lib. 2. [cap. 2. et seqq.] *Μυδιωνίους* vocat, non *Μεδιωνίους*. SIGON. Verum est, *Μεδίων* memoratur Stephano, verum *πρὸς τῇ Αἰτωλίᾳ*, sive juxta Aetoliam, sita esse dicitur; quod urbi hic memoratae convenire nequit, sed potius Medioni Acarnaniae, cujus Livius meminit 36, 11, et 12. Vide, quae ibi notantur. Quaerimus hic urbem *Labeatidis terrae*, sive Labeatum, quos Plinius 3, 22. in ea parte Illyrici sitos docet, quae proprie vocatur Dalmatia. Eorum regem Gentium esse, Livius supra testatur 43, 19. ad cujus regnum pertinebat urbs Lissus, ut colligitur ex Livii 44, 30. et Polybii Exc. Legat. num. 76. regni autem metropolis erat Scodra. V. Livii 44, 31. Nihil igitur verisimilius adparet, quam illam intelligi Medeona, quae Stephano Byz. in Epiro sita fuisse dicitur. Ita enim inquit in voce *Μεδεών*. *Ἔστι δὲ καὶ τῆς Ἠπείρου πόλις καὶ κώμη*. Et sane terrae Labeatidis urbem non *Μεδιῶνα* sed *Μεδεῶνα* dictam fuisse, indicant vestigia lectionis, licet corruptae, apud Polyb. in Exc. Legat. num. 85. ubi eamdem, quam hic Livius, historiam narrans dicit: *Ὁ δὲ Πάνταυχος ἐξαντῆς ποιησάμενος τὴν ὁρμὴν, καὶ παραγενόμενος εἰς Μετέωνα, τῆς Λιβιτιάδος*. Ubi, in nomine urbis unica tantum litera mutata, Ursinus recte ex Livio *εἰς Μεδεῶνα τῆς Λαβεατιάδος* legendum docuit. Infra etiam cap. 32. *Medeonem Labeatium gentis urbem* Livius memorat; ubi pariter ita omnes editi praefe-

troque darentur, Pantauchum misit, ex fidissimis amicis, ad ea perficienda. Medeone Labeatidis terrae Pantauchus regi Illyrio obcurrit: ibi et jusjurandum ab rege et obsides accepit. missus et a Gentio est legatus, nomine Olympio, qui jusjurandum a Perseo obsidesque exigeret. Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt, et, auctore Pantaucho, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent, Parmenio et Morcus destinantur. quibus ita mandatum, uti, jurejurando, obsidibusque, et pecunia accepta, tum demum Rhodum proficiscerentur: *duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad*

3 4 5

runt, et Sigonius nihil monet: quem hic *Medionem* Acarnaniae et *Medeonem* Illyrici urbem perperam confudisse, constat. An autem hic indicentur, qui *Mυδιώνιοι* vocantur Polyb. 2, 2. 3. et 4. non liquet. Eorum urbs ibi *Mυδιωνία* vocatur, et ad mare sita erat.

§. 4. *Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt: et auctore Pantaucho, qui Rhodum* etc.] Distingue: *Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt et auctore Pantaucho, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent: Parmenio et Morcus destinantur.* J. FR. GRON. Potius distinguo *missi sunt, et, auctore Pantaucho, qui Rhodum.* Gentius primo legatum ad Persea misit Olympionem, qui jusjurandum et obsides ab eo exigeret; ei sponte addidit, qui pactam pecuniam curarent: addidit etiam Parmenionem et Morcum, sed a Pantaucho persuasus, qui in Macedoniam primo profecti, ubi regem in verba foederis juraſſe, obsides tradidiſſe, et pecuniam adnumeraſſe vidiſſent, poſtea cum ipsius Persei legatis in insulam Rhodum abirent. Polyb. in Exc. Legat. num. 85. Ἐυδέως ὁ Γέντιος ἅμα τοὺς ὁμήρους ἔπεμπε, τοὺς ὑπὸ τοῦ Πανταύχου καταγραφέντας· καὶ σὺν τούτοις Ὀλυμπίωνα, παραληψόμενον τοὺς ὅρκους καὶ τοὺς ὁμήρους παρὰ τοῦ Περσέως· ἑτέρους δὲ τοὺς περὶ τῶν χρημάτων ἕξοντας τὴν ἐπιμέλειαν· σὺν δὲ τοῖς προειρημένοις, ἐπείσθη ὁ Πάνταυχος τὸν Γέντιον καὶ πρεσβευτὰς συνεξαποστέλλειν. οἵτινες ἅμα τοῖς παρὰ τοῦ Περσέως πεμπομένοις εἰς τὴν Ῥόδον πρεσβεύωσιν, ὑπὲρ τῆς κοινῆς συμμαχίας· τούτου γενομένου καὶ συνεμβάντων τῶν Ῥοδίων εἰς τὸν πόλεμον, τελέως εὐκαταχωνίστους ἐσομένους ἀπέφαινε τοὺς Ῥωμαίους. ὁ δὲ πεισθεὶς τοῖς παρακαλουμένοις καὶ προχειρισάμενος Παρμενίωνα καὶ Μόρκον ἐξαπέστειλε, δοὺς ἐντολὰς, ὅταν λάβωσι τοὺς ὅρκους παρὰ τοῦ Περσέως, καὶ τοὺς ὁμήρους, καὶ περὶ τῶν χρημάτων γένηται σύμφωνον, πρεσβεύειν εἰς τὴν Ῥόδον. Similiter locum distinxit et

6 *bellum Romanum posse. adjunctam civitatem, penes*
quam unam tum rei navalis gloria esset, nec terra
7 *nec mari spem relicturam Romanis.* Venientibus
Illyriis Perseus, ab Enipeo amni ex castris cum omni
8 equitatu profectus, ad Dium obcurrit. Ibi ea, quae
convenerunt, circumfuso agmine equitum facta;
quos adesse foederi sancitae cum Gentio societatis
volebat rex, aliquantum eam rem ratus animorum
9 iis adjecturam. et obsides in conspectu omnium dati
acceptique: et, Pellam ad thesauros regios missis,
qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum

intellexit Crevierius, qui insuper totam Livii periodum ita transposuit: *cum Macedonibus irent: duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad bellum Romanum posse. Adjunctam civitatem, penes quam unam tum rei navalis gloria esset, nec terra nec mari spem relicturam Romanis. Parmenio et Morcus destinantur: quibus ita mandatum, uti jurejurando, obsidibusque, et pecunia accepta, tum demum Rhodum proficiscerentur. Venientibus Illyriis* etc. Caussas mutationis reddit, primo quod in his *duorum simul regum* agnoscere videtur verba Pantauchi, impellentis Gentium ad mittendos Rhodum legatos. deinde quod, ut haec vulgo conlocata sunt, verbum *destinantur* redundat; at in ordine, quem struit, idem omnino necessarium est. tertio quod Polybius eumdem plane ordinem repraesentat, quem hic restitutum vult. Verum non persuadet. In his enim *duorum simul regum* agnosco Gentium caussam reddentem, cur voluerit, ut legati Rhodum mittendi antea in Macedoniam proficiscerentur, et simul cum Persei legatis Rhodon abirent. Deinde *destinantur* non redundat, si verba distinguantur, ut in contextu feci. Cohaerent enim, missi sunt ad pecuniam accipiendam, et, auctore Pantaucho, Parmenio et Morcus destinantur, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent. Antea distinguebatur *cum Macedonibus irent: Parmenio et Morcus destinantur.* Denique non serviliter adeo ordinem, quo Polybius sua proponit, Livius ubique secutus est, ut, ubi in vulgatis edd. ab eo discedit, omnia etiam invitis codd. ad ejus exemplum inmutanda sint. Accedit aliter Polybium, aliter Livium hic sua enunciasse. Apud Polybium Pantauchus dicit, Gentio sibi suadenti obtemperante, et Rhodiis belli societatem incuntibus, Romanos facile superari posse. a quibus diversa esse, quae Livius dixit, ex verbis ejus adparet. Ceterum recte Gronov. *destinantur* edidit. Priores legunt *destinatur*.

§. 8. *Ibi ea, quae convenerant, circumfuso agmine equi-*

Illyriis legatis, Theſſalonicae conscendere juſſi. Ibi 10
Metrodorus erat, qui nuper ab Rhodo venerat: auctoribusque Dinone et Polyarato, principibus civitatis ejus, adfirmabat, Rhodios paratos ad bellum eſſe. is princeps junctae cum Illyriis legationis datus eſt.

XXIV. Eodem tempore ad Eumenem et ad An- 1
tiochum communia mandata, quae subjicere conditio rerum poterat. *Natura inimica inter se esse li-* 2
beram civitatem et regem. Singulos populum Romanum adgredi, et, quod indignius sit, regum vi-

tum facta] Ita primus Gronovius anno 1665. edidit; eamque lectionem omnes recentiores servarunt. Superiores, quas vidi, editiones legunt *convenerunt*. Id vero mutandi cauſſam non video: quare Livio reddidi.

§. 9. *Et, Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum* etc.] Cl. Jac. Perizonius ad marginem Livii conjecit *missi, qui pecuniam acciperent: qui Rhodum* etc. et cum his conferri juſſit Polyb. in Exc. Legat. num. 83. Ἔπειτα δὲ τοὺς ὁμήρους παρελάμβανε, καὶ παρεδίδου τοὺς ἑαυτοῦ τοῖς περὶ Ὀλυμπίωνα, etc. Μετὰ δὲ ταῦτα, τοὺς μὲν ἐπὶ τὰ Χρήματα παρόντας εἰς Πέλλαν ἐξέπεμπεν, ὡς ἐκεῖ παραληψομένους· τοὺς δὲ πρεσβυτὰς τοὺς εἰς τὴν Ῥόδον, εἰς Θετταλονίκην πρὸς Μητρόδωρον συντάξας ἑτοίμους εἶναι πρὸς τὸν πλοῦν. Similiter etiam ultima Sigonii editio, quae poſt mortem ejus Venetiis anno 1592. prodiit, praefert. Verum, quum edita lectio commodum sensum praebeat, et Livius plerumque mentem Polybii exprimere, non vero semper ejus verba et orationis ſtructuram reddere consuerit, nihil mutandum duco.

§. 10. *Dinone et Polyarato, principibus civitatis*] *Dione* omnes edd. vett. et hic et alibi semper id nomen scribunt; ut 44, 29. et 45, 22. Sed recte Gronovius *Dinone* edidit. Saepius *Dinonis* et *Polyarati*, tamquam principum factionis, quae apud Rhodios Romanis adversabatur, meminit Polyb. in Exc. Legat. V. num. 67. ubi ſtudii eorum causſam dedit, 70. 77. et 87. Mox *princeps junctae cum Illyriis legationi datus est*, pro *legationis*, malebat Crevierius.

§. 1. *Eodem tempore ad Eumenem et ad Antiochum communia mandata*] Verbum huic orationi deeſt. Ex fine autem cap. proximi *datus est* videri poſſet, hic supplendum eſſe *data sunt*: sed potius exiſtimo, plures voces aut integrum versum a fine periodi excidiſſe. Conſtat enim ex Polybii Exc. Legat. num. 83. Perseum, quum ordinaſſet, quae cap. praecedenti narrata sunt, legatos ad Eumenem et Antiochum a prioribus diversos mi-

ribus reges obpugnare. Attalo adjutore, patrem
3 suum obpressum. Eumene adjuvante, et quadam
ex parte etiam Philippo patre suo, Antiochum obpu-
gnatum, in se nunc et Eumenem et Prusiam arma-
4 tos esse. Si Macedoniae regnum sublatum foret,
proximam Asiam esse; quam jam ex parte, sub
specie liberandarum civitatium, suam fecerint: de-
5 inde Syriam. Jam Prusiam Eumeni honore prae-
ferri, jam Antiochum victorem praemio belli ab Ae-
6 gypto arceri. Haec cogitantem providere jubebat,
ut aut ad pacem secum faciendam compelleret Ro-
manos, aut perseverantes in bello injusto communes
7 duceret omnium regum hostes. Ad Antiochum aper-
ta mandata erant, ad Eumenem per speciem capti-
vorum redimendorum missus legatus erat: verum oc-

siſſe, et quidem ad illum Cryphontem, ad hunc Telemnaſtum Cretenſem; quod ex his Livii verbis colligi nequit: quum tamen de eadem re agi oſtendant, quae Livius de actis inter Eumenem et legatum Persei subdit.

§. 3. *Et Eumenem et Prusiam armatos esse*] *Prusian* eſt in ed. principe, pro quo Basileenses anno 1553. dederunt *Prusiam*. Gronovius deinde anno 1665. revocavit *Prusian*; at alterum Clericus: quod etiam praeferendum puto, quia Livium alibi semper *Prusiam*, quam more Graecorum *Prusian*, maluiſſe codd. evincunt; qui et supra 29, 12. potius *Prusia Bithyniae rex*, quam *Prusias*, dixit. Vide Voſſ. 4. Art. Gramm. 2. et 3. Quin et ipso hoc cap. iterum sequitur *Prusiam*.

§. 5. *Antiochum victorem praemio belli ab Aegypto arceri*] Ipsa Aegyptus praemium belli accipienda: itaque, etsi poſſis eodem sensu intelligere, quasi sit dictum *ab Aegypto praemio belli*, malim tamen deleri praepositionem. J. FR. GRON. Id convenit, per *praemium belli* ipsam Aegyptum intelligi. Itaque Gronovio, *praemio belli Aegypto* legenti, non adversor. Ita enim sine praepositione hoc verbum Livium conſtruxiſſe, vidimus ad 5,8,8. et 26, 21, 6. Poſſes tamen etiam *a praemio belli ab Aegypto arceri*.

§. 7. *Eumenem falsis gravioribus. Proditor enim*] Manca sententia eſt. Duas has voces aut his similes intercidiſſe puto: *falsis gravioribus criminibus onerarunt*. Quae haec crimina graviora sint, exponit: *Proditor enim ac prope hostis habitus*. SIGON.

§. 9. *Iterum cum Antiocho*,

cultiora quaedam agebantur, quae in praesentia invisum quidem et suspectum Romanis Eumenem falsis gravioribus **. Proditor enim ac prope hostis habitus, dum inter se duo reges captantes fraude et avaritia certant. Cydas erat Cretensis, ex intimis Eumenis: hic prius ad Amphipolim cum Chimaro quodam populari suo, militante apud Persea, inde postea ad Demetriadem, semel cum Menecrate quodam, iterum cum Antimacho, regiis ducibus, sub ipsis moenibus urbis conlocutus fuerat. Eropon quoque, qui tum missus est, duabus ad eumdem Eumenem jam ante legationibus functus erat. Quae conloquia occulta et legationes infames quidem erant: sed, quid actum esset, quidve inter reges conveniisset, ignorabatur. Res autem ita sese habuit,

8 9 10 11

regiis ducibus] Scribe *eum Antimacho*. ut supra [cap. 13, 9.] *Fama fuit, per Cydam Cretensem et Antimachum, qui Demetriadi praeerat, tractatas inter Eumenem et Persea conditiones amicitiae.* J. FR. GRON.

§. 10. *Eropon quoque, qui tum*] Etiam *Eropon* ille falso nomine. Scribe *Cryphon quoque, qui tum missus est, duabus ad eundem Eumenem jam ante legationibus functus erat.* Polybium do auctorem in Excerptis legationibus [num. 85.] *Κρυφῶντα μὲν ἐξέπεμψε πρεσβευτὴν πρὸς Εὐμένη καὶ πρότερον ἤδη ἀπεσταλμένον.* Idem restitue inferius cap. 27. *Et ab Eumene Cryphon, ignotis, quae occulte acta erant, redit.* Et statim sequenti: *Perseus post reditum ab Eumene Cryphontis spe dejectus.* Nisi ubique *Euryphon* faciendus. Aristotoles lib. 2. Polit. [8.] *Ἱππόδαμος Εὐρυφῶντος Μιλήσιος.* J. FR. GRON. Nisi terminatio obstaret, conjici posset *Aëropus*, quod notum apud Macedonas et Epirotas nomen erat. Livius 27, 32. 29, 12. Polyaen. Strateg. 4, 1, 3. Vide, quae Perizon. ad Aelian. 12. Var. Hist. 43. et quae alii ad Justin. 7, 2, 2. adnotarunt. Sed non est, cur a Polybio discedatur, etsi *Cryphon* non valde obvium nomen est: nam plura hujusmodi sunt. DUKER.

§. 11. *Res autem ita se habuit*] Ita Frobenius anno 1535. edidit, et ex eo reliqui in hunc diem. At princeps editio *ita sese habuit*: a qua cur posteriores discedere voluerint, non video; nisi forte causa operarum neglegentiae adscribenda sit.

§. 1. *Neque bello eum invadere animo habuit*] Lege *in animo habuit*. Sic enim paulo ante [c. 8.] *Extrahere ejus tem-*

1 XXV. Eumenes neque favit victoriae Persei, neque bello eum invadere animo habuit: non tam
quia paternae inter eos inimicitiae erant, quam
2 ipsorum odiis inter se accensae. Non ea regum
aemulatio, ut aequo animo Persea tantas adipisci
opes, tantamque gloriam, quanta Romanis victis
3 eum manebat, Eumenes visurus fuerit. Cernebat
et Persea, jam inde ab initio belli, omni modo spem
pacis tentasse, et in dies magis, quo propior ad-
moveretur terror, nihil neque agere aliud, neque

pus aestatis in animo habebat. SIGON. Prima editio et fidelius eam secutae *invadere animo habuit.* Mutavit Sigonius: et quidem male. Lucilius lib. 29. (apud Non. Marc. voce *Grave.*) *Habeasque animo, mihi admodum causam gravem fore, quae me ab ullo commodo abducat tuo.* Varro 5. de L. L. (pag. 55.) *Et istum prolocutum dicimus, cum, animo quod habuit, extulit loquendo.* Sallustius Jug. (11.) *Atque ea modo animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur.* Sic MSS. Ovidius 9. Met. (539.) *Quamvis animo grave vulnus habebam.* Auctor de B. Hispan. in literis Cn. Pompeji (c. 26.) *Cohortes animo habeo ad vos mittere.* Cicero Timaeo c. 3. *Quocirca si forte de Deorum natura ortuque mundi disserentes minus id, quod habemus animo, consequimur, ut tota dilucide et plane exornata sibi constet.* Ita enim distinguimus, non ut vulgo: *quod habemus, animo consequimur.* Neque *habere* hic est cupere, ut voluerunt: sed *habere animo* est propositum habere, constituisse, decreviſſe. Ad Attic. 1. Ep. 6. *Domum Rabirianam Neapoli, quam tu jam dimensam et aedificatam animo habebas.* J. FR. GRON. *in animo habere,* ut Sigonius emendandum censuit, aliquoties apud Livium obcurrere, verum est. Exempla vide 34, 58, 12. et 37, 28, 8. non tamen ideo omnia ad hanc formulam exigenda, eamdemque locutionem variis modis efferendi libertas circumcidenda, aut Livio eripienda est. De locutione *animo habere* vide Cortium ad Salluſt. Jug. 11. ubi monet, Gronovium eodem modo *animo esse,* pro *in animo esse,* Livio adseruisse ad 31, 18, 4. Similiter Livius non tantum dixit *in eodem statu esse,* ut vidimus ad 35, 8, 2 sed etiam *eodem statu esse.* Vide ad 3, 68, 3.

Non tam quia paternae inter eos inimicitiae erant, quam ipsorum odiis inter se accensae. Non ea etc.] Si haec sana sunt, non volo dissimulare, me sensum eorum non percipere. Livius duo dicit: unum, Eumenem non faviſſe victoriae Persei; alterum, non habuisse animo, bello eum invadere. Deinde causam, cur non voluerit Persen victorem esse, exsequitur, usque ad verba *Cernebat et Persea:* a quibus incipit exponere, cur

cogitare. Romanos quoque, quia traheretur diu- 4
tius spe ipsorum bellum, et ipsos duces, et senatum, non abhorrere a finiendo tam incommodo ac difficili bello. Hac utriusque partis voluntate explo- 5
rata, quod fieri etiam sua sponte taedio validioris, metu infirmioris credebat posse, in eo suam operam venditare concilianda gratia magis cupiit. Nam, 6
modo ne juvaret bello Romanos terra marique, modo pacis patrandae cum Romanis paciscebatur mercedem: ne bello interesset, mille et quingenta talenta.

cum bello invadere in animo non habuerit. In hac narratione omnia satis perspicua sunt, et summa huc redit, Eumenem inhiasse pecuniae, et speravisse, se pace inter Romanos et Persen conciliandа ab hoc caput unctius relaturum. Sed in ea, quae causam continet, cur Eumenes non faverit victoriae Persei, verba *Non ea aemulatio regum* non mediocri obscuritate involuta sunt. Nam nec apparet, quomodo praecedentibus adnectantur et cohaereant, nec quid sit, quod *non ea regum aemulatio* fuisse dicitur, ut Eumenes aequo animo visurus fuerit, Persen Romanis victis magnas opes magnamque gloriam adipisci. Nam illa ipsa aemulatio causa erat, cur Eumenes non faveret victoriae Persei. Quid Livius scripserit, plane incertum est. Sed mihi videtur dixisse, praecipuam causam, cur Eumenes non voluerit, Romanos a Perseo vinci, fuisse ipsorum inter se aemulationem. Si haec Livii mens fuit, eam conjectura non audaciissima, ut puto, adsequemur, si locum ita legamus, *non tam quia paternae inter eos inimicitiae erant, etiam ipsorum odiis inter se accensae, quam ea regum aemulatio*; id est, expletis e praecedentibus *quia* et *erat*, quia ea regum aemulatio erat. Sed de hoc aliorum judicium esto. Mihi satis est dixisse, cur vulgatam scripturam non intelligam. DUKER. Vide, num minori mutatione legi possit, *non tam quia paternae inter eos inimicitiae erant; quam ipsorum odiis inter se accensis, non ea regum aemulatio.*

§. 6. *Pacis patrandae cum Romanis*] *Pacem patrare* legitur in inscriptione mutila apud Liv. 40, 52, 5. *perpetrare pacem* 33, 21, 6. An, quorum interventu pax conciliatur, *pacem patrare* dicuntur? DUKER. V. ad 2, 26, 4.

Paciscebatur mercedem, ne bello interesset. M. et D. talenta in utroque non fidem modo se] Inscite interpuncta verba depravant omnem hanc sententiam. Est autem ita distinguendum: *paciscebatur mercedem ne bello interesset mille, et quinquaginta talenta.* Inde: *In utroque non fidem modo se.* Utrumque autem intelligit, nec Romanos bello juvaturum, et pacem cum Romanis ei comparaturum. Sic paulo post [cap.

7 in utroque non fidem modo se, sed obsides quo-
8 que dare paratum esse, ostendebat. Perseus ad rem inchoandam promptissimus erat, cogente metu, et de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat,
9 conveneratque, ut accepti Cretam mitterentur. Ubi ad pecuniae mentionem ventum erat, ibi haesitabat: et utique alteram in tanti nominis regibus turpem ac sordidam, et danti, et magis accipienti, merce-
10 dem esse. Malebat in spem Romanae pacis non re-

27.] ccc. talenta Gentio ob belli societatem a Perseo promissa ait. SIGON. Sigonius, distinctione mutata, omnes hic consiluisse turbas putat. Ego tristiora vereor. Appianus in Excerptis (Peiresc. pag. 562.) *Τάλαντα δ' ἦγεν τῆς μὲν διαλύσεως χίλια καὶ πεντακόσια, τῆς δὲ ἡσυχίας χίλια.* Videtur in Livio deesse aliquid, quod hunc exprimeret sensum: *ne bello interesset mille; pacis conciliandae caussa mille et quingena talenta.* Tum scribendum: *In utrumque non fidem.* Justin. lib. 11. [12.] *Redimendarum sibi captivarum potestatem faciat, inque eam rem magnam pecuniam pollicetur.* Eodemque libro [cap. 15.] *In quam rem unicum pignus fidei regiae dextram se ferendam Alexandro dare.* J. FR. GRON. Livius 32, 24. *Fide in haec data.* 28, 17. *In id modo fide accepta, tutum adventum fore.* DUKER. Dubitari nequit, quin interpunctio a Sigonio damnata vitiosa sit. Ea vero originem habet ex ed. Vascosani; unde in nonnullas propagata est, quum tamen pleraeque distinctionem post vocem *interesset* non agnoscant. Praeterea sententiam Gronovii, hic aliquid excidisse, verisimillimam reddit Appiani locus laudatus. Et quidem repetitio vocis *mille*, ut omnia media omissa sint, caussa fuisse videtur. V. ad 9, 11, 11. Deinde *in utrumque* ut 30, 12, 18. *Data dextera in id, quod petebatur, obligandae fidei.* 32, 30, 8. *In id data fides consuli est, ut in acie aut quiescerent, aut adjuvarent Romanos.* Mox hoc cap. *Malebat in spem Romanae pacis non recusare inpensam.* V. Freinshem. Ind. Curtii in voce *Dare.*

§. 9. *Et utique alteram* etc.] Appianus Exc. Peiresc. p. 562. *Τῆς μὲν ἡσυχίας ὀυκ ἔφη δώσειν οὐδεν' αἰσχύνην γὰρ φέρειν ἀμφοτν. Τὰ δὲ διαλύσεως οὐ προδώσειν.* DUKER.

§. 10. *Malebat* etc. *non recusare inpensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum*] Vide, num legendum *non recusare inpensam. Se eam pecuniam perfecta re daturum.* Si tamen servanda est vulgata interpunctio, legendum erit *daturus*, et mox *depositurus.* vel *sed se eam pecuniam.*

§. 11. *An Pellae pecunia esset*] Crevierius legendum putat *ibi, an Pellae pecunia esset.*

§. 1. *Quum pecuniam tutam et pacem habere per Eumenem*, etc. *ac receptus protrahere inimicum*] Quid opus argumen-

cusare inpensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum; interea Samothracae in templo depositurum. Ea insula quum ipsius ditionis esset, videre 11
Eumenes nihil interesse, an Pellae pecunia esset: id agere, ut partem aliquam praesentem ferret. Ita, 12
nequidquam inter se captati, nihil praeter infamiam movere.

XXVI. Nec haec tantum Perseo per avaritiam 1
est dimissa res, quum pecuniam tutam et pacem ha-

tis? Locus ipse clamat se pessime habere. Vide, an sic queat instaurari: *quum pecunia tantula aut pacem habere per Eumenem, quae vel parte regni redimenda esset, aut deceptus protrahere inimicum mercede onustum, et hostes merito ei Romanos posset facere.* Verbum *protrahere* sic habes lib. 27, [3, 1.] *Novum in occulto gliscens per indicium protractum est facinus.* Lib. 33, [28, 11.] *Quem indicem Pisistratus timens, eo ipso timore ad indicium protraxit.* Lib. 45, [5, 9.] *Suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret.* Epitoma 127. *Nefaria contra Caesarem molitum indicio suo protraxit.* Valer. Max. [2, 5, 3.] *Unius ancillae indicio protractae.* J. FR. GRON. Mihi magis liquet, locum contaminatum esse, quam *deceptus* sententiae illius convenire: primum, quia avaritia Persei, si, pecunia Eumeni pacis cum Romanis conciliandae causa data, ab eo deceptus fuisset, reprehendi non posset: deinde, quia non deceptus idem, quod deceptus, facturus, et Romanos Eumeni hostes redditurus erat Perseus. Livius, si recte mentem illius capio, hoc dicit, Perseum pecunia Eumeni danda duas res sibi utilissimas consequuturum fuisse: primum, eo conciliante utique pacem a Romanis impetraturum: deinde, ea impetrata, prodendo, quae occulte inter se et Eumenem acta fuerant, animos Romanorum ab eo alienaturum fuisse, si intellexissent, eum non studio ac benevolentia erga hanc, aut illam partem, ductum de reconcilianda inter eos amicitia laborasse, sed aviditate pecuniae incensum suam solius utilitatem in ea re spectasse. Nec est, quod quis dicat, non credibile esse, Perseum pro tanto beneficio tam ingrato animo adversus Eumenem futurum fuisse, ut Romanos ei hostes facere vellet. Nam quod in dies a privatis fieri videmus, ut non modo beneficiorum acceptorum facile obliviscantur, verum etiam saepe optime de se meritis pro gratia odium, injurias, ac damna reddant, si quid in eo lucri et privatae utilitatis vident, id plerosque reges quoque semper et factitasse, et facturos esse, credi potest ac debet. Intererat autem Persei, si a Romanis in regno relictus fuisset, opes Eumenis minui, eumque quam infirmissimum esse; quod ea maxime ratione efficere poterat, si Romanos odio illius imbuisset, et ei

bere per Eumenem, quae vel parte regni redimenda effet, ac receptus protrahere inimicum mercede onuſtum, et hoſtes merito ei Romanos poſſet
2 facere: sed etiam Gentii regis parata societas, et tum Gallorum, effusorum per Illyricum, ingens a-
3 gmen oblatum avaritia dimiſſum eſt. Veniebant de-

inimicos reddidiſſet. Si haec eſt sententia hujus loci, legi poſſet, *quum pecunia et tutam pacem habere per Eumenem*, etc. *et receptus* etc. *posset. tutam pacem* dixit Lucan. 10, 332. *Velut in tuta securi pace.* Mille et quingenta talenta, quae Eumenes pacis conciliandae causa poscebat, ad regnum comparata, *tantula pecunia* quidem dici poſſunt; sed *tantula* mihi nimis longe a *tutam* recedere videtur. *receptus* puto retineri, et exponi poſſe, Eumene conciliante in amicitiam a Romanis receptus. Sed judicet quisque ex sensu suo. DUK. Doujatius primam partem emendationis Gronovianae rejecit, ac tuetur vulgatum *quum pecuniam tutam et pacem habere per Eumenem. pecuniam* autem *tutam* exponit depositam, nempe apud Cretam, ut Eumenes volebat. Verum, inter Persen et Eumenem conveniſſe, ex cap. praec. patet, non ut pecunia, sed ut obsides Cretam mitterentur. Deinde non Eumenes, sed Perseus voluit, ut pecunia Samothracae in templo deponeretur; ut praeter Livium dicto loco narrat etiam Appian. in Exc. Peiresc. pag. 562. At contra Eumenes, quum Samothrace Perseo pareret, probe videbat, eam ibi aeque in poteſtate ejus futuram, quam si Pella non efferretur, et eam ob cauſſam id agebat, ut certe partem pecuniae praesentem ferret. Vanum itaque eſt patrocinium, quo Doujat. *pecuniam tutam* vindicare conatus eſt, caque verba defendi non poſſe videntur. Gronovius in pr. ed. not conjecit *quam pecunia tantula pacem habere per Eumenem*, etc. *ac recepta* (scilicet pace) *protrahere inimicum* etc. At pleraque eorum, quae Clar. Dukerus conjecturae ejus, quam poſtea huic subſtituit, objecit, etiam contra hanc militant. Quid igitur, si legamus *quum et pecunia tutam pacem habere per Eumenem*, etc. *et ea recepta protrahere inimicum* etc.? *receptus* simpliciter pro in amicitiam receptus paullo durius videtur, et hinc pro *ac receptus* lego *et ea recepta*. Voculam autem *et* interceptam puto ab ultimis literis praecedentis dictionis *esset*, tum *ac* muto in *ea*. At de hac conjectura arbitrium lectoris eſto. Optime vero Gronovius verbum *protrahere* illuſtravit, quod de eo usurpari solet, quod in occulto latens luci exponitur, in lucem prodire cogitur. Valer. Max. 1, 5, 8. *Ut rapacissimi victoris insolentiam dicti tumore protraheret.* ubi vide Perizon. Tacit. 3. Hiſt. 86. *Pudenda latebra semet occultans ab Julio Placido tribuno cohortis protrahitur.* 4. Hiſt. 1. *Mox augescente licentia scrutari ac protrahere abditos.* Quinctil. 9. Inſt. 2. pag. 776. ed. Burm. *His et adversariorum cogitationes, velut secum loquentium, protrahimus.* et Declam. 4, 14. *Ex illa*

cem millia equitum, par numerus peditum, et ipsorum jungentium cursum equis, et in vicem prolapsorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos. Hi 4 pacti erant, eques denos praesentes aureos, pedes quinos, mille dux eorum. Venientibus his Perseus 5 ab Enipeo ex castris profectus obviam cum dimidia

rudi primaque caligine protractum posuit in vultum. ubi vide Viros doctos.

Parte regni redimenda esset] Id est, emenda esset. Sallust. Jug. 29. *Jugurtha primum tantummodo belli moram redimebat.* Ubi vide Cortium. Justin. 43, 9. *Aurum argentumque publicum privatumque contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemtam pacem cognoverant.* Contrario sensu *redimere bellum* non est emere bellum, sed potius data pecunia efficere, ne bellum inferatur. Justin. 6, 1. *Indignum ait, bella non perfici, sed redimi; hostem pretio, non armis, submoveri.* 7, 5. *Bellum ab Illyriis, pacta mercede et Philippo fratre dato obside redemit.* Usurpari etiam pro rependere, pensare, docuerunt Burm. ad Nason. 17. Her. 49. et Cortius ad Sall. Catil. 14.

§. 2. *Et tum Gallorum, effusorum per Illyricum, ingens. agmen*] Vox ultima non est in prima editione, nec apud Curionem. Gryphio insertam video. Sed quid sibi vult hic *τὸ tum*? in hoc, aut valde fallor, aut latet ea vox, quae desideratur, sive ea *auxilium*, sive *agmen* fuerit. J. FR. GRON. Duas ante oculos habeo edd. Gryphianas, alteram anni 1548. alteram anni 1554. sed neutra agnoscit vocem *agmen*, quam demum inveni in ed. Paris. anni 1573. Per hos autem Gallos intelligendi sunt Bastarnae. *Γαλάται οἱ Βασάρναι καλοῦνται* dicuntur Plut. in Aemilio Paull. pag. 259. Postea vero pag. 260. et 261. eos promiscue modo *Βασάρναι*, modo *Γαλάται* adpellat. *Γαλάται* etiam vocat Diod. Sicul. in Exc. Peiresc. pag. 313. Parum refert, utrum Gallicam, an Germanicam gentem dicamus, fuisse enim Gallos Germanis permixtos existimat Vales. ad Exc. Peiresc. pag. 79. Bastarnas tamen non Gallos, sed Germanos fuisse, docent Plinius aliique, quos Livius hic, et Plut. ac Diod. Sic. *Gallos* vel *Γαλάται* vocarunt exemplo Polybii, cujus tempore verum discrimen inter Gallos et Germanos Graecis adhuc incognitum erat. Vide Cluverii 3. Germ. Antiq. 43. *Γέται* vocantur App. Alexandr. in Exc. Peiresc. 562. Habitarunt autem ad Istrum. Plut. l. laud. *Ὑπεκίνει δὲ καὶ Γαλάτας τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον ᾠκημένους, οἱ Βασάρναι καλοῦνται.* Et quidem trans Istrum. Supra 40, 57. et Oros. 4, 20. Hinc ex patria profecti, ut Perseo opem ferrent, Istrum trajecere. Vide Diod. Sic. in Exc. Peiresc. pag. 313. et Appian. Alex. ibid. pag. 562.

§. 3. *Veniebant decem millia equitum*] Cum his confer Appian. Alex. in Exc. Peiresc. pag. 562.

Jungentium cursum equis] De hoc more Gallorum Pausanias in Phocic. [cap. 19.] Plutarchus

copiarum parte denunciare per vicos urbesque, quae viae propinquae sunt, coepit, ut commeatus expedirent, frumenti, vini, pecorum ut copia esset. 6 ipse equos, phalerasque, et sagula, donum principibus ferre, et parum auri, quod inter paucos di- 7 videret, multitudinem credens trahi spe posse. Ad Almanam urbem pervenit, et in ripa fluminis Axii posuit castra. circa Desudabam in Maedica exercitus Gallorum consederat, mercedem pactam oppe- 8 riens. Eo mittit Antigonum, ex purpuratis unum, qui juberet, multitudinem Gallorum ad Bylazora (Paeo-

in Aemilio Paullo [p. 260.] Caesar [1. B. Gall. cap. 48.] HENR. VALELIUS.

§. 7. *Ad Almanam urbem pervenit*] Ego tamquam tabularum corruptarum hunc scribam accusare possum, qui *Albanam* puto a Livio editum esse: et *Albanopolis* a Ptolemaeo lib. 3. Geogr. [13.] illis in locis ponitur. Erat et *Amantia* in Oresti-de Macedoniae. TURNEBUS 30. Advers. 37. De Turnebi conjectura se subdubitare, testatur Ortel. in Thes. Geogr. voce *Almana*. Ipse vero postea in voce *Almon* credit, *Almanam* a Livio vocari, quae Plinio 4. Hist. Nat. 8. *Almon* Thessaliae oppidum dicitur, et eodem tefse ab aliis *Elmon* adpellatur. At neutra intelligi posse videtur. Perseus enim, qui castra ad Enipeum metatus erat, ut Gallis a parte Macdicae adventantibus obcurreret, neque Albanopolim, quae versus sinum Hadriaticum sita erat, neque in Thessaliam, cujus oppidum Almon erat, abire debuit, sed ad interiora Macedoniae versus Thraciam. Et id patet ex Livio, qui Persen ex castris progressum ad Almanam urbem perveniss̄e, et in ripa fluminis Axii castra posuisse narrat. *Almana* igitur urbs fuit Macedoniae, vel in ripa Axii, vel non longe inde sita, cujus praeter Livium nemo meminit.

Circa Desudabam in Medica exercitus Gallorum consederat] *Maedica*, ut ante ex Graecis. Hac de re Plutarchus item in Paullo [pag. 260.] ubi ait: ὡς δὲ περὶ τὴν Μαιδικὴν κατασπαρο-πεδεύσαντες ἐμίγνυντο τοῖς παρὰ τοῦ βασιλέως, etc. SIGON. *in Maedica* omnes ante Sigonium editiones praeter solam Basil. anni 1554. quae errore operarum *in Medica* praefert. In loco vero Plutarchi, quem Sigonius laudat, perperam typis descripti Μηδικὴν, pro Μεδικὴν, vel Μαιδικὴν, praeferunt. Populos enim Asiae Graecos Μηδοὺς, Thraciae Μεδοὺς vel Μαιδοὺς vocasse, vidimus ad 26, 25, 6. Adde Casaub. ad Strab. 7, 295. et 316. Ceterum Jac. Gro-

(Paeoniae is locus est) castra movere, principes ad se venire frequentes. septuaginta quinque millia ab Axio flumine et castris regis aberant. Haec man- 9
data ad eos quum pertulisset Antigonus, adjecisset-que, per viam quanta omnium praeparata cura regis copia multitudini foret, quibusque muneribus principes advenientes, vestis, argenti, equorumque excepturus rex esset, de his quidem se coram cognituros respondent. illud, quod praesens pepigissent, 10
interrogant, ecquid aurum, quod in singulos pedites equitesque dividendum esset, secum adduxisset? Quum ad id nihil responderetur, Clondicus 11

nov. Dissert. Epist. ad Livii loc. Geogr. Ep. 5. pag. 41. praefatus verisimile non esse, *Desudabam*, vocem tam bonae Latinae monetae, ante auditum illic Romanum nomen, fuisse appellationem oppidi, scribendum conjicit *circa Oesymam*, seque ad hanc conjecturam propterea proniorem venire testatur, quod simili errore librarii *Desalces* dederint, pro *Oesalces*, supra 29, 29.

§. 8. *Ad Bylazora, Paeoniae is locus est*] Tempore Philippi, patris Persei, maxima Paeoniae urbs fuit, qua transitus erat ex Dardania in Macedoniam. Polyb. 5. 97. *Φίλιππος ὁ βασιλεὺς κατελάβετο Βυλάζορα, μεγίστην οὖσαν πόλιν τῆς Παιονίας, καὶ λίαν ἐυκαίρως κειμένην πρὸς τὰς ἐισβολὰς τὰς ἀπὸ τῆς Δαρδανικῆς Μακεδονίαν.*

Ab Actio flumine et castris regis] *ab Axio.* Sic paulo ante. notum flumen est. SIGON. *ab Actio* in sola est ed. Basil. anni 1554. reliquae recte *ab Axio.* An insuper *castris regiis*? Vide tamen ad h. lib. cap. 6, 9.

§. 10. *Ecquid aurum, quod* etc. *esset, secum adduxisset*] Repone *advexisset* Ut in commentario de Sestertiis [2, 3.] et Caesarem juvabamus. Infra [c. 27, 9.] *Reliquam pecuniam parvis itineribus veherent.* Lib. 23, [38, 12.] *Ea* pecunia *per L. Apustium legatum Tarentum est devecta* 32, [2, 1.] *Argentum in stipendium impositum primum Romam advexerunt.* Lib. 35, [32, 4.] *Tantum advehi auri, ut ipsos emere Romanos posset.* J. FR. GRONOV. V. ad 32, 2, 1. Doujatius de necessitate emendationis Gronovianae dubitat.

§. 11. *Clondicus regulus eorum*] Bastarnae, quos Philippus rex exciverat, Clondico duce venerant, ut lib. 40. [58.] traditum est. Quem interfectum fuisse a Perseo, scriptum est in Epitoma lib. 43. Iterum nunc Clondico duce Bastarnae a Perseo accersiti veniunt. Ex quo intelligi potest, hoc nomen apud eos esse celebre. Quoniam autem ante diximus, *Elonicum* in eo esse, legendum, idem de hoc etiam affirmamus. SIG. [Sic *Elonicus*]

regulus eorum, *Abi, renuncia ergo,* inquit, *regi, nisi aurum obsidesque accepissent, nusquam inde*
12 *Gallos longius vestigium moturos.* Haec relata regi quum essent, advocato consilio, quum, quid omnes suasuri essent, adpareret, ipse, pecuniae, quam regni, melior custos, institit de perfidia et feritate
13 Gallorum differere. *Multorum jam ante cladibus expertum, periculosum esse, tantam multitudinem in Macedoniam accipere, ne graviores eos socios ha-*
14 *beant, quam hostes Romanos. Quinque millia equitum sat esse, quibus et uti ad bellum possent, et quorum multitudinem ipsi non timeant.*

1 XXVII. Adparebat in omnibus, mercedem multitudinis timere, nec quidquam aliud: sed, quum suadere consulenti nemo auderet, remittitur Anti-

rursus Sigonius. Sed exemplar primum *Clondicus*. In Appiani Excerptis [Peiresc. pag. 562.] vocatur Κλοίλιος. J. FR. GRON. Vulgatum Gronovius, ut puto, recte tuetur. Adde, verum non esse, quod Sigonius tradit, Clondicum, qui Bastarnas ad Philippum adduxit, postea fuisse interfectum. Qui enim Epit. 43. interfectus narratur, verius fuit Hispanus. Vide Gronov. ad Epitom. Liv. 43. et Hearnium ad Livii 43, 4, 1. Nihil igitur impedit, quo minus hic idem Clondicus sit, qui memoratur lib. 40, 58.

Nisi aurum obsidesque accepissent] Forte *acceperint*. J. FR. GRON. Emendationem hanc probat Crevierius.

§. 12. *Advocato consilio*] Ita praeferunt ed. princeps, et bene multae eam secutae usque ad Modium, qui vulgavit *consilio*. Adversus quem recte Gronov. supra 2, 5. alterum vindicavit, et contextui reddidit.

§. 13. *Ne graviores eos socios habeant, quam hostes Romanos*] Forte *Romani*. Ne Gallos graviores socios habeant Perseus et Macedones, qui eos arcessierint, quam hostes eosdem experiantur Romani, contra quos arcessierint. J. FR. GRON. Vulgatum recte Doujatius tuetur. Si enim Livius maluisset *Romani*, scripsisset etiam *ne ipsi*, vel *ne Macedones graviores*, ut quemadmodum *socios* et *hostes*, ita etiam *ipsi* vel *Macedones* et *Romani* obponerentur. In vulgato optimus sensus est.

§. 14. *Quinque millia equitum sat esse*] A Livio hic dissentit App. Alex. in Exc. Peiresc. pag. 565. qui decem millia, sive μυρίους, Bastarnarum memorat; forte quinque millia peditum, ac totidem equitum. Similiter

gonus, qui nunciaret, quinque millia equitum opera tantum uti regem: contemnere multitudinem aliam. Quod ibi audivere barbari, ceterorum quidem fremitus fuit, indignantium se fruſtra excitos sedibus suis: Clondicus rursus interrogat, ecquid ipsis quinque millibus, quod conveniſſet, numeraret? Quum adversus id quoque misceri ambages cerneret, inviolato fallaci nuncio, (quod vix speraverat ipse poſſe contingere) retro ad Iſtrum, perpopulati Thraciam, qua vicina erat viae, redierunt. Quae manus, quieto sedente rege ad Enipeum, adversus Romanos Perrhaebiae saltum in Theſſaliam traducta, non agros tantum nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus exspectarent, sed ipsas exscindere urbes, tenente ad Enipeum Perseo

mox cap. seq. Perseus petit quinque millia equitum, at apud App. τὸ ἥμισυ τῆς στρατιᾶς: exercitum autem conſtitiſſe dixerat ex decem millibus equitum, et decem millibus peditum.

§. 1. *Adparebat in omnibus, mercedem multitudinis timere*] Florebellus removet vocem *in*. SIG. Dele praepositionem. *omnibus*, intellige in consilium vocatis. J. FR. GRON. Doujatius vulgatum tuetur, ac mutat diſtinctionem *Adparebat*, *in omnibus mercedem*, et *mercedem in omnibus* exponit in pecunia, veſte, argento, equis. Verum proprie Baſtarnae tantum pecuniam pacti erant, eques denos, pedes quinque, et dux eorum mille aureos, eaque merces erat, quam Perseus timebat. Reliqua, quae sponte adjecturus erat, veſtes, equi, et similia, non merces erant, sed dona: quae quum tamquam cumulum pactae mercedi adjecturus eſſet, ita etiam hanc liberalitatem dispensare poterat, ne eam timere neceſſe foret. Solum igitur sordide avaro regi timendum erat, quod multitudo sibi pepigerat, et Doujatii interpunctio admitti nequit. Si tamen praepositionem *in* invito cod. deleri displiceat, vide, num praeſtet *Adparebat inde omnibus. inde* nempe ex illis, quae de perfidia et feritate Gallorum Perseus diſſeruerat. Solent autem *iñ*, sive *inde*, et *in* a librariis confundi. Vide ad 10, 20, 6.

§. 4. *Perrhaebiae saltum in Thessaliam traducta*] Forte *per Perrhaebiae*. GRUTER. Ita et sibi scribendum videri, in margine Livii monuit Ant. Perizon. ut praepositionem hauſiſſet prima vocis sequentis syllaba. Eam quidem conjecturam Clericus in

6 Romanos, ne urbibus sociis opitulari possent. Ipsis quoque Romanis de se cogitandum fuisset: quando neque manere, amissa Thessalia, unde exercitus alebatur, potuissent, neque progredi, quum ex adver-
7 so castra Macedonum ***. qui ea pependerant spe,
8 haud mediocriter debilitavit. Eadem avaritia Gentium regem sibi alienavit. nam, quum trecenta talenta Pellae missis a Gentio numerasset, signare eos
9 pecuniam passus. Inde decem talenta ad Pantau-

contextum recepit; at rectius vulgatum probat Crevierius. Ita enim Livius et supra loquitur 9, 39, 1. *Cum legionibus, ad terrorem traducti silvam Ciminiam exercitus nuper scriptis.* Et ita *traducere flumen* supra inlustravimus ad 22, 45, 5.

§. 6. *Romanis de se cogitandum fuisset*] Caes. l. 1. B. Civ. [5.] *Nec tribunis plebis periculi sui deprecandi facultas tribuitur, sed de sua salute die septimo cogitare coguntur.* J. FR. GRONOVIUS.

Castra Macedonum, qui ea etc.] Nemo est, qui non sentiat, sensum hunc non expletum undique esse, quod verba quaedam interciderint. nunc, quemadmodum expleri possint, accipiant. Persei regis avaritiam coarguit, qui innumerabiles copias Bastarnarum, quibus facile Romanum exercitum opprimere potuisset, ne sumptum faceret, dimisit. *Quod ni fecisset*, inquit, *cogitandum ipsis Romanis de se fuisset, quando neque manere amissa Thessalia potuissent, unde alebatur exercitus* eorum, *neque progredi, cum ex adverso castra Macedonum essent. Quo facto Perseus*, inquit, *Romanorum animos confirmavit, et Macedonum, qui ea pependerant spe, haud mediocriter debilitavit.* Eadem sententia iteratur etiam paulo post [cap. 35, 1.] *Quae res Romanis auxit animos, Macedonibus regique eorum haud mediocrem attulit terrorem.* Librarius in errorem inductus est a duabus illis vocibus *Macedonum:* ab una enim ad alteram, mediis verbis praeteritis, transiit. SIGON. Aliquid excidisse certum est: an vero id, quod Sigonius censuit, vehementer dubito. In praecedentibus Livius narrarat, quae commoda ad Perseum, et contra quae incommoda ad Romanos redundassent, si Galli retenti et in Thessaliam traducti fuissent. Non videtur igitur nunc inferri posse *Quo facto*, quod Sigonius suppiendum putat, sed potius contra *Quo neglecto.* In eumdem sensum Crevierius lacunam integravit, legens *quum ex adverso castra Macedonum [essent. Tanta occasione e manibus amissa, Perseus Romanorum animos confirmavit, et Macedonum,] qui ea pependerant spe, haud mediocriter debilitavit.* Recte tamen Sigonius judicavit, vocis *Macedonum* repetitionem librario cauſſam fuisse omnia media omittendi. Id in reliquis parti-

chum missa, eaque praesentia dari regi jussit: reliquam pecuniam, signatam Illyriorum signo, portantibus suis praecipit, parvis itineribus veherent. dein, quum ad finem Macedoniae ventum esset, subsisterent ibi, ac nuncios ab se opperirentur. Gentius, exigua parte pecuniae accepta, quum assidue Pantaucho ad lacessendos hostili facto Romanos stimularetur, M. Perpernam et L. Petillium legatos, qui tum forte ad eum venerant, in custodiam con- 10 11

bus operis Liviani saepius evenisse, ex variorum Mstorum conlatione deprehensum est. V. ad 9, 11, 11. In hac vero parte, quae ex unico cod. servata est, eodem auxilio destituti sumus, et neglegentia librarii non nisi ex sensu scriptoris argui potest. Aliud hujus erroris exemplum indicavit Gronov. ad hujus lib. c. 25, 6.

§. 7. *Qui ea pependerant spe*] Vulgatum non damno. Mallem tamen *qui ex ea pependerant spe*. Ita 35, 32, 11. *Non ex alieno arbitrio pendet*. 36, 42, 6. *Ex quorum fortuna sua penderet*. 37, 49, 5. *Ex unica ea spe pendere animos eorum*. 39, 5, 3. *Non pendere ex alterius vultu ac nutu*. Praepositionem igitur elisisse videtur similitudo vocis sequentis *ea*. ut alibi in codicibus Mstis factum est. Vide ad 35, 50, 7. 39, 5, 8. et alibi.

§. 8. *Quum trecenta talenta Pellae missis a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus est. Inde decem talenta ad Pantauchum missa*] Verbum *est* nescit prima editio: in Gryphio a Curione adjectum video. Sed scribendum: *nam quum trecenta talenta missis a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus, inde decem talenta ad Pantauchum misit, eaque praesentia dari regi jussit*. J. FR. GRONOV. Prima ed. praefert *trecenta talenta Pellae missa a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus. Inde* etc. Pro eo vero non Gryphius ex emendatione Curionis, verum Frobenius diu ante Gryphium et Curionem anno 1535. edidit *trecenta talenta Pellae missis a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus est. Inde* etc. Probo vero Gronovii conjecturam, nisi quod vocem *Pellae*, quam omittere voluisse videtur, servandum arbitrer. Supra enim Livius narrat cap. 23, 9. *Et obsides in conspectu omnium dati acceptique: et Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum Illyriis legatis, Thessalonicae conscendere jussi*. Etiam Polyb. Exc. Legat. num. 85. *Τοὺς μὲν ἐπὶ τὰ Χρήματα παρόντας εἰς Πέλλαν ἐξέπεμπεν, ὡς ἐκεῖ παραληψομένους*. Gronovii conjecturam non monito lectore in contextum adoptavit Clericus.

§. 11. *Quum assidue Pantaucho ad lacessendos hostili facto Romanos stimularetur*] Legendum *a Pantauco*. SIGON. Oratio sine praepositione, quam

12 jecit. Hoc audito, Perseus, contraxiſſe eum neceſſitates ratus ad bellum utique cum Romanis, ad revocandum, qui pecuniam portabat, misit: velut nihil aliud agens, quam ut, quanta maxima poſſet,
13 praeda ex victo Romanis reſervaretur. Et ab Eumene Eropon, ignotis, quae occulte acta erant, redit. De captivis actum eſſe et ipsi evulgaverant, et Eumenes consulem, vitandae suspicionis cauſſa, certiorem fecit.

1 XXVIII. Perseus, poſt reditum ab Eumene Ero-

Sigonius in contextum adscivit, recte subsiſtit. Vide ad 6, 11, 4. Hinc iterum expunxi.

M. Perpennam et L. Petilium legatos] *Perpernam* et *Petilium* ex Capitolinis et Graecis monumentis eſt scribendum. De his legatis sic Plutarchus in Paulo [pag. 261.] *πρέσβεις ἑλϑόντας Ῥωμαίων πρὸς αὐτὸν συνέλαβε, καὶ κατέδησεν.* Appian. in Illyrica hoc factum a Gentio aït, qui diceret, eos non legatos, sed exploratores ad se veniſſe. SIG. Minus recte ad monumenta Graeca Sigonius provocat. In iis enim utrique lectioni praesidium eſt. Priorem enim *Περπένναν* vocavit Appian. Exc. Peiresc. pag. 562. cui alibi semper etiam *Περπέννας* vocatur. Vide praeſertim 1. B. Civ. variis locis. Neque aliter paſſim Plutarch. in Sertor. et in Pompej. At Strabo *Περπέρναν* adpellat 14, 646. Poſterior *Πετήλιος* eſt, unica litera λ, apud App. in Exc. Peiresc. pag. 562. *Κύϊντος Πετίλιος Κερεάλιος* memoratur Dion. Caſſ. 65, 741. et Joseph. 7. B. Judaïc. 4. *Πετίλιος στρατηγῶν* apud Plutarch. in Num. pag. 74. qui tamen alibi semper *Πετιλλιος* scribere solitus eſt. Melius provocavit ad monumenta Capitolina, in quibus consul anni ıɔlxxvii. *Q. PETILLIVS. C. F. Q. N. SPVRINVS.* et anni ıɔcxxi. *M. PERPERNA* vocantur. Excipit quidem Ryckius ad Taciti 3. Ann. 62. in lapidibus utroque modo et *PERPENNA* et *PERPERNA* scribi: idem dici posset de altero nomine, quod pariter nunc *PETILIVS*, nunc *PETILLIVS* scriptum obcurrit. Verum si quorum lapidum auctoritati adhaerendum erit, nullis tutius credi poſſe videtur, quam marmoribus Capitolinis, quae Verrius Flaccus Auguſti aetate Romae in foro dedicasse vulgo putatur. De nomine *Perperna* vide Sigon. infra ad Epit. Liv. 59. Pighium in Annal. ad A. V. ıɔcvıii. pag. 465. Viros doctos ad Juſtin. 36, 4. et Burm. ad Vellej. Paterc. 2, 4. De altero nomine *Petillius* vide supra ad 38, 50, 5.

§. 12. *Ad revocandum, qui pecuniam portabat*] Non minus hoc, quam quod habent etiam quaedam editiones, *quid pecuniam portabat*, incuria insinuaſſe exiſtimo, quum legi oporteat *portabant*, ut clarum eſt ex praecedentibus: *Pecuniam si-*

pontis spe dejectus, Antenorem et Calippum praefectos classis cum quadraginta lembis (adjectae ad hunc numerum quinque pristes erant) Tenedum mittit; ut inde sparsae per Cycladas insulas naves, 2
Macedoniam cum frumento petentes, tutarentur. Cassandreae deductae naves in portus primum, qui 3
sub Atho monte sunt, inde Tenedum placido mari quum trajecissent, stantes in portu Rhodias apertas naves Eudamumque praefectum earum, inviolatas, atque etiam benigne adpellatos dimiserunt. Cogni- 4

gnatam Illyriorum signo portantibus suis praecipit, parvis itineribus veherent. Certe non discrepat in numero Liv. 39, 50, 7. *Missusque qui venenum ferret.* Sic quoque ad me Perizonius. JAC. GRON. Si *portabant* praeferendum, mallem etiam *ad revocandos*: quia Livius ita loqui solet. Sed nec vulgatum temere spernendum: rem enim ita concipere possumus, plures suorum Persea Pellam misisse, qui pecuniam Gentio promissam adveherent, atque inde Livium loco, quem Sigonius laudavit, dixisse *portantibus suis* et *veherent*; at omnibus unum praecipua auctoritate praefuisse, qui regis nomine cuncta expediret: ejus vero respectu Livium hic dixisse *ad revocandum, qui pecuniam portabat.* Et ita fere Crevierius. Mox pro *ex victo* forte legendum *ex victoria*; ut ultimae literae ejus vocis a sequenti *Romanis* interceptae sint.

§. 13. *Eropon, ignotis, quae occulte acta erant, redit*] Forte *irritis, quae occulte acta erant.* J. FR. GRON. Hic, et mox principio cap. seq. *Cryphon* legendum esse, monuit Gronov. ad cap. 24, 10. Mox *evitandae* Jac. Gronov. ejusque exemplo Clericus ediderunt. Priores omnes *vitandae*, quod reduxi. Cur enim spernendum sit, non video.

§. 2. *Ut inde sparsae per Cycladas insulas naves* etc. *tutarentur*] Crevierius melius futurum existimat *sparsi*, ut referatur ad praefectos classemque potius, quam ad pristes. Posses etiam *sparsas.*

§. 3. *Naves Eudamumque praefectum earum, inviolatas, atque etiam benigne adpellatos*] Haud dubie ad propius dignusque respexit Livius, immo accepit, quasi posuisset ante *Rhodios in navibus Eudamumque.* Scribe ergo *inviolatos atque etiam benigne appellatos dimiserunt.* Ab eadem ignorantia inferius *circumvectus mittit:* nam sic prima exemplaria, et nihilo melius recentiores *circumvectos.* Verum est enim: *circumvecti propere, ac summotis terrore hostium navibus, onerarias, datis, qui prosequerentur, decem lembis, in Macedoniam mittunt.* Nempe Antenor et Calippus, praefecti classis Macedonicae. At quia interjectum est: *Cassandreae deductae naves Tenedum cum trajecissent:* pu-

to deinde, in latere altero quinquaginta onerarias suarum, ſtantibus in oſtio portus Eumenis roſtra-
5 tis, quibus Damius praeerat, inclusas eſſe; circumvecti propere, ac submotis terrore hoſtium navibus, onerarias, datis, qui prosequerentur, decem lembis, in Macedoniam mittunt: ita ut in tutum
6 prosecuti redirent Tenedum. Nono poſt die ad claſſem, jam ad Sigeum ſtantem, redierunt. Inde Subota (insula eſt interjecta Elaeae et Atho) traji-
7 ciunt. Forte poſtero die, quam Subota claſſis tenuit, quinque et triginta naves, quas hippagogos vocant, ab Elaea profectae cum equitibus Gallis equisque, Phanas promontorium Chiorum petebant, unde transmittere in Macedoniam poſſent. Attalo
8 ab Eumene mittebantur. Has naves per altum ferri

tarunt de illis alterum dici non poſſe. J. FR. GRON. *inviolatos* legendum eſſe, sequens *adpellatos* docere potuit. In verbis sequentibus *circumvectos*, pro *circumvectus*, primi dedere Paris. anno 1573. Gronovius deinde conjecturam *circumvecti mittunt* in contextu recipi voluit, sed typographi aberrantes vulgarunt *circumvectis mittunt*, quod recentiores omnes servarunt.

§. 5. *Ita ut in tutum prosecuti*] *tutum* lege. SIG. *in totum* quidem primae edd. Verum Vascos. ejusque exemplo alii *in tutum* emendarunt, quod Basil. anno 1554. iterum mutarunt, priori revocato: unde Sigonio neceſſe fuit denuo monere, *in tutum* legendum eſſe. Solent autem *tutus* et *totus* a scribis commutari. V. ad 28, 4, 7.

§. 6. *Ad classem, jam ad Sigium stantem*] *Sigeum*. Graece enim Σίγειον. SIG. Exiſtimari poſſet, illud ει in Σίγειον Latine aeque per *i Sigium*, quam *e Sigeum* reddi poſſe. Ejus tamen orthographiae exemplum me legiſſe non memini.

§. 7. *Naves, quas Hippagogos vocant*] Ita primum editum vidi a Vascos. quem deinceps omnes secuti sunt. Superiores habent *hippagogus*: quomodo forte Livius accusativum Graecum ἱππαγωγούς efferre voluit. Ita *sarissophorus*, pro *sarissophoros* σαρισσοφόρους, plures praeferunt Mſti supra 36, 18, 2. *apocletus*, pro *apocletos* ἀποκλήτους, unus cod. pluresque edd. vett. 38, 28, 8. quo etiam ducunt veſtigia trium aliorum codd. *apoclestus* praeferentium. Ejusdem generis eſt *Gordiutichos* 38, 13, 11. *Silenu come* eſt in ed. ant. 38, 15, 7. *turris Eudieru* etiamnum editur 44, 3, 3. In Di-

quum ex specula signum datum Antenori esset, profectus a Subotis, inter Erythrarum promontorium Chiumque, qua artissimum fretum est, iis obcurrit. Nihil minus credere praefecti Eumenis, quam Macedonum classem in illo vagari mari: nunc Romanos esse, nunc Attalum, aut remissos aliquos ab Attalo ex castris Romanis Pergamum petere. Sed quum jam adpropinquantium forma lemborum haud dubia esset, et concitatio remorum, directaeque in se prorae, hostes adpropinquare aperuissent; tunc injecta trepidatio est, quum resistendi spes nulla esset, inhabilique navium genere, et Gallis vix quietem ferentibus in mari. Pars eorum, qui propiores continenti litori erant, in Erythraeam enarunt: pars, velis datis, ad Chium naves ejecere, relictis-

9 10 11 12

dascaliis comoediarum Terentii passim *Graeca Menandru, Graeca Appollodoru* obcurrit. Et ita apud Auson. in Profess. Burdeg. carm. 13. *Cell musa Simonidei* emendat Heins. ad Nason. 7. Her. 97. ubi Scalig. *Ceï* praeferebat. Malo tamen pleraque horum, apud Livium certe, errantibus librariis tribuere. De *navibus hippagogis* vide Scheff. 4. de Milit. Nav. 1. pag. 257. ubi ex hoc Livii loco laudat *hippagogas*.

§. 10. *Et concitatio remorum, directaeque in se prorae, hostes adpropinquare adparuisset*] Hic parum abest, quin adfirmem, emendandum *aperuisset*. neque enim *apparuisse* huic orationi convenire videtur, nisi *concitatione* legas, et *directis in se proris:* quod et verius puto. TURNEB. 29. Advers. 7. Dan. Heinsius apud Elzevirios minima mutatione *concitatione remorum directaeque in se prorae*, ut *directae prorae* sit casus secundus. Eamdem lectionem Gronovii ed. prima expressit; cui postea displicuisse videtur *directae prorae* numero singulari dici de multis navibus, unde classis Antenoris constabat. Hinc idem Gronov. anno 1665. reposito τῷ *concitatio*, potius *apparuisset* mutavit in *apparuisset*, licet ipsi Turnebo haec sua conjectura minus adriserit. Solent autem librarii verba *apperere* et *aperire* commutare in Mstis. V. ad 3, 15, 9. 6, 2, 11. c. 20, 10. 10, 24, 5. 28, 24, 2. et alibi.

§. 12. *Qui propiores continenti litori erant*] An *continentis*? J. FR. GRONOV. Perizonius ad Sanctii Minerv. 4, 4. pag. 599. conjicit, forsan melius *continentis* legi; sed tamen recte quoque dici posse concedit *conti-*

13 que equis, effusa fuga urbem petebant. Sed, propius urbem lembi acceſſuque commodiore quum exposuiſſent armatos, partim in via fugientes Gallos adepti Macedones ceciderunt, partim ante portam exclusos. clauserant enim Chii portam, ignari, qui
14 fugerent, aut sequerentur. Octingenti ferme Gallorum occisi, ducenti vivi capti: equi, pars in mari, fractis navibus, absumti; partim nervos subcide-
15 runt in litore Macedones. viginti eximiae equos formae cum captivis eosdem decem lembos, quos ante miserat, Antenor devehere Thessalonicam jussit, et primo quoque tempore ad classem reverti: Phanis se eos exspectaturum. Triduum ferme classis
16 ad urbem ſtetit. Phanas inde progressi sunt, et,

nens litus, hoc eſt, litus continentis, inhaerens continenti, cum oppositione ad litus insulae. Laudat etiam Crevierius locum Horat. 1. od. 18, 22.

Parum locuples continenti ripa.

In Erythraeam enarunt] Legi poſſet *in Erythram*. Hujus enim urbis nomen non tantum numero plurium *Erythrae*, sed etiam unitatis *Erythra* effertur apud Stephan. Byz. v. Ἐρυθρα, et Vellej. Pat. 1, 4. Quum tamen semper Livio vocetur *Erythrae*, id non urguendum exiſtimo, et *in Erythream* cum Doujatio intelligo terram. Vide ad 37, 12, 10. Verum ita cum diphthongo legendum eſt *Erythraeam*. Non modo enim Steph. Byz. auctor eſt, a nomine hujus urbi deduci vocem Ἐρυθραῖος, sed plures etiam supersunt nummi cum inscriptione ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ, quos Harduinus recensuit in Numm. Popul. et Urb.

§. 14. *Octingenti ferme Gallorum occisi*] Olim edebatur per notas numerorum *DCCC ferme Gallorum*, pro quo is, qui ultimae Gruteri editioni praefuit, subſtituit *Septingenti*. Hunc errorem in priori notarum ed. Gronovius emendavit, et poſtea anno 1665. priscam lectionem etiam in contextum adscivit.

§. 1. *C. Popillius, et C. Decimius, et C. Hostilius*] Ed. Basil. anni 1539. ejusque exemplo aliae recentiores prius *et* omiserunt sine ulla cauſſa. Supra cap. 19, 13. *C. Popillium Laenatem, et C. Decimium, et C. Hostilium legatos* etc. *miserunt*. Recte igitur Gronov. voculam, quam ed. princeps exhibet, loco reſtituit.

§. 2. *Sanctitas templi insulaeque*] Per *sanctitatem* intelligendum eſſe jus asyli, docuit Spanhem. de Praeſt. et Us. Numism. Diſſ. 9. p. 666. Ita 45, 5, 3. 4. *Utrum nos, hospites Samothraces, vere accepimus, an falso,*

spe celerius reversis decem lembis, evecti Aegeo mari Delum trajecerunt.

XXIX. Dum haec geruntur, legati Romani, C. 1
Popillius, et C. Decimius, et C. Hostilius, a Chalcide profecti, tribus quinqueremibus Delum quum venissent, lembos ibi Macedonum quadraginta, et quinque regis Eumenis quinqueremes invenerunt. Sanctitas templi insulaeque inviolatos praestabat 2
omnes. Itaque permixti Romanique et Macedones et Eumenis navales socii in templo, inducias religione loci praebente, versabantur. Antenor, Per- 3
sei praefectus, quum aliquas alto praeferri onerarias naves ex speculis significatum foret, parte lem- 4
borum ipse insequens, parte per Cycladas dispo-

sacram hanc insulam, et augusti totam atque inviolati soli esse? Quum creditae sanctitati adsentirentur omnes 35, 51, 2. *In fano lucoque, ea religione eoque jure sancto, quo sunt templa (asyla Graeci adpellant.)* Praeterea hinc colligit, non tantum ipsa templa hoc jure asyli gavisa esse, sed etiam totas urbes, aeque ac nunc tota insula Delos, et insula Samothrace priore Livii loco.

§. 3. *Quum aliquas alto praeferri*] Forte *praetervehi*. J. FR. GRON. Si tamen supra 29, 32, 8. *Raptique gurgite et in obliquum praelati.* 29, 14, 13. *Thuribulis ante januas positis, qua praeferebatur.* Etiam de ipsis navibus 28, 30, 11. *Unius praelata impetu lateris alterius remos detersit.* JAC. PERIZ. Ant. Perizonius sequentia ad marginem ed. Livianae, qua uti solebat, adnotavit: „Imo *praeferri* „bonum. ut *naves per altum* „*ferri* c. 28, (8.) dixit, pro vehi, „sic *praeferri* valet praeterferri, seu praetervehi. V. 29, 14, „(13.) et 32, (8.) Sic mox 31, (3.) „*praefluens* pro praetertluens. Haec ille. De hoc usu praepositionis *prae* vide, quae notantur, etiam ab ipso J. Fr. Gronovio, ad 29, 32, 8.

Parte per Cycladas disposita] Ita primum ed. Francof. anni 1578. Sed antiquiores typis descripti *per Cyclades*. Alterum tamen malo, quia Livius alibi, etiam hoc et praecedenti cap. more Graecorum *Cycladas*, quam Latinorum *Cyclades*, dicere maluit.

§. 5. *Quibus poterat Popillius aut Eumenis naves subcurrebat: sed vecti nocte*] Lego *quibus poterant, Popillius aut Eumenis naves succurrebant, sed interdiu; nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant.* J. FR. GRONOV. Priorem partem emenda-

sita, praeterquam si quae Macedoniam peterent, omnes aut supprimebat, aut spoliabat naves. quibus poterat, Popillius aut Eumenis naves subcurre-
5 bat: sed vecti nocte binis aut ternis plerumque
6 lembis Macedones fallebant. Per id fere tempus legati Macedones Illyriique simul Rhodum venerunt, quibus auctoritatem addidit non lemborum modo adventus, passim per Cycladas atque Aegaeum vagantium mare, sed etiam conjunctio ipsa regum Persei Gentiique, et fama cum magno numero pe-
7 ditum equitumque venientium Gallorum. Et jam quum accessissent animi Dinoni ac Polyarato, qui Persei partium erant, non benigne modo responsum regibus est, sed palam pronunciatum, *bello finem*

tionis Gronovianae *poterant* et *subcurrebant* probant Doujatius et Crevierius. Eam etiam, non monito lectore, in contextum recepit Clericus. Reliquam partem *sed interdiu* Doujatius non necessariam pronunciat. Cujus etiam sententiae fuisse videntur Clericus et Crevierius, qui partim in contextum non admiserunt, partim in notis non memorarunt. Neque video, quid boni ea pars emendationis Livio conferat. Subjiciendo enim *sed vecti nocte* satis indicat, priora interdiu gesta esse. Mecum sentit Cl. Dukerus, addens, si quid in his verbis mutari debeat, se malle, *sed evecti nocte*. Ideo enim fefellisse, quod plerumque nocte furtim binis aut ternis lembis e portu evehebantur.

§. 6. *Per id fere tempus legati Macedones Illyriique simul Rhodum venerunt*] Polyb. in Exc. Legat. num. 87. Τῶν περὶ τὸν Περσέα καὶ Μόρκον, καὶ τῶν παρὰ τοῦ Γεντίου, καὶ σὺν ἄνδρες τοῦ Μητροδώρου παραγενομένων εἰς τὴν Ῥόδον. Ita, non καὶ Μόρκον, καὶ τῶν παρὰ τοῦ Γεντίου, legendum. Confer reliqua cum hoc loco Livii.

§. 1. *Jam veris principium erat*] Mense Aprili urbe se exiturum promittit L. Aemilius cap. 19. Quemadmodum igitur *veris principio* in provinciam venit? Forte, *Jam ver praeceps erat*. Similiter pro eo, quod cap. 34, 10. *adventu consulis simul et veris principio*, legere possis *vere praecipiti*. J. FR. GRON. Dodwell. in Append. Praelect. Camden. pag. 755. et de Cyclis Diss. 10. sect. 12. hoc non ad rationes anni Juliani, sed ad veteris anni Romani exigendum contendit. DUKER.

§. 3. *Etritum et Epicadum, inpigros viros*] Ita primum a Modio editum invenio. Priores omnes constanter *Ettritum*. Quid verius sit, nescio. Tutius tamen

se auctoritate sua inposituros esse. itaque ipsi quo- 8
que reges aequos adhiberent animos ad pacem accipiendam.

XXX. Jam veris principium erat, novique duces 1
in provinciam venerant; consul Aemilius in Macedoniam, Octavius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum, cui bellandum adversus Gentium. Patre 2
Pleurato rege Illyriorum et matre Eurydica genitus fratres duos, Platorem utroque parente, Caravantium matre eadem natum, habuit. Hoc propter 3
ignobilitatem paternam minus suspecto, Platorem occidit et duos amicos ejus, Ettritum et Epicadum, inpigros viros, quo tutius regnaret. Fama fuit, 4
Honuni Dardanorum principis filiam Etutam pacto

esse puto sequi primam editionem, quae ad unici cod. exemplum formata est.

§. 4. *Honuni Dardanorum principis filiam*] *Menunium* vocat Polybius apud Athenaeum l. 10. [pag. 440.] Ἀποκτείναντα δὲ καὶ Πλεύρατον τὸν ἀδελφὸν γαμεῖν μέλλοντα τὴν Μηνουνίου θυγατέρα ἀντὸν γῆμαι τὴν παῖδα. J. FR. GRON. Illud etiam observandum est, eo loco Pleurati filium, Gentii fratrem, *Pleuratum* vocari, qui Livio hic *Plator dicitur*. Id autem nomen inter Illyrios usitatum fuisse videtur. Certe Philippus Macedoniae rex et Achaei quibusdam Cretensibus auxilio miserunt Ἰλλυριοὺς τετρακοσίους, ὧν ἦγετο Πλάτωρ. *Plator* dux Philippi etiam supra memoratur 28, 6.

Etutam pacto fratri eum invidisse] Scriptores Latini plerumque puellam *viro pactam*, raro *virum* puellam *pactum* dicunt. Lubet id ostendere collatis in unum aliquot locis veterum quorum multa alii sparsim adnotarunt. Livius 1, 2, 1. *Cui pacta Lavinia ante adventum Aeneae fuerat.* Cic. 5. ad Att. 9. *Cujus filia pacta est Artavasdis filio.* Plautus in Trinumm. 5, 2, 59. *Haec tibi pacta est Callicli filia.* Tacit. 1. Ann. 55. *Quod Arminius filiam ejus alii pactam rapuerat.* 2. Ann. 43. *Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum ejus, pacta erat.* Plinius 15. Hist. Nat. ult. *Cum pacta illa esset Caesari.* Quintil. Declam. 343. *Ille rapuisset puellam alii destinatam, alii pactam.* Eodem modo Ovid. Epist. Hermiones vers. 95. Epist. Ariadnes vers. 92. Epist. Cydippes vers. 185. Nonius v. *Speratam*, et Arnob. 4. pag. 140. His adductus hic quoque primum tentabam legere *pactam fratri*; sed deinde nihil movendum putavi propter auctoritatem Livii 4, 4, 10. *Ut, in quam cuique foeminae convenisset do-*

fratri eum invidisse, tamquam his nuptiis adjungenti sibi Dardanorum gentem. et similius id vero
5 fecit ducta ea virgo, Platore interfecto. Gravis deinde, demto fratris metu, popularibus esse coepit: et violentiam insitam ingenio intemperantia vini ac-
6 cendebat. Ceterum, sicut ante dictum est, ad Romanum incitatus bellum, Lissum omnes copias
7 contraxit. quindecim millia armatorum fuerunt. Inde, fratre in Caviorum gentem, vi aut terrore subigendam, cum mille peditibus et quinquaginta equitibus misso, ipse ad Bassaniam urbem quinque
8 millia ab Lisso ducit. Socii erant Romanorum. ita-

mum, nuberet, ex qua pactus vir esset domo, in matrimonium duceret. In Vellej. tamen 1, 1. non multum dubito, quin pro vulgato, *quod pactae ejus nuptias invaserat*, melius sit *pactae ei*, quod volebat Manutius. DUKER. Quae hic *Etuta*, infra cap. 32. *Etleva* vocatur, ubi vide Sigon. Crevierius ad eum locum conjicit, fortasse idem esse nomen *Etuta* et *Etleva*; fortasse altero in loco vitium esse; nihil quoque vetare judicat credere, Etutam aut mortuam, aut repudiatam fuisse. Neque ego possum certiora adferre.

§. 5. *Intemperantia vini*] Polybius (ibid.) διὰ τὴν πολυποσίαν πολλὰ ποιεῖν ἀσέλγῆ κατὰ τὸν βίον, νύκτωρτε ἀεὶ καὶ μεθ' ἡμέραν μεθύοντα. J. FR. GRONOV. Utrumque locum de Gentio e Polybii 29. descripsit Athenaeus 10, 11. Ad eumdem viri docti pertinere putant, quod apud Aelian. 2. V. H. 41. legitur: Καὶ ἕτερος Ἰλλυριῶν βασιλεὺς γενναῖος πίνειν καὶ ὄντως ἐυτῶ ἀκρατῶς. Nam plane probabile est, ibi, quod Scheffero et Perizonio visum fuit, pro γενναῖος legendum esse Γέντιος, quidquid tricetur Kuhnius. Pro ἑαυτῷ, quod turbas dedit, considerent alii, an scribi possit ἐιῶθει. DUKER.

§. 9. *Caravantium in Caviis*] E Plinii 6. cap. 8. et Ptolemaeo *in Ceraunii*s videtur restituendum. *Caulici* etiam ad Ionium sinum a Stephano ex Hecataei libris pronuntur. TURNEBUS 30. Advers. 37. Fateor, vocem *Ceraunii* sive *Caūii* facile, compendii notis tantum omissis, in *Cavii* mutari potuisse: id autem adhuc verisimilius fiet, si mox pro *Durnium* cum Sigonio *Burnium* scribendum, et a Ptolemaeo *Βοῦρνον* vocatum fuisse credamus. *Βοῦρνον* enim aut Ceraunorum oppidum, aut certe non longe a finibus eorum remotum fuit. Quo minus tamen Turnebi et Sigonii conjecturas probare possim, illud obstat, quod Ceraunii et Burnum vel Burnium nimium a regno Gentii distare videantur. Labeates enim,

que per missos nuncios prius tentati, obsidionem pati, quam dedere sese, maluerunt. Caravantium 9
in Caviis Durnium oppidum advenientem benigne accepit: Caravantis altera urbs exclusit. et, quum agros eorum effuse vastaret, aliquot palati milites agrestium concursu interfecti sunt. Jam et Ap. 10
Claudius, adsumtis ad eum exercitum, quem habebat, Bullinorum, et Apolloniatium, et Dyrrachinorum auxiliis, profectus ex hibernis, circa Genusuum amnem castra habebat; audito foedere inter 11
Persea et Gentium, et legatorum violatorum injuria accensus, bellum haud dubie adversus eum ge-

quorum rex Gentius exstitit, siti fuerunt in ea parte Illyrici, quae Dalmatia vocatur, et quidem ubi regio illa Macedoniae contermina est. At Ceraunii, in quorum regione vel finibus situm erat Burnum vel Burnium, sedes habuerunt in altera Illyrici parte, Liburnia dicta, et quidem in media ferme Liburnia, ut Caravantio, a fratre Gentio in Ceraunios misso, transeunda fuerit tota Dalmatia cum magna Liburniae parte. In Liburnia situm esse Burnum constat ex Procop. 1. B. Goth. 16. *Μόνος δὲ Οὐλιγίσαλος Γότθοις ἐς Λιβουρνίαν ἠγήσατο, καὶ σφίσι Ῥωμαίων ἐν Χωρίῳ Σκάρδωνι ἐς Χεῖρας ἐλθόντων ἡσσηθέντες τῇ μάχῃ ἀνεχώρησαν ἐς Βοῦρνον πόλιν.* Utrum vero tantum terrarum spatium cum exercitu peragrare a populis, per quos iter faciendum erat, permissum fuisset, admodum dubito. Accedit, in Illyrico plures populos et oppida reperiri, quae non nisi ab uno memorantur, et ab illis veterum, qui dedita opera geographiam scripserunt, silentio praetereuntur. Cavendum itaque est, ne nomina minus nota in notiora commutando, praesertim invitis Mstis, nubem pro Junone amplectemur. Differi tamen nolo, Plinium 3. Hist. Nat. 22. in Dalmatiae descriptione Ceraunos populum et Burnum castellum memorasse, at Burnistas populum in Liburnia ibid. cap. 21.

Durnium oppidum] *Burnium.* Ptolemaeus enim [2, 17.] meminit oppidi Illyrici nomine *Βούρνου* et Plinius lib. 3, [21.] populorum Burnistarum in Illyrico. SIGON.

§. 11. *Bullianorum et Apolloniatium*] Lego *Bulinorum*, qui sunt, auctore Stephano, populi ad Illyrium: *Βουλῖνοι*, inquit, *ἔθνος περὶ Ἰλλυρίαν.* SIGON. Alterum *l* expungi necesse non est, ac legi potest *Bullinorum.* Nam *Βουλῖνοι* quidem, praeterquam apud Steph. Byz. etiam vocantur apud Scylac. in Peripl. pag. 16. et 25. *Buliones* apud Plin. 3. Hist. Nat. 23. ac *Βουλιῶται* apud Dion. in Perieg.

12 ſturus. Anicius praetor, eo tempore Apolloniae auditis, quae in Illyrico gererentur, praemiſſisque ad Appium literis, ut se ad Genusuum opperiretur, 13 triduo et ipse in caſtra venit: et ad ea, quae habebat, auxilia adsumtis Parthinorum juventutis duobus millibus peditum et equitibus ducentis, (peditibus Epicadus, equitibus Algalsus praeerat) parabat ducere in Illyricum, maxime ut Baſſanitas solveret obsidione. tenuit inpetum ejus fama lemborum 14 vaſtantium maritimam oram. Octoginta erant lembi, auctore Pantaucho miſſi a Gentio ad Dyrrachinorum 15 et Apolloniatium agros populandos. Tum claſſis ad [oram haud procul Apollonia ſtabat. Huc recurrit Anicius,

vers. 387. *ὄυς τινες διὰ τοῦ ν' γράφουσι Βουλινεῖς ἢ Βουλινούς*, ut ibidem Euſtath. teſtatur: at contra colonia *Bullidensis* memoratur in Macedonia apud Plin. 4. Hiſt. Nat. 10. *Bullidenses* apud Caesar. 3. B. Civ. 12. *Bullienses* Cic. in Pison. 40. ubi *Bullidenses* legendum exiſtimat Ursinus. *Bulliones* 13. ad Fam. 42. Eorum urbs *Βουλλὶς* vocatur Ptolem. 3, 13. et *Bullis* Caesari 3. B. Civ. 40. Alii pro *ov* vel *u* efferunt haec nomina per *v* vel *y*. Hinc *ager Byllinus* supra eſt 36, 7, 10. ubi vide, quae notavi. urbs *Βύλλις* apud Steph. Byz. ea voce, et *Byllis* apud Cic. 11. Phil. 11. ubi vide Ferrar. *Bullinorum* igitur edi juſſi.

Circa Genusuum amnem] *Genusum* credo scribendum. TURNEB. 30. Advers. 37. Caesar 3. B. Civ. 76. *Transductoque exercitu flumen Genusum*. Livius *Genusuum* vocat, et corrupte; item Ptolemaeus *Πανύσσον* lib. 3, [13.] Lucanus lib. 5, [462.] *quam volucer Genusus, quam mollior Apsus Circumeunt ripis*. URSINUS. Vide Palmer. 1. Graec. Ant. 24. Cellar. 2. Geogr. Ant. 13, 658. Relandi epiſt. quam Heſſelius ad se scriptam Vibio Sequeſtri praefixit et Cl. Oudend. ad Lucani 5, 462. *Panyasus* autem Ptolemaei a *Genuso* diversus eſt. Vide Palmer 1. Graec. Ant. 22. Teſte Hearnio ad h. l. *Genusus* in Peuting. Tab. *Genesis* vocatur. Videndas etiam monet Placidi Porcheroni notas ad Ravennat. Anonym. Geogr. *Genussuum* mox §. 12. praeferunt edd principes, quae hic legunt *Genusuum*. Et ita infra etiam ed. Bas. anni 1539. recepit. Unicum autem sibilum requiri, conſtat etiam ex loco Lucani laudato.

§. 13. *Et ad ea, quae habebat, auxilia Parthinorum juventutis duobus millibus* etc.] Suspicor addendam vocem ita:

cius, ac brevi assecutus Illyrios praedatores, congressusque cum eis, et perlevi negotio victor, aliquot naves hostium cepit, ceteras repetere Illyricum coëgit. Inde in castra ad Genusum regressus, ad Bassanitarum auxilium properavit. Non sustinuit famam adventantis praetoris Gentius, solutaque obsidione Scodram se contulit tam trepida fuga, ut ne totum quidem exercitum abduceret. Magna pars copiarum, quae, si dux praesens confirmasset animos, morari Romanos poterant, amo-] to eo, tradiderunt se. Appian. Illyr.

XXXI. Deinceps et urbes regionis ejus idem faciebant, adjuvante inclinationem animorum clementia in omnes et justitia praetoris Romani. Ad Scodram inde ventum est, id quod belli caput fuerat; 1 2

assumptis Parthinorum juventutis duobus millibus. Sic enim paullo ante: *Assumptis ad eum exercitum, quem habebat, Bulinorum auxiliis.* SIG. Verbum *assumptis* non fuit in libro veteri, eſque ab Sigonio additum. Nos id non opus esse putamus, sed, quod deesse arbitratur ille, latere in vocabulo *juventutis:* adeoque scribendum: *et ad ea, quae habebat, auxilia Parthinorum junctis duobus millibus peditum, et equitibus ducentis, (peditibus Epicadus, equitibus Agalsus praeerat) parabat ducere in Illyricum.* Verbum habes lib. 24, [34, 6.] *Naves junctae aliae binae ad quinqueremes, demtis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur.* J. FR. GRON. *Partinorum* omnes typis descripti ante Sigonium, qui addita adspiratione emendavit *Parthinorum.* V. ad 33, 34, 11.

Peditibus Epicadus, equitibus Agalsus praeerat] De voce *Epicadus* vide viros doctos ad Suet. Aug. 19. Alius Epicadus, a Gentio interfectus, modo memoratus est hoc cap. Deinde *Algalsus* princeps ed. quod proxima Frob. anni 1535. in *Agalsus* mutavit. Priscam lectionem revocavi.

§. 15. *Tum classis*] De rebus ab Anicio praetore gestis adversus Gentium regem Illyriorum dicere coeperat. Eas igitur hoc loco persequebatur, maxime vero eas, quas mari gesserat, quas ita ordiebatur: *Tum classis.* Desideratur etiam initium rerum earum, quas terra gessit. nam de deditione urbium loquitur, quum ait: *die toto ei tradiderunt se.* SIGON. Supplementum suum, quod Doujatiano substituit, Crevierius partim, quod ad naves aliquot Gentii ab Anicio captas, ex Appiano desumtum esse testatur, partim se ex conjectura, quam maxime licuit, probabili ad ea,


image
not
available

tis armatis, defendiſſent, vano cum incepto moenibus pepuliſſent Romanos. nunc, porta egreſſi, 8
proelium loco aequo majore animo commiserunt, quam ſuſtinuerunt. Pulsi enim et fuga conglobati, 9
quum ducenti amplius in ipsis faucibus portae cecidiſſent, tantum intulerunt terrorem, ut oratores extemplo ad praetorem mitteret Gentius Teuticum et Bellum, principes gentis, per quos inducias peteret, ut deliberare de ſtatu rerum suarum poſſet. Triduo in hoc dato, quum caſtra Romana quingen- 10
tos ferme paſſus ab urbe abeſſent, navem conscendit, et flumine Barbana navigat in lacum Labeatum, velut secretum locum petens ad consultandum; sed, 11
ut adparuit, falsa spe excitus, Caravantium fratrem, multis millibus armatorum actis ex ea regione, in quam miſſus erat, adventare. qui poſtquam evanuit 12
rumor, tertio poſt die navem eamdem secundo amni Scodram demisit: praemissisque nunciis, ut sibi

Quod, ortum ex monte Scodro] Ita hoc loco conſtanter editur, ut et mox *mons Scodrus*. At supra *Scordus* vocabatur 43, 20, 1. *Hi, transgressi jugum Scordi montis, Scodram labore ingenti tandem pervenerunt.* ubi vide, quae notantur. Similiter etiam hic, literis transpositis, *Scordo* et *Scordus* legendum puto. Eodem errore apud Polyb. in Exc. Legat. num. 76. in ultima ed. nunc legitur ἦλθον εἰς Σκόρδαν. ubi cod. Mſtus habet εἰς Κάρδαν, Ursinus vero recte εἰς Σκόδραν emendandum docet.

§. 10. *Flumine Barbana navigat in lacum Labeatum*] *Barbano* edd. principes. *Barbana* emendat Sigonii ἔκδοσις. Vide ad §. 3. Praeterea *Labeatium* supra formavit hoc cap. et infra cap. seq. At duplici forma dici solet *Labeatae* et *Labeates*, ut vidimus ad 43, 19, 3. a priori fit *Labeatûm* pro Labeatarum, a poſteriori *Labeatium*. Ita non tantum dixerunt *Apolloniatae*, sed etiam *Apolloniates*, unde eſt *Apolloniatium*. V. ad 26, 25, 2.

§. 11. *Multis millibus armatorum actis ex ea regione*] Ut [Virg. 7. Aen. 804.] *Agmen agens equitum*. Forte tamen *coactis*. J. FR. GRON.

§. 12. *Navem eamdem secundo anni Scodram demisit*] *ea-*

adpellandi praetoris poteſtas fieret, copia facta, in
13 caſtra venit. Et principium orationis ab accusatione ſtultitiae orsus suae, poſtremo ad preces lacrimasque effusus, genibus praetoris accidens, in po-
14 teſtatem sese dedit. Primo, bonum animum habere juſſus, ad coenam etiam invitatus, in urbem ad suos rediit, et cum praetore eo die honorifice eſt epula-
15 tus: deinde in cuſtodiam C. Caſſio tribuno militum traditus, vix gladiatorio accepto decem talentis ab rege rex, ut in eam fortunam recideret.

1 XXXII. Anicius, Scodra recepta, nihil prius, quam requisitos Petillium Perpernamque legatos ad
2 se duci, juſſit. quibus splendore suo reſtituto, Perpernam extemplo mittit ad comprehendendos ami-
3 cos cognatosque regis: qui, Medeonem, Labea-

dem omnes typis descripti ante Sigonium, qui recte emendavit *eamdem*.

§. 15. *Vix gladiatorio accepto decem talentis ab rege rex*] Multi olim etiam ingenui operas suas arenae certa mercede locabant, ut depugnarent: eorum mercedem *gladiatorium* in neutro genere a Livio vocari, videor observaſſe. Sensus enim hujus loci eſt, pluris conduci gladiatorem, quam quanti in bellum Gentius conjectus eſt. TURNEB. 29. Advers. 7. Scioppius ad Sanctii Minerv. 4, 4. supplet *auctoramento*, *praemio*. Sic quoque Lipsius 1. Saturn. 7. Sed idem 2. Saturn. 5. suspicatur legendum, *vix gladiatorio auctoramento ab rege rex, ut in eam fortunam recideret*. Quod recidit verba *decem talentis*, ut gloſſam puto, rationem levem quidem, sed tamen aliquam, habet: nam hoc e cap. 27. intelligi poterat; sed quomodo *accepto* abeſſe poſſit, non video. Joseph. Laurentius 1. Polymath. 5. *gladiatorium* hic interpretatur poteſtatem gladii in urbe geſtandi. Nihil absurdius nec insulsius dici poteſt. Et tamen hoc ex eo recoxit Pitiscus ad Suet. Aug. cap. 32. et satis inepte addidit, Turnebum illud longe aliter explicare. plane quasi vel ipse dubitaverit, vel quemquam, qui vel micam salis habet, dubitaturum putaverit, utra explicatio praeferenda sit. DUKERUS.

§. 3. *Etlevam uxorem*] Paullo ante [cap. 30.] uxorem Gentii regis *Etutam* vocavit. Videndum, an unam hanc habuerit. SIGON. Vide ad cap. 30, 4.

Scerdilio Pleuratoque] *Scerdiletum* libris superioribus dixit. Eſt enim nomen regulis Il-

tium gentis urbem, profectus, Etlevam uxorem cum filiis duobus, Scerdilaedo Pleuratoque, et Caravantium fratrem Scodram in caſtra adduxit Anicius, 4
bello Illyrio intra triginta dies perfecto, nuncium victoriae Perpernam Romam misit: et poſt dies paucos Gentium regem ipsum cum parente, conjuge, ac liberis, ac fratre, aliisque principibus Illyriorum. Hoc unum bellum prius perpetratum, quam 5
coeptum, Romae auditum eſt. Quibus diebus haec agebantur, Perseus quoque in magno terrore erat, propter adventum simul Aemilii novi consulis, quem cum ingentibus minis adventare audiebat, simul Octavii praetoris. Nec minus terroris a claſſe Ro- 6
mana et periculo maritimae orae habebat. Theſſalonicae Eumenes et Athenagoras praecerant cum

lyricis familiare. SIGON. Verum eſt, tempore Sigonii et adhuc diu poſtea multis locis Livii nomen *Scerdileti* memoratum fuiſſe. Verum poſtea Gronov. ad 26, 24, 9. ex cod. integerrimo et ex Polybio id *Scerdilaedus* scribendum eſſe monuit, et in contextum adoptavit; quod hic etiam reſtituendum censui. Idem et sibi videri Clariſſ. Dukerus monuit.

§. 4. *Bello Illyrico intra triginta dies perfecto*] Diebus viginti perfectum, scribit Appian. [B. Illyr. pag. 761.] SIG. Perperam *bello Illyrico* omnes edd. usque ad Gronov. qui recte *Illyrio* edidit. V. ad Epit. Liv. 20.

Cum parente, conjuge, liberis, ac fratre] Ita demum praefert Heinsii Elzeviriana. Omnes priores *conjuge, ac liberis, ac fratre.* quod revocavi.

§. 6. *Nec minus terroris a claſſe Romana et periculo maritimae orae habebat. Theſſalonicae Eumenes* etc.] Haec lectio primum adparuit in ed. Froben. anni 1535. Editio princeps praefert *habebat Theſſalonica. Eumenes et Athenagoras praecerant.* Neutrum tamen satis placet; non vulgatum, quia non video, quomodo Persei terror a claſſe Romana diſtingui poſſit a terrore ejusdem Persei propter adventum Octavii praetoris, quum tamen Octavius claſſi Romanae praefuerit, et hinc, qui Octavium timuit, etiam claſſem ejus timuerit: non ea lectio, quam obfert ed. princeps, quia non adsequor, cur magis memoretur terror Theſſalonicae, quam aliarum urbium, quae in ora maritima Macedoniae sitae erant. An legendum, *Nec minus terroris a classe, Romana Theſſalonica et maritima ora habebat*? Certe in sequentibus Li-

7 parvo praesidio duorum millium caetratorum. Eo et Androclem praefectum mittit, jussum sub ipsis navalibus castra habere. Aeniam mille equites cum 8 Antigono misit ad tutandam maritimam oram: ut, quocumque litore adplicuisse naves hostium audis- 9 sent, extemplo ferrent agrestibus opem. quinque

vius per partes narrat, qua ratione saluti Thessalonicae et orae maritimae consulere Perseus conatus sit. Vel lege cum Amplis. Boëllio *et periculi maritima ora habebat. Thessalonicae* etc.

§. 7. *Eo et Androclen praefectum mittit*] Legendum *Androclem*. Ἀνδροκλῆς enim format Ἀνδροκλέα apud Thucyd. 8, 65. et Pausan. in Messen. 5. Id autem Latinis est *Androclem*, quomodo etiam Crevierium edere video.

Aeniam mille equites] Graecis est Αἴνεια, quod Latine *Aenia* et *Aenea* reddi potest. Ultimum tamen malo, et distinguatur ab Aenia urbe Perrhaebiae. Vide ad 40, 4, 8.

§. 9. *Ad praesidium Pythoï et Petrae*] *Pythii*. Utriusque meminit Plutarchus in Paullo. SIG. *Pythoum*, ut vulgo perperam legitur, *in Pythium* mutandum esse, jam supra monuit Sigonius ad 42, 53, 6. Πύθιον vocatur Ptolemaeo 3. Geogr. 13. *Pythii* et *Petrae* meminit quidem Plutarch. in Aemil. Paull. pag. 262. at ejus interpres locum non intellexit. Excusum nunc exstat, etiam in optimis editionibus, Ἐπεὶ δὲ ἐπυνθάνετο μίαν εἰσβολὴν ἔτι μόνον ἄφρουρον ἀπολείπεσθαι, τὴν διὰ Παῤῥαιβίας παρὰ τὸ Πύθιον καὶ τὴν πέτραν. Redditur autem *Quum superesse audiret transitum per Perrhaebiam, secundum Pythium atque eam rupem.* At litera majuscula legendum est παρὰ τὸ Πύθιον καὶ τὴν Πέτραν, et vertendum *praeter Pythium et Petram. Saltum ad Petram* memorat Livius infra 45, 41, 4.

Quibus praepositi erant Histiaeus, et Theogenes, et Midon] *Milo*, ut ante [42, 58, 7.] ex Plutarcho. SIGON. Similiter etiam infra cap. 45, 2. et 7. in contextum recepit Sigonius, ubi itidem, ut hoc loco, priores edd. *Midon* praeferunt. Fateor equidem, Μίλωνος meminisse Plutarch. in Aem. Paullo pag. 263. Utrum tamen *Milo* Plutarchi idem sit, ac *Midon* Livii, nondum certo constat. Apud Plutarch. enim Perseus, a transfuga Cretensi monitus, Nasicam ab Aemilio Paullo missum esse, ut clam per montem Olympum transiret, Milonem cum decem millibus militum mercenariorum ac duobus millibus Macedonum eodem properare, et hostem praevertere jubet; quae historia temporum injuria in Livio periisse, et post cap. 35. hujus libri excidisse potest. Hic vero Midon cum Histiaeo et Theogene praeficiuntur quinque millibus Macedonum, qui Pythio et Petrae praesidio forent. Supra 42, 58, 7. ubi *Midon Beroeaeus* olim edebatur, et Sigonius *Milo* legendum censuit, contra Ursinus *Medon* emendandum docuit ex Polyb. Exc. legat. quae fra-

millia Macedonum missa ad praesidium Pythii et Petrae, quibus praepositi erant Histiaeus, et Theogenes et Milo. His profectis, ripam munire Enipei fluminis agressus est, quia sicco alveo transiri poterat. Huic ut omnis multitudo vacaret, feminae, ex propinquis urbibus coactae, cibaria in castra

gmenta tempore Sigonii nondum typis descripta erant. Idem nomen restituendum etiam infra puto cap. 45. ubi Livius refert, Hippiam, et *Midonem*, ut legunt vett. editiones, et Pantauchum se post cladem Persei Berocam recepisse, et effecisse, ut ea urbs Aemilio traderetur. Ut enim tanta apud Berocaeos auctoritate valuerit, iisque, ut urbem suam Romanis traderent, persuadere potuerit, causa fuisse videtur, quod ipse Berocaeus existens multos ibi cognatos et amicos habuerit. Certe Hippias, qui eodem tempore ex proelio infelici Berocam aufugit, itidem *Beroeaeus* vocatur l. 42, 51. Si igitur l. 42, 58. ex auctoritate Polybii, et 44, 45. ex conjectura pro *Midon* legendum est *Medon*; forte etiam idem error hic commissus, idemque nomen restituendum erit. Certe convenit, *Midon* esse corruptum. Ex eo autem minori mutatione *Medon*, quam *Milo*, fieri potest. Neque admodum probabile est, si antiquitus *Milo*, nomen satis notum, scriptum fuisset, librarios id in *Midon* mutaturos. Si vero *Milo* Plut. idem sit, atque ille, quod negare nolo, parva mutatione ex *ΜΙΛΩΝ* fieri potest *ΜΗΔΩΝ*.

10

§. 11. *Huic ut omnis multitudo vacaret*] *Operi huic.* MURETUS. Doujatius cum Mureto *Operi huic* legendum censet; alioquin enim pronomen *huic* referendum fore ad ripam, vel ad alveum Enipei fluminis. Crevierius etiam *Huic operi* legit. Sed nihil muto, et vocem *operi*, vel *negotio*, vel *rei*, vel similem subintelligo. Cic. 2. in Verr. 4. *Fecerunt etiam, ut ego istum accusarem, a quo mea longissime ratio voluntasque abhorrebat.* Ubi Asconius *a quo* exponit, *a qua re, a quo negotio, accusationis scilicet.* Similiter hoc loco *Huic* est huic rei, huic negotio, munitionis scilicet.

11

Coactae cibaria in castra adferebant] Videtur legendum *cocta cibaria.* Supra 3, 27, 3. *Armati cum cibariis in dies quinque coctis adessent.* 21, 49, 8. *Edicto proposito, ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent.* 24, 11, 9. *Cum triginta dierum coctis cibariis naves conscenderunt.* 29, 25, 6. *Quinque et quadraginta dierum cibaria, e quibus quindecim dierum cocta, inposita.* 44, 35, 13. *Mille hominibus decem dierum cocta cibaria habere.* Solent autem voces *coctus* et *coactus* a librariis confundi. Vide supra ad 3, 23, 3. et Celeberr. Burm. ad Sueton. Claud. 38. Et ita apud Colum. 7, 5, 10. ubi vulgo editur, *Facit etiam sulfuris triti et picis liquidae modus aequalis igne lento coactus*, codex Sangerm. *igne lento coctus* praefert.

Miles jussus ex propinquis silvis] Orsus erat dicere, quae Perseus rex ad famam adventus

adferebant: miles juſſus ex propinquis silvis
Plut. in Aemil. [ligna petere. Inde ſtructum vallum, propugnacula excitata, adjectis turribus dispositisque ubique tormentis, ita ripam defendebant, ut penetrare hoſtis sine gravi certamine et periculo non posset. Sic tutum se adversus omnem Romanorum impetum fore confidebat, sedendoque et segni mora languescentes, tum sumptibus exhauſtos hoſtes tandem taedium tam difficilis belli capturum. Paullus contra quo diligentius et cautius omnia apud Macedonas provisa et cuſtodita cernebat, eo acrius curam intendere, in omnes partes versare animum, si quo consilio fruſtrari hoſtium spem haud de nihilo sane conceptam posset. Ceterum praesens tum malum angebat, aquarum penuria. Exaruerat pene proximum flumen, nisi quod juxta ipsum mare exigua et corrupta manabat aquula.

Aquarum penuria apud Rom.

1 XXXIII. Consul, quum missi circa propinqua loca nullam aquam inveniri renunciarent,] poſtremo sequi se utrarios ad mare, quod minus trecentos paſſus aberat, juſſit, et in litore alios alibi modicis interval-
2 lis fodere. montes ingentis altitudinis spem facie-

consulis Pauli parasset, cujus narrationis pars extrema intercidit, una cum initio expositionis ejus, qua, quae Paulus moliri coepit, ubi in Macedoniam pervenit, prodit. primis autem his verbis: *Postremo sequi se utrarios ad mare*, quemadmodum inopiam aquarum levaverit in Olympo monte, tradit. Quae res etiam ex Plutarcho in Paulo [p. 262.] peti poteſt. SIG.

§. 1. *Alios alibi modicis intervallis fodere*] Vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit, legendum *alios alibi puteos modicis*. Ita Plut. loco, quem mox plenius laudabo, *φρέατα πολλὰ παρὰτὴν ὑπώρειαν ὤρυττε*. Sed nihil mutandum puto. Ex sequentibus enim *vix deducta summa arena* conſtare videtur, eos non fodiſſe puteos. Forte igitur Plutarchus auctores alios, quam Livius, secutus eſt. Livius plerumque in his Polybium sequitur; at Plutarchus se praeter Polybium etiam commentariis Nasicae usum eſſe teſtatur. Vide ad §. 8. cap. 34, 3. et cap. 35, 11.

§. 2. *Occultas continere lati-*

bant, eo magis quia nullos apertos evergerent rivos, occultos continere latices, quorum venae in mare permanantes undae miscerentur. Vix dedu- 3
cta summa arena erat, quum scaturigines turbidae primo et tenues emicare, dein liquidam multamque fundere aquam, velut Deum dono, coeperunt. Ali- 4
quantum ea quoque res duci famae et auctoritatis apud milites adjecit. Juſſis deinde militibus expedire arma, ipse cum tribunis primisque ordinibus vadit ad contemplandos transitus; qua descensus facilis armatis, qua in ulteriorem ripam minime iniquus adscensus eſſet. His satis exploratis, illa quo- 5
que primum, ut ordine ac sine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumque ducis fierent, provi-
dit. Ubi omnibus simul pronunciaretur, quod fie- 6
ret, neque omnes exaudirent; incerto imperio accepto, alios, ab se adjicientes, plus eo, quod imperatum sit, alios minus facere. clamores deinde diſſonos oriri omnibus locis, et prius hoſtes, quam ipsos, quid paretur, scire. Placere igitur, tribu- 7

ces] Forte legendum *contineri*. Paullus ex montium adspectu hanc spem concepit, occultos latices in montium visceribus contineri. Plutarch. in Aemil. Paull. pag. 262. *Ὁρῶν ὁ Αἰμιλιος μεγὰ καὶ κατηρεφὲς δένδρεσιν ὄρος τὸν Ὄλυμπον ἐπικείμενον, καὶ τεκμαιρόμενος τῇ Χλωρότητι τῆς ὕλης, ναπάτων ἔχειν ἀρχάς, διὰ βάθους ὑποφερομένων, ἀναπνοὰς ἀυτοῖς καὶ ῥεύματα πολλὰ παρὰ τὴν ὑπώρειαν ὥρυττε.contineri* legendum conjecit etiam Cl. Dukerus.

§. 3. *Vix deducta summa arena*] Puto *diducta*, id eſt, a loco suo dimota. Ea verba paſſim a librariis confundi, vidimus ad 21, 55, 5. Mox §. seq. *adjecit* primus edidit J. Fr. Gronovius. Priores edd. praeferunt *adjicit*.

§. 7. *Placere igitur, tribunum militum*] Hoc Lipsius 4. de Milit. Rom. 10. de omnibus imperiis, etiam quae militi in caſtris manenti dabantur, videtur accipere. Sed ex ipso loco patet, de imperiis, quae ad iter et agmen pertinebant, agi. Quae hic de scutis et pilis dicuntur, illu-

num militum primo pilo legionis secretum edere imperium: illum, et dein singulos, proximo cuique in ordine centurioni dicere, quid opus facto sit; sive a primis signis ad noviſſimum agmen, sive ab
8 extremis ad primos perferendum imperium sit. Vigiles etiam novo more scutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, ut armis utatur, sed ad vigilandum, ut, quum senserit hoſtium adventum, recipiat se, excitetque ad arma alios.
9 Scuto prae se erecto ſtare galeatos: deinde, ubi feſſi sint, innisos pilo, capite super marginem scuti posito, sopitos ſtare: ut fulgentibus armis procul conspici ab hoſte poſſint, ipsi nihil provideant.
10 Stationum quoque morem mutavit. armati omnes, et frenatis equis equites, diem totum perſtabant. id quum aeſtivis diebus, urente aſſiduo sole, fieret,

ſtrat idem 2. de Milit. 2. et 4. et lib. 5, 9. et quae de ſtationibus 5, 8. de quibus etiam habet Schelius ad Polyb. cap. 2. DUKER.

§. 8. *Scutum in vigiliam ferre vetuit*] Hic iterum a Livio diversus Plutarch. haſtam pro scuto memorat in Aemil. pag. 262. *τὰς νυκτερινὰς φυλακὰς ἄνευ λόγχης φυλάττειν.*

§. 9. *Dein, ubi feſſi sint*] Ita demum ultima Gruteri editio, ejusque exemplo ceteri recentiores. Omnes priores *deinde, ubi feſſi*, quod Livio reſtitui. Parvum eſſe confiteor, ac nihil referre, utro modo legatur: at tanto iniquius puto, Livii manum temere inmutari.

Sopitos stare] *stare* non opus erat addi. facile ex praecedentibus repeti poterat. DUKER.

Conspici ab hoste possit, ipse nihil provideat] Quis non videat, legendum *sopitos stare, ut fulgentibus armis procul conspici ab hoste possint, ipsi nihil provideant?* J. FR. GRON.

§. 2. *Quos advocaverit in consilium*] Haec veterum edd. lectio eſt, cujus loco Modius more suo dedit *in concilium*. Sed recte Gronov. priorem lectionem revocavit. V. ad 44, 2, 5.

§. 3. *Arma apta, cibum paratum ad subita imperia*] Vox *cibum* aperte mendosa eſt. Ego *animum* reponendum puto. Hunc locum sic Graece vertit Plutarch. [p. 261.] *Παρήγγειλε μηδὲν πολυπραγμονεῖν, μηδὲ φροντίζειν, ἀλλ' ἢ τὸ ἑαυτοῦ, καὶ τὴν πανοπλίαν ἕκαστον, ὅπως ἐνεργὸν παρέξει καὶ χρήσεται Ῥωμαϊκῶς τῇ μαχαίρᾳ τὸν καὶ-*

tot horarum aestu et languore ipsos equosque fessos integri saepe adorti hostes, vel pauci plures vexabant. itaque ex matutina statione ad meridiem 11
decedi, et in post meridianam succedere alios jussit: ita numquam fatigatos recens hostis adgredi poterat.

XXXIV. Haec quum ita fieri placere, concione 1
advocata, pronunciasset, adjecit urbanae concioni convenientem orationem. *Unum imperatorem in* 2
exercitu providere et consulere, quid agendum sit, debere, nunc per se, nunc cum iis, quos advocaverit in consilium. qui non sint advocati, eos nec palam, nec secreto jactare consilia sua. Militem haec tria 3
curare debere, corpus ut quam validissimum et pernicissimum habeat, arma apta, cibum paratum ad subita imperia: cetera scire de se Diis inmortalibus 4
et imperatori suo curae esse. in quo exercitu mili-

ρὸν παραδόντος τοῦ στρατηγοῦ. SIGON. In aliis erat *cibum*: non recte id quidem, sed tamen vereor, quam hoc quoque [*animum*] sit emendatum. Puto *cibum* verius esse. MURET. Cl. Crevierius etiam vulgatum *cibum* praefert, et saepius Romanis militibus imperatum observat, ut cibaria cocta in certum dierum numerum haberent. Quod ad dissensum Plutarchi adtinet, vide ad cap. praec. §. 1.

§. 4. *Milites, consul, et imperator rumoribus vulgi circumagatur*] Forte scripserat: *in quo exercitu militum consul, et imperator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil salutare esse.* Consulem vult rumoribus militum, et imperatorem rumoribus vulgi non in omnem partem trahi et verti. Simplicius *militibus* opponeretur *imperator*, et *consul vulgo*: sed elegantius illud, et fere ut in prooemio Institutionum: *non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam.* J. FR. GRON. Dixit paulo ante consul, unum imperatorem in exercitu providere et consulere, quid agendum sit, debere; caeteros, qui ab illo non sint advocati in consilium, nec palam nec secreto jactare consilia sua. Conveniens ista erat urbanae concioni oratio. Nam quemadmodum tunc monuerat Quiritis cap. 22. e terra ne gubernarent, id est, in circulis et conviviis suis, quid imperatori in Macedonia faciendum esset, differerent; sic jam milites nihil, quod futurum sit, quaerere, nec sibi jactandis vulgo suis consiliis, quid rerum gerendum sit,

tes, consul, et imperator rumoribus vulgi circum-
5 *agatur, ibi nihil salutare esse. Se, quod sit offi-*
cium imperatoris, provisurum, ut bene gerendae rei
occasionem eis praebeat. illos nihil, quod futurum
sit, quaerere: ubi datum signum sit, tum militarem
6 *operam navare.* Ab his praeceptis concionem di-
misit; vulgo etiam veteranis fatentibus, se illo pri-
mum die, tamquam tirones, quid agendum esset in
7 re militari, didicisse. Non sermonibus tantum his,
cum quanto adsensu audissent verba consulis, osten-

praescribere jubet. Quippe *in quo exercitu milites consulant*, vel *miles consulat*, *imperator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil salutare esse.* Sic enim legendum levi mutatione exiſimo. JAC. PERIZ. Credo, locum recte emendari; primum, quia, quum milites ipsi sint vulgus illud, cujus rumoribus milites circumagi dicuntur, minime elegans aut conciunus sermo eſt, *milites circumaguntur rumoribus militum*, vel *vulgus circumagitur rumoribus vulgi:* deinde, quia sufficiebat dici *imperator:* denique, quia *circumagi* dicuntur, qui ex sese non apti ipsi nullas certas consiliorum et actionum suarum rationes, sed ex aliorum consiliis et actionibus suspensas, habent; quod non convenit in milites, quorum partes sunt ducibus consulentibus et imperantibus parere, non consilium dare. 26, 8, 3. *Terrerique et circumagi ad nutus cominationesque Annibalis flagitiosum ducebat* Fabius. 39, 5, 3. *Non pendere ex alterius vultu ac nutu, nec alieni momentis animi circumagi, adstipularique irato consuli tribunum plebis* debere. DUKER. Perizonii conjecturam probat etiam Crevierius. Praeterea Modius, pro veterum edd. lectione *circumagatur*, dedit *circumagitur;* quod Gronovius in priori ed. notarum inprobat: anno vero 1665. priscam lectionem revocavit. Paullo poſt §. seq. *nihil, quid futurum sit* prima ed. cujus loco Frobenius anno 1535. *quod futurum* emendavit.

§. 8. *Alii galeas bucculasque, scuta alii loricasque tergere*] Debetur haec lectio editioni Frobenii anni 1535. Quod prima praefert editio, *alii galeas bucculasque scutorum, alii loricas tergere*, aperte falsum eſt. *bucculae* enim erant illa galeae pars, quae buccam tegebat. Vide Lipsium 3. de Milit. Rom. 5. et Stewech. ad Veget. 2, 13. Notandum itaque, primam ἔκδοσιν particulam *que* ultimo loco omittere, eamque demum a Frobenio additam esse. Id suspicionem injecit, Livium potius scripsiſſe, *alii galeas bucculasque, scuta alii, alii loricas tergere.* ut vocem *alii* his scribendam semel omiserint librarii. Ita supra 37, 11, 12. *Navium reliquarum ante portum aliae, aliae in portu deprehensae.* Ubi pari lapsu vocem *aliae* multi librarii iterare

derunt; sed rerum praesens effectus erat. Nemi- 8
nem totis mox castris quietum vide es: acuere alii gladios: alii galeas bucculasque, scuta alii loricasque tergere: alii aptare corpori arma, experirique sub his membrorum agilitatem: quatere alii pila, alii micare gladiis, mucronemque intueri: ut 9
facile quis cerneret, ubi primum conserendi manum cum hoste data occasio esset, aut victoria egregia, aut morte memorabili inituros bellum. Perseus 10
quoque quum, adventu consulis simul et veris prin-

neglexerunt. Similes errores v. ad 37, 27, 4.

Mucronemque intueri] Si hoc usum aliquem in proeliis habere potest, hic nihil novandum est. Si non potest, legerem *mucronemque tentare*. Sueton. Ner. 49. *Duos pugiones, quos secum extulerat, arripuit, tentataque utriusque acie, rursus condidit.* Tacitus 2. Hist. 49. *Allatis pugionibus quum utrumque pertentasset.* Explorabant autem milites Paulli aciem mucronis, quod Romani magis punctim, quam caesim, pugnabant. Vide Lipsium 3. de Milit. Rom. 3. DUKER. Crevierio etiam aliquod vitium in verbo *intueri* latere videtur.

§. 9. *Aut victoria egregia, aut morte memorabili inituros bellum*] Muretus *finituros*. J. FR. GRON. Vulgatum omnino displicet. Nam *inire bellum* hic notare nequit incipere bellum: bellum enim non nunc demum geri incipiebat, sed jam per aliquot annos fuerat protractum. Notare etiam nequit descendere in proelium: non dicam enim, *bellum* pro proelio aut vix aut quam rarissime apud Livium aliosque ejusdem aevi scriptores usurpari, ut vidimus ad 3, 61, 2. verum potius scire velim, quo sensu accipiendum sit *victoria egregia, morte memorabili inituros bellum*, id est descensuros in proelium. An igitur proelium inturus jam victoriam egregiam obtinuerat, aut jam mortem memorabilem obierat? Si cui locutionem ita intelligendam placeat, eo animo in proelium descensuros, ut vel victoriam egregiam reportent, vel mortem memorabilem obeant; postulo, ut, eam id notare posse, aliis exemplis inlustretur. *finituros* probabat etiam Clariss. Jac. Gronovius ad 42, 8, 8. Et solent interdum haec verba a librariis confundi. V. ad 35, 7, 3. Verum neque haec conjectura ab omni parte placet. Nam milites Romani spem quidem concipere poterant, se tantam de Perseo victoriam reportaturos, ut ea bello finem inpositura esset; verum pietas in patriam non permittebat, ut crederent, si clade accepta vel omnes occubuissent, propterea senatum ac populum Perseo pacem concessuros. Videant igitur alii, qua ratione loco male adfecto subcurrendum sit. Neutrum verbum *inituros*, vel *finituros* hic satis

cipio, ſtrepere omnia moverique apud hoſtes, velut novo bello, cerneret, mota a Phila caſtra in adversa ripa posita, nunc ad contemplanda opera sua circumire ducem, haud dubie transitus speculantem, [nunc ea omnia intentissima cura apparare, quae ad vim faciendam oppugnandaque caſtra usui esse possent; nihil omittere, quod sive adversus hoſtem, sive ad suorum adjuvandas vires magno duci conandum faciendumque esset: et ipse, tanquam in summae rei jam discrimen venturus, acuere militum animos, firmare opera magis ac magis, nunquam satis provisa omnia, tutam munitamque ripam credere. Tamen in acerrimo utrimque ardore quieta per aliquantum temporis ſtativa fuere: nec unquam tantos exercitus tam in propinquum collatis caſtris tam tranquillos consedisse memoriae proditum eſt. Interim fama nunciat, victum in Illyrico Gentium regem ab Anicio praetore, ipsumque cum domo tota et universa ditione in poteſtate Roma-]norum esse.

Plut. in Aemil.

congruere, judicat etiam Clariſſ. Crevierius.

§. 10. *Adventu consulis simul et veris principio*] *et vere praecipiti* emendat Gronov. supra c. 30, 1. Contra Dodwell. locis ibidem a Clariſſ. Dukero laudatis, vulgatum tueri conatus eſt.

norum esse. Quae res Romanis auxit animos] Hic narrabantur ea, quae Perseus poſt Pauli adventum adversus eum se comparans egit, de quibus scribere erat aggreſſus. Horum autem verborum haec erat sententia: *Nunciatum est, Gentium regem superatum, ipsumque cum regno in potestate Romanorum esse. Quae res Romanis auxit animos: Macedonibus regique eorum haud mediocrem attulit terrorem: et primo supprimere in occulto famam ejus rei est conatus*, etc. SIGON.

§. 3. *Quo quaeque adcuratius curantur*] Fortaſſe *celantur*. J. FR. GRON. Conjecturam confirmant loca Livii 8, 3, 3. *Quamquam omnia de industria celabantur*, etc. *tamen per quosdam* etc. *indicia conjurationis emanarunt.* et 29, 24, 4. *Periculum erat, ne vera, eo ipso, quod celarentur, sua sponte magis emanarent.* DUK. Gronovii conjectura etiam probabilis Crevierio visa eſt.

§. 5. *Quum alii praecipites sine responso agendos castris, pronunciavit, post* etc.] Perfecta haec sententia non eſt. Di-

XXXV. Quae res Romanis auxit animos, Mace- 1
donibus regique eorum haud mediocrem adtulit terrorem. Et primo subprimere in occulto famam 2
ejus rei est conatus, missis, qui Pantauchum inde venientem adpropinquare castris vetarent. sed jam 3
et pueri quidam visi ab suis erant inter obsides Illyrios ducti: et, quo quaeque adcuratius curantur, eo facilius loquacitate regiorum ministrorum emanant. Sub idem tempus Rhodii legati in castra ve- 4
nerunt cum iisdem de pace mandatis, quae Romae ingentem iram Patrum excitavere. Multo iniquioribus animis a castrensi consilio auditi sunt. Ita- 5
que quum alii praecipites sine responso * agendos castris, pronunciavit, post diem quintumdecimum se responsum daturum. Interim, ut ad- 6
parceret, quantum pacificantium Rhodiorum auctoritas valuisset, consultare de ratione belli ge-

cturus enim fuit nescio quid ejusmodi: *Cum alii praecipites sine responso agendos castris, alii convenienti cum responso dimittendos dicerent, pronunciavit*, etc. SIG. Videtur deesse *censerent*, nisi illud verbum intelligi commode putes. Neque absurdum sit scribere, *Itaque quum alii praecipites sine responso agerent castris.* Quod est, agendos censerent. Ut lib. 27, [20, 12.] *Marcellus Romam veniret, ad purganda ea, quae inimici decernerent.* Lib. 26, [8, 2.] *P. Cornelius, cui Asinae cognomen erat, omnes duces exercitusque ex tota Italia ad urbis praesidium revocabat.* Tacit. 11. Ann. [3.] de Vitellio: *Liberum ei mortis arbitrium permisit.* Quae nihil volunt aliud, quam revocandos, permittendum censuit. J. FR. GRON. *agerent* eo sensu a Livio adhiberi, vidimus ad 25, 33, 5. Potius tamen existimo, aliquid socordia librarii excidisse, et quidem solam vocem *censerent.* Sigonio enim adsentiri nequeo, plura hic excidisse arbitranti, licet ejus sententiam probet Crevierius, existimans deesse membrum orationis, quod respondeat τῷ *alii.* Puto enim per voculam *alii* intelligi omnes, quos Paullus in consilium advocarat, iisque obponi ipsum Paullum, et quod ei placuit. Doujatius, alterutram Gronovii sententiam probans, vel excidisse opinatur vocem *censerent*, vel legendum esse *agerent.* Insuper illud *praecipites* accipit nominandi casu, ut

rendi coepit. Placebat quibusdam, et maxime majori-
7 bus natu, per Enipei ripam munitionesque vim facere. *confertis et vim facientibus resistere Macedonas non posse: ex tot castellis aliquanto altioribus ac munitioribus, quae validis praesidiis insedissent, priore anno dejectos.* aliis placebat, Octavium cum classe Theſſalo-
8 nicam petere, et populatione maritimae orae diſtringere copias regias: ut, altero ab tergo se oſtendente bello, circumactus ad interiorem partem regni tuendam, nudare aliqua parte transitus Enipei cogeretur. Ipsi natura et operibus inexsuperabilis ripa videba-
9 tur: et, praeterquam quod tormenta ubique disposita es-

referatur non ad legatos Rhodiorum, sed ad duces Romanos, qui extemplo Rhodios caſtris abigendos sine responso exiſtimabant. Mihi tamen praeſtare videtur, ut accusandi casu accipiamus, et referamus ad legatos Rhodios, quos praecipites caſtris agi volebant, qui a Paullo in consilium advocati erant. Locutio *praecipitem aliquem agere* elegans et saepe obvia eſt. 30, 14, 10. *Quae regem nobis socium alienasse, atque in arma egisse praecipitem dicatur.* 42, 30, 4. *Praecipites ad novanda omnia agebat.* Valer. Max. 3, 6, 2. *Equum conscendit, eumque praecipitem in illud profundum agit.* 6, 3, 1. *Manlius eras mihi, quum praecipites agebas Senones.* 9, 5, 2. *Parvi enim habuit, L. Philippum consulem violenter in carcerem praecipitem egisse.* Vide Cel. Burmann. ad Phaedri 5, 7, 39.

§. 7. *Et maxime majoribus natu*] Crevierius exiſtimat, Livium potius scripsiſſe *minoribus natu.* Fervidum enim illud consilium faciendae sibi viae per ripam Enipei munitionesque magis sapere juvenilem ardorem, quam senilem prudentiam. Voces *major* et *minor* in Mſtis saepius confundi, videbimus ad 45, 25, 7.

§. 9. *Missilibus etiam melius et certiore ictu hostes uti] militibus* habet ultima Gruteri editio. Sed veram lectionem *missilibus* Gronovius prima ed. notarum indicavit, et deinde anno 1665. contextui reddidit.

§. 10. *Perrhaebos mercatores Schoenum et Menophilum*] Forte *Coenum.* id enim Macedonicum nomen eſſe, notum ex Curtio et Juſtino. J. FR. GRONOV. Locus Juſtini, quem Gronovius innuit, exſtat 13, 4. ubi Scaliger pro *Scyno* legebat *Coeno*, et intelligebat *Coenum*, toties inter duces Alexandri magni apud Diodor. et Curtium memoratum. Verum quum Coenum illum ante Alexandrum obiiſſe referant Curtius 9, 3. et Arrian. 6, 1. aliud

essent, missilibus etiam melius et certiore ictu hostes uti audierat. Alio spectabat mens tota ducis: dimisso- 10
que consilio Perrhaebos mercatores, Schoenum et Menophilum, notae et fidei jam sibi et prudentiae homines, arcessitos secreto percunctatur, quales ad Perrhaebiam transitus sint. Quum loca non iniqua esse 11
dicerent, praesidiis autem regis obsideri, spem cepit, si nocte inproviso valida manu adgressus necopinantes esset, dejici praesidia posse. *Jacula enim et sagit-* 12
tas et cetera missilia in tenebris, ubi, quid petatur, procul provideri nequeat, inutilia esse. gladio cominus geri rem in permixta turba, quo miles Romanus vincat. His ducibus usurus, praetorem Octavium 13

potius nomen reponendum putat Bernecccerus. Contra Gronovius Scaligerum quidem in homine designando erraſſe, at non in illius vocabulo, exiſtimat lib. 4. Obs. cap. 15. pag. 243. *Coenum* enim, non *Scynum*, esse nomen Macedonicum. Id facile in *Scynus* corrumpi potuiſſe, docet Perizon. in Animadv. Hiſt. cap. 10. pag. 439. Nam medio aevo diphthongum *oe* mutatam fuiſſe in *y*, et ita ex *Coenus* factum esse *Cynus*, deinde ultimam literam vocis praecedentis *gens* perperam initio hujus adhaesiſſe, et hinc enatum eſſe *Scynus*. Idem et hic accidit. Ultima enim litera proximae vocis *mercatores* huic adcrevit, et ex *Coenus* factum eſt *Scoenus*, tum interposita adspiratione *Schoenus*. Ceterum *Coenus* etiam dictus eſt secundus Macedonum rex, qui Cranao gentis conditori successit. Vide Hieronym. Chron. Euseb. ad ann. MCCXXXI. is vero unde nomen acceperit, ex Etymol. Magn. ibidem docuit Scalig. pag. 67. Paulo ante *dimisſoque concilio* edidit Modius, quum primae edd. praeferant *consilio*; quod vindicavit iterum Gronov. cap. 2, 5.

§. 11. *Praesidiis autem regis obsideri*] A Livio hic diſſentit Plutarchus, qui in Aemil. pag. 262. viam per Perrhaebiam incuſtoditam ac sine praesidio relictam scribit; pag. seq. autem addit, Persen tum demum eo praesidium misisse, quum ex transfuga didiciſſet, partem exercitus Romani ea loca petiiſſe: contra Livius, jam antea transitum illum praesidiis Persei inseſſum fuiſſe, non hic modo innuit, sed etiam supra cap. 32. Praeterea loca non iniqua esse mercatores Perrhaebi hic adfirmant; at secundum Plutarch. locus praesidio non erat firmatus *διὰ δυσχωρίαν καὶ τραχύτητα*. Ceterum *praesidiis autem regiis* legendum conjicit Crevierius. Vide ad hujus lib. cap. 6, 9.

§. 13. *Heracleum cum classe petere*] *Heracliam* et mox §. seq. *Heracleam* princeps ed. Sed,

arcessitum, exposito, quid pararet, Heracleum cum classe petere jubet, et mille hominibus de-
14 cem dierum cocta cibaria habere. Ipse P. Scipionem Nasicam, Q. Fabium Maximum filium suum cum quinque delectis millibus Heracleum mittit, velut classem conscensuros ad maritimam oram interioris Macedoniae, quod in consilio a-
15 gitatum erat, vastandam. Secreto indicatum, cibaria his praeparata ad classem esse, ne quid eos moraretur. Inde jussi duces itineris ita dividere viam, ut quarta vigilia tertio die Pyt-
16 hium adoriri possent. Ipse postero die, ut distineret regem ab circumspectu rerum aliarum, prima luce medio in alveo cum stationibus hostium proelium commisit. pugnatumque utrimque est levi armatura: nec gravioribus armis in tam
17 inaequali alveo pugnari poterat. Descensus ripae utriusque in alveum trecentorum ferme passuum erat: medium spatium torrentis, alibi aliter

Heracleum emendandum, monuit Gronov. supra ad cap. 5, 12.

§. 14. *P. Scipionem Nasicam, Q. Fabium Maximum* etc. *Heracleam mittit*) Horum meminit etiam Plutarchus in Paullo [pag. 262.] *ὁ Νασίκας ὁ ἐπικαλούμενος Σκιπίων, γαμβρὸς Ἀφρικανοῦ Σκιπίωνος, καὶ Φάβιος Μάξιμος ὁ πρεσβύτατος τῶν Αἰμυλίου παίδων ἔτι μειράκιον ὤν.* Meminit etiam *Heracleae*, quam *τὸ Ἡράκλειον* vocat. Summam etiam eorum, quos secum Nasica duxerit, subtilius tradit. SIG. Imno in numero dissentit a Livio, qui forte Polybium secutus est; quum Plutarchus, relicto Polybio, sequatur ipsum Nasicam, qui, se octo millia peditum, trecentos et viginti equites a consule accepisse, epistola ad regem quemdam scripsit. Mox *in consilio agitatum* edidit iterum Modius contra fidem priorum edd. *in consilio* praeferentium. Intempestivam ejus emendationem corripuit Gronov. ad cap. 2, 5.

§. 15. *Cibaria his praeparata ad classem esse*] Supra §. 13. praetor, qui classi praeerat, tantum mille hominibus cocta cibaria in decem dies parare jussus est. Hic vero quinque millia militum mittuntur. Unde igi-

cavati, paullo plus quam mille paſſus patebat. Ibi 18
in medio, ſpectantibus utrimque ex vallo caſtrorum
hinc rege, hinc conſule cum ſuis legionibus, pu-
gnatum eſt. Miſſilibus procul regia auxilia melius 19
pugnabant; cominus ſtabilior et tutior, aut parma,
aut ſcuto Liguſtino, Romanus erat. Meridie fere 20
receptui cani ſuis conſul juſſit. ita eo die diremtum proelium eſt, haud paucis utrimque interfectis. Sole orto poſtero die, irritatis certamine animis, et- 21
iam acrius concurſum eſt: ſed Romani, non ab his tantum, cum quibus contractum certamen erat, ſed multo magis ab ea multitudine, quae diſpoſita in turribus ſtabat, omni genere miſſilium telorum ac saxis maxime vulnerabantur. Ubi propius ripam 22
hoſtium ſubiſſent, tormentis miſſa etiam ad ultimos perveniebant. Multo pluribus eo die amiſsis, conſul paullo serius recepit ſuos. Tertio 23
die proelio abſtinuit, degreſſus ad imam partem caſtrorum, veluti per devexum in mare brachium, trans-

tur reliqui cibaria habuerunt? Mox *Pythoum* priscae edd. pro quo *Pithium* mutandum saepius Sigonius monuit, et ita paſſim edidit. Vide ad cap. 32, 9.

§. 19. *Aut parma, aut scuto Ligustino*] Hinc quidam colligere voluerunt, Romanos usum scutorum a Liguribus didiciſſe, quos refellit Lipsius 3. de Milit. Rom. 2. Locum Suidae in Πάρμη, quem ibidem e Polybio in hac hiſtoria sumtum putat, et emendat, nec viri docti inter fragmenta Polybii retulerunt, nec editores Suidae mentionem emendationis Lipsianae, etsi non indignae, quae consideretur, fecerunt. DUK. Crevierius *parmam* retulit ad velites, *scutum Ligustinum* ad Ligures, quos in exercitu Aemilii fuiſſe refert Plutarch. pag. 264.

§. 20. *Haud paucis utrimque interfectis*] Si eo die haud pauci interfecti, poſtero multo plures amissi sunt, non exiguam jacturam militum fecit consul. Hoc mihi non valde probabile videtur, quia in levis armaturae velitationibus raro multum sanguinis fundebatur. Suspectum habeo *haud*. DUK.

§. 23. *Degressus ad imam partem castrorum*] *digressus* omnes typis descripti ante Gro-

24 itum tentaturus. Perseus, quod in oculis erat,
Plut. in Aemil. [id tantum cogitans, ad repellendum ea parte hostem omnem curam intendebat, nihil aliud sollicitus. Interim P. Nasica cum attributa sibi manu versus mare Heracleum profectus, postquam eo pervenit, jussis corpora curare militibus, noctem exspectavit. Tum vera consulis mandata praecipuis ducum exposuit, ac, primis se intendentibus tenebris flexo ad montem itinere, ad Pythium, ut imperatum erat, copias silentio ducit. Ubi ventum ad summum cacumen est, quod decem amplius stadia in altitudinem assurgit, fatigatis militibus
Supra cap. 32. aliquid requietis datum. Hoc jugum, ut ante dictum est, Milo, et Histiaeus, et Theogenes a Perseo missi cum quinque millibus Macedonum obti-
Plut. nebant: sed tanta negligentia regiis ducibus erat,
Nasica dejicit jugo praesidium Macedonum. ut nemo adventare Romanos senserit. Sopitos aggressus Nasica de jugo facile dejecit, si Polybio fides. Ipse enim Nasica in epistola ad quemdam regem longe aliter rem narrat. *Montem arduo ascensu fuisse, sed incustoditum, ita ut saltum occupare nullo negotio potuisset, nisi transfuga Cretensis ex iis, quos secum ducebat, ad Persea cucurrisset, eumque docuisset, quid ageretur. Regem ipsum quidem mansisse in castris, sed misisse duo Macedonum, decem auxiliarium millia, Milone duce, ad occupandum saltum. Cum his acerrima pugna in summo jugo concursum esse, atque inter alia sese a Thrace milite ferro appetitum, quem ipse adacta per pectus hasta transfixerit. Victos*

nov. qui *degressus* edidit; et recte, ut puto. Videntur enim castra Romana in collibus fuisse, qui paullatim versus mare descendebant. Ad eam partem quum consul se conferret, rectius *degressus*, quam *digressus*, dicitur. V. ad 4, 17, 11.

§. 24. *Perseus, quod in oculis erat*] Jam aggressurus erat dicere, quemadmodum Perseus Nasicae et Fabio, qui cum magna manu, Perseum ab alia parte et adorirentur, missi erant, obstiterit. Et haec igitur desiderantur, et quemadmodum Paullus

tandem Macedonas loco cessisse, Milonemque ipsum turpissima fuga abjectis armis saluti consuluisse. Romanis fugientes persequentibus facilis et sine ullo periculo in plana descensus fuit. Hoc rerum statu Perseus ambigere, quid facto opus. Quum, aperta jam per saltum via, metueret, ne circumiretur a Romanis, omnino necesse erat, ut aut ad Pydnam recedens hostem ibi exspectaret, sub muris munitae urbis minore periculo certaturus; aut copiis per urbes Macedoniae dispersis, convectisque in loca munitiora frugibus atque pecoribus, populatos agros et nudum hosti relinqueret solum. Anceps fluctuabat inter haec duo consilia regis animus. Amici tutius quoque id, quod honestius foret, rati, hortabantur, ut pugnae casum experiretur. *Eum et numero praestare militum, et vero etiam virtuti credere debere, quam ingenitam animis accensura quoque essent illa validissima et sanctissima apud homines ad fortiter pugnandum incitamenta, arae, foci, sacra, inter quae et pro quibus dimicandum esset; et parentes ac conjuges; rex denique ipse inspectans, seseque in partem discriminis offerens.* His motus rex ad pugnam sese comparavit, et, quum retrocessisset ad Pydnam, simul castra locat, simul instruit aciem, suum cuique ductorum munus locumque assignat, tanquam statim ex itinere dimicaturus. Regio erat hujusmodi: campus explicandae phalangi, cui aperta et aequabili planitie opus est, opportunus; non ita tamen, ut facile promoveri posset:

Perseus ambigit, quid facto opus sit.

Statuit acie decernere.

Liv. infra 37. Plut.

post Nasicam sit consecutus. De eodem Paullo loquitur, cum ait: *Anni post circumactum solstitium erat.* Narrat autem, quem admodum fessos itinere et aestu milites a pugna, cujus facultatem dabat Perseus, cohibuerit. Haec autem horum verborum fuit sententia: *Quoniam autem incommodum maxime (nam tempus post circumactum solstitium erat, hora diei jam ad meridiem vergebat) iter multo pulvere et incalescente sole factum erat, lassitudo et sitis jam sentiebatur, et meridie in-*

perpetui deinde colles, qui levi armaturae tum refugiendi, tum circumcursandi copiam praeberent. Amnes duo, Aesonem alterum, alterum Leucum incolae appellant, quamvis tenui tum fluerent aqua, aliquid tamen negotii facessere Romanis posse videbantur. Aemilius, junctis cum Nasica copiis, recta ad hostem ire pergit. Verum ad conspectum exercitus et numero et robore militum validissimi, et egregie instructi et parati ad pugnam, stupefactus substitit, multa secum reputans.

1 XXXVI. Tempus] anni post circumactum solstitium erat: hora diei jam ad meridiem vergebat: iter
2 multo pulvere et incalescente sole factum erat. lassitudo et sitis jam sentiebatur, et, meridie instante, magis accessurum utrumque adparebat. Statuit sic
3 adfectos recenti atque integro hosti non objicere. Sed tantus ardor in animis ad dimicandum utrimque erat, ut consuli non minore arte ad suos eluden-

stante magis accessurum utrumque apparebat, statuit sic affectos recenti atque integro hosti non objicere. Sic Plutarchus [pag. 263.] parenthesi temporis horam descripsit: *Σφοδρὰ γὰρ ἦν ὥρα φλίνοντος.* Hac de re sic paulo post agit Paullus [cap. 38.] *Nihilne interest, utrum militem, quem neque viae labor hodie, neque operis fatigaverit, requietum, integrum in tentorio suo arma capere jubeas, atque in aciem plenum virium, vigentem et corpore et animo educas, an longo itinere fatigatum et onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrentem meridiano sole, hosti objicias, recenti, quieto, qui nulla re ante consumtas vires afferat?* SIG.

§. 2. *Magis accessurum utrumque*] Cur non *accessuram utramque*? nam intelligitur *lassitudo et sitis.* Possis tamen subaudire *malum.* J. FR. GRON. Vulgatum recte Clariss. Crevierius tuetur, laudato simili loco Livii ex 30, 30, 11. *Tuam et adolescentiam, et perpetuam felicitatem, ferociora utraque, quam quietis opus est consiliis, metuo.* Similiter Sueton. Claud. 38. *Irae atque iracundiae conscius sibi utrumque excusavit edicto.* Ubi vide Celeb. Burm. Adde, quae notantur ad 2, 5, 4. et 34, 58, 4.

§. 5. *Quantum incresceret aestus*] Ita recte edidit Frob. anno 1535. *increscere* datum erat in ed. principe.

§. 8. *Neque enim ne his cunctationem aperuerat suam*] Forte, *nam ne his quidem cuncta-*

dos, quam ad hostes, opus esset. Nondum omnibus instructis, instabat tribunis militum, ut maturarent instruere: circumibat ipse ordines, animos militum hortando in pugnam accendebat. Ibi primo alacres signum poscebant. deinde, quantum incresceret aestus, et vultus minus vigentes et voces segniores erant, et quidam incumbentes scutis, nisique pilis stabant. Tum jam aperte primis ordinibus imperat, metarentur frontem castrorum, et impedimenta constituerent. Quod ubi fieri milites sensere, alii gaudere palam, quod fessos viae labore flagrantissimo aestu non coëgisset pugnare. legati circa imperatorem ducesque externi erant, inter quos et Attalus, omnes adprobantes, quum pugnaturum consulem credebant: neque enim ne his cunctationem aperuerat suam. tunc mutatione con- 4 5 6 7 8 9

tionem aperuerat suam. J. FR. GRON. Sigonius ad 33, 49, 3. et Schottus 4. Nodor. Cic. 16. *ne* hic pro *ne quidem* accipiunt. Eum usum hujus particulae etiam alii observarunt. Vide, quae ad Flori 3, 17, 2. adnotata sunt. Scriptura tamen aliquot locis, quae in eam rem adferuntur, variat. DUKER. De vocula *ne*, pro ne quidem, vide Cel. Burm. ad Suet. Aug. 35. Et ita Bentlej. ex Mstis emendat apud Horat. 2. Sat. 3, 262. *ne nunc, cum me vocat ultro, Accedam*? pro *nec nunc*, et Persium 5, 172. similiter locutum docet. Si quid tamen mutandum, Gronovii conjectura nimium a vulgato discedit, et potius lego *neque enim ne his quidem cunctationem*, interposita vocula *quidem*, quae ex unico cod. neglegentia scribae excidere potuit; quum variis locis ex aliis Mstis pari incuria librariorum excidisse deprehendatur. Exempla v. 5, 38, 10. 6, 18, 4. 8, 4, 10. c. 27, 10. 22, 40, 8. 36, 9, 9. 39, 40, 11. Crevierius τὸ *quidem* huc revocabat ex verbis proximis *ne hostes quidem*, ubi alieno loco haberi putabat. Duplex autem negatio *neque enim ne his* difficultatem movere nequit. Vide ad 32, 21, 26. et 34, 1, 5. Ampliss. Roëllius malebat *neque enim vel his cunctationem.*

§. 9. *Nasica unus ex omnibus ausus est monere consulem*] Plutarch. [pag. 263.] inflatum re bene ad Olympum contra Perseum gesta hoc aggressum esse scribit. SIGON.

Ne hostem quidem ludificatos priores imperatores fugiendo certamen manibus emittere]

silii subita quum alii silerent, Nasica unus ex omnibus ausus est monere consulem, *Ne hostem quidem ludificatos priores imperatores, fugiendo certamen, manibus emittere. Vereri, ne nocte abeat, sequendus maximo labore ac periculo in intima Macedoniae; exercitusque, sicut prioribus ducibus, per calles saltusque Macedonicorum montium vagando circumagatur. Se magnopere suadere, dum in campo patenti hostem habeat, adgrediatur, ne oblatam occasionem vincendi amittat.* Consul, nihil offensus libera admonitione tam clari adolescentis, *Et ego,* inquit, *animum istum habui, Nasica, quem tu nunc habes: et, quem ego nunc habeo, tu habebis. Multis belli casibus didici, quando pugnandum, quando abstinendum pugna sit. Non operae sit stanti nunc in acie docere, quibus de caussis hodie quiesse melius sit. rationes alias reposcito: nunc auctoritate veteris imperatoris contentus eris.* Conticuit adole-

Non est integrum. Sensum sic habebis: *ne hostem, pridem ludificatum priores imperatores, fugiendo certamen manibus emitteret.* Ni malis *qui sit ludificatus.* J. FR. GRONOVIUS. *ne hostem, qui quidem sit ludificatus* etc. *manibus emitteret* legendum conjicit Jac. Perizonius in margine Livii. Minus curate consuluit Doujatius Gronovii notas, quem legisse vult *ne hostem quidem ludificatum.* Rogat autem, quo illud *quidem*? et ipse emendat *ne hostem quondam ludificatum.* Sane, *quidem* et *quondam* interdum in Mstis confundi, monuit Torrent. ad Suet. Domit. 4. At, si oculis recte usus foret, vidisset, Gronov. eodem sensu *ne hostem pridem ludificatum* reponendum censuisse. *pridem* autem magis ad vulgatum *quidem* accedit, quam *quondam.* Solent autem librarii voces *quidem* et *pridem* in membranis antiquis commutare. Exemplum habuimus 8, 38, 10.

Dum in campo patenti hostem habeat) Forte *cum*, vel *quum habeat.* V. supra ad 1, 40, 7.

§. 13. *Multis belli casibus didici*) Sic Plutarch. [p. 264.] ἃ δὲ πολλαί με νίκαι διδάσκουσαι τὰ τῶν ἡττημένων ἁμαρτήματα, etc. SIGON.

Non operae sit stanti) Lege:

scens; haud dubie videre aliqua inpedimenta pugnae consulem, quae sibi non adparerent.

XXXVII. Paullus, poſtquam metata caſtra inpedimentaque conlocata animadvertit, ex poſtrema acie triarios primos subducit: deinde principes, ſtantibus in prima acie haſtatis, si quid hoſtis moveret: poſtremo haſtatos, ab dextro primum cornu singulorum paullatim signorum milites subtrahens. Ita pedites, equitibus cum levi armatura ante aciem hoſti obpositis, sine tumultu abducti: nec ante, quam prima frons valli ac foſſa perducta eſt, ex ſtatione equites revocati sunt. Rex quoque, quum sine detrectatione paratus pugnare eo die fuiſſet, contentus, quod per hoſtem moram fuiſſe pugnae scirent, et ipse in caſtra copias reduxit. Caſtris permunitis, C. Sulpicius Gallus tribunus militum secundae legionis, qui praetor superiore anno fuerat, consulis permiſſu ad concionem militibus vocatis

1 2 3 4 5

non operae est. Lib. 4, [8, 3.] *Neque consulibus cum tot populorum bella imminerent, operae erat, id negotium agere.* Lib. 29, [17, 17.] *Neque ego exsequi possum, neque vobis operae est audire singula, quae passi sumus.* J. FR. GRON. *non operae est*, id eſt, non vacat. 9, 23, 12. *Castra habeant repetantque, quibus operae est trahere bella.* V. ad 4, 8, 3.

§. 14. *Haud dubie videre aliqua inpedimenta*] Putabam olim, legendum eſſe *haud dubius videre.* Idem sibi quoque in mentem veniſſe Clariſſ. Dukerus monuit; abſtinendum tamen putasse a conjectura, quod sibi alibi quoque inveniſſe exempla ellipseos participii *ratus* vel alterius ejusdem significationis videtur; cujus nunc judicio subscribere malo. Simile enim participium etiam supra subintelligendum eſt 6, 22, 9. *Extemplo in aciem procedunt, nihil dilaturi, quin periculum summae rerum facerent: ita paucitati hostium nihil artes imperatoris unici* etc. *profuturas esse.* Ubi, perperam virum doctum *rati*, pro *ita*, legendum conjeciſſe, monui.

§. 5. *C. Sulpicius Gallus tribunus militum*] Sic quoque Plinius 2. Hiſt. Nat. 12. Legatum Paulli facit Valer. Max. 8, 11, 1. DUKER.

6 pronunciavit, *nocte proxima, ne quis id pro portento*
acciperet, ab hora secunda usque ad quartam ho-
ram noctis lunam defecturam esse. Id, quia natu-
rali ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et
7 *praedici posse. Itaque quemadmodum, quia certi*
solis lunaeque et ortus et occasus sint, nunc pleno
orbe, nunc senescente exiguo cornu fulgere lunam
non mirarentur; ita ne obscurari quidem, quum con-
datur umbra terrae, trahere in prodigium debere.

§. 6. *Ab hora secunda usque ad quartam horam noctis*] V. Calvisii opus Chronolog. ad A. Mundi ↂↂↂ IↃCCLXXXII.

Lunam defecturam esse] Sulpicium militibus Romanis praedixisse futuram defectionem lunae, etiam Plinius 2. H. Nat. 12. et Frontin. 1. Strateg. 12, 8. scribunt; Valer. Max. eum post defectionem lunae apud exercitum de causis illius differuisse auctor est. De ea re verba sunt Renaudoti tom. 2. Memoriar. Academ. Regiae Inscript. Dissert. 1. pag. 25. ed. Amstelod. *Sulpicius Gallus Lieutenant du Consul Emilius Paullus, dans la guerre contre les Perses, voyant les soldats troublez par une Eclipse de Lune, les rassura en leur expliquant les causes.* Quod Valer. Maxim. sequutus Sulpicium *legatum consulis* vocat, et *post defectionem Lunae* militibus ejus rei causas exposuisse scribit, contra quam Livius, Plinius, et Frontinus tradiderunt, reprehendi non debet, quum auctorem suum habeat. Illud excusari nullo colore potest, quod hoc *in bello adversus Persas* factum dicit. Quis enim adeo historiae veteris imperitus est, qui nesciat, neque tum ullum regnum Persarum fuisse, neque Romanos adversus illos bellum gessisse? Sed non possum mihi persuadere, hoc ab eo profectum fuisse. Nam monstri instar foret, virum non ineruditum in tam clara luce historiae ita caligare potuisse, ut solus non cerneret, quod nemo non videt: quum praesertim Valerius Max. quem ante oculos habuit, scribat, *quum L. Paulli adversus regem Persen bellum gerentis legatus esset* Sulpicius. Suspicor Renaudotum scripsisse *dans la guerre contre Perses*, et librarium aliquem aut emendatorem speciminum typographicorum, qui sibi aliquid sapere videretur, nescientem ultimo regi Macedonum nomen fuisse *Perses*, credidisse de *Persis*, quorum nomen nemini incognitum est, agi, et temere de suo liberalem auctori cum non levi ejus injuria largitum esse articulum *les*; quem haud scio an aliae editiones harum Memoriarum ignorent. Joh. Sarisberiensem lib. 1. Policrat. cap. ult. omen Paullo post decretum ei bellum adversus Persen factum referentem in eum errorem incidisse, ut ex rege Perse regem Persarum faceret, observavit Doctiss. Daviesius ad Cic. 1. de Divin. 46. Ab eo quoque culpam in scribas transferri posse puta-

Nocte, quam pridie Nonas Septembres insecuta est 8
dies edita hora luna quum defeciſſet, Romanis mi-
litibus Galli sapientia prope divina videri: Macedo- 9
nas, ut triſte prodigium, occasum regni perniciem-
que gentis portendens, movit: nec aliter vates.
clamor ululatusque in caſtris Macedonum fuit, do-
nec luna in suam lucem emersit. Poſtero die tantus 10
utrique ardor exercitui ad concurrendum fuerat, ut
et regem et consulem suorum quidam, quod sine

rem, nisi addidiſſet, *profectus* (consul) *in expeditionem triumphum non invenit, et quod rex Persarum perierat, quando filia consulis catulum flebat amissum.* DUR. Teſte Catone apud Cic. de Senect. 14. *Quam delectabat C. Gallum defectiones solis et lunae multo ante nobis praedicere.*

§. 7. *Nunc pleno orbe, nunc senescente exiguo cornu fulgere lunam*] Florebello arridei magis *senescentem*. SIGON. Forte *nunc senescentem exiguo cornu*. J. FR. GRON. *fugere lunam* ed. princeps: quod recte quidem ad senescentem exiguo cornu lunam referri poteſt, sed non ad eamdem pleno orbe splendentem. Quamvis autem solemne eſſe supra probavi ad 40, 42, 11. orationi ex duobus pluribusve membris conſtanti unum addi verbum, quod ad omnia ejus membra referri nequeat, hic tamen praefero lectionem *fulgere*, quam Frob. anno 1535. priori subſtituit. Solent autem verba *fulgere* et *fugere* confundi. Praeter illa, quae dixi ad Silii 4. 88. v. exemplum supra ad 8, 10, 5.

§. 8. *Nocte, quam pridie Nonas Septembres insecuta est dies*] Ita exhibet ed. prima. At mox Froben. anno 1535. admisit *Nonas Septembris*, quod reliquae servarunt usque ad Paris. anni 1573. quae ambigue *Nonas Septembr.* dedit. Gronovius denique priscam lectionem *Nonas Septembres* reſtituit. Vide ad 41, 16, 1. Verum Dodwell. in Append. ad Praelect. Camden. pag. 752. ex computatione eclipseos hujus, ac tabulis Aſtronomicis evincere conatur, mensis nomen corruptum, ac legendum eſſe *pridie Nonas Sextiles*: olim autem *prid. Nonas Sext.* scriptum fuiſſe, idque facile in *pridie Nonas Sept.* et deinde *Septembres* mutari potuiſſe. Docet deinde, eclipsin hanc accidiſſe die XXI. Junii Juliani proleptici, eumque diem secundum formam anni veteris non in *pridie Nonas Septembres*, sed in *pridie Nonas Sextiles* ejus anni, quo proelium inter Aemilium Paullum et Persen decertatum eſt, incidiſſe. Eamdem emendationem novis argumentis adſtruxit idem Dodwell. Diſſ. 10. de Cycl. §. 18. At mense *Septembri*, licet *III. Nonas Septembris*, Persen ab Aemilio Paullo victum eſſe, itidem tradit Eutrop. 4, 7. ut, si vera sit Dodwelli conjectura, menda haec admodum inveterata, et ipso Eutropio antiquior eſſe debeat.

proelio discessum esset, accusarent. Regi promta defensio erat, non eo solum, quod hostis prior, aperte pugnam detrectans, in castra copias reduxisset; sed etiam, quod eo loco signa constituisset, quo phalanx, quam inutilem vel mediocris iniquitas loci efficeret, promoveri non posset. Consul ad id, quod pridie praetermisisse pugnandi occasionem videbatur, et locum dedisse hosti, si nocte abire vellet, tunc quoque per speciem inmolandi terere vi-

§. 10. *Ardor exercitui ad concurrendum fuerat*] Non intelligo, cur Livius hic maluerit scribere *fuerat*, quam *fuit*. DUK. Vide, num forte locus distinctione hoc modo adjuvari possit: *Postero die (tantus utrique ardor exercitui ad concurrendum fuerat, ut et regem et consulem* etc. *accusarent) regi promta defensio erat.*

Ut regem et consulem suorum quidam] Ita major Jac. Gronovii editio, sed operarum errore, quem fideliter expressit Clericus: omnes enim priores et ejusdem quoque Gronovii ed. minor *ut et regem et consulem*.

§. 12. *Ad id, quod pridie praetermisisse pugnandi occasionem videbatur*] *ad id quod* dictum est pro praeterquam quod. SIG. 3, 62, 1. *Ad id, quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur.* Sic 26, 45, 8. et 32, 40, 8. DUK. *ad id quod* est praeter, super id quod, vel, ut Sigonius reddit, praeterquam quod. *ad* pro praeter, super poni, vidimus ad 26, 5, 9. Cl. Ant. Perizon. ad marginem Livii monuit, τὸ *videbatur* omitti posse, quia mox iterum sequitur. Sed, rationem hanc conjecturae in Livio praesertim non procedere, vidimus ad 1, 3, 9.

§. 13. *Sacrificio rite perpetrato, ad concilium vocavit*] Cum desint, quos vocaverit, malim *concilium advocavit*. Sic paulo post [45, 7, 1.] *Concilio advocato literas cum recitasset.* Item §. 5.: *adversus advocatos in consilium considere jussit.* SIGON. Inveniebat editum Sigonius *ad concilium vocavit*: ideo, cum desint, inquit, quos vocaverit, malim *concilium advocavit*. Huic curvae conjecturae ab eo tempore vetus lectio decedere jussa est. Nos eam restituimus, utpote multo elegantiorem, nisi quod *consilium* in locum τοῦ *concilii* sufficiendum. Vide ad lib. 2, 54. 23, 32, et 26, 38. Sed et alia labe suspicor infectum locum. Hiant enim et parum prioribus committuntur illa: *post sermones tamen.* Vide, an scripserit Livius: *atque ibi quoque rei gerendae tempus loquendo et intempestive consultando visus quibusdam extrahere, post sermones hanc consul orationem habuit.* J. FR. GRONOV. *consilium* praeferunt edd. vett. *concilium* primus dedit Vascos. quod Gryphius, Basileenses anno 1554. Sigonius, et alii secuti sunt. Sed recte Gro-

debatur tempus, quum luce prima signum propositum pugnae ad exeundum in aciem fuisset. Tertia demum hora, sacrificio rite perpetrato, ad consilium vocavit; atque ibi, quod rei gerendae tempus esset, loquendo et intempestive consultando videbatur quibusdam extrahere. post sermones tamen consul orationem habuit. 13

XXXVIII. *P. Nasica, egregius adolescens, ex omnibus unus, quibus hesterno die pugnari placuit, de-* 1

novius restituit *consilium:* intelligitur enim imperatoris consilium militare. Vide Gronov. ad Livii 44, 2, 5. Recte enim Gronov. vindicavit locutionem *ad consilium vocavit.* Vide ad 2, 55, 10. Ceterum superiora ita interpungenda videntur: *terere videbatur tempus. Quum luce prima signum propositum ad exeundum in aciem fuisset, tertia demum hora* etc.

Atque ibi, quod rei gerendae tempus esset, etc.] Conjectura Gronovii, quam ad verba proxime praecedentia proposuit, admittere, invito unico cod. unde haec pars operis Liviani publicata est, audacius fore videtur, quam ut laudari possit. Scribendum tamen arbitror, *atque ibi quoque, quod rei gerendae tempus esset*, vel *erat*. In reliquis nihil muto. Quamvis plerique existimarent, consulem accusandum esse, quod pridie sine proelio discessisset, et nunc etiam intempestive ad consilium vocasset, *tamen* orationem habuit, qua facti rationem reddidit. Saepe eleganter *quamquam, etsi* ac similes particulae omittuntur, sequente τῷ *tamen*. Vide ad 23, 19, 12. et 27, 25, 16. Si quid tamen in iis mutandum, forte legendum est *post sermones tandem*. Solent autem *tamen* et *tandem* commutari. V. ad 22, 2, 11. Doujatius voces *post sermones* interpretatur post sermones eorum, qui de cunctatione consulis querebantur. Sed contra mentem Livii, apud quem in initio cap. seq. consul testatur, P. Nasicam ex omnibus unum sibi consilium suum denudasse; aliis absentem carpere imperatorem, quam praesentem monere, melius visum esse. Intelligi igitur post sermones ipsius consulis cum ducibus in consilium advocatis de quacumque re habitos. Nam tum etiam *loquendo et intempestive consultando videbatur quibusdam rei gerendae tempus extrahere*, ut Livius hoc loco testatur. Amplissimus Roëllius *talem*, pro *tamen*, malebat.

§. 1. *Hesterna die pugnari placuit*] Ita confianter omnes edd. praeter Clericum et Crevierium, qui vulgarunt *hesterno die*, ut mox hoc cap. *Hesterno die explicatam intuentes aciem.* cap. seq. *Hae dilatae pugnae ex hesterno die in hodiernum caussae fuerunt.* Et ita passim lib. 1, 51, 4. 7, 35, 5. 25, 38, 9. 27, 13, 5. 32, 21, 2. 40, 10, 7. Unum tantum in Livio locum notavi 40, 9, 10. ubi *hesterna die* ob-

nudavit mihi suum consilium: idem postea, ita ut transisse in sententiam meam videri posset, tacuit. 2 *Quibusdam aliis absentem carpere imperatorem,* 3 *quam praesentem monere, melius visum est. Et tibi, P. Nasica, et quicumque idem, quod tu, occultius senserunt, non gravabor reddere dilatae pugnae* 4 *rationem. Nam tantum abest, ut me hesternae quietis poeniteat, ut servatum a me exercitum eo consilio credam. in qua me opinione esse ne quis sine caussa vestrûm credat, recognoscat, agedum, me-* 5 *cum, si videtur, quam multa pro hoste et adversus nos fuerint. Jam omnium primum, quantum numero nos praestent, neminem vestrûm nec ante ignorasse, et hesterno die inplicatam intuentes hciem anim-* 6 *advertisse, certum habeo. Ex hac nostra paucitate*

currit, qui tamen mendae suspectus est. Ita *hodierno die* hoc cap. tum cap. seq. et 10, 25, 2. Similiter *postero die* v. ad 1, 12, 1. *crastino die* ad 3, 20, 4. *die uno, primo, tertio* ad 8, 11, 15. *hesterno* igitur servavi.

Denuntiavit mihi suum consilium] Ita primus Curio. At Frobenius ex membrana, ex Frobenio Aldus et Gryphius *denudavit*. Quod mutandum non fuit. Lib. 23, [5, 2.] *Nimis detegendo cladem nudandoque*. Lib. 39, [15, 4.] *Si omnia nudavero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor*. Lib. 40, [24, 2.] *Ne poena ejus consilia adversus Romanos nudaret*. Lib. 42, [13, 3.] *Cernebam nobilissimas Asiae et Graeciae civitates indies magis denudantes judicia sua*. Eodemque lib. [cap. 63, 1.] *Fama equestris pugnae vulgata per Graeciam nudavit voluntates hominum*. Seneca de Tranquill. animi. *Multa incidunt, quae invitos denudent*. J. FR. GRON. *denunciavit* apud me dedum ed. Basil. anni 1554. cujus loco recte Gronov. priscam lectionem *denudavit* revocandam monuit. Supra 33, 21, 8. *Maritimam oram omnem, quae nondum animos nudaverat, ad finitimorum motus consurrecturam*. ubi quaedam vide. Phaedr. in Prologo lib. 3. vers. 47.

Stulte nudabit animi conscientiam.

ubi vide Cel. Burm. Mox forte legendum *videri possit*, pro *posset*.

§. 5. *Quantum numero nos praestent*] Notat Doujatius, raro verbum *praestare* hoc sensu cum accusativo jungi, sed *auferendi* (voluit sine dubio *dandi*) casu magis gaudere. Hujus tamen constructionis duo adfert

quarta pars militum praesidio inpedimentis relicta erat: nec ignavissimum quemque relinqui ad custodiam sarcinarum scitis. Sed fuerimus omnes. parvum hoc tandem esse credimus, quod ex his castris, in quibus hac nocte mansimus, exituri in aciem hodierno aut summum crastino die, si ita videbitur, Diis bene juvantibus, sumus? Nihilne interest, utrum militem, quem neque viae labor hodie, neque operis fatigaverit, requietum, integrum in tentorio suo arma capere jubeas, atque in aciem plenum virium, vigentem et corpore et animo educas? an longo itinere fatigatum, et onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrentem meridiano sole, hosti objicias recenti, quieto, qui nulla re ante consumtas

exempla, alterum ex Quinctil. 1. Inſtit. 1. alterum ex Virgil. 11. Aen. 438. quod utrumque jam diu lexicographi observarunt. Alia ex Livio exempla vide ad 7, 30, 4. et 37, 30, 2.

Inplicatam intuentes aciem] Immo *explicatam*. Lib. 7, [23, 6.] *Quum procul visis Romanorum signis, ut extemplo proelium initurus, explicuisset aciem*. Lib. 40, [5, 26.] *Ita ut ne efferendi quidem signa Romanis spatium, nedum ad explicandam aciem locus esset*. Hoc lib. [cap. 4, 4.] *Si loci satis ad explicandam aciem fuisset*. J. FR. GRON. Lib. 4, 21, 9. *Inggere murisque explicat copias*. c. 27, 4. *Planitiem in medio, vel ad explicandas utrimque acies satis patentem, habebant*. 6, 23, 2. *Nec jam pro castris tantum suis explicare aciem*. 8, 19, 7. *Vix tota extra portam castrorum explicata acie*. 30, 5, 3. *Ad primam ferme vigiliam agmen explicaverunt*. Ita *explicare legiones* Caesar 2. B. Civ. 26. *explicare equitatum* Auct. B. Afric. cap. 29. *explicare ordines* v. ad 2, 46, 3. *explicare agmen* ad 2, 59, 7. et Cl. Oudend. ad Front. 1, 4, 2. Pari modo *explicare naves, classem* dixit Hirtius B. Alexandr. cap. 14. et 15.

§. 7. *Sed fuerimus omnes*] Non capio sensum horum verborum. Si scriptum esset, *sed fuerimus una omnes*, putarem id esse, nulla parte militum ad custodiam sarcinarum detracta. DUKER.

§. 8. *Atque in acie plenum virium* etc. *educas*] Legendum aperte *in aciem*. SIGON. V. ad 3, 62, 5.

§. 9. *Ardentibus siti faucibus*] Magis placet Florebello *aren-*

10 *vires ad proelium adferat? Quis, pro Deûm fidem!*
ita comparatus, vel iners atque inbellis, fortissimum
virum non vicerit? Quid? quod hostes per summum
otium instruxerant aciem, reparaverant animos, sta-
11 *bant compositi suis quisque ordinibus? nobis tunc*
repente trepidandum in acie instruenda erat, et in-
compositis concurrendum?

1 XXXIX. *At, Hercule, aciem quidem inconditam*
inordinatamque habuissemus: castra munita, provi-
sam aquationem, tutum ad eam iter praesidiis in-
positis, explorata circa omnia; an nihil nostri ha-
2 *bentes praeter nudum campum, in quo pugnaremus?*
Majores vestri castra munita portum ad omnes ca-
sus exercitus ducebant esse: unde ad pugnam exi-
rent, quo jactati tempestate pugnae receptum habe-
3 *rent. ideo, quum munimentis ea sepissent, praesidio*
quoque valido firmabant; quod, qui castris exutus
erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo habe-
retur.

tibus. SIGON. Vix ausim movere. nam et *ignea* sitis, et *torrere guttur* atque *urere* poëtis dicitur. Possis tamen suspicari *arentibus.* Ut apud Ovid. 6. Met. [355.]

Et fauces arent, vixque est via vocis in illis.

Et lib. 7, [556.] *tepidisque arentia ventis Ora patent.* J. FR. GRON. *arere* et *ardere* saepe in Mstis confundi, docuerunt N. Heins. et Cel. Burm. ad Nason. 4. Her. 174. ubi plures codd. praeferunt *ardentem sitim*, ipsi vero probant *arentem.* Adde N. Heins. ad Nason. 8. Met. 289.

Torrentem meridiano sole] Lege *torrente.* Sole enim torretur miles, non torret. Supra 35. 5, 7. *Sol ingenti ardore torrebat minime patientia aestus corpora Gallorum.* Possis forte etiam *torpentem.* Sed alterum equidem praefero. JAC. PERIZON. Recte. ultima litera τοῦ *torrentem* adhaesit ex initiali vocis sequentis. Vide ad 36, 43, 8. Crevierius etiam vulgatum defendi posse putat auctoritate Virg. 9. Aen. 105.

Per pice torrentes atraque voragine ripas.

ubi Servius *torrentes* interpretatur *ardentes.*

Hosti objicias recenti, quie-

retur. castra sunt victori receptaculum, victo perfugium. Quam multi exercitus, quibus minus prospera 4
pugnae fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo, interdum momento post, eruptione facta, victorem hostem pepulerunt? patria altera est militaris haec sedes, vallumque pro moenibus, et tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt. 5
Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus? His difficultatibus et inpedimentis 6
pugnae illud obponitur: Quid si hostis hac interposita nocte abisset, quantum rursus sequendo eo penitus in ultimam Macedoniam exhauriendum laboris erat? Ego autem, neque mansurum eum, neque 7
in aciem copias educturum fuisse, certum habeo, si cedere hinc statuisset. quanto enim facilius abire fuit, quum procul abessemus, quam nunc, quum in cervicibus sumus? Nec falleret nos, nec interdiu nec 8
nocte abeundo. Quid autem est nobis optatius, quam ut, quorum castra, praealta fluminis ripa

to) Vereor, ne hic quoque scripserit *requieto*. Est enim aliud *quietus*, aliud *requietus*. Ad illud sufficit praesens quies: hoc competit illis, qui aliquamdiu quiete sunt usi. Seneca de Tranquill. [c. 15.] *Danda est remissio animis: meliores acriores-que requieti surgunt.* J. FR. GRON. Supra hoc cap. *Militem, quem neque viae labor hodie, neque operis fatigaverit, requietum, integrum.*

§. 3. *Quum munimentis ea sepissent*) Puto *sepsissent*. J. FR. GRON. Vossius 5. Gramm. 33. ex hoc loco laudat *sepiissent*, et ex Hieronymo profert *sepivi*. Id Hieronymo non invideo, sed credere nequeo, Livium vel *sepiissent*, vel *sapissent* scripsisse, et potius Gronovio adsentior. Simili errore *intersepitus* praefert unus cod. supra 31, 46, 9. *saepissent* 33, 5, 6.

§. 5. *Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus*) Florebellus ita legit: *Si sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus.* SIG. Si haec oratio interrogantis est, sententia videtur esse, an sine ulla sede vagi dimicassemus, ut deinde victis hostibus nihil haberemus, quo

tuta, vallo insuper septa ac crebris turribus, obpugnare adorti sumus, eos, relictis munimentis, agmine effuso abeuntes, in patentibus campis ab tergo adoriamur? Hae dilatae pugnae ex hesterno die in
9 *hodiernum caussae fuerunt. Pugnare enim et ipsi mihi placet; et ideo, quia per Enipeum amnem septa ad hostem via erat, alio saltu, dejectis hostium*

nos reciperemus? aut ulla castra haberemus, quae victoribus receptaculum essent? Sed, ut, quod res est, dicam, non intelligo, locum ac neque in vulgata scriptura, neque in emendatione Florebelli commodum sensum invenio. DUKER.

§. 2. *Ac ne illo ipso quidem die, aut consule aut rege, quod nec fessos* etc.) Si plenam hanc sententiam explicuero, tum, quorum verborum jactura facta sit, intelligetur. Sic igitur mihi legendum videtur. *Ac, ne illo ipso quidem die aut consule aut rege optante, pugnatum est, rege quod nec fessos, ut pridie ex via, neque trepidantes in acie instruenda, et vixdum compositos aggressurus erat, consule, quod in novis castris non ligna, non pabulum convectum erat, ad quae petenda ex propinquis agris magna pars militum ex castris exierat.* Hanc esse sententiam hujus loci, atque similia verba intercidisse, apparet ex eo quod aït: *neutro imperatore volente.* Librarium in errorem impulit vox *rege*, quae iteratur; in qua scribenda a priore ad posteriorem, cum media verba transcendisset, delapsus est. SIG. Quatuor verba (*optante pugnatum est. Rege*) de conjectura inseruit Sigonius. Sed, recte considerata sententia adhibitaque distinctione necessaria, apparebit, nullius vocis jacturam fecisse veterem codicem, praeterquam τοῦ *rege*: quod cum repetendum esset, ab librario neglectum est. Ita namque scripsit Livius: *Ac ne illo ipso quidem die. aut consule aut rege* (*rege, quod nec fessos* etc. *e castris exierat*) *neutro imperatore volente, Fortuna, quae plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen.* Haec integerrima oratio est, et adeo non defecta, ut etiam aliquid supersit: etenim cohaerent: *Ac, ne illo ipso quidem die aut consule aut rege volente, Fortuna contraxit certamen.* Caeterum propter interjecta, ut subveniret memoriae lectoris vel auditoris, adjecit huic orationi divisae *neutro imperatorum*: quod nihil est aliud quam, *nec rege, inquam, nec consule.* Tale est 5, 24, 9. *Adversus quae quum optimates ita tenderent.* hinc interponuntur multa, quibus sensus sermonesque optimatium explicantur, antequam coeptae periodi pars altera compareat: itaque necesse habuit τὸ *quum* repetere: *Haec quum foedis certaminibus agerentur:* sequitur jam, cujus respectu tanto superius dixerat: *quum optimates.* Lib. 38, 55. *Ad hunc praetorem adeo amicum Corneliae familiae,* (subjiciuntur argumenta et exempla amicitiae) *aut adeo inimicum,* (interponitur rursus ali-

praesidiis, novum iter aperui: neque prius, quam debellavero, absistam.

XL. Post hanc orationem silentium fuit, partim 1
traductis in sententiam ejus, partim verentibus nequidquam offendere in eo, quod, utcumque praetermissum, revocari non posset. Ac ne illo ipso 2
quidem die, aut consule, aut rege, (rege, quod nec

quid, cur id posset videri) *caeterum ad hunc nimis aequum aut inimicum praetorem reus extemplo factus L. Scipio.* Ubi perperam dederat Andreas: *Alii hunc praetorem.* et deinde: *alii adeo inimicum,* Cicero lib. 15. Famil. ep. 10. *Quando id accidit, quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam* etc. *quando ergo ita accidit, ut omnium vestro studio tuus consulatus satisfacere posset.* Eodem lib. Ep. 21. *Nam ut illa omittam, quae civitate teste fecisti,* etc. *ut haec recentia, quae meminero semper, obliviscar,* etc. *ut haec igitur omittam.* Philipp. 2. cap. 32. *Cum primum Caesar ostendisset, se, priusquam proficisceretur, Dolabellam consulem esse jussurum,* etc. *sed cum Caesar ita dixisset.* Sic Caesar 3. Gall. 22. *Alia ex parte oppidi Adcantuanus, qui summam imperii tenebat, cum sexcentis devotis,* etc. *cum iis Adcantuanus eruptionem facere conatus.* Ubi acris ille Ciacconius videndum notat, an haec verba, *cum iis Adcantuanus,* quae post longam parenthesin repetuntur, delenda sint. Frustra. Ejusdem generis sunt lib. 1, [49.] *Octavio Mamilio (is longe princeps Latini nominis erat, si famae credimus, ab Ulysse Deaque Circe oriundus) ei Mamilio filiam nuptum dat.* Apulejus Apologia [pag. 276. ed. Elmenh.] *Zenonem illum antiquum Elea oriundum, qui primum omnium dictionem solertissimo artificio ambifariam dissolverit, eum quoque Zenonem longe decorissimum fuisse.* Additamentum in insulam deportandum censet And. Schottus *eum quoque Zenonem:* nisi legas *eum inquam Zenonem.* Sed errat. Adde, quae ad lib. 2, 12. et ad 25, 27. et ad Senecae de Ira 1, 3. notavimus. J. FR. GRON. Emendationem Gronovii veriſſimam puto. Ita Liv. 3, 19. 9. *Si quis vobis humillimus homo de vestra plebe, quam partem, velut abruptam a cetero populo, vestram patriam peculiaremque rempublicam fecistis, si quis ex his domum suam obsessam a familia armata nunciaret.* Vide ad 2, 12. 2. 25, 27, 1. 38, 60, 6. et Cortium ad Plinii 5, 3, 5. Eadem figura etiam apud Graecos obcurrit. Ita apud Polyb. 2, 14. *ΠΑΡΑ δὲ ΤΗΝ προειρημένην ΠΑΡΩΡΕΙΑΝ ἣν δεῖ καὶ νοεῖν ὡσανεὶ βάσιν τοῦ τριγώνου, ΠΑΡΑ ΤΑΥΤΗΝ ἀπὸ μεσεμβρίας ὑπόκειται πεδία* etc. Pausan. in Attic. 1. *ΛΕΩΣΘΕΝΗΝ, ὃς Ἀθηναίοις καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησιν ἡγούμενος Μακεδόνας ἐν τε Βοιωτοῖς ἐκράτησε μάχῃ, καὶ ἀνδρὶς ἔξω Θερμοπυλῶν,* etc. *ΤΟΥΤΟΝ ΤΟΝ ΛΕΩΣΘΕΝΗ καὶ τοὺς παῖδας ἔγρα-*

feſſos, ut pridie, ex via, neque trepidantes in acie inſtruenda et vixdum compositos adgreſſurus erat; consule, quod in novis caſtris non ligna, non pabulum convectum erat, ad quae petenda ex propinquis agris magna pars militum e caſtris exierat) neu-
3 tro imperatorum volente, Fortuna, quae plus con-
4 siliis humanis pollet, contraxit certamen. Flumen erat haud magnum propius hoſtium caſtris, ex quo et Macedones et Romani aquabantur, praesidiis ex
5 utraque ripa positis, ut id facere tuto poſſent. Duae

ψεν Ἀρκεσίλαος. Lucian. in Judic. Vocal. pag. 47. ed. Graev. *ΤΟ δε ΤΑΥ ΤΟΥΤΟ, οὐ γὰρ ἔχω αὐτὸ χειρονι ὀνομάσαι ῥήματι, ᾗ ᾧ καλεῖται*, etc. *ΤΟΥΤΟ οὖν ἐτόλμησεν ἀδικεῖν με*, etc. D. Lucam in Actib. Apoſtol. 4, 10. *ΕΝ ΤΩ ΟΝΟΜΑΤΙ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου, ὃν ὑμεῖς, ἐσαυρώσατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, ΕΝ ΤΟΥΤΩ οὗτος παρέστηκεν ἐνώπιον ὑμῶν ὑγιής.*

In novis caſtris non ligna, non pabulum convectum erat] Alibi potius Livius dicere solet *in caſtra convehere.* An tamen vulgatum eo modo defendi poteſt, quo Gronovius *ubi* pro *quo* defendere conatur adversus Fabrum supra 24, 36, 10.

§. 4. *Flumen erat haud magnum propius hoſtium caſtris*] Nisi scripsit ut alioqui solet, *propius hoſtium caſtra.* J. FR. GRON. Livium vocem *propius* saepiſſime cum casu quarto conſtruxiſſe, certiſſimum eſt. V. ad 2, 41, 11. An tamen ita semper loqui voluerit, et omnia ubique ad hanc formulam exigenda sint, merito dubitari poteſt. Certe nonnulla obcurrunt loca, quibus alia conſtructio obtinet. Ita 4, 37, 1. *Propius vero est.* 25 11, 20. *Plures propioresque aetate memoriae rerum hoc anno tradunt factum.* 27, 17, 10. *Propiorque excusanti transitionem ut necessariam, quam glorianti eam velut primam occasionem raptam.* 44, 28, 12. *Propiores continenti litori erant.* 45, 19, 14. *Quum detestabilis altera res et proxima parricidio sit.* Invito igitur unico cod. unde ea pars operis Liviani publicata eſt, nihil muto. V. ad Silii 1, 13.

§. 5. *M. Sergius Sylus legatus*] *M. Sergius Silus* ex nummis argenteis, ut ante. SIGON. Recte Sigonius *Silus*, pro *Sylus*, scribendum docuit. At praenomen *M.* in *M.* mutandum non exiſtimo. Vide ad 32, 27, 6. Gronovius, qui ibidem, et 33, 21, 9. Sigonii conjecturam illam recepit, hic tamen vulgatum servavit.

§. 6. *Placentina et Esserninа*] *Aeserninа.* Sic enim Graeci *Αἰσέρνια.* SIG. Ita et Latinius legendum monuit. Recte. V. Sigon. ad 27, 10, 8. et Epit. Liv. 72.

§. 7. *Hora circiter quarta*] Gronovio *hora circiter nona*,

cohortes a parte Romanorum erant, Marrucina et Peligna; duae turmae Samnitium equitum, quibus praeerat M. Sergius Silus legatus: et aliud pro ca- 6
ſtris ſtativum erat praesidium sub C. Cluvio legato, tres cohortes, Firmana, Veſtina, Cremonensis; duae turmae equitum, Placentina et Aesernina. Quum 7
otium ad flumen eſſet, neutris laceſſentibus, hora circiter quarta jumentum, e manibus curantium elapsum, in ulteriorem ripam effugit. quod quum per 8
aquam, ferme genu tenus altam, tres milites seque-

sive *IX*, pro *IV* legenti non adversor. Solent autem notae numerales *V* et *X*. in Mſtis confundi. V. ad 39, 29, 7.

§. 8. *Per aquam ferme genu tenus altam*] *genustenus altam* edd. principes, pro quo *genu tenus* demum vidi apud Gryphium; unde id Lugdunenses anno 1553. tum Parisini anno 1573. et ex eo tempore reliqui adoptarunt, forte arbitrati, alteram scripturam errantibus operis typographorum adscribendam esse. Id pertinaciter non negabo. Quid tamen, si divisis vocibus *genus tenus* scribamus? Vossius quidem illis adsentitur 7. Gramm. 65. qui credunt, *tenus* adsciscere vel ablativum singularem vel et genitivum et ablativum pluralem. Verum *Corcyrae tenus* codicum suorum fide Livio vindicavit Gronov. supra 26, 24, 11. quibus mei et Hearnii Mſti consentiunt: ut etiam genitivum singularem admittere videatur. Olim autem non tantum *genu*, sed et *genus*, ut *gelu* et *gelus*, in usu fuiſſe, docuit Voſſius 2. Gramm. 28. 3, 35. et 4, 17. Vereor tamen ne *genus* nimis antiquatum sit, quam ut Livio convenire poſſit; nulla certe similia vocabula eadem forma protulit. *Genus* quidem, pro *genu*, Cic. dixit, sed non nisi in Arateis; ubi plura alia, quae jam tempore Livii exoleverant, reperiuntur.

Thraces duo id jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes; altero eorum occiso, etc.] Satis conſtat, ne hunc quidem locum integrum eſſe. Quae sententia futura sit, non eſt difficile intelligere: quibus verbis expreſſa fuerit, nemo unquam divinaverit. Ego tamen, ut sententia elucescat, ita lego: *Cum otium ad flumen esset, neutris lacessentibus, hora circiter quarta, jumentum e manibus curantium elapsum in ulteriorem ripam effugit. Quod cum per aquam ferme genu tenus altam tres milites sequerentur, Thraces duo, id jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes, cum tribus Romanis militibus manum conseruerunt. Jamque Romani, altero eorum occiso, receptoque eo jumento, ad stationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum praesidium in hostium ripa erat: ex his pauci primo, aegre passi popularem*

rentur, Thraces duo id jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes; altero eorum occiso, receptoque eo jumento, ad ſtationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum praesidium in hoſtium ripa erat. ex his pauci primo, aegre paſſi popularem in suo conspectu caesum, ad persequendos interfectores fluvium transgressi sunt: dein plures, poſtremo omnes, et cum praesidio, [quod a parte Romanorum ripam defendebat, manum conserunt. Non desunt auctores, qui ipsius Paulli juſſu equum detracto freno impulsum scribant in hoſtilem ripam, emiſſosque, qui retraherent, ut hoſtes pugnam priores laceſſerent. Etenim quum viginti caesis hoſtiis litatum non eſſet, tandem laeta vigesimae primae exta aruspices ita renunciaverant, ut, Romanis non laceſſentibus, sed defendentibus sese, victoriam promitterent. Ceterum, sive consilio ducis, sive casu, ab hoc

Plut. in Aemil.

in suo conspectu caesum, ad persequendos interfectores fluvium transgressi sunt. Eandem sententiam edit Plutarchus [pag. 264.] qui tamen consilium Paulli hoc fuiſſe scribit. SIG. Locus mendosus reſtitui poterit, si legatur: *Thracesque duo id jumentum ex medio alveo in suam ripam traherent*, etc. URSIN. Sigonius, etsi, quae sententia fuerit, haud difficile intellectu; quibus autem verbis expreſſa, neminem divinaturum fateatur, ita legere tamen, ut sententia elucescat se pronunciat: *in suam ripam trahentes, cum tribus Romanis militibus manum conseruerunt. Jamque Romani, altero eorum.* Sic nimirum egerunt illi, qui pannis obsitum nobis Livium dederunt. Ego vero *το trahentes* solummodo in *traherent* mutandum, et duo verba *id jumentum* inducenda pro scholio censeo: tantum abeſt, ut deeſſe quidquam, quod a nobis suppleri oporteat, exiſtimem. Considera enim: *hora circiter nona jumentum e manibus curantium* (hominum de parte Romana) *elapsum in ulteriorem ripam effugit. Quod* (jumentum) *quum per aquam ferme genu tenus altam tres milites* (Romani) *sequerentur, Thraces duo* (Macedonicorum auxiliorum) *ex medio alveo in suam ripam traherent; altero eorum* (Thracum) *occiso, receptoque eo jumento, ad stationem suorum* (tres illi Romani milites) *se recipiebant.* Hic quid desideres? Scripsi autem *hora nona*, non *quarta*: nam et ipse Livius teſtatur, diem extraxiſſe in con-

certe initio commissa pugna, aliis super alios ad ferendam suis opem utrimque advolantibus, brevi ita accensa est, ut duces cogerentur descendere in universum summae rei discrimen. Aemilius enim, tumultu concurrentium audito, praetorio egressus, postquam caecum ruentium ad arma impetum revocare aut sistere nec facile nec tutum videbatur, utendum ardore militum, et casum in occasionem vertendum putavit. Educit itaque copias castris, et ordines interequitans hortatur, ut expetitam tantopere pugnam pari ardore capesserent. Simul Nasica praemissus ad explorandum, quo in statu res essent inter primam cientes pugnam, adventare instructo exercitu Perseum nunciavit. Primi Thraces incedebant, truci vultu, corpore procero, splendentibus miro candore clipeis laevam protecti. Humerum utrumque nigra vestiebat chlamys: ab dextro immanem pondere frameam identidem coruscabant. Juxta Thracas *Persei acies.*

silio consulem, et Plutarchus [p. 264.] *αὐτὸς δὲ τὴν ἀπόκλισιν καὶ περιφορὰν ἀναμένων τοῦ φωτὸς ὅπως μὴ κατὰ προσώπου μαχόμενοι αὐτοῖς ἕωσιν ὁ ἥλιος ἀντιλάμποι, παρῆγε τὸν χρόνον.* et mox: *περὶ δὲ δείλην.* denique: *ἐννάτης γὰρ ὥρας ἀρξάμενοι μάχεσθαι, πρὸ δεκάτης ἐνίκησαν.* Confusae scilicet sunt notae *IX.* et *IV.* Ceterum *τὸ traherent* vidit etiam Fulvius Ursinus. J. FR. GRON. *Thracesque duo* et *traherent*, ut Ursinus conjecit, etiam Latinius scribendum monuit. Copula tamen, ut Gronovius vidit, abesse potest. Quod vero Gronovius voces *id jumentum* pro scholio habuerit, et ideo inducendas crediderit, non aliam ob causam fecisse videtur, quam quod vox *jumentum* praecesserit, et mox *eo jumento* sequatur. At Livium a dictionum repetitione non abhorruisse, multis exemplis docui ad 1, 3, 9. Si igitur codex in his vocibus ejiciendis praeiret, eum audiendum arbitrarer: nunc vero simili Liviani observatio efficit, ne Gronovio adsentiri audeam. Ceterum jam ad marginem primae ed. asteriscus adscriptus erat; unde Sigonius ansam adripuisse videtur existimandi, quaedam hinc excidisse.

Receptoque eo jumento] Voculam *eo* delendam censuit Ant. Perizonius ad oram Livii sui.

§. 10. *Et cum praesidio*] Persecuturus erat, ut utrimque exercitus ad proelium concurrissent, initio pugnae in flumine orto. *Ergo cum commissum proelium esset, atque acriter*

conſtitere mercede conducta auxilia, diverso inter se pro diversis nationibus armatu habituque: in his et Paeones fuere. Subibat agmen Macedonum ipsorum, quam Leucaspidem phalangem appellabant; delecti quotquot robore ac virtute praeſtabant, fulgentes auratis armis sagisque puniceis. Ea media acies fuit. Hos sequebantur, quos ab aereis lucidisque clipeis Chalcaspidas dicebant, aut Aglaspidas. Haec phalanx juxta alteram in dextro cornu locata eſt. Praeter hanc utramque phalangem, quod praecipuum robur erat Macedonici exercitus, caetrati, Macedones et ipsi, sarissas gerentes, quemadmodum phalangitae, cetera levius armati, in cornua divisi erat, ante reliquam aciem projecti et eminentes. Fulgebat campus armorum splendore: clamoribus cohortantium sese invicem vicini colles personabant. Harum omnium copiarum prodeuntium in pugnam ea fuit celeritas et audacia, ut, qui primi interfecti sunt, ad ducentos et quinquaginta paſſus a Romanis caſtris caderent. Progrediebatur interim Aemilius: utque adspexit quum reliquos Macedonas, tum eos, qui in phalangem contributi erant, partim clipeis, partim caetris ex humero detractis, inclinatisque uno signo sariſſis, excipientes Romanorum impetum, admiratus et illam densatorum agminum firmitatem, et vallum protentis sariſſis horrens, ſtupore simul ac terrore perculsus eſt, tamquam non aliud umquam tam terribile spectaculum conspicatus: ac poſtea id saepius commemorare et prae se ferre solitus eſt. Tum vero sedulo diſſimulans perturbati animi motum, vultu

Stupet Aemilius ad conspectum phalangis.

ab utraque parte pugnaretur, Paullus legionem, inquit, *in proelium ducit.* Sic autem etiam Plutarchus [pag. 264.] ὁ μὲν οὖν Αἰμύλιος ἐκ τῆς σκηνῆς προῆλθε, καὶ τὰ τάγματα τῶν ὁπλιτῶν ἐπιὼν παρεδάρρυνεν. SIGONIUS.

sereno ac secura fronte, et capite et corpore intecto aciem instruebat. Jam pugnabant Peligni adversus oppositos sibi caetratos, quumque diu multumque connisi perrumpere confertum agmen non possent, Salius, qui Pelignos ducebat, arreptum signum in hostes misit. Hic ingens accensum certamen est, dum hinc Peligni ad recipiendum signum, hinc Macedones ad retinendum, summa ope nituntur. Illi praelongas Macedonum hastas aut ferro incidere, aut umbone impellere, aut nudis etiam interdum manibus avertere. Hi ambabus firmiter comprehensas tanta vi adigere in temere ac furore caeco ruentes, ut, transfossis scutis loricisque, transfixos etiam homines super capita projicerent. Sic profligatis Pelignorum primis ordinibus, caeduntur quoque, qui post illos steterant: atque, etsi nondum confessa fuga, pedem referebant tamen montem versus, Olocrum indigenae vocant. Hic vero exarsit Aemilio dolor, ut etiam ex indignatione paludamentum scinderet. Nam et in ceteris locis videbat cunctari suos, timideque accedere ad illam velut ferream sepem, quā undique acies Macedonica inhorrebat. Sed animadvertit peritus dux, non stare undique confertam illam hostium velut compagem, eamque dehiscere idemtidem quibusdam intervallis, sive ob inaequalitatem soli, sive ob ipsam porrectae in immensum frontis longitudinem, dum qui superiora occupare conantur ab inferiora tenentibus, vel tardiores a citatioribus, et progredientes a subsistentibus, instantes denique hosti ab impulsis, inviti licet, necessario divelluntur. Ergo ut omnino rumperet ordinem hostium, et inexpugnabilem illam universae phalangis vim in multa minutatim proelia carperet, imperat suis, ut intenti

Pugnatum acerrime.

Pedem referunt Romani.

Cos. imperat suis, ut se insinuent inter hostium ordines.

quacumque rimas agere hostilem aciem viderint, illuc quisque impetu inferantur, seque cuneatim in hiantia vel tantillum spatia insinuantes strenue rem agant. Hoc edito imperio, et per totum exercitum circumlato, ipse alteram e legionibus in] proelium ducit.

1 XLI. Movebat imperii majestas, gloria viri, ante omnia aetas, quod major sexaginta annis juvenum munia in parte praecipua laborisque periculique capessebat. Intervallum, quod inter caetratos et phalanges erat, implevit legio, atque aciem hostium 2 interrupit. A tergo caetratis erat, frontem adver-

§. 1. *Inter caetratos et phalangem erat*] Ita Gronov. prima ed. notarum legebat, laudatis duobus locis Livii ex 33, 8. ubi *caetratis* numero plurali jungit *phalangem* singulari; eamque lectionem in contextum recepit, et, quamvis ipsam notam curis secundis omitteret, emendationem tamen servavit. Antea edebatur *et phalanges*. In acie Macedonum una tantum phalanx erat, in varia militum genera divisa, qui ex diverso armatu *aglaspides*, vel *chalcaspides*, vel *leucaspides*, vel *argyraspides* vocabantur, et unius phalangis quasi totidem partes constituebant: quo sensu *leucaspidem phalangem* mox Doujatius interpretatur de leucaspidibus phalangis. Pro *phalanges*, vel *phalangem*, posset etiam legi *phalangitas*, qua voce Livius saepe utitur. V. 42, 51, 3. 43, 18, 4. 37, 40, 1. *Decem et sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitae appellabantur. Haec media acies fuit, in fronte in decem partes divisa, partes eas interpositis binis elephantis distinguebat.* unde patet, unam phalangem in acie divisam fuisse in plura agmina. Forte et prisca lectio *phalanges* servari potest, ut ratione partium Livius numero plurali utatur. Eo sensu Plutarcho in Aemil. p. 265. memorantur *αἱ τῶν Χαλκασπίδων φάλαγγες*. Vide Crophii Antiq. Maced. 3, 5. qui ibid. cap. 4. inquirens, quidnam hic caetrati vocentur, existimat, forte intelligi, qui Polyb. 4. pag. 449. sive cap. 67. *scutati* dicuntur. In contextu Graeco Polybii vocantur *πελτασαί*. Livius autem testatur, se *peltastas* vertere *caetratos*, lib. 31, 36, 1.

§. 2. *Frontem adversus clipeatos habebat: aglaspides adpellabantur*] Videtur scribendum *argyraspides*, pro eo quod in vulgatis est *aglaspides*. URSIN. An *chalcaspides*? Horum certe meminit Plutarch. (pag. 265.) *οἷς καθιταμένοις ἐις τάξιν αἱ τῶν Χαλκασπίδων ἐπανατέλλουσαι φάλαγγες ἐκ τοῦ Χάρακος ἐπέπλασαν ἀνυγῆ διδήρου καὶ λαμπηδόνος Χαλκοῦ τὸ πεδίον*. J. FR. GRON. Modo dixerat, legionem impleviſſe intervallum, quod erat inter caetratos et phalangem: nunc addit, legionem ita perrupiſſe, ut a tergo habe-

sus clipeatos habebat: aglaspides adpellabantur. Secundam legionem L. Albinus consularis ducere adversus leucaspidem phalangem jussus: ea media acies hostium fuit. In dextrum cornu, unde circa 3 fluvium commissum proclium erat, elephantes inducti, et ala sociorum: et hinc primum fuga Macedonum est orta. Nam sicut pleraque nova commenta 4 mortalium in verbis vim habent, experiendo, quum agi, non, quemadmodum agantur, edisseri, oportet, sine ullo effectu evanescunt; ita tum elephanti

ret *caetratos*, a fronte *clipeatos*. Patet ergo per *clipeatos* intelligi phalangitas. Hinc verisimilis fit emendatio Gronovii, *chalcaspides* legentis: phalangitae enim aereis clipeis utebantur. V. Crophium 3. Antiq. Maced. 4.

§. 3. *In dextrum cornu* etc. *elephantes inducti, et ala sociorum*] Intelligo Romanorum dextrum cornu exercitus sui, sive in primam istius cornu aciem, induxisse elephantos, quos habebant, et alam sociorum, ut laevum cornu exercitus hostilis invaderent. Romanos habuisse eo tempore elephantos in exercitu, quamvis eorum non meminerit Plutarch. in vit. Aemil. Paulli, verisimiliter colligo ex hujus lib. cap. 5. De verbo *inducere* vide ad 27, 13, 11. Consilium, cur id fecerint, fuisse, ut adgrederentur laevum hostium cornu, confiat ex §. 5. Ceterum quum in exercitu Romano duae fuerint alae sociorum, *dextra* et *sinistra*, alterutram earum vocum hic excidisse suspicatur Crevierius. Nec sine causa, ut videtur. Non enim semper alam dextram in dextro, sinistram in sinistro cornu pugnasse, docuit Duker. ad 27, 14, 3.

§. 4. *Nam sicut pleraque nova commenta mortalium in verbis vim habent, explendo*, etc.] Pro *explendo*, repono *extemplo, cum agi, non, quemadmodum agatur, edisseri, oportet, sine ullo effectu evanescunt*. SIGONIUS. Iis in verbis suspicio mendi est; quod purgabitur, si *experiendo* pro *explendo* legas: quod cum sententia flagitet, cur non in medium procedat? praesertim cum aberrare nullo negotio potuerit manus librarii a vicina voce, et in propinquam deflectere. TURNEB. 29. Advers. 7. *extemplo* Sigonii est: nam vetus liber *explendo*; unde faciendum erat *experiendo*. Lib. seq. [cap. 32, 7.] *Leges Macedoniae dedit, quas ne usus quidem longo tempore, qui unus est legum corrector, experiendo argueret*. Plautus Rudente [1, 3, 1.]

Nimio hominum fortunae minus miserae memorantur,
Quam re ipsa experiundo iis datur acerbum.

Terent. Adelph. [5, 4, 4.] *Et quae putaris prima, in experiendo repudies*. Symmachus lib. 5. ep. 9. *Solis quaedam speciosa nominibus usu et experien-*

5 in acie nomen tantum sine usu fuerunt. Elephantorum inpetum subsecuti sunt socii nominis Latini,
6 pepuleruntque laevum cornu. In medio secunda legio inmissa dissipavit phalangem. neque ulla evidentior causa victoriae fuit, quam quod multa passim proelia erant, quae fluctuantem turbarunt primo, deinde disjecerunt phalangem: cujus confertae et intentis horrentis hastis intolerabiles vires
7 sunt. Si carptim adgrediendo circumagere inmobilem longitudine et gravitate hastam cogas, confusa strue inplicantur: si vero aut ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit, ruinae modo
8 turbantur. sicut tum adversus catervatim incurren-

do plurimum nocent. Sed haec occupavit Turnebus. J.FR.GRONOV. Scriptum fuerat *expiendo*, vel *exp'iendo*, quod facile in *explendo* corrumpi potuit. Doujatio non omnino displicet *explendo*, si eo sensu accipiatur, quo *experiendo*; Gallice *accomplir*, *executer*. Vellem, ut, *explere* a Latinis eo sensu usurpari, idoneis exemplis docuisset. Crevierius parum videbat, quid sibi tota periodus hoc loco velit: nam neque elephantorum usum in proeliis novum tunc commentum mortalium haberi posse, nec videri nomen sine usu in hac pugna fuisse: immo contrarium satis indicari proxime sequentibus verbis: *Elephantorum inpetum subsecuti sunt socii nominis Latini.* Non aegre igitur sibi persuaderi pateretur, illam periodum ex alio aliquo loco huc temere inmigrasse: certe, si eam tollas, nihil desiderari. Verum elephantorum usus in proelio hic *novum commentum* vocatur, vel ei comparatur respectu Romanorum, qui iis haud temere ante haec tempora in proeliis usi sunt. In proelio quidem cum Antiocho adhibuerunt eos, sed tantum post triarios in subsidio locati sunt, supra 37, 39. nunc vero in hostem acti nomen tantum sine usu fuerunt. Hinc demum elephantos, seu vanum eorum inpetum, subsecuti socii nominis Latini pepulerunt laevum hostium cornu. Eam ob causam §. praec. voculam *hinc* refero ad solam alam sociorum, cujus inpetu primum fuga Macedonum est orta. Particula autem *nam* in initio hujus §. caussam reddit, cur id inducti elephanti efficere non potuerint.

Sine usu fuerant) *fuerunt* legendum. SIGON.

§. 6. *In medio secunda legio inmissa dissipavit phalangem*] Videri posset, legendum esse *In medium*, vel potius *In medios*, ut ultima litera ejus vocis elisa sit a prima sequentis. Vide

tes Romanos, et interrupta multifariam acie, obviam ire cogebantur: et Romani, quacumque data intervalla essent, insinuabant ordines suos. Qui, si uni- 9
versa acie in frontem adversus instructam phalangem concurrissent, quod Pelignis, principio pugnae incaute congressis adversus caetratos evenit, induissent se hastis, nec confertam aciem sustinuissent.

XLII. Ceterum sicut peditum passim caedes fie- 1
bant, nisi qui abjectis armis fugerunt; sic equitatus prope integer pugna excessit. Princeps fugae rex 2
ipse erat. jam a Pydna cum sacris alis equitum Pellam petebat: confestim Costocus sequebatur Odrysarumque equitatus. ceterae quoque Macedo- 3

ad 9, 4, 10. Sed nihil muto. In medio, sive in media parte aciei, secunda legio inmissa, scilicet in hostem, dissipavit phalangem.

§. 7. *Circumagere inmobilem longitudine et gravitate hastam cogas*] Lege *hastas. inmobilem*, scilicet phalangem. J. FR. GRON. Recte Macedonum phalanx *inmobilis* vocatur. Supra 9, 19, 8. *Phalanx inmobilis et unius generis.* etiam *gravis.* 33, 9, 10. *Phalanx Macedonum gravis atque inmobilis nec circumagere se poterat.* Licet autem et *longa* dici possit, nondum tamen cautam video, quae necessario adigat, ut vulgatum, invito Msto unico, mutemus. Phalangitae enim sariissis sive hastis longissimis erant armati. V. 31, 39. 32, 17. 33, 8. et 37, 42. Et quidem earum longitudinem olim sedecim, postea quatuordecim cubitorum fuisse, testatur Polyb. 17, 25. Haec igitur longitudo efficiebat, ut objectae simul graves forent, et non nisi difficillime moveri potuerint. Receptam lectionem servandam esse, etiam Cl. Dukerus censet.

Si vero ab latere, aut ab tergo] Ita demum exhibuerunt Parisienses anno 1573. et post eos ceteri recentiores. Antea edebatur *aut ab latere, aut ab tergo*; quod Livio reddidi.

§. 9. *Quod Pelignis*] Copiosius haec narrat, et Marrucinos Pelignis addit Plutarchus in Aemilio Paullo. Utrosque memorat Livius cap. 40.

§. 2. *Confestim Costocus sequebatur Odrysarumque equitatus*] Hic *Costocus* videtur cum *Procone*, qui olim superioribus Livianis insinuaverat, relegandus extra anni lucisque vias. Est enim commentitius, et scripsit Livius, *confestim eos Cotys sequebatur.* JAC. GRON. Emendationem hanc firmat addita equitatus *Odrysarum* mentio. Odrysarum enim in Thracia rex Cotys erat. V. Liv. 42, 29. et 51.

num alae integris abibant ordinibus; quia interjecta peditum acies, cujus caedes victores tenebant, 4 inmemores fecerat sequendi equites. Diu phalanx a fronte, a lateribus, ab tergo caesa est: postremo, qui ex hostium manibus elapsi erant, inermes ad mare fugientes, quidam aquam etiam ingressi, manus ad eos, qui in classe erant, tendentes, supplici- 5 ter vitam orabant: et quum scaphas concurrere undique ab navibus cernerent, ad excipiendos sese venire rati, ut caperent potius, quam occiderent, longius in aquam, quidam etiam natantes, progressi 6 sunt. Sed quum hostiliter e scaphis caederentur, retro, qui poterant, nando repetentes terram, in aliam foediorem pestem incidebant. elephanti enim, ab rectoribus ad litus acti, exeuntes obterebant 7 elidebantque. Facile conveniebat, Romanis num-

§. 3. *Cujus caedes victores tenebat*] Haec lectio debetur editioni Gronovianae anni 1665. Priores praeferunt *caedes victores tenebant*. Paullo ante hoc cap. *Peditum passim caedes fiebant*. 2, 64, 3. *Sabini quum caedes et incendia circa Anienem flumen fecissent*. V. ad 27, 18, 19.

§. 7. *Facile conveniebat Romanis, numquam una acie*] Distinctio haec debetur ultimae Gruteri editioni. Priores omnes interpunctionem omiserunt. Legendum *Facile conveniebat, Romanis numquam una acie tantum Macedonum interfectum*. pro a Romanis interfectum. V. ad 6, 11, 4.

Caesa enim ad viginti millia hominum sunt] Eutrop. 4, 7. *Cum Perseo autem Aemilius Paullus consul III. Non. Septembris dimicavit, vicitque eum, viginti millibus peditum ejus occisis*. Oros. 4, 20. *Postea cum eo L. Aemilius Paullus consul dimicavit, et vicit. Nam viginti millia peditum in eo bello interfecit*. Numerum auget Plutarch. pag. 266. *Λέγονται γὰρ ὑπὲρ δισμυρίους πεντακισχιλίους ἀποθανεῖν*.

§. 9. *Quod si maturius pugnari coeptum esset, ut satis diei* etc.] Recte. Plutarchus enim [pag. 264.] ait, commissum esse proelium *περὶ δείλην*. SIGON.

§. 2. *Cum perpaucis maxime fidis via devertit*] Ita edidit Cl. Jac. Gronov. quem Clericus et Crevierius secuti sunt. Reliqui, quos vidi, dederunt *divertit*; quam veram lectionem puto, et restitui. *devertit* enim, qui de

quam una acie tantum Macedonum interfectum. Caesa enim ad viginti millia hominum sunt: ad sex millia, qui Pydnam ex acie perfugerant, vivi in poteſtatem pervenerunt: et vagi e fuga quinque millia hominum capta. Ex victoribus ceciderunt non plus 8
centum, et eorum multo major pars Peligni. vulnerati aliquanto plures sunt. Quod si maturius pu- 9
gnari coeptum eſſet, ut satis diei victoribus ad persequendum supereſſet, deletae omnes copiae forent: nunc inminens nox et fugientes texit, et Romanis pigritiem ad sequendum locis ignotis fecit.

XLIII. Perseus ad Pierìam silvam via militari, 1
frequenti agmine equitum et regio comitatu, fugit. Simul in silvam ventum eſt, ubi plures diversae se- 2
mitae erant, et nox adpropinquabat; cum perpaucis maxime fidis via divertit. Equites, sine duce 3

via deflectens hospitium subit; unde *deversorium*, et *diverticulum* pro hospitio ponuntur. At *divertit*, qui a via regia discedens semitam inde in diversa tendentem incedit: et hinc *diverticulum* eſt locus, ubi duae viae a se invicem recedunt. V. ad 1, 51, 8. Hinc *divertendi* legendum censeo supra 38, 15, 5. et *divertit* 39, 53, 1. *diverticulum* apud Terent. Eun. 4, 2, 7. et Suet. Ner. 48. Quin et apud Donat. ad d. l. Terentii legendum videtur: *Diverticulum est, ubi iter de via flectitur. At proprie deverticula dicuntur in via domicilia, ad quae de itinere devertendum sit.* Ita nunc vineta mea caedens judicio.

§. 3. *Quia recta expedita via erant*] Forte *expediti*. Nisi malis *recta et expedita via ierant*, non arboribus et fruticetis impedita. J. FR. GRON. Vulgatum Gronovio displiciſſe videtur ob duo adjectiva uni nomini sine copulativa juncta. At priorem ejus conjecturam admittere nequeo, nisi antea probatum sit, fugientem Perseum multis sarcinis aliisque rebus, quae iter ejus morarentur, inpeditum fuiſſe; cui tum commode obponi poſſent, qui *expediti* recta via ierunt. Immo contra *expedita via*, qua perpauci celerius Pellam pervenerunt, obponitur mox memorandis *variis difficultatibus viae*, quibus *rex vexatus est*. Poſteriorem conjecturam Doujatius rejecit, teſtatus *recta* sibi adverbium eſſe. Verum meminiſſe debuerat, *recta*, licet adverbialiter usurpatum, eſſe tamen adjectivum, et subintelligi debere vocem *via*. Vide San-

relicti, alii alia in civitates suas dilapsi sunt: perpauci inde Pellam celerius, quam ipse Perseus, quia
4 recte expedita via ierant, pervenerunt. Rex ad mediam ferme noctem terrore et variis difficultati-
5 bus viae vexatus est. In regia Perseo, qui Pellae praeerat, Euctus regiique pueri praesto erant. contra ea amicorum, qui, alii alio casu servati, ex proelio Pellam venerant, quum saepe arcessiti es-
6 sent, nemo ad eum venit. tres erant tantum cum eo fugae comites, Euander Cretensis, Neo Boeotius,
7 et Archidamus Aetolus. cum iis, jam metuens, ne, qui venire ad se abnuerent, majus aliquid mox au-
8 derent, quarta vigilia profugit. Secuti eum sunt admodum quingenti Cretenses. petebat Amphipolim: sed nocte a Pella exierat, properans ante lucem

etium 4. Minerv. 4. voce *via*, et quae notavi ad 3, 46, 5. Plene igitur dicendum hic foret *recta via expedita via ierant:* quam locutionem nemo probabit. Potius igitur vel cum Gronovio lego *recta et expedita via:* ut copula *et* intercerpta sit a prima syllaba vocis sequentis, ut saepe factum est. Vide exempla ad 5, 32, 4. 7, 34, 5. 10, 1, 5. c. 6, 3. 21, 15, 2. 24, 46, 3. 27, 15, 17. et apud Cort. ad Plinii 4. Ep. 9, 4. Similiter, eamdem voculam a praepositione *ex* interceptam esse, vidimus ad 30, 6, 7. Vel magis vulgatum servo. Interdum enim Livium aliosque scriptores duo adjectiva uni nomini, non adscita particula connectente, addidisse, vidimus ad 1, 14, 7. *Ire via*, inlustravi supra ad 22, 2. 3. Similiter *ingredi via* ad 10, 25, 4.

§. 5: *Qui Pellae praeerat, Euctus*] Plutarch. in Paullo pag. 267. refert, ipsi praesto fuisse Εὔκτον καὶ Εὔδαιον, τοὺς ἐπὶ τοῦ νομίσματος.

§. 6. *Euander Cretensis, Neo Boëtius, et Archidamus Aetolus*] Plutarch. pag. 267.] Εὐανδρου τε τοῦ Κρῆτος, καὶ Ἀρχιδάμου τοῦ Αἰτωλοῦ, καὶ Βοιωτοῦ Νέωνος. Hinc ergo, *Neo Boeotius*. Gentile enim nomen terrae Boeotiae est tam *Boeotius*, quam *Boeotus*. SIG. Priscae edd. *Neon*, cui Sigonius substituit *Neo*. At mox sequuti priscam lectionem *Neon* revocarunt. Infra vero 45, 31. omnes edd. constanter legunt *Neo Thebanus*, qui hic *Boeotius* vocatur. Quare cum Sigonio hic etiam *Neo* malui. Latinos enim nomina Graeca, in ων desinen-

cem Axium amnem trajicere, eum finem sequendi, propter difficultatem transitus, fore ratus Romanis.

XLIV. Consulem, quum se in castra victor recepisset, ne sincero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat. P. Scipio is erat, Africanus et ipse postea, deleta Karthagine, adpellatus, naturalis consulis Paulli, adoptione Africani nepos. Is, septimumdecimum tunc annum agens, quod ipsum curam augebat, dum effuse sequitur hostes, in partem aliam turba ablatus erat: et, serius quum redisset, tunc demum, recepto sospite filio, victoriae tantae gaudium consul sensit. Amphipolim quum jam fama pugnae pervenisset, concursusque matronarum in templum Dianae, quam Tauropolon vocant, ad opem exposcendam fieret; Diodorus, qui praeerat urbi, metuens, ne Thraces, quorum duo

tia, indifferenter per *on* vel *o* extulisse, vidimus ad 34, 61, 10. Passim antiquos codd. et vett. edd. *Boeotius*, vel corrupte *Boëtius* exhibere, ubi postea editum est *Boeotus*, vidimus ad 33, 1, 1.

§. 2. *P. Scipio is erat*] Clariss. Ant. Perizonius ad marginem quidem notarat, se malle *τὸ is* hinc abesse; at rectius filius ejus Jac. Perizonius conjecturam paternam transversa linea induxit, ac rejiciendam indicavit. Supra 5, 34, 1. 2. *Regem Celtico dabant. Ambigates is fuit, virtute fortunaque praepollens.* 21, 46, 7. *Periculumque intercursu filii propulsatum. Hic erit juvenis, penes quem* etc. Curam consulis de filio Scipione Aemiliano latius describit Plutarch. in Aemil. Paull. pag. 266.

Liv. Tom. XII.

Naturalis consulis Paulli] Etsi ex praecedentibus intelligitur, eum filium Paulli fuisse, tamen mihi *filius* hinc vix abesse posse videtur. Potuit excidisse post *Paulli*, quum scriptum fuisset *Paulli F.* vel *Fil.* DUKER.

§. 4. *Dianae, quam Tauropolon vocant*] Non uno loco Diana hoc cognomine colebatur. Vide Gyraldum Hist. Deor. Syntagm. 12. Th. Gale, et Munker. ad Anton. Liber. cap. 27. DUK. V. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. vers. 113. 174. 187. et Cel. Burm. ad Nason. 15. Met. 511.

Diodorus, qui praeerat urbi] Hoc e Livio descripsit Frontin. 3. Strateg. 16, 5. DUKER.

§. 2. *Hippias, et Milo, et Pantauchus*] *Midon* priscae edd. pro quo *Milo* Sigonius hic et mox §. 7. edidit, ejusque ex-

millia in praesidio erant urbem in tumultu diriperent, ab subornato ab se per fallaciam in tabella-
5 rii speciem literas in foro medio accepit. Scriptum iis erat, *ad Emathiam classem Romanam adpulsam esse, agrosque circa vexari orare praefectos Emathiae, ut praesidium adversus populatores mit-*
6 *tat.* His lectis, hortatur Thracas, *ut ad tuendam Emathiae oram proficiscantur. magnam eos caedem praedamque, palatis passim per agros Romanis, fa-*
7 *cturos. Simul elavat famam adversae pugnae: quae si vera foret, alium super alium recentes ex fuga*
8 *venturos fuisse.* Per hanc cauſſam Thracibus ablegatis, simul transgreſſos eos Strymonem vidit, portas clausit.

1 XLV. Tertio die Perseus, quam pugnatum erat, Amphipolim venit. inde oratores cum caduceo ad
2 Paullum misit. Interim Hippias, et Milo, et Pantauchus, principes amicorum regis, Beroeam, quo ex acie confugerant, ipsi ad consulem profecti, Romanis dedunt: hoc idem et aliae deinceps metu

emplo recentiores. Sed vide supra ad cap. 32, 9. Praeterea *Pantaucus* antiquiores typis descripti, cujus loco recte poſtea Gronov. anni 1667. *Pantauchus* emendavit. Vide ad 42, 39, 7.

Hoc idem et aliae deinceps metu perculsae parabant facere] Aut excidit vox *civitates*, vel *urbes:* aut legendum *alii deinceps metu perculsi.* J. FR. GRON.

§. 7. *Solonis, qui praesidio erat*] Forte *praeerat* J. FR. GRON. Proprie *praesidio erant* milites praesidiarii. V. ad 6, 6, 14. et 9, 15, 3. et 34, 11, 2. at dux eorum *praesidio praeerat.* 27, 42, 16. *Is enim praesidio ejus loci praeerat.* Dux etiam dicitur *praesidio praeesse*, at milites *in praesidio esse.* Supra cap. 44, 4. *Diodorus qui praeerat urbi, metuens, ne Thraces, quorum duo millia in praesidio erant, urbem in tumultu diriperent.* Doujatius vulgatum tuetur.

§. 8. *Una tantum spe Bisaltarum auxilii tentati*] Scribe *tentata.* Vide ad 4, 10. J. FR. GRON. Supra 32, 31, 5. *Bojos,*

perculsae parabant facere. Consul, nunciis victo- 3
riae Q. Fabio filio et L. Lentulo et Q. Metello cum
literis Romam missis, spolia jacentis hostium exer-
citus peditibus concessit; equitibus praedam cir- 4
cumjecti agri dum ne amplius duabus noctibus a
castris abessent. Ipse propius mare ad Pydnam ca-
stra movit. Beroea primum, deinde Thessalonica, 5
et Pella, et deinceps omnis ferme Macedonia intra
biduum dedita. Pydnaei, qui proximi erant, non- 6
dum miserant legatos: multitudo incondita plurium
simul gentium, turbaque, quae ex acie fuga in u-
num compulsa erat, consilium et consensum civi-
tatis inpediebat: nec clausae modo portae, sed et-
iam inaedificatae erant. Missi Milo et Pantauchus 7
sub muros ad conloquium Solonis, qui praesidio
erat: per eum emittitur militaris turba. oppidum
deditum militibus datur diripiendum. Perseus, una 8
tantum spe Bisaltarum auxilii tentata, ad quos ne-
quidquam miserat legatos, in concionem processit,
Philippum secum filium habens: ut et ipsos Am- 9

ita ut tentare spem certaminis metuerent, territos audivit. 38, 3, 7. *Principes gentis ad tentandum ultimam spem Romam miserunt.* Doujatius quidem tentatur, se Gronovii conjecturam non reprehendere, sed nec forte vitiosum esse conjicit *auxilii tentati.* Non advertit, Livium continuo subjungere, *ad quos nequidquam miserat legatos.* An ergo Perseus *spe auxilii Bisaltarum nequidquam tentati* in concionem processit? Egregiam vero spem! Nihil certius videtur Gronovii emendatione, quam etiam probavit Crevierius.

§. 9. *Adhortando animos confirmarent*] Hanc lectionem, operarum errore in Heinsii Elzeviriana natam, patientius, quam oportuerat, tulerunt eri docti, et recentiores editiones deformare permiserunt, excepto uno Crevierio, qui priorum scripturam *confirmaret* recte revocavit. Nam Perseus quidem cum filio Philippo in concionem processit, non tamen ut Philippus ille aliquid loqueretur, sed per aetatem auditorum misericordiam commoveret. Vitium novissimarum edd. deprehendit etiam Cl. Dukerus.

phipolitanos, et equitum peditumque, qui aut semper secuti, aut fuga eodem delati erant, adhortando animos confirmaret. Sed aliquoties dicere incipientem quum lacrimae praepediſſent; quia ipse dicere nequiit, Euandro Cretensi editis, quae agi cum multitudine vellet, de templo descendit. Multitudo, sicut ad conspectum regis ſletumque tam miserabilem et ipsa ingemuerat lacrimaveratque, ita Euandri orationem adspernabatur: et quidam ausi sunt media ex concione subclamare, *Abite hinc, ne, qui pauci supersumus, propter vos pereamus.* Horum ferocia vocem Euandri clausit. Rex in domum se recepit, pecuniaque et auro argentoque in lembos, qui in Strymone ſtabant, delatis, et ipse ad ſlumen descendit. Thraces, navibus se committere non ausi, domos dilapsi, et aliae militaris ge-

§. 10. *Sed aliquotiens dicere incipientem*] Ita praefert prima editio; eamque scripturam omnes editores, praeter Crevierium, conſtanter servarunt, qui tamen alibi semper, ubi in Mſtis et antt. edd. *totiens*, *quotiens*, *aliquotiens*, *deciens*, *milliens*, et in similibus vocibus similiter exaratum invenerant, literam penultimam *n* omittere maluerunt. In orthographiam hanc *quotiens* pronior eſſe videtur Pierius ad Maron. Ecl. 3, 72. Quid in utramque partem dici poſſit, vide apud Dausquej. in Orthogr. parte 2. voce *Quotiens*, ubi tamen in similibus literam *n* omittendam monet. Vide etiam Anton. Auguſtin. 2. Emend. 6. Omnino additum in his *n* referendum eſt ad similem orthographiam, qua datum eſt *trecentensimus*, *sexagensimus* supra 5, 54, 5. *semenstris* 21, 43, 15. *thensaurus* 39, 50, 3.

§. 12. *Rex in domum se recepit*] Lege: *Rex inde domum se recepit.* J. FR. GRON. Hanc emendationem probo, tum quia ita melius oratio cohaeret, tum quia alibi in similibus locutionibus Livius praepositionem omittit. Ita *dilabi domos* mox hoc cap. et 39, 16, 4. *discurrere domos* 27, 51, 7. *reduces domos*, v. ad 29, 27, 3. Nihil autem in Mſtis eſt frequentius, quam voces *iñ*, sive *inde*, et *in* a librariis confundi. Vide ad 10, 20, 6.

§. 15. *Galipsum eo die*] *Galepsum* lego; nam Stephanus et Plutarchus in Paullo [pag. 267.] Γαλῆψὸν nominant. SIG. *Calipsum* prima ed. quod Froben. anno 1535. in *Galipsum*, sed recte Sigonius in *Galepsum* mu-

neris turbae: Cretenses spem pecuniae secuti. et, quoniam in dividendo plus obfensionum, quam gratiae, erat, quinquaginta talenta iis posita sunt in ripa diripienda. Ab hac direptione quum per 14
tumultum naves conscenderent, lembum unum in ostio amnis multitudine gravatum merserunt. Ga- 15
lepsum eo die, postero Samothracam, quam petebant, perveniunt: ad duo millia talentum pervecta eo dicuntur.

XLVI. Paullus, per omnes deditas civitates di- 1
missis, qui praeessent, ne qua injuria in nova pace victis fieret, retentisque apud se caduceatoribus regis, P. Nasicam, ignarus fugae regis, Amphipolim misit cum modica peditum equitumque manu: si- 2
mul ut Sinticen evastaret, et ad omnes conatus regis impedimento esset. Inter haec Meliboea a Cn. 3

tarunt. In loco quidem Plut. quem laudat, vulgo editur ἐν Ἀλήψῳ, at Mss. partim Ἰαληφῷ, partim Γαληψῷ legunt, quod posterius etiam viri docti probarunt. Duplex autem hujus nominis urbs ea parte fuit, altera in Macedonia, altera in Thracia. Prioris meminit Herodot. 7, 122. ubi inter Ἄμπελον τὴν Τοροναίην ἄκρην et Κανασραίην ἄκρην enumerat urbes Τορώνην, Γαληψόν, Σερμύλην, Μηκύμβερναν, et Ὄλυνθον. Alteram indicat Scyl. in Peripl. p. 64. Εἰσὶ δὲ ἐν Θράκῃ πόλεις Ἑλληνίδες αἵδε· Ἀμφίπολις, Φάγρη, Γαληψός, Σισύμη. Hujus mentionem viri docti recte restituerunt Thucydid. 4, 107. ubi male transpositis literis edebatur Γάψηλος. vide praesertim Cel. Dukerum ad eum loc. Utramque urbem memorat Steph. Byz. Γαληψός, πόλις Θράκης καὶ Παιόνων. Hoc loco indicatur urbs Thraciae.

Ad duo millia talentûm] Narrat Justin. 33, 2. Perseum Samothracen delatum esse *cum decem millibus talentûm*. At Scheffer us, laudato hoc Livii loco, videndum monet, an non lectio Justini depravata sit per eos, qui *II* Livii pro *X* acceperunt. Certe, notas illas numerales alibi a scribis confundi, supra vidimus ad 37, 41, 6.

§. 2. *Ad omnes conatus regi inpedimento esset*] Ita Gronov. anno 1665. Neque ulli ea lectio displiceret, si cod. auctoritate niteretur. Livium enim ita locutum esse, vidimus ad 35, 38, 14. Similiter Cic. pro Rosc. Am. 4. *Commoditati ingenium, gravitati aetas, libertati tempora*

Octavio capitur diripiturque: ad Aeginium, ad quod obpugnandum Cn. Anicius legatus missus erat, ducenti, eruptione ex oppido facta, amissi
4 sunt, ignaris Aeginiensibus debellatum esse. Consul, a Pydna profectus, cum toto exercitu die altero Pellam pervenit: et, quum castra mille passus inde posuisset, per aliquot dies sibi stativa habuit, situm urbis undique adspiciens; quam non sine
5 caussa delectam esse regiam advertit. Sita est in tumulo, vergente in occidentem hibernum. cingunt paludes inexsuperabilis altitudinis aestate et hieme,
6 quas restagnantes faciunt lacus. In ipsa palude, qua proxima urbi est, velut insula eminet, aggeri operis ingentis inposita: qui et murum sustineat,
7 et humore circumfusae paludis nihil laedatur. Muro urbis conjuncta procul videtur. divisa est intermurali amni, et eadem ponte juncta: ut nec, obpugnante externo, aditum ab ulla parte habeat; nec,

sunt inpedimento. Caesar 1. B. Gall. 26. *Gallis magno ad pugnam erat inpedimento.* 3, 25. *Sibi ipsis ad pugnam esse inpedimento.* Hirtius B. Afr. 58. *Quem suis inpedimento ad ultro obcurrendum fore existimabat.* Paria sunt *praedae hosti esse*, vide ad 3, 20, 2. *sibi praemio foret* 24, 45, 1. *Romanis magno emolumento fuit* c. 48, 13. *miraculo ignaris esse* 42, 61, 13. At constanter edd. priores *ad omnes conatus regis*, quod fide unici Mšti servari potest.

§. 5. *Sita est in tumulo*] V. Spanhem. ad Juliani Caesar. in Probat. pag. 400. DUKER.

Paludes inexsuperabilis altitudinis] Vult Livius, paludes has propterea, quod lacus restagnantes in eas semper aquam infundunt, numquam, ac ne aestate quidem, ita exsiccari, ut pedibus superari possint. Nam ne profundissimi quidem maris tanta est altitudo, ut navibus superari non possit. DUKER.

§. 6. *Qua proxima urbi est, velut insula eminet, aggeri*] Florebellus addit vocem *arx* hunc in modum, *arx velut insula.* SIG. Puto excidisse voculam, et scribendum *eminet arx, aggeri operis ingentis imposita.* J. FR. GRON. Crevierius, inserta voce *arx*, hoc clarius

si quem ibi rex includat, ullum nisi per facillimae custodiae pontem effugium. Et gaza regia in eo 8
loco erat: sed tum nihil praeter trecenta talenta, quae missa Gentio regi, deinde retenta fuerant, inventum est. Per quos dies ad Pellam stativa fue- 9
runt, legationes frequentes, quae ad gratulandum convenerant, maxime ex Thessalia, auditae sunt. Nuncio deinde accepto, Persea Samothracam tra- 10
jecisse, profectus a Pella consul quartis castris Amphipolim pervenit. Effusa omnis obvia turba 11
cuivis indicio erat, non bono ac justo rege orba-
[tos, sed impotenti domino liberatos sibi Amphi- Plut. in Aemil.
politanos videri. Ingressus urbem Paullus quum *divinis* rebus operaretur, sacrificiumque sollenne faceret, de coelo tacta subito ara arsit: sic interpretantibus omnibus, acceptissima Diis dona consulis esse, quae etiam coelesti flamma consecrarentur. Non diu moratus Amphipoli consul, simul ad persequendum Persea, simul ut per om-

esse fatetur; dubitat tamen, an ita dederit Livius, et potius hic eo sensu *insulam* usurpari existimat, quo per eam vocem interdum intelligitur corpus quoddam aedificiorum inter se cohaerentium, a reliquis aedificiis divisum per vicos, quibus undique cingitur: praesertim quum Livius doceat, se de aedificio loqui, non de nudo solo, dum adjecit insulam aggeri impositam esse. Sed virorum doctorum conjecturam praefero.

Qui et murum sustineat, et humore circumfusae paludis nihil laedatur] Indicat, solum, cui tamquam aggeri ingentis operis arx imposita est, adeo firmum esse, ut murum sustinere possit, et tamen humore paludis undique cingentis laedi nequeat.

§. 10. *Persea Samothracam trajecisse*] *ad Samothracam* ediderunt Parisienses anno 1573. idque sequentes servarunt, donec Gronov. in priori ed. notarum moneret, praepositionem a recentioribus additam esse, eamdemque in ed. anni 1665. omitteret. Recte. V. ad 33, 42, 6.

§. 11. *Effusa omnis obviam turba*] *obvia* ed. princeps, pro quo Frob. 1535. *obviam* reposuit. Supra 7, 36, 7. *Pro se quisque obviam effusi laudant.* 31, 14, 12. *Civitas omnis obviam effusa.* 37, 37, 1. *Dardanum pri-*

nes gentes, quae ditionis ejus erant, victricia ar-
Liv. 45, 4. ma circumferret, Odomanticen, regionem ultra Strymonem amnem, petiit, et ad Siras castra posuit.]

mum, deinde Rhoeteum, utraque civitate obviam effusa, venit. 45, 26, 3. *Tota multitudine cum infulis obviam effusa.* c. 35, 3. *Completis ripis obviam effusa multitudine.*

Non bono ac justo rege ob ra] Quaedam pauca desunt de gratulationibus Amphipolitanorum. Amphipolim enim Paullus venerat. SIGONIUS. Ex *ob ra* Crevierius *orba-tos* per duarum literarum trajectionem effecit.

EPITOMÈ

LIBRI QUADRAGESIMI QUINTI.

Perseus ab Aemilio Paullo in Samothrace captus est. Quum Antiochus, Syriae rex, Ptolemaeum et Cleopatram, Aegypti reges, obsideret, et missis ad eum a senatu legatis, qui juberent, ab obsidione socii regis absisteret, editisque mandatis considera-

Perseus ab Aemilio Paullo in Samothracia captus est] a vel *ab Paullo Aemilio* Boend. et ed. Camp. Tum *in Thracia* Leid. *in Semothrace* Boend. *in Samothrace* Voss. Lov. 2. Exc. Pithoei, et ed. Camp. *Samothracam* vocat Livius 44, 45. 46. et 45, 5. 6. *Samothracen* 45, 28. et 40. Alibi *Samothraciam*. V. ad 42, 25, 6.

Ab obsidione socii regis absistere] *ab obsidione Ptolemaei regis* Voss. *ab obsidione solo regis* Lovel. 2. et Exc. Pithoei. *ab obsidione regis* Boend. et ed. Camp. Sed nihil mutandum. Emphasis enim est in voce *socii*. Causa, cur Romani missis legatis jusserint, ut Antiochus ab obsidione absisteret, illa fuit, quod Ptolemaeus *socius rex* esset. Eam lectionem servant Leid. et Berg. cum reliquis editis. Deinde *absisteret* Norvic. et editi ante Modium, quod firmant Leid. et Lovel. 2. *abstineret* praeferentes. *abstinere* Voss. Berg. et Boend. quod ex interpretatione alterius marginali natum videtur. Vide ad 31, 17, 10. Sequor vulgatum *absisteret*, ut *juberent*, *absisteret* dictum sit per ellipsin τοῦ *ut*. Ita hac Epit. *Jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret*. Vide ad 10, 41, 8. et 32, 16, 9. Mox *traditisque mandatis* Lovel. 2.

Consideraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset] Voculam *ille* non agnoscunt scripti nostri, et Exc. Pithoei. Eamdem vocem cum praecedenti omittit edd. Camp. Tum *faciundum* edd. principes, sed invitis codd. Hinc *responsum* Lov. 2. Mox *unus legatorum* Norv. et edd. vett. Sigonius deinde *unus ex legatis* substituit; at nemo cum audire dignatus est, nisi demum Gruter. in ed. postrema; et hinc omnes recentiores ita vulgarunt. Consentiunt scripti nostri. Praeterea *regem* abest a Boend.

turum se ille, quid faciendum esset, respondisset; unus ex legatis Popillius virga regem circumscripsit: jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret. qua asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissae. Rhodiorum, quia eo bello contra populum Romanum faverant, exclusa. postero die, quum de eo quaereretur, ut iis bellum indiceretur, caussam in senatu patriae suae legati egerunt. nec tamquam hostes, nec tamquam so-

Jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret] Immo *dare*. J. FR. GRON. Conjecturam hanc probat Crevierius; eamdem, non monito lectore, in contextum recepit Clericus. Sed omnes nostri vulgatum tuentur, quod revocavi. Vide supra hac epitome.

Populorum ac regum in senatum admissae] *atque regum* Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Tum voces *in senatum* omittit Leid. *in senatu* legunt Voss. Lovel. 2. Berg. et ed. Camp. ambigue *in Se*. Boend.

Rhodiorum, quia eo bello contra populum Romanum fuerant, exclusae] *qui eo bello* Voss. et Leid. sollemni scribarum commutatione. V. ad 36, 33, 5. Hic receptam lectionem praefero. Ratio enim redditur, cur Rhodiorum legati in senatum admissi non sint. Tum *fuerunt* Boend. *faverant* Voss. et Exc. Pithoei; quod probavi. Suet. Calig. 30. *Infensus turbae faventi adversus studium suum exclamavit*. Solent autem *favi* et *fui* in Mstis confundi. Vide ad 3, 45, 1. 6. 40, 3. et 7, 16, 3. Denique *exclusae* Leid. Berg. et ed. Camp. Verum una tantum hoc tempore Rhodiorum legatio Romae erat, licet constans ex pluribus legatis. V. Livium cap. 25.

Postero die, quum de eo quaereretur] Hoc non est in Livio. DUKER. *postera die* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. et Exc. Pithoei. Livium ipsum potius *postero die* dicere maluisse, vidimus ad 1, 12, 1. Mox *indiceret*, pro *indiceretur*, Boend. Vide ad 10, 10, 1. Hinc *legati gerunt*, pro *egerunt*, male Voss. et Leid. *gerunt legati* Berg. Dein *nec tamquam socii, nec tamquam hostes* Berg. Lov. 2. et Boend.

Macedonia in provinciae formam redacta] Non tum, sed post devictum Pseudophilippum. Error est auctoris. J. FR. GRONOV. Auctorem Epitomes jure summo reprehendit Gronovius. Verum, quia Liv. cap. 29. et 30. Macedonum rempublicam a L. Paullo victore ordinatam, formula etiam, quae universos teneret, dicta, refert, ille ex eo, ut videtur, confectum in provinciae formam redactam autumat, non cogitans, dici diserte a Livio (cap. 29, 4.) *Omnium primum liberos esse Macedonas,*

cii dimissi. Macedonia in provinciae formam redacta est. Aemilius Paullus, repugnantibus militibus ejus propter minorem praedam, et contradicente Sex. Sulpicio Galba, triumphavit: et Persen cum tribus filiis ante currum duxit. cujus triumphi laetitia ne solida ei contingeret, duorum filicum funeribus insignita est: quorum alterius mors patris triumphum praecessit, alterius secuta est. Lustrum conditum est a censoribus. Censa sunt civium capita trecenta duodecim millia, octingenti quinque. Pru-

utentes legibus suis, annuos creantes magistratus, jussisse Paullum; quae utique cum provinciae forma, ut inter omnes constat, minime conveniunt. PERIZON. Anim. Hist. cap. 9. pag. 374. Errorem ab auctore Epitomes commissum etiam Sigonium 1. de Ant. Jur. Prov. 8. notasse, monuit Cl. Duker. ad Flori 2, 14, 5. Ceterum *redacta est* Boend. Norv. Exc. Pithoei, et edd. ante Gruterum, cujus ultima *tò est* omisit, quod exsulat etiam a Voss. Leid. Berg. et Lovel. 2.

Aemilius Paullus, repugnantibus militibus suis] *Paullus Aemilius* Boend. et ed. Camp. Tum *repugnantibus militibus triumpho ejus* iidem libri. *repugnantibus militibus ipsius* Voss. Berg. et Exc. Pithoei. *repugnantibus militibus ejus* Lovel. 2. Norv. et reliquae edd. principes. *militibus suis*, quod habet etiam Leid. demum inveni in ed. Basil. anni 1554. Sed priorem lectionem revocavi.

Et Perseum cum tribus filiis ante currum duxit] Tres membranae: *et Persen cum tribus filiis duxit ante currum.* J. FR. GRON. Pars illa hujus libri, in qua Livius triumphum Paulli expuerat, periit. Duos filios Persi, Philippum et Alexandrum, unc naturalem, illum naturfratrem, adoptione filium, memorat 42, 52. Liberos parvos reos praeter Philippum, cap. hujus libri. Plutarchus inita Paulli duos filios Persei cuuna filiola ante currum Pau ductos fuisse tradit. In Lo infra cap. 39. tantum duos filiorum Persei, Philippi Alexandri, mentio est. Dullufra cap. 28, 11. *Persea quis cum majore filio Philipp traditos A. Postumio, iustodiam misit: filiam cuminore filio, a Samothratdcitos Amphipolim, omni liali cultu habuit.* Ceterum *ersen* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. ed. Camp. Vide Gronov. ad, 25, 2. Tum *duxit ante ium* Berg. Lovel. 2. Boend. ed. Camp. Mox *solida cogeret*, medio pronomine oo. Leid. Praeterea voces *qum alterius mors patris triphum praecessit, alteriusuta est* desunt in Leid. ultima deest in Voss. *triumphumris* legunt Berg. Lov. 2. Boet ed. Camp.

Captecenta duodecim millia, igenta quinque] Pig-

sias, Bythyniae rex, Romam, ut senatui gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit; et Nicomedem filium senatui commendavit. Rex, plenus adulationis, libertum se populi Romani dicebat.

lius ad A. V. DCLXXXV. ex Aldino antiquissimo habe *CCCCXI. CCCX.* Non potest dubitari, quin hic scribarum error sit. Nam, quod ex Et. 46. 47. et 48. constat, tribus sequentibus lustris prope quarta parte pauciora capita civium censa sunt. De numero scitum hoc lustro censorum nihil in Livio legitur. Opportunus de eo dicendi locus fuit cap. 15. ubi hoc fortassis cum aliis intercidit. Sed quum superiore lustro tantum *CCLXI millia et quindecim* civium scita censa fuerint 42, 10. et eo, quod praecesserat, tantum *CLXXIII millia CCXLIV* Epit. lib. 41. mihi non apparet cur tantum quinque annis, qui inter lustrum proximum et hoc intercesserant, aucti numeri civium ut nunc *CCCXII. millia DCCV.* eorum capita conseri tuerint. DUKER. Vulgatum est in Leid. et Lov. 2. nisi quod eorum prior, addita copula, legat *et octingenta quinque* sed *trecenta duodecim millia* CCCCV est in Voss. *CCCXII octingenta nonaginta quinque* in Berg. Boend. et ed. Camp. Qua Aldi editione Pighius usus sit, nescio: at illa, quam eo consului, anni 1521. a vulgato nihil differt. Paullo ante *a censoribus conditum est* Boend. et ed. Camp. *a censoribus conditum*, deficiente τῶ *est*, Berg. et Lov. 2.

Prusias, Bithyniae rex, Romam, ut senatui gratularetur] *rex Bithyniae* Lov. 2. Tum *ut in senatu gratias ageret* Berg. *ut senatui gratias ageret* Leid. Voss. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithoei, Norv. et edd. ante Frob. qui anno 1535. *gratularetur* emendavit. Mox *ex Macedonia paratam* Boend. sollemni errore scribarum. Vide ad 5, 6, 1. Dein *filium suum senatui commendavit* Exc. Pithoei, Norv. et edd. ante ultimam Gruteri, quae τὸ *suum* omisit. Eamdem vocem non tantum ejecerunt omnes post Gruterum editores, sed etiam omnes scripti nostri, et ed. Camp.

Libertum se populi Romani dicebat] *se populo Romano esse dicebat* Norv. et edd. vetustiores. *se populi Romani esse dicebat* iis proximae usque ad Gruterum, qui iterum in ultima editione τὸ *esse* expunxit, accinentibus omnibus scriptis nostris, et ed. Camp.

T. LIVII PATAVINI

LIBER QUADRAGESIMUS QUINTUS.

I. Victoriae nuncii, Q. Fabius et L. Lentulus et 1
Q. Metellus, quanta potuit adhiberi festinatio, celeriter Romam quum veniſſent, praecerptam tamen ejus rei laetitiam invenerunt. Quarto poſt die, 2
quam cum rege eſt pugnatum, quum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectacula pervasit; *pugnatum in Macedonia, et devictum regem esse.* Dein fremitus increbruit: poſtremo clamor 3
plaususque, velut certo nuncio victoriae adlato, eſt exortus. Mirari magiſtratus, et quaerere auctorem 4

§. 1. *Quanta potuit adhiberi, festinatio celeriter Romam quum venissent*] Tollius in Fortuitis cap. 10. apud Hearnium *festinationis celeritate Romam quum ven.* Non opus eſt emendatione loci sani. DUKER.

§. 3. *Dein fremitus increbuit*] *increbruit* legendum eſſe, exiſtimat Hearnius, ac videndos jubet Pareum in Lex. Crit. in voc. *Increbrescere*, et Voſſ. Etymol. Ling. Lat. in voc. *Creber*. Adde Vorſt. ad Valer. Max. 3, 7, 3. Cel. Burm. ad Virg. 1. Georg. 859. et quae dixi ad Liv. 7, 12, 8. Orthographiam illam, quam antea servavi, etiam hic recepi.

§. 4. *Tamquam certae rei gaudium*] Scribe *incertae*. id enim sensus poſtulat, cum aït: *tamen omen laetum insidebat animis.* SIGON. Quod summi grammatici pugnant legendum *incertae rei gaudium*, non, ut perscribitur in codicibus, *certae rei*, equide approbare non poſſum: quia animo populus Romanus laetitiam conceperat velut e re certa et indubitata: res enim incerta gaudium non faceret, sed spem quandam metu suspensam et anxiam. Gaudium igitur tanquam certae rei evanuit. nam rem certam et exploratam populus crediderat, et magno gaudio incesserat; resedit tamen omen, et augurium remansit in animis victoriae e praecepta laetitia, quae jam evanuerat. TURNEBUS 11. Advers. 18. Sigonius *incertae*. Contra quem pugnat Turnebus 11, 18. infeli-

repentinae laetitiae: qui postquam nullus erat, evanuit quidem tamquam incertae rei gaudium; omen tamen laetum insidebat animis. Quod postquam veris nunciis Fabii Lentulique et Metelli adventu firmatum est, quum victoria ipsa, tum augurio animorum suorum, laetabantur. Et aliter traditur citer. Populus, ait, Romanus laetitiam conceperat, velut e re certa et indubitata; res enim incerta gaudium non faceret, sed spem quandam metu suspensam et anxiam. At Livius non loquitur hic de re, qualis fuerat, antequam inquireretur, sed qualis post inquisitionem inventa est. Igitur ait *evanuit gaudium*. Quomodo? tanquam rei parum certae, eoque inane et caducum. J. FR. GRON. Adsentior viris doctis *incertae* emendantibus. Prima syllaba ejus vocis hausta erat a litera finali vocis praecedentis. V. ad 5, 27, 6.

§. 6. *Ante diem decimum Kalendas Octobres, ludorum Romanorum secundo die*) Ex vetere calendario legendum putat Manutius *A. D. XV.* SIG. Simile indicari videtur Kalendarium, atque illud, quod edidit Gruter. in Inscript. pag. CXXXIII. in quo ad prid. Non. Sept. adscribitur *LVDI. ROMANI*, ad dies octo sequentes *LVDI*, tum ad XVII. Kal. Oct. *LVD. ROM. IN. CIRC.* sive *ludi Romani in circo*, hinc ad quatuor dies sequentes *IN. CIRC.* Secundum hoc igitur Kalendarium secundus dies ludorum Romanorum in circo erat XVI. Kal. Oct. Verum Kalendarium illud respondet anno a Caesare emendato, secundum quem mensis September erat triginta dierum: at Perses victus est, quum Romani uterentur anno Numae, in quo mensis September erat viginti novem dierum. Hinc ludi Romani in circo, qui incidebant in diem secundum post Idus Septembres, in anno Caesaris quidem septimo decimo, at in anno Numae sexto decimo Kal. Octob. celebrabantur: et hinc eorum secundus dies erat XV. Kal. Octobr. Nisi ita legimus, convenire nequit, quod infra hoc cap. additur: *Tertius decimus dies erat ab eo, quo in Macedonia pugnatum erat.* Nam, ut Liv. refert 44, 37. proelium inter Aemilium Paullum et Persen commissum est pridie Nonas Septembres, a quo ad XV. Kal. Oct. secundum Kalendarium Numae tredecim dies sunt, utroque termino, et quo pugnatum est, et quo literae traditae sunt, numerato, de quo vide supra ad 42, 10, 5. Verum Dodwell. qui supra 44, 37. *prid. Non. Sext.* pro *prid. Non. Sept.* emendandum censuit, hic etiam et cap. seq. §. 3. et 12. nomen mensis vitiosum esse, et *VII br.* seu *Septembr.* pro *VIII br.* sive *Octobr.* legendum putavit. Hanc sententiam ut verisimilem reddat, per *ludos Romanos* a Livio memoratos indicari adfirmat Consualia, quos Livium unicos Romanos agnoviisse arbitratur. Eo enim teste 1, 35, 7. Tarquinium Priscum *ludos opulentius instructiusque, quam priores reges, fecisse:* eosdem nempe ludos, quales priores reges ediderant. Livium deinde ibidem

censis turbae non minus similis veri laetitia. Ante diem decimum Kalendas Octobres, ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli, ad quadrigas mittendas escendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, * laureatas literas dicitur: quadrigis missis, consul currum conscendit: et, 7

addere: *Sollemnes deinde annui mansere ludi, Romani, Magnique varie adpellati.* Consualia haec celebrari die XVIII. Sextilis, teste Plut. in Romul. pag. 26. et quidem diem XVIII. mensis Sextilis, qui in anno Numae tantum XXIX. dierum erat, more Romano vocatum esse *XIII. Kal. Sept.* et hinc diem secundum ludorum incidisse in ante diem XII. Kal. Sept. quem tamen Livius *ante diem decimum Kalendas* vocat. Illud autem duorum dierum discrimen ortum videri ex duobus diebus mensis Augusti addititiis in forma anni Juliani: Livium enim vel ejus librarium fefellisse calculum, quod numerum illum *Kalend. XII.* ad formam Julianam auctiorem pertinere crederet, et hinc, detractis duobus diebus, dedisse *X. Kalend.* quum tamen dies secundus Consualium in forma Pompiliana revera foret *XII. Kalend.* Agnoscit tamen non convenire intervallum XIII. dierum a pugna ad secundum ludorum diem, utrovis modo ludos illos intelligamus, seu de ludis mensis Augusti Consualibus, seu potius de aliis illis mensis Septembris, quos juniorum Kalendaria *Romanos* adpellant: unde constare putat, non adeo certam esse codicum Livianorum etiam consentientium fidem. Vide Dodwelli Append. ad Praelect. Camden. pag. 582. et seqq.

C. Licinio consuli, ad quadrigas mittendas ascendenti] *exscendenti* ex unico cod. edidit Froben. anno 1531. pro quo Turnebus *escendenti* laudat 20. Advers. 30. ubi hoc verbum, quod in Varr. 4. de L. Lat. 14. restituendum monet, aliis exemplis inlustravit. Ita deinde ultima Gruteri editio exhibuit, pro quo Heinsii Elzeviriana *ascendenti* dedit. Hinc praebita est Gronovio occasio ad verba sequentia ex vestigiis priscae lectionis *escendenti* emendandi; quod iterum in contextum recepit. Eo tamen relicto, Clericus clam contra fidem datam *ascendenti* reduxit. De eo verbo v. ad 2, 28. 6.

Venire diceret, laureatas literas dicitur] Perspicue vox una desideratur, ut sit *reddidisse laureatas literas dicitur.* SIG. Primam vocem [*reddidisse*] de conjectura Sigonius addidit. Forte: *tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, laureatas literas reddidit.* Sed et quia exemplar unicum *exscendenti*, non *ascendenti*, legendum *escendenti*, ut et voluit Turnebus. J. FR. GRON. Cur Gronovius *dicitur* in *reddidit* mutarit potius, quam Sigonii conjecturam probarit, illa causa fuisse videtur, ne post *diceret* paucissimis interjectis inferatur *dicitur.* Sed vide ad 1, 3, 9. Mihi igitur verisimilius videtur, vocem unam neglegentia librarii excidisse, quam vocem notissimam *reddidit* in *dicitur* mutatam esse. De literis laurea-

quum per circum veheretur ad foros publicos, 8 laureatas tabellas populo ostendit. Quibus conspectis, repente inmemor spectaculi populus in medium decurrit. eo senatum consul vocavit, recitatisque tabellis, ex auctoritate Patrum pro foris publicis denunciavit populo: *L. Aemilium collegam* 9 *signis conlatis cum rege Perseo pugnasse. Macedonum exercitum caesum fusumque. Regem cum paucis fugisse. civitates omnes Macedoniae in ditio-* 10 *nem populi Romani venisse.* His auditis, clamor cum

tis vide Lindenbr. ad Amm. Marc. 16, 12. circa finem, Gevart. Lect. Papin. 5, 1. et Salmas. ad Lamprid. Alex. Sever. 58.

Per circum veheretur ad foros publicos] De foris publicis vide Argol. ad Panvin. de Ludis Circ. 1, 5. et quae supra dicta sunt ad 29, 37, 2.

§. 10. *Ludis relictis domos magna pars*] *domus* editiones ante ultimam Gruteri. Similiter vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit. V. supra ad 3, 29, 5.

§. 11. *Quos, praeter milites sociosque navales, conjuratos haberet*) Ut *conjurationem* vocare solebant genus quoddam militiae, a sacramento diversum, ita a militibus *conjuratos* sejunxit Livius; ut *milites* sint, qui sacramento dixerunt, *conjurati*, qui una jurarunt simul, non singuli sacramento dixerunt: quibus quia justum militiae sacramentum deerat, proinde nec justi milites censebantur. *Socii navales* erant, qui propter census exiguitatem non ad terrestria bella legionesque centuriabantur, sed in classe belloque navali militabant. Polybius [6, 17.] πλὴν τῶν ὑπὸ τὰς τετρακοσίας δραχμὰς τετιμημένων. τούτους δὲ παριᾶσι πάντας εἰς τὴν ναυτικὴν χρείαν. TURNEB. 11. Advers. 18. Quaeri tamen potest, qui fuerint hi, qui *praeter milites sociosque navales* conjurarverant. Legionarii esse non potuerunt: nam hi nomine militum continentur, et omnes sacramento dicebant. An voluntarii et evocati? Mihi non liquet. hi enim, uti voluntate ducem sequebantur, ita inviti non potuisse retineri videntur, atque adeo neque SCto, quo dimitti juberentur, opus fuisse. Nusquam alibi quidquam de conjuratis *praeter milites* inveni. Quae Sigonius 1. de Ant. Jure Civ Rom. 15. habet, non satisfaciunt. DUK. Non satisfaciunt etiam, quae ad hunc locum notavit Cl. Crevierius. Livium autem exponit ex lib. 22, 38. et per *milites* intelligit adactos sollemni illo militiae sacramento *jussu consulum conventuros, neque injussu abituros;* quo qui obligati erant, ii demum justi

cum ingenti plausu ortus: ludis relictis, domus magna pars hominum ad conjuges liberosque laetum nuncium portabant. Tertius decimus dies erat 11
ab eo, quo in Macedonia pugnatum eſt.

II. Poſtero die senatus in curia habitus, sup- 1
plicationesque decretae, et senatusconsultum factum eſt, ut consul, quos, praeter milites sociosque navales, conjuratos haberet, dimitteret. de mi- 2
litibus sociisque navalibus dimittendis referretur, quum legati ab L. Aemilio consule, a quibus praemiſſus tabellarius eſſet, *. Ante diem sextum Ka- 3

milites censebantur: per *conjuratos* autem, qui illud tantum jusjurandum dederant, a Livio itidem his verbis descriptum: *ipsi inter se equites*, etc. *pedites conjurabant, sese fugae atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros.* Addit, adparere quidem ex eo loco Livii, milites, quum illud poſterius jusjurandum sua voluntate jurarent, id tantum feciſſe, quum decuriati ac centuriati forent, et proinde poſt sollemne sacramentum militiae: sed suspicari poſſe, immo deberi ex hoc loco, ordinem inmutatum eſſe, poſtquam illo jurejurando a tribunis adigi coepti sunt, eosque, qui lecti a tribunis in legionem erant, ſtatim illud jusjurandum dedisse, unde dicerentur *conjurati*. Verum ex loco illo Livii colligendum videtur, conjurationem illam spontaneam tempore belli Punici secundi in sollemne jusjurandum, quo milites a tribunis adigebantur, mutatam eſſe; adeoque, qui illud dederant, non amplius *conjuratos* dici potuiſſe. Vide, quae ad eum locum notantur. Fateor tamen, neque me scire, quinam *conjurati* a *militibus* diſtincti hic intelligantur.

§. 2. *A quibus praemissus tabellarius esset. Ad VI. Kal. Octobr.*] Et hic vox una deeſt ad integritatem sententiae. *A quibus praemissus tabellarius esset, venissent. A. D. VI. K. Octob.* SIG. Ultimam vocem [*venissent*] ad integrandam sententiam adjecit Sigonius. Potuit levius: *quum legati ab L. Aemilio consule, a quibus praemissus tabellarius, adessent.* J. FR. GRON. *a quibus praemissus tabellarius, venissent* conjecit Gronovius in prima ed. notarum. Sed minus a scripta lectione recedit, quod ipsi in repetita lectione in mentem venit.

§. 3. *Ante diem sextum Kalend. Octobris*] Per compendium *Octob.* priscae edd. quod Paris. anni 1573. reddit *Octobris*, quum debuiſſet *Octobres*, ut a Gronov. anno 1665. factum cap. 1. *Ante diem decimum Kalendas Octobres.* ubi itidem *Octob.* edd. vett. et *Octobris* eadem Paris. Vide ad 41. 16, 1. Ceterum *VIIb.* sive *Septemb.*

lendas Octobres, hora fere secunda, legati urbem ingressi sunt, ingentem secum obcurrentium, quacumque ibant, prosequentiumque trahentes turbam, 4 in forum ad tribunal perrexerunt. Senatus forte in curia erat: eo legatos consul introduxit. Ibi tantum temporis retenti dum exponerent, *quantae regiae copiae peditum equitumque fuissent, quot* 5 *millia ex his caesa, quot capta forent; quam paucorum militum jactura tanta hostium strages facta; quam cum paucis rex fugisset: existimari Samothraciam petiturum, paratam classem ad persequendum esse: neque terra, neque mari elabi posse:* 6 eadem haec paullo post in concionem traducti exposuerunt: renovataque laetitia, quum consul edixisset, *ut omnes aedes sacrae aperirentur*, pro se quisque ex concione ad gratias agendas ire Diis; 7 ingentique turba, non virorum modo, sed etiam

pro *VIIIb.* sive *Octob.* legisse Dodwellum, vidimus ad cap. 1, 6. Vide eumdem Dodwell. Diss. 10. de Cyclis §. 21.

Urbem ingressi sunt, ingentem] Dele fidenter *τὸ sunt*; quod magis impedit, quam juvat, orationem. J. FR. GRON. Juvabis etiam orationem addenda copula *ingressi sunt, et ingentem.*

§. 6. *In concionem traducti*] *Producere* de hac re dicunt Latini. 3, 64, 7. *Consules producti ad populum interrogatique.* Sic 24, 39. 27, 7. 10. 36, 21. Justinus 11, 2, 8. et Cicero saepe. V. Sigon. ad Liv. 27, 51. et Gronov. ad 33, 46. DUKER.

§. 7. *Conferta tota urbe Deorum inmortalium templa*] Et hic intercidit vox una: *Deorum immortalium templa adierunt.* SIG. *conferta tota urbe Deorum immortalium templa* sine supplemento verbi *adierunt* sententiam absolvere animadverto. TURNEB. 11. Advers. 18. Rursus immittit Sigonius *adierunt.* Quod non esse necesse animadvertes, si aut *ire* accipies pro *ibant*, aut mutabis in *iere.* Narrat enim, simul atque consul edixisset, ut omnes aedes sacrae aperirentur, pro se quemque profectum ex concione ad grates Diis agendas, et templa ingenti turba hominum conferta vel impleta fuisse. J. FR. GRONOV. Omnino recte Gronovius: nec locus aliter intelligi potest. Si autem *ire* in praecedentibus pro *ibant* positum accipitur, ad haec verba supplendum est *esse*,

feminarum, conferta tota urbe Deorum inmortalium templa. Senatus, revocatus in curiam, supplicationes, ob rem egregie geſtam ab L. Aemilio consule, in quinque dies circa omnia pulvinaria decrevit, hoſtiisque majoribus sacrificari juſſit. Naves, quae in Tiberi paratae inſtructaeque ſtabant, ut, si rex poſſet resiſtere, in Macedoniam mitterentur, subduci, et in navalibus conlocari: socios navales, dato annuo ſtipendio, dimitti, et cum his omnes, qui in consulis verba juraverant: et quod militum Corcyrae, Brundisii, ad mare superum, aut in agro Larinati eſſet, (omnibus his locis dispositus exercitus fuerat, cum quo, si res posceret, C. Licinius collegae ferret opem) hos omnes milites dimitti placuit. Supplicatio pro concione populi indicta eſt, ex ante diem quintum Idus Octobres cum eo die in quinque dies.

8 9 10 11 12

quod positum erat pro *erant*. Sin autem pro *ire* cum eodem Gronov. emendas *iere*, ad haec verba supplendum eſt *sunt*. Et quidem poſterius illud praeſtare videtur. Supra 1, 60, 2. *Exsulantem Caere in Etruscos ierunt*. 9, 36, 6. *Iere pastorali habitu*. 10, 23, 2. *Supplicatum iere frequentes viri feminaeque*. ubi alii etiam codd. *ire*. 27, 18, 11. *Per aspreta primo, nihil aliud quam via inpediti, iere*. 35, 9, 7. *Tria millia peditum iere*. cap. 40, 5. *Tria millia et septingenti pedites ierunt*. 37, 31, 7. *Ad trajiciendas copias consulis iere*. Ita *abire* dederunt pro *abiere*. V. ad 3, 31, 5. et c. 60, 1. *coire* pro *coiere*. V. ad 4, 7, 7. *inire* pro *iniere*. V. ad 2, 30, 12. et 5, 22, 4. *interire* pro *interiere*. V. ad 6, 1, 2. *redire* pro *rediere*. V. ad 2, 20, 13. *subire* pro *subiere*. V. ad 8, 10, 3. *transire* pro *transiere*. V. ad 10, 46, 3.

§. 12. *Supplicatio pro concione populi indicta est*] Scribe *populo*, ut is casus regatur a verbo *indicere*, non a nomine *concio*. Ita enim dicebant simpliciter *pro concione*. Liv. 7, [10, 14.] *Dictator miris pro concione eam pugnam laudibus tulit*. Tacitus 1. Annal. [44.] *Stabant pro concione legiones destrictis gladiis*. J. FR. GRON.

Ex ante ad V. Idus Octob.] Lege *ex ante diem V. Idus Octobr.* ut supra. SIGON. Vide etiam Gifan. Observ. in ling. Lat. in voce *Ante diem*. Cete-

1 III. Ex Illyrico duo legati, C. Licinius Nerva et P. Decius nunciarunt, *exercitum Illyriorum caesum: Gentium regem captum, in ditione populi Ro-*
2 *mani et Illyricum esse.* Ob eas res, gestas ductu

rum hic iterum *Idus Septemb.* legendum conjicit Dodwell. V. hoc cap. ad §. 3.

§. 1. *C. Licinius Nerva*] Dodwellus in Append. Praelect. Camden. valde se torquet in explicando fragmento Actorum Diurnorum, in quo Demiphon archipirata pridie Kal. Apr. ante Aemilii et Octavii profectionem in provinciam a Cn. Licinio Nerva legato captus in crucem actus fuisse dicitur. Multa movet, nec quidquam promovet, dum aliis super alias cumulatis, sed omnibus incertis, conjecturis certam esse hujus fragmenti fidem evincere conatur. V. Cl. Wesseling. Probabil. c. 39. *Legatos* hos apud Livium non omnino necesse esse arbitror pro legatis militaribus haberi, ut nec eos, qui a Paullo ad victoriam de Perseo nunciandam missi sunt. DUK. Livius supra lib. 44. post Gentium regem captum nullam non modo legatorum Licinii et Nervae Romam missorum mentionem fecit, sed etiam cap. 32. refert, eum nuncium victoriae Perpernam Romam misisse; de cujus adventu vicissim hoc libro silet.

Gentium regem captum in ditione populi Romani et Illyricum esse] Distinguendum est post *captum*; nam *in ditione* ad *Illyricum* pertinet. *et Illyricum* potest dici pro *etiam Illyricum*. Sed mihi *et* potius in alium locum transferendum, et legendum videtur *regem captum, et in ditione populi Romani Illyricum esse.* DUKER.

§. 2. *Senatus in triduum supplicationes decrevit, ut Latinae edictae a consule sunt ante IV. et III. et pridie Id. Novemb.*] Sensus est: Supplicationes edictae sunt in certos dies, perinde atque Latinae indici solent. non enim hic de Latinis indicendis loquitur, quippe quae in quatriduum hoc tempore indicerentur, non in triduum. Praeterea lego: *in ante d. IIII.* SIGON. Sensus est, inquit Sigonius, Supplicationes edictae sunt in certos dies, perinde atque Latinae indici solent. Mihi non modo haec comparatio, sed omnis omnino mentio *Latinarum* hoc loco incommoda, et ab ingenio Livii aliena videtur: sive malis, *in triduum supplicationes decrevit, quae edictae a consule sunt*; sive, *supplicationes decrevit, et feriae edictae*, nempe illarum supplicationum ergo. Ubi quum voci *feriae* adscripsisset ineptus interpres *Latinae*, explicatio pro illa, quam putaverant, glossa invasit. J. FR. GRONOV. Respice, lector, ad literas, et considera, an non omnis haec molestia in genuinam Livii manum transierit, scribendo, *et statim edictae.* JAC. GRONOV. Longe aliter de hoc loco sensit olim J. Fr. Gronovius. In prima enim ed. notarum arbitrabatur, *τὸ ut* non, ut Sigonius faciebat, pro perinde atque, sed pro postquam sumendum esse: ut intelligatur, postquam consules Latinas in dies aptos edixerint, supplicationes quoque decretas in illos dies. Vel etiam putabat credi posse,

auspicioque L. Anicii praetoris, senatus in triduum supplicationes decrevit, ut Latinae edictae a consule sunt in ante quartum et tertium et pridie Idus Novembres. Tradidere quidam, legatos Rhodios, 3

dies Latinarum denotari, et unum numerum excidisse, quum fuisset hoc modo: *senatus in triduum supplicationes decrevit: et Latinae edictae a consule sunt in ante dies quintum, et quartum, et tertium, et pridie Idus Novembres* Utramque sententiam postea repetiit 4. Observ. 25 pag. 387. sed priorem clarius proponit; nempe triduum, quo supplicationes celebrarentur, futurum esse post Latinas, quarto, tertio, et pridie Idus: hinc etiam ita interpungit: *supplicationes decrevit, ut Latinae edictae a consule sunt, in ante quartum* etc. At recte omnia haec curis secundis notarum ad Livium omisit, et, quod prius placuerat, silentio quasi damnavit. Nam non modo Aemilius consul jam diu in Macedoniam trajecerat, quum tamen Latinae ab utroque consule, antequam in provincias abirent, edici deberent; verum etiam hoc anno jam edictae et celebratae fuerant. Vide 44, 19 21. et 22. Hic ergo duas novas conjecturas proponit; quarum posterior priori praeferenda est, quod nimis temerarium videatur, pro *ut Latine* reponi *quae*. At praesertim placet Clariss. Jac. Gronovii conjectura, qui vestigia ac ductus literarum pressius secutus *et statim*, pro *ut Latinae*, legendum putat. Ad senatum primo pertinebat censere, utrum res gestae supplicationibus dignae essent; deinde definire, quot dies supplicaretur. At in potestate consulum erat, eligere et edicere dies, quibus supplicatio celebraretur. Ita exponendus est Cic. 8. ad Famil. 11. *Non diu, sed acriter nos tuae supplicationes torserunt: incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat, se ullo modo pati posse decerni supplicationes, ne quod furore Paulli adeptus esset boni, sua culpa videretur amisisse, et praevaricator caussae publicae existimaretur. Itaque ad pactionem descendimus: et confirmarunt consules, se his supplicationibus in hunc annum non usuros.* Ad quem locum Manutius, verba *supplicationibus in hunc annum non usuros* expositurus, notat: „exceptis iis, quae Cice„roni decernerentur.“ Alii ita exponunt: „se nulli alii im„peratori, praeterquam Cice„roni, supplicationes decretu„ros.“ sed potius sensus esse videtur, consules promisisse, se has Ciceroni decretas, aut certe petitas supplicationes in hunc annum non edicturos, sed potius dilaturos in annum proximum, quum Curio tribunatu abiisset; ne eas in dies hujus anni comitiales edicendo Curioni potestas cum populo agendi eriperetur. Dies enim supplicationum erant feriae, quibus, licet comitiales forent, nihil cum populo agi poterat.

Et pridie Idus Novembres] Hic etiam in mensis nomine errorem commissum esse, existimat Dodwell. in Append. ad Praelect. Camd. p. 756. et 757. Sibi enim verisimile non videri, Ani-

nondum missos, post victoriam nunciatam, velut ad ludibrium stolidae superbiae, in senatum vocatos esse. 4 Ibi Agesipolim principem eorum ita locutum: *Missos esse legatos ab Rhodiis ad pacem inter Romanos et Persea faciendam; quod id bellum grave atque incommodum Graeciae omni, sumtuosum ac damnosum ipsis Romanis esset. Fortunam perbene fecisse, quando, finito aliter bello, gratulandi sibi de victoria egregia Romanis opportunitatem dedisset.* Haec ab Rhodio

cium, qui veris principio in provinciam venit, teste Liv. 44, 30. et bellum ante perpetravit, quam coeptum esse Romae auditum est, cap. 32. tam seros victoriae nuncios Romam misisse. Quare pro *Idus VIIIIb.* sive *Novembres*, legit *Idus VIIIb.* sive *Octobres*. Verum emendatio haec stare nequit, nisi et altera ejus in ultimis verbis cap. praec. admittatur: ceteroquin enim supplicationes Aemilii et Anicii nomine decretae in eosdem dies inciderent. Eam tamen emendationem admodum incertam esse, constat ex illis, quae dicta sunt ad cap. 1, 6.

§. 3. *Tradidere quidam, legatos Rhodios, nondum missos*] Repone *admissos*. J. FR. GRON. Per eos, qui hoc tradidere, innuit Livius Polybium, cujus narratio Exc. Legat. num. 88. cum his conferenda est. Admissa Gronovii emendatione, in eo Livius a Polybio in diversa abibit, quod scripserit, legatos Rhodios in senatum admissos, et accepto responso in patriam dimissos esse, antequam victoria de Perseo Romam nunciata foret. Supra 44, 14. et 15. Polybius vero, eos non ante admissos esse, quam post relatam victoriam. Verba Polybii sunt: *Κατὰ τὸν καιρὸν, ἐν ᾧ Περσεὺς ἡττηθεὶς ἀνεδίδρασκεν τῇ συγκλήτῳ τοὺς παρὰ τῶν Ῥοδίων πρεσβευτὰς παραγεγονότας ὑπὲρ τοῦ διαλύειν τὸν πρὸς Περσέα πόλεμον προκαλέσασθαι.* Ex illis recte colligitur, legatos Rhodios nunciata victoria adhuc Romae fuisse, et in senatum vocatos esse; non vero eos nondum ante id tempus admissos esse. Et hinc Gronovii conjectura dubia redditur; quae etiam juvari nequit ex verbis Epitomes hujus libri. *Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissae. Rhodiorum* etc. *exclusa.* Illa enim pertinent ad ea, quae Livius infra narrat cap. 20. Commode igitur vulgatum servari posse, vel, si quid mutandum, potius legendum arbitror *nondum dimissos*. Ut Livius crediderit, legatos Rhodiorum mox post editam legationem et acceptum responsum dimissos esse: munera enim singulis eorum, et domum redituris, decreta esse, quae non acceperint, narrat 44, 15. Polybius vero, eos adhuc Romae subsistisse, quum legati ab Aemilio de victoria missi advenissent, et in senatum advocatos esse.

§. 4. *Ibi Agepolim principem eorum*] Legendum *Agesipolin*.

dicta. Responsum ab senatu esse, *Rhodios nec utilitatium Graeciae, neque cura inpensarum populi Romani, sed pro Perseo legationem eam misisse.* 7 *Nam, si ea fuisset cura, quae simularetur, tum mittendos legatos fuisse, quum Perseus, in Thessaliam exercitu inducto, per biennium Graecas urbes, alias obsideret, alias denunciatione armorum* 8 *terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam. Postquam superatos saltus transgressos-*

Hoc enim nomen hominis, ut constat ex multis Polybii locis. Apud quem haec ipsa oratio est: ἐλθεῖν μὲν ἐφασαν διολύσοντας τὸν πόλεμον· τὸν γὰρ δῆμον τῶν Ῥοδίων ἥκομένου τοῦ πολέμου καὶ πλείω χρόνον θεωροῦντα, διότι πᾶσι μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἀλυσιτελὲς καὶ αὐτοῖς δὲ Ῥωμαίοις, διὰ τὸ μέγεθος τῶν δαπανημάτων, ἐλθεῖν ἐπὶ ταύτην τὴν γνώμην· νῦν δὲ, λελυμένου τοῦ πολέμου κατὰ τὴν τῶν Ῥοδίων βούλησιν, συγχαίρειν αὐτοῖς. J. FR. GRON. Apud Polyb. tamen in Exc. Legat. num. 88 bis Ἀγέπολις vocatur, eodem errore; at num. 86. editur in contextu Ἀγεσίπολις, Ursinus vero in notis laudat Ἀγέπολις: qui ad num. 80. notat, eum a Polybio modo Ἀγέπολιν, modo Ἀγεσίπολιν vocari.

§. 6. *Nec utilitatum Graeciae, neque cura inpensarum populi Romani] Cura* hic positum salebrosam reddit orationem. Non uno loco scribi potest, ut ea lenius fluat. DUKERUS. Collocatio verborum etiam displicet Crevierio, qui malebat *neque impensarum populi Romani cura.* Praeterea *utilitatum Graeciae* apud primum Curionem inveni; post quem id tum alii, tum Parisini anno 1573. et hinc omnes posteriores adoptarunt. antiquiores praeferunt *utilitatium.* Id probat Vossius 4. Gramm. 14. Similiter *voluptatium, necessitatium, difficultatium, simultatium, civitatium, tempestatium*, apud Livium aliosque in Mstis obcurrere, supra vidimus ad 7, 38, 5. Adde ad ea *haereditatium.* Vide viros doctos ad Sueton. Aug. cap. 66. et Cel. Burm. de Vectig. Pop. Rom. c. 11. et *propinquitatium.* Vide eumdem Burm. ad Suet. Oth. 1.

§. 7. *In Thessalia exercitu inducto, per biennium Graecas urbes, alias obsideret*] Haec lectio ex ultima Gruteri ed. ad recentiores profluxit. Posset etiam defendi ita mutata interpunctione: *in Thessalia, exercitu inducto*; ut *in Thessalia* referatur *ad obsideret.* At omnes priores typis descripti constanter *in Thessaliam*, quod recte Dukerus probandum monuit, et Crevierius etiam in contextum iterum admisit.

§. 8. *Transgressosque in Macedoniam Romanos audirent*] Lege *audierint.* J. FR. GRON.

§. 1. *Et argenti ad summam sestertii decies*] Qui pro *sestertii* scripserunt *sestertium*, non

que in Macedoniam Romanos audirent, et inclusum teneri Persea, tunc Rhodios legationem misisse, non ad ullam aliam rem, quam ad Persea ex inminenti periculo eripiendum. cum hoc responso legatos dimissos.

1 IV. Per eosdem dies et M. Marcellus, ex provincia Hispania decedens, Marcolica nobili urbe capta, decem pondo auri, et argenti ad summam 2 sestertii decies in aerarium retulit. Paullus Aemilius consul, quum castra, ut supra dictum est, ad

perspectam habuerunt rationem vocis *sestertium*, adverbio numerali junctae, quam luculenter in libro de Sestertiis expedivit J. Fr. Gronovius. Si *deciens*, quod ex ed. Basil. adnotat Hearnius, in libro scripto fuit, non peccarunt, qui ediderunt, quod in eo invenerant. Vide ad notata ad Marcellini vitam Thucydidis pag. 3. Illud me hic nonnihil moratur, quod non valde apertum est, quid supplendum sit, unde genitivus *argenti* regatur. A praecedentibus *decem pondo* regi non potest: nam decem pondo auri et totidem pondo argenti longe absunt a summa decies sestertii. Sed sensus verborum est, decem illa pondo auri, et id argenti, quod in aerarium intulit Marcellus, effecisse summam decies sestertii. DUKER. Sensus etiam constitui posset, solum id argenti, quod in aerarium intulit, effecisse summam decies sestertii. Ceterum *ad summam sestertium deciens* edd. principes. *decies* substituerunt Basil. anno 1539. Vide ad 44, 45, 10. Gronovius deinde *sestertii decies*; qui in priore notarum editione monuit, satis probatum esse, ita scribi oportere, respiciens ad illa, quae biennio ante docuerat in prima editione commentarii de Sestertio §. 11. 13. 16. et alibi, quod postea firmavit lib. 1. de Pecun. Vet. 11. Mox de locutione *in aerarium retulit* vide ad 37, 57, 12.

§. 2. *Ad Siras terrae Odomanticae*] Stephanus: *Σίρες, ἔθνος Θράκης. Ὀδόμανται, ἔθνος Θράκης.* SIG. *Odomantidicae* omnes typis descripti ante Gronovium, qui recte vulgavit *Odomanticae*, ut etiam legitur ad caput Scholii Sigonii, licet alterum in contextu ipso servarit. Stephan. de Urbib. *Ὀδόμαντοι ἔθνος Θράκης. Θουκυδίδης δευτέρᾳ. καὶ Ὀδομαντὶς Ὀδομαντικὴ ἐκ τοῦ Ὀδομαντικός. Sires* vero Stephani, quos huc advocat Sigonius, alio pertinent, ut constat ex vocibus sequentibus male a Sigonio omissis. *Σίρες, ἔθνος Θράκης ὑπὲρ τοὺς Βυζαντίους.* Byzantii enim, super quos siti sunt Sires Stephani, longe ab Odomantica remoti sunt. Nam Odomantae vel Odomantes habitarunt in ea parte Thraciae, quae est inter fluvios Strymonem et Nestum, et a regibus Macedoniae subacta vulgo Macedoniae adjectae nomine censetur. Vide Plin. 4. Hist. Nat. 11. Hinc Ptolemaeus 3, 13. Macedoniam describens etiam *Ὀδομαντικῆς* meminit. An igitur potius huc pertinet *Σιρρὰ πόλις Θρᾴ-*

Siras terrae Odomanticae haberet, quum literas ab rege Perseo per ignobiles tres legatos cerneret, et ipse inlacrimasse dicitur sorti humanae: quod, qui 3
paullo ante, non contentus regno Macedoniae, Dardanos Illyriosque obpugnasset, Bastarnarum exciviſſet auxilia, is tum, amiſſo exercitu, extorris regno, in parvam insulam compulsus, supplex, fani religione, non viribus suis, tutus eſſet. Sed poſt- 4
quam, *Regem Persea consuli Paullo salutem*, le-

ros apud Stephanum? ut vel *Sirrha*, vel *Sirrham*, vel *Sirrhas* apud Livium legendum sit.

Per ignobiles tres legatos cerneret] Videtur excidiſſe *missas*. MURET. *missas* satis per se intelligi, exiſtimavit Doujatius. Sed rectius eam vocem, vel *allatas*, neceſſariam exiſtimavit Crevierius. Mox *illacrimasse dicitur sortis humanae* edd. principes, quod defendi poſſet, ſtatuendo ellipsin τοῦ *caussa*. Puto tamen rectius Vascosanum, una litera detracta, dediſſe *sorti humanae*. Supra 40, 56, 6. *Meo infelici errori solus inlacrimasti*. Silius 2, 619. *Et facto sceleri inlacrimant*.

§. 3. *Quod, qui paullo ante, non contentus*] Gronovius in prima ed. notarum, praefatus, librum veterem et ex eo ed. Aldinam praeferre *quod perpaullo*, inde scribendum conjecit *quod qui perpaullo*. At recte hanc conjecturam poſtea sponte omisit: omnes enim, quas vidi, edd. in vulgatum conspirant.

Bastarnarum scivisset auxilia] Prima editio *civisset*. Scribe *excivisset*. Lib. 27, [51, 13.] *Metapontinos civitatem universam excitam sedibus suis*. 28, [24, 4.] *Juventute Celtiberorum excita*. 44, [27, 2.] *Indignantium se frustra excitos sedibus suis*. J. FR. GRON. Vulgatas edd. *scripsisset* praeferre, Crevierius docuit; id tamen in nullius editionis contextu, sed tantum in capite notae Gronovianae inveni: at sine dubio manus vel Gronovii, vel ejus, qui notas editioni anni 1665. composuit, aberravit. *civisset* edd. vett. pro quo *scivisset* reposuit ed. Bas. anni 1554. Inde id recentiores omnes servarunt usque ad Gronovium, qui in prima ed. notarum, *civisset* tolerari poſſe ratus, attamen ex more Livii malebat *excivisset*. Ita 4, 9, 11. *Optimates Romanos ad auxilium urbis obsessae excivere*. 5, 8, 7. *Etruriam omnem excitam sedibus magna mole adesse Romani crediderant*. quibus locis plura vide. 34, 19, 1. *Mercede exciti ab hostibus*. 40, 9, 7. *Si voce et comploratione nocturna excitus mihi quiritanti intervenisses*. V. quae notantur ad 28, 24, 4.

§. 4. *Postquam, regem Persea consuli Paullo salutem, legit*] Livium ita scripsiſſe arbitror, *postquam regem Persea consuli Paullo dicere S. legit*, (vel non utendo nota compendiaria *dicere salutem*, sive *sa-*

git; miserationem omnem ſtultitia ignorantis fortu-
5 nam suam exemit. Itaque quamquam in reliqua parte literarum minime regiae preces erant, tamen sine responso ac sine literis ea legatio dimiſſa eſt.
6 Sensit Perseus, cujus nominis obliviscendum victo eſſet: itaque alterae literae cum privati nominis ti-
7 tulo miſſae, et petiere, et impetravere, ut aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de ſtatu et conditione suae fortunae poſſet. Miſſi sunt tres legati, P. Lentulus, A. Poſtumius Albinus, A. Antonius. Nihil ea legatione perfectum eſt, Perseo regium nomen omni vi amplectente, Paullo, ut se suaque omnia in fidem et clementiam populi Romani permitteret, contendente.

1 V. Dum haec aguntur, claſſis Cn. Octavii Samothracam eſt adpulsa. Is quoque, praesenti admoto terrore, modo minis, modo spe perlicere, ut

lutem dicere) aut certe *Rex Perseus consuli Paulo S.* STEPHANUS 4. Schediasm. 8. Verbum *dicere*, quod in omnibus notissima formula Stephanus addendum censuit, commode satis intelligi, neque eo supplemento opus eſſe puto. Idem, quod mihi, etiam videtur Cl. Dukero.

§. 7. *Se suaque omnia in fidem et clementiam populi Romani permitteret*] Non probo, quod Stephanus 4. Schediasm. 9. scribi vult *in fidem et clientelam populi Romani*. Livius multis locis memorat *clementiam populi Romani*. Vel hoc ipso libro cap. 8, 5. *Cognita populi Romani clementia non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis praebet*. et c. 17. et 22. Adde, quod *in fidem et clientelam populi Romani se permittere* dicuntur, qui sibi res suas, certe partem earum, sub tutela populi Romani salvas eſſe volunt. Hoc autem nec Perseus a Romanis sperare poterat, nec hi ei dare in animo habebant, ut quibus decretum eſſet, ei nihil relinquere. DUK.

§. 3. *Sacram hanc insulam, et augusti totam atque inviolati soli esse*] Id eſt, totam insulam eſſe *ἱερὰν καὶ ἄσυλον*, ut Graeci vocant. De quo privilegio vide Spanhem. de Praeſt. et Us. Numism. Diſſ. 9. pag. 666. ed. ult. vel pag. 778. ed. sec.

§. 4. *Pollutam homicida sanguine regis Eumenis violavit*] Potius *pollutus*. J. FR. GRON.

se traderet, quum conaretur; adjuvit in hoc eum res, seu casu contracta, seu consilio. L. Atilius 2 inluſtris adolescens, quum in concione eſſe populum Samothracum animum advertiſſet, a magiſtratibus petiit, ut sibi paucis adloquendi populi poteſtatem facerent. Permiſſo, *Utrum nos, hospites Samo-* 3 *thraces, vere accepimus, an falso, sacram hanc insulam, et augusti totam atque inviolati soli esse?* Quum creditae sanctitati adsentirentur omnes, *Cur* 4 *igitur,* inquit, *pollutam homicida sanguine regis Eumenis violavit? et, quum omnis praefatio sacrorum eos, quibus non sint purae manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis?* Nobilis fama erat, apud omnes Grae- 5 ciae civitates, Eumenis regis per Euandrum Delphis prope perpetrata caedes. Itaque, praeter- 6 quam quod in poteſtate Romanorum sese insulam-

Doujatius *pollutam violavit* exponit polluendo violavit. Sane *pollutam violavit* foret palilogia, de qua vide ad 22, 10, 3. Ne tamen vulgatum servari possit, efficiunt additae voces *sanguine regis Eumenis*. Nam *pollutam sanguine regis Eumenis violavit* indicabit, Perseum in ipsa Samothrace Eumenem insidiis adgreſſum eſſe, et in eum percuſſores subornaſſe: quod falsum eſt. Cum Crevierio igitur Gronovii conjecturam probo.

Omnis praefatio sacrorum eos, etc. *sacris arceat*] Vir doctus ad marginem ed. Curionis conjicit *omnis profanatio sacrorum*. Male. Plinius 25. H. N. 2. *Inchoata etiam praefatione religiosa, ut omnibus malis humanis illius potissimum principis semper mederetur majestas.* Suet. Claud. 25. *Veteres fetialium praefatione adhibita.* Et ita *praefari* Liv. 39, 15, 1. *Quum sollemne carmen precationis, quod praefari, priusquam populum adloquantur, magistratus solent, peregisset consul.* Intelligitur autem haec vel similis formula *procul este profani:* de qua vide Brisson. de Formul. 1. pag. 2.

§. 5. *Nobilis fama erat* etc. *prope perpetrata caedes*] *fama* accipio casu sexto, at nobilis pro notus. *prope perpetrata caedes famâ nobilis*, id eſt nota, *erat*. Vide ad 39, 4, 8.

§. 6. *Theondam, qui summus*] Ita primus edidit Vascos. et poſt

que totam et templum cernebant esse, ne inmerito quidem ea sibi exprobrari rati, Theondam, qui summus magistratus apud eos erat (regem ipsi appellant) ad Persea mittunt, qui nunciaret, *Argui* 7 *caedis Euandrum Cretensem. esse autem judicia apud sese more majorum comparata de iis, qui incestas manus intulisse intra terminos sacratos tem-* 8 *pli dicantur. Si confideret Euander, innoxium se rei capitalis argui, veniret ad caussam dicendam: si committere se judicio non auderet, liberaret religione* 9 *templum, ac sibimet ipse consuleret.* Perseus, evocato Euandro, *judicium subeundi nullo pacto auctor esse: nec caussa, nec gratia parem fore.* Suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret. *reliqui quid esset, nisi* 10 *ut fortiter moriatur?* Nihil palam abnuere Euan-

eum reliqui omnes. Priores legunt *Theondan*, qua forma *Aenean* aliquoties obcurrit supra lib. 1, 1. et 2. quamvis tamen Livius potius terminationes Latinas amarit.

§. 7. *Incestas manus intulisse*] Id est, non castas. Liv. 1, 45. *Quidnam tu, hospes, paras, inquit, inceste sacrificium Dianae facere?* Tibull. 1, 5, 39.

Num feror incestus sedes adisse Deorum?

Ubi vide Broukh. Tacit. 5. Hist. 4. *Profana illic omnia, quae apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quae nobis incesta* Hinc *incestare* est polluere. Vide Barth. ad Claud. Paneg. Mall. Theod. 266. et ad Statii 5. Silv. 5, 4.

§. 9. *Perseus, evocato Euandro*] Forte *sevocato Euandro*, id est, seorsum vocato, ut cum solo, non audiente Theonda, vel quocumque alio arbitro, conloqueretur. Justin. 38, 1. *Sevocatum ab amicis, velut ad secretum sermonem, interficit.* Ubi vide Gronov. et Graev. Antea eo loco pariter edebatur *evocatum*, litera sibilante ab ultima vocis praecedentis *insidiis* intercepta; quod et huic loco fraudi fuisse puto. De errore illo scribarum v. ad 30, 3, 7. Verbo *sevocare* utitur etiam Cic. 1. de Divin. 30. *Quum ergo est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis.* Etiam Curt. 10, 7, 18 *Iratusque Perdicca hos, qui Alexandri corpus tueri vellent, sevocat.*

Reliqui quid esset, nisi ut fortiter moriatur] Haec cum in-

der: sed quum, veneno se malle mori, quam ferro, dixisset; occulte fugam parabat. quod quum renunciatum regi esset, metuens, ne, tamquam a se subtracto poenae reo, iram Samothracum in se converteret, interfici Euandrum jussit. Qua perpe- 11
trata temere caede, subiit extemplo animum, in se nimirum receptam labem, quae Euandri fuisset: ab illo Delphis vulneratum Eumenem, ab se Samothracae Euandrum occisum. ita duo sanctissima in terris templa, se uno auctore, sanguine humano violata. Hujus rei crimen, conrupto pecunia The- 12
onda, avertitur, ut renunciaret populo, Euandrum sibi ipsum mortem consciisse.

VI. Ceterum tanto facinore in unicum relictum 1
amicum, ab ipso per tot casus expertum, proditumque, quia non prodiderat, omnium ab se ab-

terrogatione legenda sunt, hoc modo: *reliqui quid esse, nisi ut fortiter moriatur?* SIGON. Scribe *esse*. pars enim haec verborum Persei ad Euandrum. J. FR. GRON. Adsentior Sigonio et Gronovio, scribendum *esse*, et haec verba constituere partem sermonis Persei ad Euandrum. Hinc verba praecedentia, *suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret*, quae ad eumdem sermonem non pertinent, parentheseos notis includenda, et a proximis ac sequentibus distinguenda videntur. De verbo *protrahere* vide Gronov. ad 44, 26, 1. *Fortiter mori* est constanter, magno animo mori. Quinctil. Decl. 38. *Vince feliciter, id est, peri fortiter.* Vocem *fortis* de animi potius, quam corporis fortitudine saepe usurpari, notat Gudius ad Phaedri 1, 5. Adde Graev. ad Cic. pro Quinct. 2.

§. 12. *Euandrum sibi ipsum mortem consciisse*] Ita primus Modius, et post cum recentiores omnes, ediderunt. Priores praeferunt *conscisse*, quod Gronovius recte in prima ed. notarum ex vetere libro et Aldina probavit. Id postea in repetitis curis, incertum qua de causa, neglectum est; quum potius in contextum admissum oportuisset, tamquam vere a manu Livii profectum, qui contractis illis *scisse*, *conscisse* uti amavit. Supra 3, 19, 12. *Si Capitolium ab exsulibus obsessum scissent.* cap. 67, 2 *Hanc ego ignominiam si huic potissimum inminere anno scissem.* 4, 51, 3. *Quos sibimet ipsos conscisse*

2 alienavit animos. Pro se quisque transire ad
manos: fugaeque consilium capere solum prope
lictum coëgerunt: Oroandemque Cretensem,
nota Thraciae ora erat, quia mercaturas in ea
gione fecerat, adpellat, ut se sublatum in lemb
3 ad Cotym deveheret. Demetrium est portus in
montorio quodam Samothracae: ibi lembus sta
Sub occasum solis deferuntur, quae ad usum
cessaria erant: defertur et pecunia, quanta c
4 deferri poterat. Rex ipse nocte media, cum tr
consciis fugae, per posticum aedium in propinq
cubiculo hortum, atque inde, maceriam aegre tr
5 gressus, ad mare pervenit. Oroandes jam tum,
pecunia deferretur, primis tenebris solverat na

mortem, satis creditum est. 33, 29, 1. *Zeuxippum principem gentis id facinus conscisse.* cap. 48, 10. *Alii fugam conscisse ferebant.* cap. 49, 2. *Bellum toto orbe terrarum conscisset.* 38, 11, 8. *Eum scisse, non alia redituros Romanos.* 40, 25, 10. *Quum et venturos scisset, et educere in aciem potuisset.* 43, 5, 5. *Neque scisse futura, neque, si sint facta, probare.* Plura similia v. ad 6, 18, 10.

§. 2. *Oroandemque Cretensem,* etc. *adpellat*] Aut scribendum *appellare*, ut referatur ad *τὸ coëgerunt:* aut, quod magis placet, delendum *τὸ que.* ut sit, *relictum coëgerunt. Oroandem Cretensem, cui nota Thraciae ora erat, qui mercaturas in ea regione fecerat, appellat.* J. FR. GRON. Vide, num *que* defendi possit ex illis, quae notat Cl. Dukerus supra ad 3, 38, 2. 28, 12, 13. et 36, 31, 7.

Ut se sublatum in lembum] *Tollere*, vel *tollere in lem in navem* propriae in hac cutiones sunt. Silius 6, 50

Tollite me, Libyes, con poenaeque necisque.

Ovid. 11. Met. 441.

Me quoque tolle simul: jactabimur una.

Ita in dicto Juliae apud Ma 2. Sat. 5. *Numquam enim navi plena, tollo vectoren tollere* pro tollere in eq Liv. 22, 49, 8. *Comes ego t lere possum ac protegere lere equo* Ovid. 2. Fast. 7

Nox superest, tollamur urbemque petamus,

tollere incurrum Ovid. 3. Am. 157.

Talem te Bacchus, S clamantibus Euoe, Sustulit in currus, relicta, suos.

Vide Lambin. ad Hor. 1. 17, 61.

ac per altum Cretam petebat. Poſtquam in portu 6
navis non inventa eſt, vagatus Perseus aliquamdiu
in litore, poſtremo timens lucem jam adpropin-
quantem, in hospitium redire non ausus, in latere
templi prope angulum obscurum delituit. Pueri 7
regii apud Macedonas vocabantur principum liberi,
ad miniſterium electi regis: ea cohors, persecuta
regem fugientem, ne tum quidem abscedebat, do-
nec juſſu Cn. Octavii pronunciatum eſt per praeco-
nem, *Regios pueros Macedonasque alios, qui Samo-* 8
*thracae essent, si transirent ad Romanos, incolu-
mitatem, libertatemque et sua omnia servaturos,
quae aut secum haberent, aut in Macedonia reli-
quissent.* Ad hanc vocem transitio omnium facta 9

§. 3. *Demetrium est portus in promontorio*] Hujus etiam portus meminit Plutarchus in Paullo [pag. 268.] SIGON.

§. 5. *Jam tum, dum pecunia deferretur*] Locus videtur mendosus. Vel enim dicendum fuiſſet *dum defertur*, vel *quum deferretur*. V. ad 1, 40, 7. *jam tum quum* ut 10, 21, 14. *Jam tum, quum ipse ibi cum collega rem pariter gesserit, fuisse tantum bellum.* Praeterea non *dum defertur*, vel *quum deferretur*, sed, ut Crevierius monuit, poſtquam delata eſt.

§. 7. *Pueri regii apud Macedonas* etc.] Curtius 5, 2, 13. *Unus ex regiis pueris.* 10, 8, 3. *Pueri regiae cohortis.* Vide Freinsh. ad Curtii 6, 8, 2. et Perizon. ad Aelian. 14. Var. Hiſt. 69. Idem mos fuit apud reges Epiri. Liv. 8, 24, 12. *Sotimus minister ex regiis pueris*, nempe Alexandri Epirotae. DUK.

Ea cohors, prosecuta regem fugientem] Ita Gronovius anno 1665. nulla mutatae lectionis ratione in notis reddita, quum tamen omnes priores praeferant *persecuta*. Verum *prosequi* usurpari pro sequi, omnibus notum eſt. *persequi* autem nonnumquam pro prosequi, vel pro simplici sequi adhiberi, vidimus ad 5, 40, 4. Invitis igitur membranis antiquis nihil videtur mutandum.

§. 9. *Ion Thessalonicensis*] *Io* scribendum. edit enim *Ionis*, Plutarcho auctore in Paullo [p. 269.] τὰ δὲ παιδία συλλαβὼν αὐτὸς Ἴωνι συνεχείρισεν SIG. Si recte scribitur *Dion*, *Bion*, *Echion*, *Amphion*, *Melanion*, *Pygmalion*, et alia quamplurima, quae in genitivo *ionis* habent, alia cauſſa reddi debet, cur hic in nominativo scribendum sit *Io*. In Plinio 18. Hiſt. Nat. 31. *Ion* eſt nomen Aſtronomi in

est, nominaque dabant ad C. Postumium tribunum militum. Liberos quoque parvos regios Ion Thessalonicensis Octavio tradidit: nec quisquam, praeter Philippum, maximum natu e filiis, cum rege re-
10 lictus. Tum sese filiumque Octavio tradidit; fortunam Deosque, quorum in templo erant, nulla
11 ope supplicem juvantes, accusans. In praetoriam navem inponi jussus: eodem et pecunia, quae superfuit, delata est: extemploque classis Amphipo-
12 lim repetit. Inde Octavius regem in castra ad consulem

omnibus edd. quas vidi, excepta secunda Harduini, a qua id abest, et 34, 8. Statuarii. DUK. Casum secundum edere *Ionis* non tantum ex Plut. constat, sed etiam ex ipso Liv. 42, 58, 10. *Ionem Thessalonicensem et Timanora Dolopem iis praefecit.* Inde tamen nondum evictum est, casu recto *Io* potius, quam *Ion*, dicendum esse. Saepius quidem Latinos ultimam literam nominum propriorum, quae apud Graecos in ων exeunt, neglexisse, vidimus ad 34, 61, 10. et infra ad Epit. Liv. 55. id tamen non adeo religiose observatum est, ut omnia loca, ubi hodie contrarium obtinet, etiam invitis Mstis in hanc formam mutanda sint. Quin etiam Livius censeri posset hic Graecam terminationem *Ion* retinuisse, quia *Io* Graecis est nomen mulicbre.

§. 10. *Quorum in templo erant*] Praepositio non habetur in primo exemplari. Scribe, *quorum templum erat.* Plutarchus [pag. 267.] καὶ διαφεύγων ἐπὶ τοὺς Διοσκούρους ἱπέτευεν. J. FR. GRON. *quorum in templo* primum inveni in ed. Vascos. Et posset videri praepositio *in* elisa esse a litera finiente vocis proximae *quorum*, ut saepius factum vidimus ad 10, 13, 3. Verum ita etiam vel legendum foret *quorum in templo erat*, vel mox *nulla ope supplices juvantes.* Malo igitur cum Gronov. *quorum templum erat.* et quidem eo magis, quia Perseus eo tempore non erat *in templo*; sed, postquam per posticum aedium egressus frustra fugam tentarat, *in hospitium redire non ausus in latere templi prope angulum obscurum delituit*, ut Livius modo retulit.

§. 12. *In potestate eum esse*] Gronov. ad 2, 14, 4. hunc locum laudat, ut inlustret locutionem *esse in potestatem.* Verum omnes, quas vidi, edd. constanter praeferunt *in potestate.*

§. 1. *Et, consilio advocato*] Vascos. edidit *concilio*, quod Gryphius anno 1548. tum Basil. anno 1554. et hinc recentiores omnes adsciverunt usque ad Gronov. qui ad 44, 2, 5. *consilio*, ut priores praeferunt, legendum monuit, eamque lectionem anno 1665. adoptavit.

sulem misit, praemissis literis, ut in potestate eum esse et adduci sciret.

VII. Secundam eam Paullus, sicut erat, victo- 1
riam ratus, victimas cecidit eo nuncio; et, consilio advocato, literas praetoris quum recitasset, Q. Aemilium Tuberonem obviam regi misit: ceteros manere in praetorio frequentes jussit. Non alias 2
ad ullum spectaculum tanta multitudo obcurrit. Patrum aetate Syphax rex captus in castra Romana adductus erat: praeterquam quod nec sua, nec gentis fama comparandus, tunc quoque acces-

Q. Aemilium Tuberonem] Rupertus Epist. ad Reines. 34. pag. 194. se in altero suo libro corrupte legere testatur *Q. Aemilium Tuberonem*. Omnes tamen, quas vidi, editt. *Q. Aelium* retinent.

§. 2. *Tunc quoque accessio Punici belli fuerat*) Ocius dele verbum *fuerat*, indocti additamentum interpretis. Lib. 7, (30, 6.) *Campani, haud parva, ut arbitror, accessio bonis rebus vestris, in amicitiam veniemus vestram.* Lib. 30, (40, 3.) *Verminam etiam Syphacis filium, quae parva bene gestae rei accessio erat, devictum.* Lib. 38, (54, 10.) *Nisi et ipsius fama sepulti laceretur, et frater in super accessio invidiae mactetur.* Seneca ad Marciam cap. ult. *Nos quoque felices animas et aeternas sortiti, quum Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis et ipsi parva ruinae ingentis accessio in antiqua elementia vertemur.* Ita legendum. Valer. Max. lib. 5, 7. *Nec accessio gloriosae illius pompae, sed auctor spectatus est.* Non enim *accessor*, non *accensor*, ut volunt. Idem lib. 9, 1. *Nam Ptolemaeus accessio vitiorum suorum virit.* Sic omnes scripti alicujus numeri, non *accessione*: quasi diceret, praecipuum in Ptolemaeo non fuisse ipsum, sed vitia, quorum eum jure accessionem vel partem diceres. Nec secus dixerat noster hoc lib. cap. 26, 7. *Quae vos rabies, inquit, agitat, qui duorum hominum noxae civitatem accessionem facitis?* Non *civitatis*, ut editur. Florus lib. 3, 1. de Boccho: *ubi diffisus rebus suis, alienae cladis accessio fieri timet.* Habes et bis infra hoc lib. cap. 30. J. FR. GRONOV. Gronovio adsentitur Crevierius. Contra Nic. Heins. ad Vell. Pat. 2, 26, 3. invitis libris τὸ *fuerat* non expungendum censet, quum id tolerari posse exempla a se adlata evincant. Ita supra 31, 7, 9. *Minima accessio semper Epirus regno Macedoniae fuit, et hodie est.* Monuit etiam Cl. Dukerus, neque sibi de possessione dejiciendum videri, etsi facile crederet, hic aliquid turbatum esse. Leviora enim adhiberi posse remedia, si quis conjecturis indul-

sio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici. 3 Perseus caput belli erat: nec ipsius tantum, patris avique, quos sanguine ac genere contingebat, fama conspectum eum efficiebat, sed effulgebant Philippus ac Magnus Alexander, qui summum imperium 4 in orbe terrarum Macedonum fecerant. Pullo amictus illo Perseus ingressus est castra, nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret. progredi prae turba obcurrentium ad spectaculum non poterat, donec consul lictores mi-

gere vellet; quae variae nasci possunt. Quod vero Heinsius, si quid mutandum, scribat *utcumque accessio Punici belli fuerat*, ne id quidem necesse judico. De voce *accessio* hoc sensu praeter Heinsium loc. laud. vide etiam Gebhard. ad Livii 30, 40, 3.

§. 3. *Nec ipsius tantum, patris avique, quos sanguine ac genere contingebat*] Locum hunc corruptum esse nemo negabit, qui ad ultima verba *quos sanguine ac genere contingebat* animum adverterit: quasi vero res memoratu digna foret, Persen sanguine ac genere patrem avumque contingere. Aliquid intercidisse, ac legi posse existimat Crevierius, *patris avique, et ceterorum regum, quos sanguine*. Leviori medicina subvenit Cl. Jac. Perizonius, qui ad marginem Livii conjicit *patris avique, et quos sanguine*.

§. 4. *Pullo amictus illo Perseus ingressus est castra*] Vide, ne legendum sit: *Pullo amictu ille ingressus*, et *Perseus* tamquam glossema delendum sit. SIGON. Legendum suspicor *Pullo amictus villo*, vel *Pullo amictus filo Perseus*, id est, pulla veste amictus. Alterum tamen magis probo. Sed omnium tamen maxime *Pullo amiculo Perseus*. TURNEB. 11. Adv. 18. et 16, 20. Vetus lectio erat *Pullo amictus illo Perseus*. Turnebus legit *Pullo amictus villo*. Sigonius suspicatur *Pullo amictus ille ingressus*. Sed aliud me Hercule subest. Mirum, ni ab epitoma scribendi diffusus error, legendumque *Pullo amictis simul filio Perseus*. quasi scriptum fuerit *sl filio*. nec nimium adfirmo de verbis, de sententia scio, Livium hoc voluisse. Docent verba sequentia *nullo suorum alio comite*. non dixisset *alio*, si Perseus ingressus solus. Docet et historia. nam Perseus una cum majore filio perductus ad consulem, et inde Romam fuit. Livius post [cap. 28, 11.] *Et Persea quidem cum majore filio Philippo, traditos A. Postumio, in custodiam misit*. etc. LIPSIUS 5. Epist. Quaest. 13. Quid si legamus? *Pullo amictus solus Perseus ingressus est castra*. Locus certe mendosus est. Nec satis placet illud *pallio*, quod ab aliis substitutum est. URSIN. Scriptus *Pullo amictus illo:* unde nescio quis *pallio*. Sigonius *Pulla amictus*

siſſet, qui submovendo iter ad praetorium facerent. Consurrexit consul, et, juſſis sedere aliis, progressusque paullum, introëunti regi dextram porrexit, submittentemque se ad pedes ſuſtulit: nec adtingere genua paſſus, introductum in tabernaculum adversus advocatos in consilium considere juſſit.

VIII. Prima percontatio fuit, *qua subactus injuria contra populum Romanum bellum tam infesto animo suscepisset, quo se regnumque suum ad ultimum discrimen adduceret?* Quum, responsum

abolla. vel *Pullo amictu ille ingressus.* Turnebus quod editur, vel *filo*, vel *Pullo amicculo.* Fulvius *Pullo amictus solus Perseus.* Lipsius *Pullo amictu simul filio.* Philippo nimirum, qui, minoribus natu ab Ione traditis, apud patrem manserat, et simul cum eo sese Octavio dedidit. Cacterum quia in unico libro verba non semel fuere transposita, de quo et Sigonius queritur, veniebat in mentem: *Pullo amictus Perseus ingressus est castra; filio, nullo suorum alio comite.* J. FR. GRONOV. *Pullo amictus pallio* primum inveni in ed. Lugdun. anni 1553. hinc in Paris. anni 1573. quod reliqui servarunt usque ad Gruterum, cujus poſtuma ed. Turnebi *Pullo amictus villo* recepit. *Pulla amictus abolla* Sigonii in prima ed. Scholiorum ejus exſtat, quod poſtea ipse damnavit, altera, quam ejus nomine edidi, conjectura subſlituta. Lipsii conjecturam probat Doujatius, addita tamen vocula, quam excidiſſe putabat, hoc modo: *Pullo amictus simul filio Perseus ingressus est castra, nullo suorum alio comite, quam qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret.* Verum, praeterquam quod lectio haec nimium a vulgato recedat, alibi Livium ita vocem *simul* conſtruere non memini, ut notavi ad 1, 31, 3. Crevierius Gronovio adsentitur. Mihi non displicet conjectura Graevii ad Flori 4, 2, 45. qui legit *Pullo amictus cum filio Perseus*, modo mox pro *faceret* legatur *faciebat.* Si enim *faceret* serves, id indicare videtur, ideo nullum alium, praeter filium, comitem ipsi additum eſſe, ut hic calamitatis socius cum miserabiliorem faceret; quod Romanos quaesiſſe verisimile non eſt. At si legas *faciebat*, Livius tantum narrat, quid inde evenerit, quod solo filio comitante caſtra ingreſſus sit: nempe inde omnibus miserabiliorem visum eſſe.

Nullo suorum alio comite] Manutius legit, *nullo suorum alio, praeter Philippum filium, comite.* SIGON.

Donec consul lictores misisset] Scribe *misit.* J. FR. GRONOV.. V. ad 1, 7, 14.

§. 5. *Adversus advocatos in consilium considere jussit*] *in concilium* ed. Paris. anni 1573. et inde recentiores, donec Gro-

exspectantibus cunctis, terram intuens, diu tacitus
3 fleret, rursum consul: *Si juvenis regnum accepisses, minus equidem mirarer, ignorasse te, quam gravis aut amicus, aut inimicus esset populus Ro-*
4 *manus. nunc vero, quum et bello patris tui, quod nobiscum gessit, interfuisses, et pacis postea, quam cum summa fide adversus eum coluimus, meminisses, quod consilium, quorum et vim bello, et fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse,*
5 *quam pacem, malle?* Nec interrogatus, nec accusatus quum responderet; *Utcumque tamen haec, sive*

nov. 44, 2, 5. *in consilium* iterum vindicaret, quod etiam anno 1665. contextui reddidit. *adversus advocatos* est e regione eorum. 24, 49, 5. *Extremi prope Oceanum adversus Gades colunt.* V. ad 7, 14, 9. At secundum Val. Max. 5, 1, 8. Paullus Persen *introductum in tabernaculum lateri suo proximum in consilio sedere jussit, nec honore mensae indignum judicavit.* sive ut refert Eutrop. 4, 7. *juxta se in sella conlocavit.*

§. 4. *Bello patris tui, quod nobiscum gessit*] Apud Sallust. vulgo editur in Jugurth. 17. *Eas gentes, quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit, adtingere.* At Cortius in nonnullis Mtis invenit *quibus nobiscum bellum:* quam lectionem recte rejecit. Cauſſam tamen facti, quam reddidit, probare nequeo. Praetexit enim, eam locutionem esse contra magnitudinem aut decus populi Romani ac Romani scriptoris. Quasi vero aliquid in eo momenti foret, utrum Romani dicerent, aliquas gentes secum bellum gessisse, an se cum gentibus illis. Certe hoc loco Aemilius Paullus apud victum Perseum fatetur, patrem ejus cum Romanis bellum gessisse. Et ita mox addit, Perseum maluisse, sibi cum Romanis bellum, quam pacem, esse.

Pacis postea, quam cum summa fide adversus eum coluimus] *cum summa fide* vere Livianum est. Supra 23, 14, 7. *In societate Romana cum fide perstare.* ubi plura vide. 32, 1, 7. *Quaestiones, quas praetor cum fide curaque exercuisset, perficeret.* 40, 50, 2. *Eam deditionem oppidorum haud cum fide factam,* 43, 21, 2. *In amicitia cum fide permanserant.* Similiter *cum cura coactum agmen* 38, 18, 7. ubi plura vide. Locutio etiam Liviana est *coluimus pacem adversus eum,* quam inſtravit Gronov. 2. Obs. 20.

Et vim bello, et fidem in pace] Invitis libris vulgatum haud temere mutandum censeo. Vide tamen, num praeſtet *et vim in bello, et fidem in pace:* ut praepositio *in* priori loco elisa *sit* ab ultima litera vocis praecedentis *vim.* V. ad 10, 13, 3. Livium autem praepositionem re-

errore humano, seu casu, seu necessitate inciderunt, bonum animum habe: multorum regum, populorum casibus cognita populi Romani clementia non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis, prae- 6
bet. Haec Graeco sermone Perseo: Latine deinde suis: *Exemplum insigne cernitis*, inquit, *mutationis rerum humanarum. Vobis hoc praecipue dico, juvenes. ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec praesenti credere fortunae; quum, quid vesper ferat, incertum* 7
sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera

petere solitum esse, vidimus ad 6, 28, 6. Et quidem eadem, qua hoc loco, orationis compositione obcurrit supra 1, 45, 1. *Formatis omnibus domi et ad belli et ad pacis usus.* 3, 68, 10. *Qui vos nec in armis, nec in otio esse sinunt.* 5, 32, 4. *Praedas passim et ex Salpinati agro, et ex Volsinensi egerunt.* 7, 1, 7. *Et ab seditione, et ab bello quietis rebus.* 8, 1, 10. *Nec in fide populi Romani, nec in ditione essent.* 35, 29, 8. *Et ex fortuna pugnae, et ex ingenio ducis conjectans.* Ita etiam Auctor ad Herenn. 3, 13. *Contentio est oratio acris et ad confirmandum et ad confutandum accommodata.* Ita cod. Traject. quod et in duobus suis Mstis invenit Clariss. Jac. Gronov. quem ibi vide.

§. 5. *Non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis, praebet. Haec Graeco sermone*) Val. Max. 5, 1, 8. Paullus Perseo *dextra manu adlevavit, et Graeco sermone ad spem exhortatus est.* ubi in Pithoei codd. *Grajo sermone* reperiri, Hearne ad hunc locum monuit. Iis favere videntur Msti, quos *grato*, pro *Graeco*, praeferre alii monuerunt. *gratus* enim et *Grajus* saepissime a librariis confundi, monui olim ad Silii 6, 327. Verum rectius apud Val. Max. viri docti *Graeco* ediderunt, quibus adstipulantur duo codd. Traj. quorum prior voce auctior legit *ad spem vitae exhortatus est:* quod fere convenit verbis Livii hoc loco. Quod enim ibi *vita*, hic *salus* vocatur. Alios igitur auctores secutus est Plutarch. in Aemil. pag. 269. qui narrat, Persen, quum ad Aemilium perductus genua ejus supplex amplecteretur, acriter ab eo increpitum fuisse, Aemiliumque Perseo exprobrasse, quod turpem vitam honestae morti praetulerit. Dissensum scriptorum in hac historia notat Zonar. 9. Annal. 23.

§. 6. *Quum, quid vesper ferat, incertum sit*) Proverbium est, quo Varro usus est, unam Satyrarum inscribens, *Nescis, quid vesper serus vehat.* V. Auson. Popmam Conject. ad Varr. Satyr. p. 661. et Erasmi Adagia tit. *Incertus eventus* pag. 867.

flatu suo efferet, nec adversa infringet. Consilio dimisso, tuendi cura regis Q. Aelio mandatur. Eo die et invitatus ad consulem Perseus, et alius omnis ei honos habitus est, qui haberi in tali fortuna poterat.

IX. Exercitus deinde in hiberna dimissus est. maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquae urbes acceperunt. Hic finis belli, quum quadriennium continuum bellatum esset, inter Romanos ac Persea fuit: idemque finis incliti per Euro-

§. 7. *Consilio dimisso*] Haec antiquiorum edd. lectio est; pro quo Modius dedit *concilio*. Sed recte Gronov. ad 44, 2, 5. alterum vindicavit, et anno 1665. Livio reddidit.

§. 8. *Invitatus ad consulem Perseus*] Val. Max. 5, 1, 8. *Nec* Persen *honore mensae indignum judicavit. Invitare* igitur hic accipiendum ad coenam invitare. Supra 1, 57, 10. *Victor maritus comiter invitat regios juvenes.* 3, 14, 5. *Benigne salutare, adloqui plebis homines, domum invitare, adesse in foro.* 23, 4, 2. *Plebem adulari, salutare, benigne invitare, adparatis accipere epulis.*

§. 2. *Per Europae plerumque*] *Plerumque Europae* dixit, ut Sallust. in Jugurtha [21.] *plerumque noctis. Sed ubi plerumque noctis processit.* SIGON. Hoc nonnihil dissimile est. Nam in eo supplendum est *tempus*, hic *spatium*, aut aliud hujusmodi. Non rejicio *plerumque*; praeferrem tamen *pleraque*, vel *Europam pleramque.* Mela 1, 4. *Pleraque ejus* (Africae) *inculta.* Sallust. Jugurth. 79. *Qua tempestate Carthaginienses pleraeque Africae inperitabant.* DUK. Locutionem *plerumque noctis* illustrat Ciaccon. ad d. l. Sallustii. *Plerumque Europae* dictum, ut *medium campi, exiguum spatii* et similia, de quibus vide ad 27, 2, 9. Quod tamen Dukero placet, usitatius est.

§. 3. *Vicesimum ab Carano, qui primus regnavit, Persea numerabant*] Justin. lib. 33, [2.] *Macedonia*, inquit, *ab Carano, qui primus in ea regnavit, usque ad Perseum triginta reges habuit.* Eusebius autem quadraginta reges Macedoniae usque ad Perseum nominat; ut dubitandum non sit, quin ex notis numerorum et apud Livium, et apud Justinum menda manaverit, et utrobique *XL* legendum sit. SIGON. Contra Lud. Nonnius Comment. ad Goltzii Graec. pag. 208. testatur, se ex Justino audacter *trigesimum* rescribere. Ceterum apud Euseb. Graecum pag. 187. ed. Scal. invenio *Μακεδόνων ἐβασίλευσεν λη Περσεὺς ἔτη ι.* ubi legendum *ἐβασίλευσεν λΣ.* Nam pag. 185. refertur *Μακεδόνων ἐβασίλευσεν λη Φίλιππος ἔτη μβ.* Et Hieronymus in Eusebii Chron. Lat. p. 145. *Macedonum tricesimus*

pae plerumque atque Asiam omnem regni. Vicesimum ab Carano, qui primus regnavit, Persea numerabant. Perseus, Q. Fulvio, L. Manlio consulibus, regnum accepit: a senatu rex est adpellatus, M. Junio, A. Manlio consulibus: regnavit undecim annos. Macedonum obscura admodum fama usque ad Philippum Amyntae filium fuit: inde ac per eum crescere quum coepisset, Europae se tamen finibus continuit, Graeciam omnem et partem Thraciae atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se 3 4 5

nonus Perses ann. X. Nihilominus Doujatius exemplo Sigonii Persen *quadragesimum* Macedoniae regem ab Eusebio recenseri monet.

Regnavit undecim annos] Eum decem annis regnasse, Eusebius et Hieronymus locis modo laudatis statuunt. Secundum Livium regnum accepit Q. Fulvio, L. Manlio consulibus; qui in Fastis Capit. consules fuerunt anno V. DLXXIV. victus et captus est L. Aemilio iterum et C. Licinio consulibus, qui consulatum obtinuerunt anno DLXXXV. Livius itaque, undecim annos numerans, alterutrum tantum annum, vel quo regnum adeptus est, vel quo iterum regno excidit, computavit: de quo vide ad 42, 10, 5. At forte Eusebius neutrius eorum rationem habuit.

§. 4. *Graeciam omnem ac partem Thraciae atque Illyrici amplexa*] Sigonius in tertia editione adjecit *potentia*. Non dubium est mihi, quin tale aliquid desideretur: nam pleraque eorum, quae hic dicuntur, viribus peraguntur, non fama. 36, 32, 8. *Simul aviditate plura amplectendi hinc excedatis.* 37, 54, 25. *Graeci domesticis quondam viribus etiam imperium amplectebantur.* 39, 49, 5. *Jacentem hostes superfusi oppresserunt.* DUK. Per Sigonii ed. tertiam, intelligitur Veneta, quae eo mortuo prodiit anno 1592. in ea editum inveni *Macedonum obscura admodum fama usque ad Philippum Amyntae filium potentia fuit.* Voluisse igitur videtur, Macedonum potentiam fuisse obscura fama. Sed eam lectionem nullus praeterea adoptavit, neque ejus vestigium in prima ed. ex unico codice procurata exstat. Adscita autem vox est ex Sigonii conjectura, quod additum ad verba illa ipsius Scholium indicat. „Ex iis, quae „sequuntur, deesse mihi videtur vox *potentia*, ut sit *potentia fuit.*" Id autem Scholium posteriores editores omiserunt, quia ipsam Sigonii conjecturam ex contextu ejecere. Verum, vel sic etiam hic superesse, ex re fore existimavi. Ceterum *et partem Thraciae* omnes typis descripti ante Gruterum, qui, nescio cur, *ac partem* edidit, consentientibus omnibus recentioribus.

§. 6. *Qua terrarum ultimus finis Rubrum mare amplectitur*] Forte *ultimos fines*. Lib. 36,

in Asiam: et tredecim annis, quibus Alexander regnavit, primum omnia, qua Persarum prope inmen-
6 so spatio imperium fuerat, suae ditionis fecit. Arabas hinc Indiamque, qua terrarum ultimus finis
7 Rubrum mare amplectitur, peragravit. tum maximum in terris Macedonum regnum nomenque; inde morte Alexandri diſtractum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt, lacerantes viribus: a summo culmine fortunae ad ultimum finem centum quinquaginta annos ſtetit.

1 X. Victoriae Romanae fama quum pervasiſſet in Asiam, Antenor, qui cum claſſe lemborum ad

[17, 15.] *Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare Rubrum oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit?* Lib. 38, [60, 5.] *Imperium populi Romani propagaverit in ultimos terrarum fines.* J. FR. GRON. 42, 52, 14. *Nec ante vincere desierint, quam Rubro mari inclusis, quod vincerent, defuerit.* Error inde oriri potuit, quod *finis* quarto casu plurali scriptum fuerat. DUK. Omnino probanda videtur Gronovii conjectura: non enim terra ex opinione veterum amplectitur oceanum, sed contra oceanus amplectitur terram. Mela 1, 1. *Hujus medio terra sublimis cingitur undique mari.* Paullo poſt ibid. *Haec ergo ab ortu porrecta ad occasum, et, quia sic jacet, aliquanto, quam ubi latissima est, longior, ambitur omnis oceano.* 3, 1. *Dicta est ora nostri maris; dictae insulae, quas amplectitur. Restat ille circuitus, quem, ut initio diximus, cingit oceanus.* Vide Cic. in Somn. Scip. 6. Strab. 1. Geogr. 100. Plin. 2. II. N. 66. et Macrob. 2. ad Somn. Scip. 9. Livius autem exemplo omnium veterum per mare Rubrum sive Erythraeum intelligit oceanum Indicum. Vid. Barthol. Barrienti Annot. Silvam cap. 7. et peculiarem *τοῦ μακαρίτου* Relandi diſſert. de Mari Rubro.

§. 7. *Distractum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt, lacerantes viribus*] Velim *dum ad se quisque opes rapiunt, laceratis viribus.* Infra [c. 19, 15.] *Ambo infirmos distractis viribus et omnibus injuriis obnoxios fore.* J. FR. GRON. Cel. Burm. ad Ovid. 1. Met. 626. non sine cauſſa aegre ferens, Clericum Gronovii emendationem in contextum recepisse, verisimillima conjectura, unica tantum litera mutata, legebat *lacerantes vicibus:* quam emendationem probat egregie bellis quatuor vel quinque, inter succeſſores Alexandri Magni geſtis, quibus quasi vicibus imperium ab eo quaesitum lacerarunt. Ita *vicibus* pro per vices Manil. 2, 153.

Phanas ſtabat, Caſſandriam inde trajecit. C. Po- 2
pillius, qui ad Delum praesidio navibus Macedo-
niam petentibus erat, poſtquam debellatum in Ma-
cedonia, et ſtatione submotos hoſtium lembos au-
divit, dimiſſis et ipse Atticis navibus, ad susceptam
legationem peragendam navigare Aegyptum pergit:
ut prius obcurrere Antiocho poſſet, quam ad Ale- 3
xandreae moenia accederet. Quum praetervehe- 4
rentur Asiam legati, et Loryma veniſſent, qui por-
tus viginti paullo amplius millia ab Rhodo abeſt, ex
adverso urbi ipsi positus; principes Rhodiorum ob- 5
currunt (jam enim eo quoque victoriae fama per-

Alternant genus, et vicibus variantur in orbem.
8, 553.

Et modo deest aliud, modo adest, vicibusque recedit.
vers. 671.

Cetera nunc urguent vicibus, nunc tempora cedunt.

Juven. Sat. 7, 239. *ne turpia ludant, Et faciant vicibus.* per *vices* dixit Suet. in Calig. 22. Pari modo *vices* pro *vires* Gronov. reddidit Senecae 1. Controv. 1. Celeb. Triller. l. 3. Obs. Crit. c. 8. conjicit Livium scripſiſſe *laceratis urbibus.*

Centum quinquaginta annos] Plerique libri Juſtini 32, 2. habent *CXCII.* nonnulli, quos inter cod. Acad. Duisburg. *CLII.* quidam etiam *CL.* ut hic Livius. Si initium annorum *CXCII* ab anno primo Olympiadis *CV*, quo Philippus Amyntae filius, Alexandri Magni pater, regnare coepit, ducatur, ab eo usque ad annum primum Olymp. CLIII et captum Persen sunt integrae Olympiades XLVII. cum tribus annis Philippi et uno Persei, quae annorum *CXCII.* summa eſt. Livius initium *CL* annorum videtur duxiſſe a morte Alexandri Magni, quae in annum primum Olymp. *CXIV.* incidit, a quo usque ad finem regni Macedonici sunt anni *CLVI*, quos rotundo numero *CL* dixiſſe potuit. DUKER.

§. 1. *Cassandriam inde trajecit*] *Cassandream* edd. Sigonii. Reliquae omnes vulgatum servant. Vide ad 43, 23, 7.

§. 3. *Ad Alexandriae moenia*] *Alexandreae* edd. principes, pro quo Vascos. demum *Alexandriae* recepit; cui mutationi cauſſa fuiſſe videtur, quod cap. hoc, et cap. seq. in princ. ita in iisdem illis editionibus, quae hic et saepe alibi aliam orthographiam sequuntur, datum videret. Vide ad 31, 43, 5.

§. 5. *Orantes, ut Rhodum deveherentur*] Quid si *deverterentur? devertere* enim dicuntur, qui de cursu et itinere inſtituto deflectunt. 44, 43, 2. *Cum per-*

lata erat) orantes, *ut Rhodum deveherentur. pertinere id ad famam salutemque civitatis, noscere ipsos omnia, quae acta essent, agerenturque Rhodi, et comperta per se, non vulgata fama, Romam re-*
6 *ferre.* Diu negantes perpulerunt, ut moram navigationis brevem pro salute sociae urbis paterentur. Postquam Rhodum ventum est, in concionem quo-
7 que eos iidem precibus pertraxerunt. Adventus legatorum auxit potius timorem civitati, quam minuit: omnia enim Popillius, quae singuli universique eo bello hostiliter dixerant, fecerantque, retu-
8 lit. et, vir asper ingenio, augebat atrocitatem eorum, quae dicerentur, vultu truci et accusatoria
9 voce: ut, quum propriae simultatis nulla causa cum civitate esset, ex unius senatoris Romani acerbitate, qualis in se universi senatus animus esset,
10 conjectarent. C. Decimii moderatior oratio fuit,

paucis maxime fidis via devertit. Cic. 2. de Offic. 18. *Villicis imperavisse, ut omnia praeberentur, quicumque Laciades in villam suam devertisset.* Gellius 3, 13. *Demosthenes quum ad Platonem pergeret,* etc. *visum est paullum devertere.* Hoc etiam dici *deverti*, ostendit Nic. Heinsius ad Ovid. 2. Am. 6, 9. ubi pro eo, quod in Suet. Tib. 12. plerique libri habent, *Nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin deverteret Rhodum,* probat *deverteretur*, quod in uno scripto apud Casaub. erat; cum quo etiam alius scriptus et vet. ed. apud Burmannum consentit. Etsi autem *deverterentur* huic loco non male convenit, tamen ob id solum vulgatam scripturam Livii, in qua nihil vitii animadverto, sollicitandam non puto. DUKER.

§. 6. *In concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt*] *iidem*, nempe principes Rhodiorum. Non opus igitur, ut cum Ant. Perizonio legamus *iisdem precibus.*

§. 9. *Ut, quum propriae simultatis*] Haec multo forent clariora, si scriberetur: *ut ex uniis senatoris Romani, cui propriae simultatis nulla caussa cum civitate esset, acerbitate, qualis in se universi senatus animus esset, conjectarent.* J. FR. GRON.

§. 10. *Penes paucos concitatores vulgi*] Est imprudentium correctorum: nam vetus liber

qui, *in plerisque eorum, quae commemorata a Popillio essent, culpam non penes populum, sed penes paucos concitores vulgi esse*, dixit. *eos, ve-* 11
nalem linguam habentes, decreta plena regiae adsentationis fecisse: et eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minus puderet, quam poeniteret. Quae omnia, si tamen populo foret, in capita noxiorum versura. Cum magno ad- 12
sensu auditus est, non magis eo, quod multitudinis noxam elevabat, quam quod culpam in auctores verterat. Itaque quum principes eorum Ro- 13
manis responderent, nequaquam tamen tam grata oratio eorum fuit, qui, quae Popillius objecerat, diluere utcumque conati sunt; quam eorum, qui Decimio in auctoribus ad piaculum noxae objiciendis adsensi sunt. Decretum igitur extemplo, ut, 14
qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid, aut

habuit *concitores*, quod jam non semel nostro reddidimus. J. FR. GRONOV. Parisienses dederunt *concitatores* anno 1573. quum priores rectius legerint *concitores*. V. ad 23, 41, 2.

§. 11. *Quae omnia, si tamen populo foret, in capita noxiorum versura*] Suspicor ita legendum: *Quae omnia, si potestas populo foret.* Nam *ptas* et *tam* decepisse librarium imperitum videntur. Hanc certe vocem sententia postulat. SIGONIUS. *si potestas populo foret* Sigonii commentum: nam exemplar scriptum *si tamen populo foret.* Nec potestati locum hic video: quis enim impediret, ne esset potestas? Scribe: *Quae omnia, si is animus populo foret, in capita noxiorum versura.* Qualem nempe descripserat, dum ipsos excusat. J. FR. GRON. In literis secundae vocis latent clare satis *ea mens:* et ita scribendum censeo, quum ad sententiam hanc tantum pater concurrerit. Livius lib. 40, 34. *Mens vero ut nova et orationi conveniens esset.* Ad eandem conjecturam se quoque Perizonius delatum mihi significavit. JAC. GRON. Doujatius conjicit *si crimen populo abforet* Sed literarum ductus clamant, Jac. Gronovii conjecturam praeferendam esse: eamque etiam Crevierius probavit. Varie huic loco succurrere conatur Celeb. Triller. l. l. Non tantum enim idem, quod Jac. Gronovio et Perizonio, sibi quoque in mentem

feciſſe, convincerentur, capitis condemnarentur. Exceſſerunt urbe sub adventu Romanorum quidam, alii mortem sibi consciverunt. Legati, non ultra quam quinque dies Rhodi morati, Alexandriam proficiscuntur. Nec eo segnius judicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebantur: quam perseverantiam in exsequenda re Decimii lenitas *.

1 XI. Quum haec gererentur, Antiochus fruſtra tentatis moenibus Alexandriae abſceſſerat: ceteraque Aegypto potitus, relicto Memphi majore Ptolemaeo, cui regnum quaeri suis viribus simulabat, ut victorem mox adgrederetur, in Syriam exercitum 2 abduxit. Nec hujus voluntatis ejus ignarus Ptolemaeus, dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, poſſe se recipi Alexandreae, et sorore adjuvante, et non repugnantibus fratris ami- 3 cis, ratus; primum ad sororem, deinde ad fratrem

veniſſe monuit, verum insuper scribi poſſe *si solamen populo foret*, aut *ferrent*, vel *si tamen populo gratum foret*.

§. 14. *Excesserunt urbe sub adventu Romanorum*] Ita ed. princeps, pro quo Frob. mox anno 1535. dedit *sub adventum*: id autem obtinuit usque ad Gronov. qui anno 1665. alterum Livio reddidit, licet in notis mutatae lectionis non meminerit. Utrumque, et *sub adventu*, et *sub adventum*, recte dici, vidimus ad 2, 55, 1. quare a prima editione recedendi rationem non video.

§. 15. *Quam perseverantiam in exsequenda re Decimii lenitas*] Si sensum diligenter attendas, profecto hanc vocem exciderunt intellexeris, *Decimii lenitas afferebat*. SIGON. Doujatius supplet *Decimii lenitas efficiebat*; Crevierius *Decimii lenitas ultro accenderat*.

§. 1. *Antiochus, frustra tentatis moenibus Alexandriae, abscesserat*] Livii putem, *Antiochus, frustra tentatis moenibus, Alexandria abscesserat*. J. FR. GRON. Quod Gronovio Livianum videtur *Alexandria abscesserat*, nihil Doujatium movet, addita hac ex Themidis penetralibus petita ratione: „ qui enim *moenia* fruſtra tentaverat, is *urbe* abſceſſiſſe proprie „dici non poteſt, nisi hic valere „velimus JCtorum sententiam, „qui, licet *urbis* adpellatione em „muris finiant, *Romae* tamen,

amicosque ejus, non prius deſtitit mittere, quam pacem cum iis confirmaret. Suspectum Antiochum 4
effecerat, quod, cetera Aegypto sibi tradita, Pelusii validum relictum erat praesidium. adparebat, 5
clauſtra Aegypti teneri, ut, quum vellet, rursus exercitum induceret: bello inteſtino cum fratre eum exitum fore, ut victor, feſſus certamine, nequaquam par Antiocho futurus eſſet. Haec, prudenter 6
animadversa a majore, cum adsensu minor frater, quique cum eo erant, acceperunt: soror plurimum adjuvit, non consilio modo, sed etiam precibus. Itaque, consentientibus cunctis pace facta, Alexan- 7
dream recipitur, ne multitudine quidem adversante: quae in bello, non per obsidionem modo, sed etiam poſtquam a moenibus abceſſum eſt, quia nihil ex Aegypto subvehebatur, omnium rerum adtenuata inopia erat. His quum laetari Antiochum 8

„et sic aliarum civitatium, no„mina ad continentia aedificia „porrigant.“ Quasi vero, qui moenia urbis Alexandriae fruſtra oppugnarat, obsidione soluta, *Alexandria abscedere* dici non poſſet, quod caſtra urbi continua non fuiſſent, sed parvulo spatio inde disjuncta. Ceterum mihi etiam, sed aliam ob caussam, Gronovii emendatio displicet. In verbis enim nihil mutandum, sed, utraque tantum minori diſtinctione sublata, cum priscis edd. legendum videtur: *Antiochus frustra tentatis moenibus Alexandriae abscesserat:* quomodo etiam Crevicrius edi curavit. *abscedere moenibus*, ut *abscedere a moenibus* mox hoc cap. *Postquam a moenibus abscessum est.* et 44, 19, 11. *Abscessurus a moenibus Alexandriae.*

§. 2. *Dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet*] Legendum *quum conterritum* etc. *haberet*, vel *dum conterritum* etc. *habet*. V. ad 1, 40, 7. Mox *recipi Alexandriae*, et §. 7. *Alexandriam recipitur* primus vulgavit Vascos. quum priores ederent *Alexandreae* et *Alexandream*; quod reſtitui. Vide ad cap. praec. §. 3.

§. 4. *Cetera Aegypto sibi tradita, Pelusii validum relictum erat praesidium*] Commodius *reliquerat*. J. FR. GRON. Vide ad 23, 29, 16. Licet autem forte *reliquerat* commodius sit; Clerici tamen consilium, qui conjecturam hanc, inscio lectore,

conveniens esset, si reducendi ejus causa exercitum Aegyptum induxisset, quo specioso titulo ad omnes Asiae et Graeciae civitates, legationibus recipiendis literisque dimittendis, usus erat, adeo est obsensus, ut multo acrius infestiusque adversus duos, quam ante adversus unum, pararet bellum. 9 Cyprum extemplo classem misit: ipse, primo vere cum exercitu Aegyptum petens, in Coelen Syriam 10 processit. Circa Rhinocolura Ptolemaei legatis agentibus gratias, quod per eum regnum patrium recepisset, petentibusque, ut suum munus tueretur, et diceret potius, quid fieri vellet, quam, hostis ex 11 socio factus, vi atque armis ageret, respondit; Non

contextui inseruit, probare nequeo.

§. 5. *Ut, quum velit, rursus exercitum induceret*] Lege *vellet*. J. FR. GRON.

§. 10. *Circa Rhinocolura*] Ptolemaeus et Stephanus Ῥινοκόλουρα edunt; at Strabo Ῥινοκόλουραν. SIG. Graecis plerisque est Ῥινοκούρουρα et Ῥινοκόρουρα, quibusdam Ῥινοκόλουρα. Loca eorum habet Relandus in Palaestina. Postremum videntur probasse Latini. Nam *Rhinocolura* praeter Livium etiam Plinius 5. Hist. Nat. 13. Senec. 3. de Ira 20. et Ammian. Marcell. 22, 16. dicunt. Nec sine ratione. Vide Reland. pag. 970. DUK. V. Harduin. ad Plinii loc. laud.

§. 11. *De conditionibus peractis responsum acciperet*] Vox *peractis* Crevierio videtur esse mendosa, pro qua Livium scripsisse conjicit *delatis*. Aliquid latere mendi certum videtur, nisi forte *peractis* exponas perfectis; de quo vide Cel. Burm. ad Nason. 5. Her. 41.

§. 1. *Praeteriit, * navigantibus ostio Nili ad Pelusium, per deserta Arabiae * ad Memphim incolebant*] Loci manci et depravati haec futura fuit sententia. Loquitur de Antiocho ad subigendam Aegyptum revertente: *Navigantibus*, inquit, *ostio Nili, quod est ad Pelusium, per deserta Arabiae populi sese dediderunt. Deinde receptus ab iis, qui ad Memphim incolebant, et ab caeteris Aegyptiis partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus descendit.* Locum autem asterisco notavi. SIGON. Sensus: *postquam dies data induciis praeteriit, navigans ab ostio Nili ad Pelusium per deserta Arabiae ad Memphim, receptusque et ab caeteris Aegyptiis.* J. FR. GRON. Supplementa Sigonii Clericus recepit. At Crevierius ex conjectura fere Doujatii ita edidit: *praeter-*

aliter neque classem revocaturum, neque exercitum reducturum, nisi sibi et tota Cypro, et Pelusio, agroque, qui circa Pelusiacum ostium Nili esset, cederet: diemque praestituit, intra quam de conditionibus peractis responsum acciperet.

XII. Postquam dies data induciis praeteriit, * navigantibus ostio Nili ad Pelusium, per deserta Arabiae * ad Memphim incolebant, et ab ceteris Aegyptiis, partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus descendit. Ad Leusinem transgresso flumen, qui locus quatuor millia ab Alexandria abest, legati Romani obcurrerunt. quos quum advenientes salutasset, dextramque Po-

1 2 3 4

riit, [*praefectis maritimarum virium, quae terrestrem exercitum comitabantur,*] *navigantibus ostio Nili ad Pelusium,* [*ipse*] *per deserta Arabiae* [*ingressus Aegyptum, receptusque ab iis, qui*] *ad Memphim incolebant,* etc. Suspicatur itaque, praeter classem Syriacam, quae Cyprum supra cap. 11. missa dicitur, et infra hoc cap. a legatis Romanis dimissa e Cypro memoratur, Antiochum apud se retinuisse aliquas maritimas copias, ut simul terra, simul mari Aegyptum adgrederetur: eas autem hic intelligendas navigasse per ostium Nili ad Pelusium, dum ipse Antiochus terrestri exercitu per deserta Arabiae Aegyptum petit.

§. 3. *Ad Leusinem transgresso flumen*] Legendum suspicor *ad Eleusinem.* Sic enim vicus Aegypto vocabatur, ubi grammaticam etiam docuit Callimachus. Suidas in ejus vita: *πρὶν δὲ σνσαθῆναι τῷ βασιλεῖ, γράμματα ἐδίδασκεν ἐν Ἐλευσῖνι κωμυδρίῳ τῆς Ἀλεξανδρείας.* TURNEBUS 11. Advers. 18. Lege *ad Eleusinem* ex Strabone [17, 800.] Meminit et Athenaeus lib. 13. [p. 576.] ubi de concubinis Ptolemaei Philadelphi: *καὶ Σρατονίκην, ἧς τὸ μέγα μνημεῖον ἐπὶ τῇ πρὸς Ἐλευσῖνι Σαλάσσῃ.* HENR. VALES. Similiter ex Strabone legendum monuit Ortelius in Thes. Geogr. voce *Eleusina.*

§. 4. *Tabellas ei Popillius scriptum habentes tradit*] Cum his conferendus est Polyb Exc. Legat. num. 92. ubi inter alia refert *Πρόχειρον ἔχων τὸ δελτάριον, ἐν ᾧ τὸ ΤΗΣ ΣΥΓΚΛΗΤΟΥ ΔΟΓΜΑ κατέγεγραπτο, προύτεινεν ἄντῳ.* Conferendus etiam Val. Max. 6, 4, 3. *C. vero Popillius, a senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemaeum lacessebat, abstineret, quum ad eum venisset, atque is promto animo et amicissimo vultu dextram ei porrexisset, in vicem ei suam*

pillio porrigeret; tabellas ei Popillius scriptum habentes tradit, atque omnium primum id legere jubet: quibus perlectis, quum se consideraturum, adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset, dixisset; Popillius, pro cetera asperitate animi, virga, quam in manu gerebat, circumscripsit regem: ac, *Priusquam hoc circulo excedas,* inquit, *redde responsum, senatui quod referam.* Obstupefactus tam violento imperio parumper quum haesitasset, *Faciam,* inquit, *quod censet senatus.* Tum demum Popillius dextram regi, tamquam socio atque amico, porrexit. Die deinde finita quum excessisset Aegypto Antiochus, legati, concordia etiam auctoritate sua inter fratres firmata, inter quos vixdum convenerat, pars

porrigere noluit, sed tabellas senatusconsultum continentes tradidit. Ex utroque hoc loco Ursin. ad d. l. Polyb. librarium codicis unici errasse, et pro *scriptum* legendum esse *senatusconsultum* censuit. Firmat hanc emendationem etiam Justinus, itidem *senatusconsultum* memorans, 34, 3. *Popillius facessere interim privatam amicitiam jubet, quum mandata patriae intercedant: prolatoque senatus decreto et tradito, quum cunctari eum videret,* etc. Ursinus existimat, librarium Livii scriptum invenisse *SC* (vel potius *SCtum*) et aliud agentem inde fecisse *scriptum.* Sane in his notis saepe scribas variis modis errasse, vidimus ad 22, 10, 1.

§. 5. *Quibus perfectis*] Malim *perlectis:* nam de literis loquitur. SIGON. Scholion hoc Sigonii demum in ultima ejus editione adparuit, quae eo mortuo prodiit anno 1592. Eo vero emendat errorem typographicum in prioribus editionibus suis admissum: praeter eas enim omnes edd. recte *perlectis* praeferunt.

Virga, quam in manu gerebat] ἀμπελίνην βακτηρίαν vocat Polyb. Exc. Legat. num. 92. Ceterum quod praeter Livium Popillio etiam tribuunt Polyb. Valerius Max. Justin. loc. laud. Cicero 8. Phil. 8. Vellejus Pat. 1, 10. App. B. Syriac. 131. et Plutarch. in Apophth. 202. solus Cn. Octavio tribuit Plinius 34. Hist. Nat. 6. Sed gravissimum committit errorem, confundens legationem, quam hoc anno obiit C. Popillius, eamque, quam quinquennio postea obiit Cn. Octavius. Priorem auctores modo laudati et inter eos Cic. et Appian. Al. referunt; posterio-

pars Cyprum navigant: et inde, quae jam vicerat proelio Aegyptias naves, classem Antiochi dimittunt. Clara ea per gentes legatio fuit, quod haud 8
dubie ademta Antiocho Aegyptus habenti jam, redditumque patrium regnum stirpi Ptolemaei fuerat. Consulum ejus anni, sicut alterius clarus consula- 9
tus insigni victoria, ita alterius obscura fama, quia materiam res gerendi non habuit. Jam primum 10
quum legionibus ad conveniendum diem dixit, non auspicato templum intravit. vitio diem dictam esse augures, quum ad eos relatum est, decreverunt. Profectus in Galliam circa Macros campos ad mon- 11
tes Siciminam et Papinum stativa habuit: deinde circa eadem loca cum sociis nominis Latini hibernabat: legiones Romanae, quod vitio dies exerci- 12

rem idem App. Al. B. Syr. pag. 117. et Cic. 9. Phil. 2. aliique. Perperam igitur Harduinus Plinium loco ultimo Ciceronis aliqua ex parte erroris absolvere conatus est.

Redde responsum, senatui quod referam] Ita interpungendum monuit Jac. Perizon. ad 28, 12, 13. eamque distinctionem Jac. Gronov. recepit. Antea edebatur *Redde responsum senatui, quod referam.*

§. 7. *Pars Cyprum navigant*] Desidero, quo altera pars legationis, quae tamen trium tantum erat hominum, et caetera omnia communiter egit, abierit. Tum nihil tale Polybius Excerpt. Leg. 92. qui res in Aegypto et Cypro gestas eidem adscribit, atque utrobique *τοὺς περὶ τὸν Ποπίλλιον*, qui princeps erat legationis, memorat. Quid multa? Corrige: *inter quos vixdum convenerat pax, Cyprum navigant.* Solet non in membranis tantum, sed et ipsis lapidibus ac nummis, hoc modo *p a x s* scribi, quod quam facile in *pars* transire potuerit, quis non videt? De his fratribus supra cap. 11. *Pace facta Alexandriam recipitur* major a minore. JAC. PERIZON. Vide Gronov. Diatr. Stat. cap. 46. Mox *classem Antiocho dimittunt* ed. princeps, pro quo proxime Froben. anno 1535. *Antiochi* dedit.

§. 11. *Circa Macros campos ad montes Siciminam et Papinum*] *Macros campos* vocari totum illum tractum inter Parmam et Mutinam, certum tamen aliquem locum in his campis exstitisse in oppidi modum aedificiis exstructum, qui *Macri campi* diceretur, et circa hunc tractum inter proximas Alpium radices fuisse *Siciminam* et *Pa-*

tui ad conveniendum dicta erat, Romae manserant.
13 Et praetores, praeter C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat, in provincias iere. eum jus dicere Romae (nam eam quoque sortem habebat) inter cives et peregrinos Patres censuerant.
1 XIII. Et Popillius et ea legatio, quae missa ad

pinum montes, docuit Cluver. 1. Ital. Ant. 28, 280. Mox forte *hibernavit*, pro *hibernabat*, legendum.

§. 13. *C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat*] Hunc Sardiniam, Cn. Baebium urbanam, L. Anicium peregrinam jurisdictionem, et *si quo senatus censuisset*, sortitos fuisse 44, 17, dixit. Anicius deinde in Illyricum missus est ibid. cap. 21. nec causa dubitandi est, quin praetor urbanus eo absente utramque jurisdictionem, ut mos erat, exercuerit. Is autem erat Cn. Baebius, non C. Papirius. Cur ergo hunc potius, quam praetorem urbanum, jus inter cives et peregrinos dicere Patres censuerunt? aut quid deinde Cn. Baebio factum est? Eum in provinciam missum fuisse, et C. Papirio jurisdictionem mandasse, non probabile est, quia nec in Livio quidquam legitur, unde id colligi possit; nec ullum exemplum jurisdictionis a praetore urbano alii ob eam causam mandatae proditum scio. Suspicor Baebium, Anicio in Illyricum profecto, fato functum fuisse, et senatum post illius mortem Papirio utramque jurisdictionem decrevisse; quemadmodum, praetore urbano mortuo, utraque jurisdictio praetori peregrino decreta fuit 39, 29. Sardiniae autem etiam hoc anno probabile est imperio prorogato praefuisse P. Fontejum Capitonem, qui eam A. V. 1DLXXXIV. sortitus fuerat, 42, 15. Nec hoc anno solum, verum etiam sequenti 1DLXXXVI. quo A. Manlius Torquatus, cui ea obvenerat, ex SCto ad res capitales quaerendas in urbe retentus est, infra cap. 16. DUKER.

Nam eam quoque sortem habebat] Fateor me ignorare, quid hoc sit: suspicionem quidem meam de Cn. Baebii morte videtur evertere. E quam plurimis locis Livii constat, senatum consulibus et praetoribus provincias decrevisse, et consules ac praetores eas deinde sortitos fuisse. Vide 28, 31. 35, 41. 36, 2. 38, 42. 42, 28. 31. 43, 11. 15. 44, 17. Jurisdictiones plerumque duae sortes erant, et hoc anno fuerant, 44, 17. Sed interdum ex SCto tantum una, 25, 3. 27, 36. 35, 41. 36, 2. 37, 50. Sorti jurisdictionis peregrinae interdum nominatim provincia addebatur, ut 27, 7. et 29, 13. *Gallia*; interdum, non nominata certa provincia, *quo senatus censuisset*, 27, 22. 44, 17. at, cui sors illa evenerat, si ei in provinciam eundum esset, jurisdictionem collegae praetori urbano ex SCto mandabat, 28, 10. Sorti provinciarum etiam nonnumquam quaestiones addebantur, quas praetores, priusquam in provincias irent, extra urbem exercerent, 39, 38. 41. 40. 43. Sed nusquam alibi apud Livium legas, cum provinciis, quae extra

Antiochum erat, Romam rediit; retulit, controversias inter reges sublatas esse, exercitumque ex Aegypto in Syriam reductum. Post ipsorum regum 2
legati venerunt: Antiochi legati, referentes, *Omni victoria potiorem pacem regi, quae senatui placuisset, visam: eumque haud secus, quam Deorum*

Italiam a senatu decernebantur, V. G. Sardinia, Sicilia, et ceteris, ita conjunctam fuisse jurisdictionem, ut provincia et jurisdictio tantum una sors esset; aut ullum praetorem cum provincia extra Italiam jurisdictionem sortitum fuisse. Itaque videant doctiores, quomodo intelligendum sit, quod Papirius hic praeter Sardiniam, quae ei sorte evenerat, utriusque jurisdictionis sortem habuisse dicitur. Nam nec senatus uni praetori Sardiniam cum utraque jurisdictione decreverat, sed aliam provinciam jurisdictionem urbanam, aliam peregrinam, aliam Sardiniam esse voluerat, et ii, quos dixi, urbanam et peregrinam sortiti fuerant, Papirius Sardiniam, 44, 17. DUKER.

§. 1. *Et Popillius et ea legatio*] Fortassis *Ut Popillius et ea legatio.* Hoc autem dictum, ut notavimus superius, *Virginius et tribuni*, *Syphax et captivi.* Nam Popillius erat caput legationis. J. FR. GRON. Voculas *ut* atque *et* saepius in Mstis confundi, vidimus ad 21, 28, 8. Crevierius contra *Et Popillius* servandum censet, priusque illud *Et* non sequenti eidem particulae respondere, sed periodum hanc cum praecedente connectere: in sequentibus vero verbum *rediit*, quod plane superfluum judicat, delendum credit, hoc modo: *Et Popillius et ea legatio, quae missa ad Antiochum erat, Romam retulit, controversias* etc. *Popillius et ea legatio*, pro Popillius et ii legati, inlustrat Cortius ad Sallust. Jug. 16, 2. *Popillius et ea legatio*, sive ii legati, pro Popillius et reliqui legati, Gronov. et ego ad Liv. 3, 25, 4.

§. 2. *Legatorum Romanorum jussu paruisse*] Andabatarum more ad hunc locum digladiatur Doujatius, notans: „Legendum „videtur in dandi casu *jussis*, „vel *jusso*, vel *jussui*; nisi *pa-* „*ruisse* referas ad nomen *sena-* „*tui*, cui *paruerit Antiochus* „*jussu legatorum*, seu *juben-* „*tibus* senatus nomine *legatis.* Nisi Antecessor Parisiensis glorioso JCtorum ordine indignum censuisset, ad exemplum grammaticorum vetustas editiones consulere, didicisset, omnes omnino editiones praeferre *jussis* usque ad Gronovianam anni 1665. in qua typographorum errore *jussu* vulgatum est. Eamdem lectionem perperam recentiores servarunt, nisi quod nuper Crevierius priscum *jussis* revocarit.

§. 3. *Ad quam ope, si quid imp. foret, adfuturum regem fuisse*] Legendum puto, *ad quam summa ope.* Sic enim lib. 1, [56, 11.] *Rem summa ope faceri jubent.* Item [cap. 30, 8.] *Cum bellum utrimque summa ope pararetur.* Et lib. 26, [15, 10.] *Ad impediendam rem actam, quae summa ope appro-*

imperio, legatorum Romanorum jussis paruisse.
3 Gratulati deinde victoriam sunt, *ad quam summa*
ope, si quid imperatum foret, adfuturum regem fu-
4 *isse.* Ptolemaei legati, communi nomine regis et
5 Cleopatrae, gratias egerunt, *Plus eos senatui popu-*
loque Romano, quam parentibus suis, plus, quam
Diis inmortalibus, debere: per quos obsidione miser-
rima liberati essent, regnum patrium prope amis-
6 *sum recepissent.* Responsum ab senatu est: *An-*
tiochum recte atque ordine fecisse, quod legatis pa-
ruisset, gratumque id esse senatui populoque Ro-
7 *mano.* Regibus Aegypti, Ptolemaeo Cleopatraeque: *si quid per se boni commodique evenisset, id*

perata erat. Et Sallust. in Jugurth. [25.] *Summa ope enisum est, ne tale decretum fieret.* Et 27, [46, 8.] *Summa ope orare.* Sic alias saepe uterque. Numquam vero *ope* tantum. SIGON. Liv. 1, 23, 1. *Bellum utrimque summa ope parabatur.* 2, 2, 5. *Id summa ope tuendum esse.* 3, 35, 12. *Honorem ab se summa ope inpugnatum suppliciter petentes.* 5, 26, 1. *Patres summa ope evicerunt.* 23, 7, 4. *Summa ope Decius Magius restiterat.* 24, 4, 3. *Huic consilio ejus summa ope obstitere filiae.* 30, 7, 8. *Summa ope et ipsum reparantem bellum.* 32, 21, 30. *Summa ope petendum erat.* 38, 45, 2. *Cn. Manlium summa ope tetendisse.* Sallust. Catil. 1. *Summa ope niti decet.* cap. 38. *Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas.* ubi vide Cort. *summis opibus* dixit Liv. 38. 50, 2. *maxima ope* Sall. Jug. 14, 20. *omni ope* Liv. 8, 16, 4. ubi vide.

§. 4. *Nomine regis et Cleopatrae*] Possis suspicari *regum.* Ut et mox, *Regibus Aegypti Ptolemaeis et Cleopatrae.* nam uterque fratrum regnabat. Polybius [Exc. Leg. num. 95.] Ὅτι κατὰ τὴν Αἴγυπτον οἱ βασιλεῖς ἀπολελυμένοι τοῦ πρὸς Ἀντίοχον πολέμου, πρῶτον μὲν εἰς Ῥώμην πρεσβευτὴν ἐξέπεμψαν. Sed tamen etiam eleganter *reges Aegypti, Ptolemaeus et Cleopatra.* De quo id etiam. J. FR. GRON. Si cum Gronovio hic *regum*, et mox *Ptolemaeis* scribendum, etiam verbis praecedentibus legendum videtur *Ptolemaeorum legati.* Sed Gronovii conjecturam sibi displicere, testatur Doujatius, reddita hac caussa; quia Ptolemaeus junior in Cyrenaïca et Libya, major in tota Aegypto regnabant ex pacto, quo sancita inter fratres concordia fuerat. Utrum tamen jam eo tempore divisio illa regni inter fratres facta sit, admodum dubito. Certe, eos olim simul regnasse, colligitur ex Justin. 34, 2. Et hinc Polyb. Ex-

magnopere senatum laetari: daturumque operam, ut regni sui maximum semper praesidium positum esse in fide populi Romani ducant. Munera legatis 8
ut ex instituto mittenda curaret, C. Papirio praetori mandatum. Literae deinde Macedonia adlatae, quae 9
victoriae laetitiam geminarent: *Persea regem in potestatem consulis venisse.* Dimissis legatis, discep- 10
tatum inter Pisanos Lunensesque legatos: Pisanis querentibus, agro se a colonis Romanis pelli; Lunensibus adfirmantibus, eum, de quo agatur, a triumviris agrum sibi adsignatum esse. Senatus, 11
qui de finibus cognoscerent statuerentque, quinqueviros misit, Q. Fabium Buteonem, P. Cornelium

cerpt. Legat. num. 107. eos diu post haec tempora τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βασιλεῖς vocat. Vulgatum etiam tuetur Crevierius, et per *Ptolemaeum regem* intelligit Ptolemaeum juniorem, qui solus auxilium imploraverat Romanorum, et propter quem missa legatio a Romanis fuerat. Si autem vulgatum serves, mox *regibus Aegypti* dicetur de Ptolemaeo et Cleopatra, de quo v. ad 1, 39, 2. et Duker. ad Liv. 37, 3, 9.

§. 9. *Literae deinde Macedonia adlatae*] Sic et Justinus lib. 12, 1. *Epistolae Antipatri Macedonia ei redduntur.* Facile tamen excidere praepositio potuit. J. FR. GRONOV. Cl. Ant. Perizonius vulgatum *Macedonia adlatae* tuetur, ad marginem Livii adscriptis locis hoc lib. c. 10. *navigare Aegyptum.* et cap. 11. *exercitum Aegyptum induxisse.* Quum tamen haec pars operis Liviani ex unico cod. servata sit, facile evenire potuit, praepositionem *e* excidisse ob vocis praecedentis *deinde* literam finalem, ac legendum esse *e Macedonia adlatae.* Praeter exempla, quae notantur ad 8, 4, 12. vide supra ad 10, 43, 11. et 29, 19, 3. In loco etiam Justini, quem Gronov. laudavit, nunc vulgo editur *e Macedonia*, et viri docti in Mssis invenerunt *a Macedonia.* Mox *laetitiam geminarunt* ad marginem Livii conjicit Clariss. Jac. Perizonius.

§. 10. *Inter Pisanos Lunensesque*] Cluver. 2. Ital. Ant. 3. citat *Lucenses* et *Lucensibus.* Hoc verum puto. Nam nusquam, quod sciam, proditum est, *Lunam* hoc tempore coloniam fuisse. *Lucam* autem ante novem annos colonia civium Romanorum deducta fuerat, 41, 13. quae quod propior erat Pisis, quam Luna, facilius inter Pisanos et *Lucenses*, quam inter Pisanos et *Lunenses*, controversiae de finibus oriri poterant. DUKER. Vide ad 41, 13, 4.

§. 11. *Ti. Sempronium Mu-*

Blasionem, T. Sempronium Muscam, . Naevium
12 Balbum, C. Appulejum Saturninum. Et b Eumene
et ab Attalo et ab Athenaeo fratribus, communis
legatio de victoria gratulatum venit. E Masgabae,
regis Masiniſſae filio, Puteolis navem eg ſſo, prae-
ſto fuit, obviam miſſus cum pecunia, . Manlius
quaeſtor, qui Romam cum publico sumt perduce-
13 ret. Advenienti extemplo senatus dat s eſt. Is
adolescens ita locutus eſt, ut, quae ebus grata
erant, gratiora verbis faceret. Commem ravit, *quot*

scam] Ita primus edidit Sigonius, ex quo id hausit Pighius in Annal. ad A. V. DLXXXII. pag. 368. cum deinde secutus Gruterus ita vulgavit in ed. poſtrema, unde adoptarunt omnes recentiores. Priores praeferunt *T. Sempronium:* quod cur rejiciendum sit, nondum video. Respicienda sunt, quae notantur ad 33, 36, 5. Mox *C. Apulejum* edd. antiquiores. *C. Appulejum* dedit Sigon. Vide ad Epitom. Liv. 5.

§. 12. *Masgabae regis Masinissae filio*] De voce *Masgabas* vide Casaub. ad Suet. Aug. 98. Hunc *Masgabam* eumdem esse, quem *Massugradam*, Masiniſſae ex concubina filium, vocat Salluſtius in Jug. 108. exiſtimat Doujatius: sed Masgabam et Maſſugradam diversos, verum ambo ex concubina natos esse, ſtatuit Spon. in Miscell. p. 147. ubi Masiniſſae ſtemma plenius exhibet, quam supra illud dedit Sigonius ad 29, 31, 1. Ceterum Frobenii editio, quae passim *Masanissa* scripsit, in quinque ultimis libris, quos prima ex unico cod. vulgavit, semper dedit *Masinissa*, unde ita etiam in Mſto illo lectum fuiſſe verisimiliter efficio; de qua orthographia v. ad 24, 9, 1.

§. 13. *Pater suus in Macedoniam misit*] Scribe *misisset*. J. FR. GRON.

§. 14. *Quod rogasset eum per legatos senatus, quae ad bellum opus essent*] Ita ultima Gruteri ed. eamque secutae recentiores omnes. At priores conſtanter legunt *quae ad bellum opus esset*, quasi τὸ *quae* casu quarto accipiendum foret. Haec et similia probare videtur Cl. Perizon. ad Sanctii Minerv. 4, 13. pag. 622. et cap. 15. pag. 795. et, quemadmodum ablativus *re opus* additus regitur ab omiſſa praepositione *cum* vel *in*, ita accusativum addi poſſe putat per ellipsin praepositionis *ad* vel *propter*. Verum neutra earum addita, nec *opus esset ad quae ad bellum*, nec *opus esset propter quae ad bellum*, hic commodum sensum efficere poteſt. Potius igitur adsentior Voſſio 7. Gramm. 8. censenti, licet apud Plautum, Lucretium, et alios *opus* ἀρχαϊκῶς accusativum reciperet, numquam tamen Ciceronem et optimos ita locutos esse. Ut igitur Livium hac ſtribligine liberaret, optime Gru-

pedites equitesque, quot elephantos, quantum frumenti eo quadriennio pater suus in Macedoniam misisset. Sed duas res ei rubori fuisse: unam, quod 14
rogasset eum per legatos senatus, quae ad bellum opus essent, et non imperasset: alteram, quod pecuniam ei pro frumento misisset. Masinissam me- 15
minisse, regnum a populo Romano partum auctumque et multiplicatum habere: usu regni contentum scire, dominium et jus eorum, qui dederint, esse. Sumere itaque eosdem, non se rogare, aequum esse, 16

terum *quae ad bellum opus essent* edidisse puto. Livium autem ita loqui solere, vidimus ad 31, 9, 4.

§. 15. *Masinissam meminisse, regnum a populo Romano partum auctumque et multiplicatum habere*] Saepius pronomen *se* a Livio omitti, vidimus ad 42, 10, 15. Considerandum tamen, an non hoc loco ab ultima syllaba praecedentis *meminisse*, interceptum ac legendum sit *Masinissam meminisse, se regnum* etc. Vide ad 34, 11, 7.

§. 16. *Non se rogare, aequum esse, neque emere ea ex fructibus agri ab se dati, quae ibi proveniant*] Clariss. Perizon. ad Sanctii Minerv. 2, 12. pag. 242. monuit, reciprocum *se* in hoc orationis contextu bis positum ad diversos referri: posterius enim *se* manifeste referri ad Romanos, quos non oporteat emere aliquid ex rebus, quas ipsi dederint; prius ad Masinissam, cujus nomine instituitur oratio. Idem Perizon. ad oram editionis, qua usus est, mutata vulgari distinctione, ita interpungendum conjecit *neque emere ea, ex fructibus agri ab se dati quae ibi proveniant*. Quae distinctio si probanda est, altera substituta esse videbitur ex inperitia eorum, quibus *τὸ quae* tot vocibus postponi displicebat. At de eo vide eumdem Perizon. ad 28, 12, 13. Et sane vulgata distinctio demum adparuit in ed. Vascos. in antiquioribus nulla distinctio, neque post pronomen *ea*, neque post vocem *dati*, exstitit. Praeterea Perizon. in ora ejusdem ed. emendat *quae sibi proveniant*, et *sibi* exponit nempe Masinissae. Solent autem *τὰ sibi* et *ibi* a scribis confundi. Vide ad 26, 26, 1. Verum ita reciprocum ter repetitum priori loco ad Masinissam, secundo ad Romanos, tertio iterum ad Masinissam referendum foret; quod quin multis displiciturum sit, non dubito. Videndum igitur, an non *sibi* referri possit ad Romanos, ut Masgabas patris nomine dicat, Romanos emere non oportere, quod in re a se ipsis data etiam sibi quasi proveniat. At huic interpretationi obstat, quod Masgabas dominium quidem regni Romanis concesserit, sed patri Masinissae ejus usum vindicarit, qui inter alia in utendis fruendis fructibus consistit. Cre-

neque emere ea, ex fructibus agri al se dati quae ibi proveniant. Id Masinissae satis esse, et fore,
17 *quod populo Romano superesset. Cum iis mandatis a patre profectum postea consecutus equites, qui devictam Macedoniam nunciarent, gratulatumque senatui juberent indicare, tantae eam rem laetitiae patri suo esse, ut Romam venire velit, Jovique optimo maximo in Capitolio sacrificare, et grates agere: id, nisi molestum sit, ut ei permittatur, ab senatu petere.*

1 XIV. Responsum regulo est: *Facere patrem ejus*

vierio inficeta haec verbositas vocatur: nam *ea quae ibi proveniant* nihil aliud sonare, quam *fructus agri*: delet igitur eas voces, tamquam nugatorium interpretamentum ab oscitante librario temere additum, ac Livium dediſſe conjicit, *nec quidquam emere ex fructibus agri ab se dati*. At, Perizonii interpunctione, et emendatione cum interpretatione vel ejus, vel noſtra, admiſſa, verbositas ille evanescere videtur.

§. 17. *Gratulatumque senatui juberent indicare*] Crediderim legendum *gratularique senatui juberet et indicare*. TURNEB. 11. Advers. 18. Sensum eundem agnosco in veteri scriptura. J. FR. GRON. Recte. Sensus enim eſt, *et juberent* Masgabam *senatui gratulatum*, sive poſtquam senatui gratulatus eſſet, *indicare*, etc.

§. 1. *Ut pretium honoremque debito beneficio addat*] Forte *honoremque verborum beneficio addat*. Juſtin. 15, (1.) *Ipsius Demetrii privatum omne instrumentum ac familiam reddidit, adjecto honore verborum*. Suet. Octav. c. 66. *Si parcius aut citra honorem verborum*. J. FR. GRON. Et Livius 25, 17. 28, 4. 30, 15. et 37, 37. *debito* vix ferri poſſe videtur. Nam etsi senatus, quum Masiniſſam gratum, et favente populo Romano regnum adeptum eſſe dicit, non diſſimulat, eum Romanis debitorem beneficiorum eſſe, tamen, ut mos eſt hominibus non ruſticis, se pro beneficio habere significat, quod Masiniſſa memor eorum, quae a Romanis acceperat, eos et hoc et superioribus bellis forti fidelique opera adjuverat. *Verborum* bene quidem congruit ad sententiam, sed longius abit a *debito*, quam ut satis probabile sit, illud in hoc degeneraſſe. DUKER. Gronovii conjectura Doujatio elegantior videtur, quam ad Livii mentem accommodatior. Neceſſe autem putat, vocem *verborum* hic intelligi, sed non exprimi; et gravitate Romani senatus dignum, ac propensioni in Masinissam conveniens eſſe, si dicat, Masiniſſam non tantum agnoscere beneficium Romanorum in se, verum etiam illud pretiosius efficere et honorificentius hac com-

Masinissam, quod virum gratum bonumque facere deceat, ut pretium honoremque debito beneficio addat. Et populum Romanum ab eo, bello Punico, 2 forti fidelique opera adjutum; et illum, favente populo Romano, regnum adeptum; aequitate sua postea trium regum bellis deinceps omnibus functum officiis. Victoria vero populi Romani laetari eum re- 3 gem mirum non esse, qui sortem omnem fortunae regnique sui cum rebus Romanis inmiscuisset. Grates Diis pro populi Romani victoria apud suos penates ageret; Romae filium pro eo acturum. Gratu- 4

memoratione. Gronovii conjectura displicet etiam Crevierio, qui docet, eum *addere honorem verborum beneficio*, qui beneficio a se collato verba addit honorifica: hic vero non agi de beneficio Masinissae in Romanos, sed Romanorum in Masinissam; factum enim magnitudinis Romanae non siviſſe eos agnoscere, beneficium in se a rege quamvis potiſſimo collatum; in praecedentibus etiam dici, Masiniſſam id *facere, quod virum gratum deceat*; viri autem grati eſſe, extollere beneficium acceptum, non a se datum. Ipse contra *beneficio debito* exponit, beneficio in se Romanorum, quod ipsi debeba tur ob conſtantem in rempublicam fidem. Comiter igitur senatum elevare beneficium suum fatendo, debitum fuiſſe Masiniſſae, quidquid illi praeſtitum a populo Romano fuerat. Haec autem sententia verior videtur.

§. 2. *Aequitate sua postea trium regum bellis deinceps omnibus functum officiis*] *Aequitati* hic locum non eſſe, deprehendit Crevierius. Livium itaque scripsiſſe credit, *et illum favente populo Romano regnum adeptum ac virtute sua. Postea trium regum bellis deinceps* etc. Haec enim consentanea ipsi videntur reliquae orationi, quae tota in eo eſt, ut cum Masinissae gratulatione et modeſtia certet comitate et laudibus. Et ita de hoc loco sentiebat etiam Cl. Dukerus.

§. 3. *Qui sortem omnem fortunae regnique sui cum Romanis inmiscuisset*] Ita demum edidit Gronovius, quum omnes priores dediſſent *cum rebus Romanis*. Quum vero in notis vocis ejectae rationem nullam reddiderit, vel factae a se mutationis meminerit, nihil etiam in vulgato obfendat, non consilio, sed casu et operarum aberratione, vocem omiſſam arbitror, quam Livio reſtitui.

§. 4. *Non esse e republica populi Romani, senatum censere*] Malim *e re populi Romani*. SIGON. Similiter Doujatius. Nescio tamen, quid viros doctos permoverit, ut vulgatum mutarent. Displicere non potuit lo-

latum quoque satis suo ac patris nomine esse. Ipsum relinquere regnum, et Africa excedere, praeterquam quod illi inutile esset, non esse e republica 5 *populi Romani, senatum censere.* Petenti Masgabae, ut Hanno Hamilcaris filius obses in locum * 6 exigeret. Munera ex senatusconsulto emere regulo quaestor jussus ex centum pondo argenti, et prosequi eum Puteolos, omnemque sumtum, quoad in Italia esset, praebere, et duas naves conducere, quibus ipse comitesque regis in Africam deveherentur: 7 et comitibus omnibus, liberis servisque, vestimenta 8 data. Haud ita multo post de altero Masiniſſae filio Misagene literae adlatae sunt, *missum eum ab L. Paullo post devictum Persea in Africam cum equitibus suis; navigantem, dispersa classe in Hadriatico mari, Brundisium tribus navibus aegrum dela-* 9 *tum.* Ad eum cum iisdem muneribus, quae data Romae fratri ejus erant, L. Stertinius quaestor Brundisium missus: jussusque curare, ut aedes hospi-

Val. Max. l. 5. c. 1. [tio reguli, simul omnia, quae ad valetudinem opus essent, praeberentur; impensaeque liberaliter quum ipsi, tum toti comitatui praestarentur; naves etiam ut prospicerentur, quibus se bene ac tuto in

cutio *esse e republica*: eam enim Livio familiarem esse, editores Liviani ignorare non potuerunt. Exempla ejus supra v. ad 22, 39, 2. At forte *τὸ publica* abundare censuerunt, quum sequatur *populi Romani*. Verum latere non potuit, saepius apud Livium reperiri *publicum*, vel *respublica populi Romani*. Vel denique forte notandam censuerunt totius orationis compositionem *esse e republica populi Romani*. Sed ea etiam supra obcurrit 34, 34, 9. *Versis itaque subito voluntatibus, facere, quod e republica populi Romani sociorumque esse crederet, imperatori permiserunt.* Similiter *esse e republica nominis Latini* dixit Livius 8, 4, 12. Per omnia mecum sentit Cl. Dukerus.

§. 5. *Petenti Masgabae, ut*

Africam trajiceret. Equitibus singulae librae argenti, et quingeni sestertii dari jussi. Comitia creandis in sequentem annum consulibus habita sunt a C. Licinio consule. Creati Q. Aelius Paetus, M. Junius Pennus. Inde praetores facti Q. Cassius Longinus, M. Juventius Thalna, Ti. Claudius Nero, A. Manlius Torquatus, Cn. Fulvius Gillo, C. Licinius Nerva. Eodem anno censores Ti. Sempronius Gracchus et C. Claudius Pulcher rem diu inter se variis altercationibus agitatam tandem concordi animo decreverunt. Gracchus, quum libertini iterum iterumque in quatuor tribus urbanas redacti sese rursus per omnes effudissent, repullulans semper malum radicitus extirpare voluerat, omnesque, qui servitutem servissent, censu excludere. Nitebatur contra Claudius, et majorum instituta commemorabat, qui libertinos coërcere saepius, numquam prohibere omnino civitate tentassent. Quin etiam ab censoribus C. Flaminio, L. Aemilio aliquid ex pristina severitate laxatum esse referebat. Sane quum tunc quoque faex illa populi per omnes tribus sese divisisset, eamque redigere rursus in antiquam velut sedem necessarium videretur, nonnullis tamen ejus ordinis aliquid praecipuum concessum erat.

Comitia.

Livius infra.

Contentio inter censores de libertinis.

Liv. 9, 46. et Epit. 20.

Cic. 1. de Orat. c. 9.

Liv. infra.

Epit. Liv. 20.

Hanno Hamilcaris filius hospes in locum exigeret] Desiderantur verba nonnulla, et pro *hospes*, *obses* lego. *Petenti*, inquit, *Masgabae, ut Anno Amilcaris filius obses in locum* (cujusdam alius obsidis Carthaginiensis, cujus nomen interiit) *Romanis a Poenis mitteretur, respondit senatus, haud aequum videri, ut obsides a Carthaginiensibus arbitrio Massanisae exigeret.* Haec forte sententia futura fuit, quanquam verba nemo divinare potest: asteriscos ergo notetur locus, ut vulnus acceptum indicetur omnibus. SIGON.

§. 7. *Quibus ipse comitesque regis*] Possis *regii*, aut *reguli*. Malim *comitesque ejus*. J. FR. GRON.

§. 8. *De altero Masinissae filio Misagene*] *Musicanes* vo-

1 XV. Nam ab illis censoribus] in quatuor urbanas

catur Valerio Max. 5, 1, 1. unde Pighius in Annal. ad A. V. DCLXXIV. pag. 382. censet, in hoc nomine librarios apud alterutrum aberrasse. Quum autem *Misagenes* etiam aliquoties supra memoretur 42, 29. 62. 65. 67. et librarius Livianus ubique sibi constet, verisimilius est, librarios Valerii Max. lapsos esse, ut etiam docti ad Valer. Max. commentatores censent.

§. 1. *In quatuor urbanas tribus descripti erant libertini*] Hoc loco desiderantur comitia consularia, quibus consules creati sunt Q. Aelius Paetus et M. Junius Pennus, et praetoria, quibus praetores Q. Cassius, M. Juventius Thalna, Ti. Claudius Nero, Cn. Fulvius, C. Licinius Nerva, A. Manlius. Praeterea initiam expositionis rerum a censoribus Ti. Sempronio et C. Claudio gestarum. De quibus loquitur, cum ait: *in quatuor tribus urbanas.* Est autem intelligendum, libertinos in quatuor tribus urbanas jam inde usque a Ser. Tullio rege fuisse conjectos, auctore Dionysio [4, 226.] post autem, cum per omnes tribus dispersi essent, in easdem quatuor esse redactos a C. Flaminio, et L. Aemilio censoribus, ut est scriptum in Epitoma lib. 20. Nunc vero a Ti. Sempronio Graccho censore in unam Esquilinam urbanam referri, auctore Livio. Neque enim audiendus est ille, qui de Viris Illustr. scripsit: qui ita [c. 57.] in Graccho tradit: *Censor libertinos, qui rusticas tribus occuparant, in quatuor urbanas divisit.* SIG. Plures difficultates ex praesentis textus lectione emergunt: quarum prima est, quomodo affirmet Livius ex Claudii ore, jus suffragii censorem non posse civi cuiquam adimere, quum oppositum supra [ad 24. 18, 6.] docuerimus ex Gellio et Asconio, palam id confirmantibus. Altera vero, quo pacto dixerit Claudius, libertinis adimi suffragii jus, et qua de causa. Id enim satis obscurum videtur. Tertia, an libertini solum essent descripti in quatuor urbanis tribubus, an et aliqui in rusticis. Diluitur prima difficultas, quia *adimere suffragium* dupliciter potest considerari, uno modo pro auferre ab eo, qui jam suffragandi jus adeptus esset; alio modo esse impedimento, quo minus quis suffragii jus non adipiscatur, quum antea non habuerit. Priori modo censores jus adimere suffragandi potuisse cuicunque habenti, palam fecimus supra [d. loc.] ubi de censoriis notis loquuti sumus: nam et referendo in Caerites tabulas, et aerarium faciendo, id praestare poterant censores; sicque Gellii et Asconii dicta interpretanda. Secundo modo Livii verba intelligenda: namque Sempronius censor statuendo libertinos, qui prius non essent censi, censeri posse, si rustica praedia pluris sestertium XXX millium haberent, excludebat quoque a censu illos, quibus in praediis rusticis minus dicta summa esset; quod Claudius impugnabat, inquiens, id esse adimere libertinis singulis, non solum qui minus sestertium XXX millium, sed et eorum ordini universo, suffragii lationem, et illis, qui dictam summam non possiderent. Et ratio est, quia, qui incensi erant, suffragium ferre non poterant, quamvis civitatis Romanae jure donati essent, et in tribu descripti. Quod docuit Nic. Gruchius, inter recentiores plurimae de-

tribus descripti erant libertini, praeter eos, quibus

ctrinae vir, lib. de Comit. Rom. 2. cap. 3. et quoque ex hoc loco comprobari facile potest: et ita censores poterant adimere jus suffragii, hoc est, inhibere, quo minus quis illud consequeretur. Ex quibus etiam facile patet responsio ad secundum objectum. Quod vero ad tertium spectat, dicimus, libertinos homines non solum in quatuor tribubus urbanis descriptos fuisse, sed et in aliquibus rusticis aliquando locatos. Namque Ap. Claudium censorem anno ab Urbe condita CCCCXLI, libertinos ex quatuor urbanis in alias omnes dispersisse, testati sunt Diodorus [20, 751.] et Plutarch. in Publicola [pag. 100.] quod quum nobiles et ingenui iniquissimo animo ferrent, Q. Fabius Rullianus, novem post annos censor, iterum in quatuor urbanas redegit, unde *Maximi* nomen ab universa civitate obtinuit: quumque subsequentium censorum incuria vel conniventia id minime servatum esset, L. Aemilius Papus et C. Flaminius censores anno ab Urbe condita DXXXIII. libertinos, in rusticas tribus dispersos, in quatuor urbanas tantum revocarunt, et esse voluerunt. Postea SCto et haec series immutata: namque permissum, ut libertini, quibus filius quinquenni major esset, in rusticis censerentur. Postremo Ti. Graechus anno ab Urbe condita DCLXXXV. in solam Exquilinam tribum urbanam eos redegit, quod ex hoc Livii loco colligimus, et ex Cic. 1. de Orat. [9.] Subsequentibus vero temporibus modo per rusticas tribus libertinos descriptos, modo in urbanas redactos pro dominantium in republica libidine, utque libertinos eosdem vel amore vel odio prosequebantur, vel ut jam aliquando occasio vel necessitas expostulabant, in historia observamus. Et haec de re hac pro nunc sint satis. Illud profecto non praetermittendum, ne viri doctissimi authoritate studiosi decipiantur, haud veritati consentaneum, quod a Carolo Sigonio lib. de Jure Antiq. Civ. Rom. 2. cap. 14. scriptum est ex Livii authoritate hoc in loco, Ti. Graechum scilicet contendisse, omnes libertinos ab omnibus tribubus repellere; quod falsum esse clare convincitur ex ipsius Livii verbis, scribentis, servatum ut libertini, qui in quatuor urbanas tribus descripti erant, praeter eos, quibus ex SCto filius quinquenni major esset, ubi proximo lustro censi essent, ibi et censerentur. Nam disceptatio praesertim censorum erat circa illos, qui nondum censi erant, ut superius satis manifestum factum puto. MARC. DONATUS. Ex eo, quod paullo post dicit Livius, *hoc quum ita servatum esset*, evidens est, haec omnia ante Claudium et Graechum censores ita servata fuisse. De primo satis constat ex iis, quae ad Epit. Liv. 20. adnotata sunt. De duobus aliis unum superest testimonium hujus loci, qui, quoniam Livius in ea re exponenda paucis defungitur, obscuritate non mediocri laborat. Nam ex eo non plane liquet, utrum haec eodem tempore, quo libertini postremo in tribus urbanas redacti sunt, quod A. V. DXXXII. a L. Aemilio et C. Flaminio censoribus factum est, an ante, an denique post eorum censuram constituta fuerint. Sigonius 2. de Ant. Jur. Civ. Rom. 14. scribit, ea post hos censores ita immutata fuisse. Sed hoc nullo certo argumento probari potest. Nam quod

filius quinquenni major ex senatusconsulto esset
2 Eos, ubi proximo lustro censi essent, censeri jusse-
runt: et eos, qui praedium praediave rustica plu-

libertini ab his in quatuor tribus urbanas redacti dicuntur, id non necesse est de omnibus sine exceptione accipi; quum nihil obstet, quo minus et in eorum censura, et ante eam libertinis nonnullis aliquid beneficii a republica tribui potuerit. Praeterea si, quod Livius dicit, *libertinos in quatuor tribus urbanas descriptos* fuisse, id a L. Aemilio et C. Flaminio censoribus factum esse intelligendum est, ut recte putat Sigonius, exceptio addita aperte demonstrat, libertinos, quibus filius quinquenni major erat, ab his in tribus urbanas non descriptos fuisse. Quod si quis quaerat, in quibus tribubus ergo ab iis censi fuerint? respondebit ipse Livius, jussos fuisse censeri, *ubi proximo lustro censi essent*, id est, in aliqua e tribubus rusticis: nam praeter urbanas et rusticas aliae non erant. E quibus verbis simul patet, id jam ante hos censores aliis datum fuisse. Nam quum ea, si ad horum censuram non referuntur, nullam certi temporis notam contineant, nemo divinando adsequi potest, quodnam sit *proximum* illud, quod Livius dicit, *lustrum*. Quod ad libertinos, qui *praedia rustica pluris sestertiûm triginta millium* haberent, attinet, quia de his non idem, quod de libertinis, quibus filius quinquenni major esset, dicitur, incertius est, quando hos censendi jus factum fuerit. Nam quod Perizonius in Differt. de Lege Voconia pag. 169. id Claudio et Graccho censoribus factum scribit, parum probabile est. Primum enim verba Livii, *hoc quum ita servatum esset*, nihil eorum quae ante de libertinis dixerat ad horum censuram referri patiuntur. Deinde non valde verisimile est, Gracchum, qui primum omnes libertinos omnibus tribubus pellere decreverat, quum obtinuisset, ut omnes in unam tribum urbanam conjicerentur, in eorum numerum eos recipere voluisse, qui ante id tempus numquam censi fuerant. DUK. V. Pighium in Annal. ad A. V. DLXXXV. pag. 374.

Praeter eos, quibus filius quinquenni major ex SCto esset] Hinc Manutius de Civit. Rom. p. 19. et Gruchius 2. de Comit. Rom. 4. pag. 682. tom. 1. Antiq. Rom. recte conjiciunt, hos in tribubus rusticis, non in urbanis, censos fuisse. Credi potest, quum ante, ut alii libertini, in una e quatuor tribubus urbanis censerentur, deinde iis beneficio filii quinquennis datum fuisse, ut ex tribubus urbanis ignobilioribus in rusticas honoratiores transferrentur. Ita Cujacius ad lib. 19. D. de V. S. Ceterum Manutius et Sigonius haec ita citant: *quibus filius quinquenni major esset. ex senatusconsulto eos, ubi* etc. Hoc considerandum arbitror. Movit eos, credo, quod in vulgata scriptura aliquid ineptum esse videbatur: nam nemo *ex senatusconsulto* filium habet, aut habere dicitur. DUKERUS. Voces *ex senatusconsulto* inepte hoc loco inseri, existimat Crevierius; easque vel in anteriora rejiciebat, *ex senatusconsulto descripti erant libertini*; vel iis, quae sequuntur, adjungebat *censeri ex senatusconsulto jusserunt.*

ris sestertiùm triginta millium haberent, censendi jus factum est. Hoc quum ita servatum esset, ne- 3
gabat Claudius, *suffragii lationem injussu populi*

§. 2. *Censeri jusserunt*] Non apparet, cur Livius, tria de libertinis, quae ante Claudium et Gracchum censores obtinuerant, referens, de primo praeteriti temporis verbo dicat *descripti erant libertini*, de secundo ac tertio verbis alterius temporis *eos* etc. *censeri jusserunt*, et *eos* etc. *censendi jus factum est*; non *jusserant*, nec *factum erat*. Mallem omnia verbis ejusdem temporis efferri. DUKER.

Censendi jus factum est] Hoc est, iis datum erat, ut in tribu censeri possent, quum ante censi non fuissent. Unde consequens est, eos, qui praedia rustica minoris sestertium triginta millium haberent, tribum non habuisse, et a suffragii latione exclusos fuisse. Nam eos, quos propter praedia rustica, quae pluris sestertium triginta millium erant, censendi jus factum erat, in una e quatuor tribubus urbanis, non in tribubus rusticis, ut eos, quibus filius quinquenni major erat, censos fuisse, vere, ut puto, tradunt Manutius et Sigonius. Sed quid, si nulla quidem praedia rustica, sed urbana, verum longe pluris sestertium triginta millium possiderent? si majorem summam apud argentarios, aut in foenore positam haberent, an tamen tribum non habebant, et censu ac suffragii latione excludebantur? Ita videtur existimasse Perizonius in Triade Dissertationum Dissert. 1. p. 74. et 2. pag. 169. Vellem paullo pluribus mentem declarasset, et dubia removisset, quae, si haec illius sententia fuit, ex ea oriri possunt. Vir eruditissimus se Livio auctore scribere profitetur, *tantum* illos libertinos censendi jus factum fuisse, qui praedia rustica pluris sestertium triginta millium haberent. Sed a se addit *tantum*, quod non est in Livio. DUKERUS. Crevierius credit, hic aliquid excidisse, et sensum vix aliter constare posse, quam si legamus, *in tribubus rusticis censendi jus factum est*. Nam L. Aemilio, C. Flaminio censoribus non actum fuisse, utrum censerentur libertini, sed ubi censerentur. Bene autem eos in tribus rusticas admitti, qui praedia rustica haberent. Posse quidem in mentem venire, non contemnendas fuisse divitias illis temporibus sestertium triginta millia in praediis rusticis, quum aliquot annis post Cn. Scipionis filiae dos e publico constituta sit, teste Valer. Max. 4, 4. quadraginta millium aeris gravis, id est sedecim millium sestertium: sed facile responderi, hanc ipsam fuisse censorum mentem, ut in tribus rusticas non admitterentur, nisi ditissimi quique ex libertinis. Testatur autem vir doctus, quidquid hic affert, id non pro certo adfirmare in animo sibi esse, sed, in rebus perobscuris, tamquam non omnino improbabile se lectori expendendum permittere.

§. 3. *Negabat Claudius*, etc.] Ex hac disceptatione Claudii cum Graccho consilium Gracchi intelligitur, quod Livius in iis, quae hic interciderunt, exposuerat. Habebat nimirum in animo, omnes libertinos non modo rusticis, verum etiam urbanis tribubus pellere, et universo ordini libertinorum suffragii la-

censorem cuiquam homini, nedum ordini universo,
4 *adimere posse. Neque enim, si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quam mutare jubere tribum, ideo omnibus quinque et triginta tribubus emovere posse; id est, civitatem libertatemque eripere; non, ubi censeatur, finire, sed censu excludere.*
5 Haec inter ipsos disceptata: postremo eo descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam

tionem adimere. Id quum, contra tendente collega, consequi non posset, hoc tamen obtinuit, ut omnes libertini, et qui ante in rusticis tribubus, et qui in quatuor urbanis censebantur, in unam urbanam, in qua censerentur, et suffragium ferrent, conjicerentur. Ita hoc rectius explicant Manutius et Sigonius, quam Pighius, qui ad A. V. DCLXXXIV. scribit, Gracchum decreviſſe, quatuor urbanis tribubus omnes emovere, qui servitutem serviſſent, et quibus quinquenni major filius, praediave ruſtica pluris seſtertium triginta millium non eſſent; et tum primum in Esquilinam solam conjeciſſe, qui servitutem servisſent, et quibus quinquenni major filius, vel praedia ruſtica pluris seſtertium triginta millium non essent. Haec aliena sunt a consilio Gracchi, et ab eo, quod, quum id perficere non potuiſſet, collega concedente obtinuit. DUKER.

§. 4. *Si tribu movere posset*] Forte legendum *si possit*, id eſt, etsi poſſit. Claudius argumentatur, ex eo, quod collega possit civem tribu movere, non sequi cum omnibus quinque et triginta tribubus emovere poſſe.

Civitatem libertatemque eripere] Hoc de libertate juris Quiritium accipiendum eſſe, docent insignes JCti, Noodt 2. Observ. 21. et Heinecc. in Append. lib. 1. Antiq. Rom. ad Inſtit. Juris Civ. §. 25. Cui civitas adimebatur, retinebat libertatem juris gentium, non libertatem juris Quiritium. DUKER.

Aesquilinae sors exiit] Ita Gronov. anni 1665. edidit, et poſtea omnes, quos vidi, recentiores servarunt, praeter Doujatium et Crevierium; quorum ille cum edd. vett. *Exquilinae*, hic *Esquilinae* dederunt, quam orthographiam Gronovius alibi semper in Livio recepit. Sano in marmoribus antiquis nomen hujus tribus numquam per diphthongum, sed semper vel *ESQVIL.* vel *EXQVIL.* scribi solet. Rarissime etiam Graeci diphthongum *ai* in hoc nomine exarando adhibuerunt, licet et ipsi vario modo scribere soliti sint. Vide Dausquej. Orthogr. part. 2. pag. 126.

In ea etc. *libertinos omnes censeri*] Sigonius ad initium hujus cap. merito pronunciat, non audiendum esse Aurel. Vict. de Viris Illuſtr. c. 57. Anna Fabri ibi ei patronum advocat Ciceronem 1. de Orat. 9. Sed locum illum Manutius de Civit. Rom.

lam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, conjicerent. Esquilinae sors exiit: in ea Ti. Gracchus pronunciavit, libertinos omnes censeri placere. Magno ea res honori censoribus apud senatum fuit. gratiae actae et Sempronio, qui in bene coepto perseveraſſet; et Claudio, qui non inpediſſet. Plures, quam a superioribus, et senatu emoti sunt, et equos vendere jussi. omnes iidem ab utroque et tribu re-

et Sigon. 2. de Ant. Jur. Civ. Rom. 14. dudum aliter exposuerant. DUKER.

§. 8. *Et senatu emoti sunt, et equos vendere jussi*] De notis horum censorum scripsit etiam l. 43, [15,16.] *Septem e senatu ejecti. In equitibus recensendis tristis admodum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt.* Ut mirer admodum, ipsum quasi sui oblitum eadem hoc etiam libro, quod facere haud solitus est, iteraſſe. SIG. Non ibi solum, verum etiam 44, 16. quaedam de his rebus dixerat. Quae autem lib. 43. narrarat, poſtea lib. 44. repetiit, quia censores, poſtquam perduellionis cauſſam dixerant, censum vel inſtauraverunt, vel ante accusationem nondum absolverant: unde ibi prioribus addit, tribu eos moviſſe, et aerarium reliquiſſe ipsum illum tribunum plebis P. Rutilium, a quo sibi perduellionis dies dictus erat. Hic vero repetendi cauſſam habere potuit, ut adderet, omnes eosdem ab utroque et tribu motos, et aerarios factos, neque ullius, quem alter notaret, ab altero levatam ignominiam esse, quod antea omiserat. Id autem ut commode faceret, breviter repetiit, quae supra diſtinctius et per partes proposuerat. Si quis tamen id Livium memoriae culpa feciſſe malit, per me licet: nam et alibi similia in eo reperiuntur. Ita nomina trium virorum, qui coloniam Aquilejam deduxerunt, memoravit 39, 55. quod iterum facit 40, 34. Ceterum Doujatius mavult *senatu moti sunt*, ut Livius alibi loqui solet.

Et tribu remoti, et aerarii facti] Immo *moti*, ut l. 42, 10. l. 44, 16. et saepe alibi. J. FR. GRON. Cl. Ant. Perizonius ad marginem Livii notat, minori mutatione legi poſſe *tribu emoti*, ut paullo ante *omnibus quinque et triginta tribubus emovere posse*. Id verum eſt. Sed emendationem hanc dubiam facit, quod modo praeceſſit *senatu emoti sunt*. Quamvis enim Livium ab his vocum repetitionibus sibi non cavisse, docuerim ad 1, 3, 9. similia tamen non captanda, nec invitis libris Livio obtrudenda censeo. Vel itaque cum Gronovio *moti* lego, vel vulgatum servo. De conſtructione verbi *removere* sine praepositione v. Cel. Burm. ad Suet. Tib. 42. Mox forte legendum *notarat*, pro *notaret*. Et ita acta horum censorum recensens legiſſe videtur Pighius in Annal.

moti, et aerarii facti: neque ullius, quem alter no-
9 taret, ab altero levata ignominia. Petentibus, ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, et ad opera,

Rom. ad A. V. CLXXXIV. pag. 374.

§. 9. *Ex instituto ad sarta tecta exigenda*] Fortassis trajectis vocibus *ad sarta tecta ex instituto exigenda*. Nam in eo ordine verborum, qui nunc est, verba *ex instituto* magis ad remotiora *anni et bimensis tempus prorogaretur* referri videntur, quam ad propriora *ad sarta tecta exigenda*. Sed non erat ex instituto, ut censoribus tempus prorogaretur, ut sarta tecta exigerent, et opera, quae locarant, probarent. Multa in unico MS. e quo hic liber publicatus est, transposita esse, adnotat Gronovius ad cap. 7. DUKER.

Anni et bimensis tempus prorogaretur] Dodwell. de Cyclis Dissert. 10. §. 18. existimat, censores a pontificibus petiisse, ut annus, quo opera ab iis locata fuerant, bimestri spatio augeretur; quod quidem bimestre, si primi anni fini accessisset, etiam quinquennium lustrale auctorum fuerit: petiisse igitur, ut annus mensibus praeter modum anni solitum augeretur. Causam autem petitionis aequissimam fuisse, quod veris anni cyclique rationibus deessent ipsi illi menses, quod lustro suo additos cupiebant; nec ullum inde dispendium sentirent succedentes magistratus, qui ipsi quoque menses legitimos habituri erant. Sed, virum in arte chronologica versatissimum a vero Livii sensu aberrasse, certissimum puto. In dubium non vocabo, utrum hoc tempore, ut annus ordinationi Numae responderet, duo menses intercalares defuerint; sed potius contendo, verba *anni et bimensis tempus prorogaretur* notare non posse, *annus bimestri spatio per intercalationem augeretur:* non enim *prorogare* pro intercalare, nec *tempus anni et bimensis* pro tempus bimensis in anno ponitur. Deinde id eos a pontificibus, quibus solis cura Kalendarii et intercalationis commissa erat, non petiisse, colligi posse videtur ex Cn. Tremillii tribuni intercessione. Quum enim pontifices neque senatui, neque populo rationem reddant, teste Dion. Hal. 2. Antiq. pag. 133. etiam tribuni plebis acta ac decreta eorum intercessione impedire non potuisse, verius puto; licet forsitan a tribunis plebis ad aliquid faciendum, captis pignoribus, vel indicta multa, cogi potuerint. V. Cic. pro Dom. 45. et quae ibi viri docti notarunt. Secundum receptam lectionem sensus Livii est, censores petiisse, ut ad annuum et semestre spatium, per quod secundum legem Aemiliam censuram gerere poterant, anni et bimensis tempus adderetur, quo sarta tecta exigerent, et opera, quae locarant, probarent. Quo minus autem Dodwell. verba Livii ita accipienda esse videre potuerit, illud obstitit, quod existimaverit, post Ap. Claudium censorem legem Aemilii dictatoris de tempore censurae gerendae abrogatam fuisse, et censores iterum per quinquennium magistratum obtinuisse: ita enim illud anni et bimensis tempus in sequentium censorum magistratum excurrisset. Verum hanc ejus sententiam erroris jam supra convicimus ad 10, 47, 2. ubi

quae locassent, probanda, anni et bimensis tempus prorogaretur, Cn. Tremellius tribunus, quia lectus non erat in senatum, interceſſit. Eodem anno C. 10

vulgari de geſtae censurae tempore opinioni etiam hunc locum favere docui. Similibus fere argumentis sententiam Dodwelli refellebat Cl. Dukerus. Idem hic locus valde Crevierio suspectus est. Primo enim dubitat, an *bimensis* vox proba sit, cujus nullum alibi exemplum reperit. Deinde illud spatium anni et duorum mensium nec cum legitimo censurae spatio congruere putat; nec videt, ad quid referri possit. Credit autem, Livium dedisse *anni et VI mensium*: quod quum hoc modo scriptum esset, primo literam *V* in *B* ob affinitatem soni mutatam esse, inde vero aliquem librarium, quum reperiret *bimensium*, existimasse, se operae pretium facturum esse, si corrigeret *bimensis*. Quum igitur censores intra anni et sex mensium spatium, quo censura finiebatur, sarta tecta exigere, et opera, quae locarant, probare non potuissent, eos postulasse, ut exacto magistratu prorogaretur sibi tempus, non quo totam censurae vim tenerent, sed cum potestate essent, ad haec, quae superarant, perficienda. Digna haec sunt, quae viri docti adcuratius perpendant: nam mihi etiam postulatio, *ut anni et bimensis tempus prorogaretur* nimia videtur. Verisimile enim est, hoc praetextu eos prorogationem postulasse, ut compensarent tempus inutiliter elapsum, quum in comitiis perduellionis accusarentur: eos autem, ex quo sibi perduellionis dies dictus esset, donec judicium populi de se factum foret, nihil publici negotii gessisse, Livius tradidit 43, 16. At judicium illud perduellionis nequaquam tantum temporis duravit. A quo etiam hanc prorogationem censores postularint, utrum a senatu, an a populo, quaeri potest, quum Livius non memorarit, et simile aliud exemplum obcurrere non meminerim. Eos id a senatu postulasse, Pighius scribit ad A. V. IↃLXXXIV. pag. 374. Utrum tamen ea senatui potestas fuerit, diligentius videndum est. Forte, ut in prorogatione imperii solebat, ea de re ex senatusconsulto ad populum in comitiis agendum fuit; Tremellius autem, ne senatusconsultum fieret, interceſſit. Sed nihil definio.

Cn. Tremellius tribunus] Ita constanter omnes edd. Pighius tamen in Annal. ad A. V. IↃLXXXV. pag. 381. et passim alibi, eum vocat *C. Tremellium Flaccum*. Quem etiam *Cn. Tremellium* supra memoratum 30, 26, 11. *C. Tremellium* vocasse, vidimus. Memoratur quidem *C. Tremellius* inter decemviros, qui agrum Liguſtinum et Gallicum bello captum viritim diviserunt 42, 4. At quis illum eumdem, qui hic memoretur, esse praestare potest? Ut autem fuerit, cur hic potius locus ex illo, quam ille ex hoc emendandus est? Accedit, *Cnaei* praenomen in gente Tremellia familiare esse. Praeter *Cn. Tremellium* modo memoratum, alius *Cn. Tremellius* obcurrit infra Epit. Liv. 47. *Cn. Tremellius Scrofa* apud Varr. 1. de Re ruſt. 2.

Quia lectus non erat in senatum] Hoc loco sententiam suam confirmant, qui putant, tribunos plebis tum nondum jure magistratus senatores fuisse,

Cicerejus aedem in monte Albano dedicavit quinquennio post, quam vovit. Flamen Martialis inauguratus est eo anno L. Postumius Albinus.

1 XVI. Q. Aelio, M. Junio consulibus de provinciis referentibus, censuere Patres, duas provincias Hispaniam rursus fieri, quae una per bellum Mace-

sine lectione censorum, idque iis demum A. V. IↃCXXIII. plebiscito Atinio concessum. Sed de sententia hujus plebisciti, quod Gellius 14, 8. memorat, parum convenit inter doctos. De eo egerunt Manutius de Legib. cap. 5. Sigonius 2. de Ant. Jur. Civ. Rom. 2. Ant. Augustin. de Legibus, Zamosc. 1. de Senatu Rom. 9. Lipsius 2. Elect. 13. et Torrent. ad Suet. Aug. 10. DUK.

§. 10. *C. Cicerejus aedem in monte Albano dedicavit, quinquennio post, quam vovit*] Sic 42, [7, 1.] *C. Cicerejus praetor in Corsica signis collatis pugnavit. Voverat in ea pugna praetor aedem Junoni Monetae.* SIG. Quum Livius, aedis sacrae dedicationem referens, addere soleat, cui dedicata sit, ex loco autem Livii a Sigonio laudato constet, Ciceremum eam vovisse Junoni Monetae, vocem ob similitudinem sequentis hinc excidisse, ac legendum videri potest *aedem Monetae in monte Albano.*

Flamen Martialis] In locum P. Quintilii Vari, quem anno priore mortuum scripsit 44, 18. DUKER.

§. 2. *Et statum alium ejus regni*] Potius *eorum regnorum*, vel *utriusque regni.* Nam de Macedonico et Illyrio loquitur. J. FR. GRON. Quae praemittuntur verba, sub Sigonii nomine prostant in ed. Jac. Gronovii, eoque titulo laudantur a Doujatio, Hearnio, et Crevierio: sed ex prioribus edd. J. Fr. Gronovii esse constat; cui propterea restitui. Doujatius vulgatum defendi posse, et de solo Macedoniae regno intelligendum esse existimat, et quidem hoc colore; quod majoris erat dignationis, et de ejus praesertim statu per legatos ordinando agebatur. Verum, cui haec excidere potuerunt, cum adtente ne perlegisse quidem verba Livii adparet. Ita enim Livius narrabit, decretum fuisse, ut L. Paullus Macedoniam, L. Anicius Illyricum obtinerent, donec iidem illi statum Macedoniae composuissent. Hinc consequens foret, L. Anicium, qui propraetor Illyrico praefuit, L. Paullum in componendo statu Macedoniae juvisse: quod falsum est. Aequo enim per se statum Illyrici componit L. Anicius infra cap. 26. ac L. Paullus statum Macedoniae c. 29. et aeque quinque legati in Illyricum, ac decem in Macedoniam decreti sunt, *quorum de sententia imperatores L. Paullus, L. Anicius componerent res*, ut Livius narrat cap. seq. Recte igitur Gronov. emendat *utriusque regni:* illa enim conjectura propius ad vulgatum accedit, quam altera *eorum regnorum.*

§. 3. *Cum binis legionibus peditum, et equitum quadringentenis*] Ita prima editio, eamque

donicum fuerat: et Macedoniam Illyricumque eos- 2
dem, L. Paullum et L. Anicium, obtinere, donec de
sententia legatorum et res bello turbatas, et ſtatum
alium ejus regni formando compoſuiſſent. Consu- 3
libus Pisae et Gallia decretae cum binis legionibus
peditum, et equitum quadringentenis. Praetorum

secutae omnes praeferunt: et nihilominus locus de menda suspectus eſt non unam ob causam. Primo enim *legionem peditum*, quum legio pedites et equites continere soleat, alibi memorari non memini. Deinde displicet locutio *equitum quadringentenis* pro equitibus quadringentenis. Denique ipsa vox *quadringenteni* proba eſſe non videtur. Priscianus quidem de Ponder. pag. 1353. *ducenteni*, *trecenteni*, *quadringenteni*, et ita porro alia vocabula formata agnoscit, pro quibus *duceni*, *treceni*, *quadringeni* per syncopen dicitur; at contra Laurent. Valla 3. de Elegant. 5. erroris accusat, qui vocibus *ducenteni*, *trecenteni*, *quadringenteni* utuntur. Et sane pleraque loca veterum, quae vindicandis his vocibus producuntur, vel codicum auctoritate, vel aliam ob cauſſam, aliter legenda sunt. Ita apud Cic. editur lib. 5. in Verr. 25. *Certum pretium sexcentenos nummos nautarum missioni constituere.* sed, ut viri docti docent, cod. Cujacii legit *sescenos*, unde *sexcenos* legendum eſſe patet. Apud Colum. 3, 5. nunc vulgo exſtat: *In singulis ordinibus sexcenteni malleoli pangendi sunt.* at cod. Sangerm. praefert *septeni*; unde patet, veram eſſe priscarum edd. lectionem *sexceni*. cap. 9. *Sexcentenas urnas priscis cultoribus, singula vinearum jugera fudisse.* Hic etiam *septenas urnas* cod. Sangerm. et edd. vett. at *sexenas* excerpta Politiani, *sexcenas* cod. Lipsiens. quod omnino verum eſt. lib. 5, 2. *Hoc sexies ducendum est, quoniam sex latera sunt, quae consummata efficiunt duo millia, trecenteni et quadraginta.* Ita nuperrimae edd. nec aliter antiquiores, nisi quod corruptius praeferant *tricenteni*. Licet autem nihil variationis ex cod. Sangerm. in excerptis meis reperiam, locum tamen mendosum eſſe sponte patet. Nam *trecenteni* scilicet pedes, pendet ex verbo proximo *efficiunt*: sed ita dicendum erat *trecentenos*. At insuper, cur numerus distributivus *trecenteni* hic medius adhibeatur inter duos cardinales *duo millia* et *quadraginta*, ratio reddenda eſt illis, qui vulgatum ferre potuerunt. Omnino per notas olim scriptum fuiſſe videtur *efficiunt* ↀ ↀ *CCC et XL.* quod deinde inepte redditum eſt illis vocibus, quae nunc vulgo exſtant, quum reddi debuiſſet *efficiunt duo millia trecentos et quadraginta.* Plinius 8. Hiſt. Nat. 43. *Notum est in Celtiberia singulas quadringentena millia nummorum enixas.* Ita emendavit Salmas. ad Solin. pag. 239. et Harduinus in contextum recepit, teſtatus ita duos codd. praeferre, quum vulgo ederetur *quadragenis millibus.* At lectio *quadringentena* ex juncta duplici *quadringenta, ena*, sive *quadringenta, quadringena* na-

sortes fuere, Q. Caſſii urbana, M. Juventii Thalnae inter peregrinos, Ti. Claudii Neronis Sicilia, Cn. Fulvii Hispania citerior, C. Licinii Ner-
4 vae ulterior. A. Manlio Torquato Sardinia obvenerat. nequiit ire in provinciam, ad res capitales

ta videtur. Utrum autem eorum mavis, ferri poteſt. Accedit, *ducenteni*, *trecenteni* et similia plerumque tantum in pejoris notae codd. obcurrere, ubi meliores cum vulgatis edd. *duceni*, *treceni* praeferunt. V. ad 32, 29, 4. et 40, 18, 5. quorum priori loco *trecentenae* in contextum recepit Crevierius, qui tamen hoc loco *quadringeni*, quam *quadringenteni*, multo usitatius eſſe judicat, et hinc prius poſteriori subſtituendum censet. V. igitur, num legendum sit *cum binis legionibus IↃↃ*, vel *V ↀ peditum et equitum trecenorum*; quod reddendum eſt *quinum millium peditum*. Notae numerales, utpote librariis inperitis minus notae, facile potuerunt excidere; ut in his ipsis accidiſſe vidimus supra 32, 28, 11. interdum easdem mutarunt in *vel*. V. ad 23, 46, 4. *trecenorum* emendavi, quia trecenti fere equites legioni addebantur: si quis tamen *quadringenorum* malit, habebit quo se tueri poterit. V. ad 22, 36, 3. Ob similes ferme cauſſas locum hunc etiam Clariſſ. Crevierius suspectum habuit, qui emendandum conjecit, *cum binis legionibus quina millia peditum et ducenos habentibus*, *equites trecenos*, ut Livius locutus eſt 44, 21. Posses etiam censere, numerum sociorum excidiſſe, et hinc legendum, *cum binis legionibus [IↃↃ] peditum et equitum [trecenorum, sociûm nominis Latini CCIↃↃ peditum et equitibus IↃ] CCCC*, sive *cum binis legionibus quinûm millium peditum et equitum trecenorum, sociûm nominis Latini denis millibus peditum et equitibus nongenis*. Ita voces additae exciderint culpa librarii, partim quod notas numerales non intelligeret, partim ob vocum *peditum et equitum* repetitionem.

M. Juvencii Thalnae] *M. Juventii Talvae* edd. principes, pro quo Curio *M. Juvencii Talvae* dedit. Id autem obtinuit usque ad Sigon. qui recte edidit *M. Juventii Thalnae*. Nullus tamen ei dicto audiens fuit. Proximi enim priorem lectionem servarunt. Gruterus deinde in prioribus edd. dedit *Talnae*, in poſtrema *M. Juvencii Thalnae*, ut ex eo tempore semper vulgatum eſt. *Juventii* igitur ex sententia Sigonii nunc demum reſtitui. V. ad 43, 8, 2. Praenomen *M.* male retinuit Pighius in Ann. ad A. V. IↃLXXXVI. pag. 383.

§. 5. *Aedes Deorum Penatium in Velia*] In fragmento altero Actorum diurnorum scriptum eſt, Murenam consulem sacrum *ad Castoris* feciſſe Diis Penatibus. Dodwellus in Append. Praelect. Camden. p. 694. multa congeſſit de Diis Penatibus, et magno conatu oſtendere nisus eſt, inter Acta illa et scriptores veteres, qui aedem Deorum Penatium *in Velia* fuiſſe tradunt, bene convenire. Donatus 3. de Urbe Rom. 3. et Nardinus 5. Romae vet. 4. de ea agentes non videntur notitiam praeclari hu-

quaerendas ex senatusconsulto retentus. De prodigiis deinde nunciatis senatus est consultus. Aedes Deorum Penatium in Velia de coelo tacta erat: et in oppido Minervio duae portae et muri aliquantum. Anagniae terra pluerat; et Lanuvii fax in 5

jus monumenti habuisse. Hoc eos labore non exiguo liberavit. DUKER.

In oppido Minervio duae portae et muri aliquantum de coelo tactum] Partem quandam Romae mihi videtur intelligere, in qua templum Minervae erat, quod *Minervium* dicebatur, ut *Dianium*. Varro lib. 4. de Ling. Lat. [14.] *Ceroliensis quarticeps circa Minervium*. Sed et *Athenas* in Italia collocat quasdam Stephanus: quod vocabulum Latinis auribus *Minervium* explicat. Erat et in Campania *Athenaeum*, promontorium Minervae sacrum, ad verbum *Minervium:* cum templo autem aliquid etiam oppidi erat. Non enim sine tectis aliis solum desertum que, ut opinor, Minervae delubrum procul ab hominum coetu exsulabat. De his igitur *Minerviis* melius fuerit intelligere. TURNEBUS 16. Advers. 20. Aliter, quam Turnebus, de his existimat Scaliger Append. ad Conjectan. [pag. 185.] scribitque *oppido Minervii*. Sed errant ambo. Est enim *Minervium* oppidum cujus meminit Vellej. 1, 15. Ortelius et Cluverius ne attingunt quidem. J. FR. GRONOV. Cellarius 2. Geogr. Antiq. 9. in Calabria ponit. DUK. Quo sensu Scaliger in Livio hic legendum conjicit *in oppido Minervii duae portae*, perspicue non addit. Quum tamen eo loco id agat, ut doceat, quotiescumque *oppidi*, nullo praeterea addito, apud historicos Romanos mentio fiat, Romam antiquam vel quadratam intelligendam esse, existimasse videtur, duas portas Minervii, sive templi Minervae, in oppido et aliquantum muri ejusdem templi de coelo tactum fuisse. Verum id indicaturus Livius potius, opinor, dixisset, *in oppido Minervii duae fores*, vel *valvae, et parietis aliquantum de coelo tactum*. Et tamen, nisi *oppidum* de Roma antiqua capias, quo sensu interdum capi monui ad 42, 20, 3. non video, qua ratione cum Livio in concordiam redigi queat Jul. Obseq. qui, sua ex Livio haurire solitus, et tantum non ejus verbis describere, prodigia hujus anni ita proponit cap. 70. *Romae aliquot loca sacra profanaque coelo tacta*. Livius enim unicum tantum locum sacrum, *aedem Deorum Penatium in Velia*, nullum vero profanum Romae tactum memorat. Quid igitur, si legamus *et in oppido Minervae*, scilicet aedes, vel potius *et in oppido Minervium, duae portae, et muri aliquantum?* Ita recte Jul. Obsequens, haec per compendium referens, *Romae aliquot loca sacra profanaque coelo tacta* dicet. *Minervium* autem pro templo Minervae est apud Varr. loco a Turnebo laudato. Quum autem Roma antiqua Romuli condita fuerit in monte Palatino, et ita ad x. regionem urbis pertinuerit, hinc per aedem Minervae sive *Minervium in oppido* intelligendum erit *delubrum Minervae*, a P. Victore in x. urbis

coelo visa erat; et Calatiae in publico agro M. Valerius civis Romanus nunciabat e foco suo sanguinem per triduum et duas noctes manasse. Ob id maxime decemviri libros adire jussi, supplicationem in diem unum populo edixerunt, et quinquaginta capris in foro sacrificarunt. et aliorum prodigiorum caussa diem alterum supplicatio circa omnia pulvinaria fuit, et hostiis majoribus sacrificatum est, et urbs lustrata. Inde, quod ad honorem Deùm immortalium pertineret, decrevit senatus, *Ut, quoniam perduelles superati, Perseus et Gentius reges*

regione memoratum, de quo vide Nardin. 6. Rom. Vet. 14.

Lanuvii fax in coelo visa erat] Jul. Obseq. de Prodig. cap. 70. *Lavinii fax ardens in coelo visa.* ubi *Lanuvii* ex hoc loco Livii legendum esse, viri docti monuerunt.

Calatiae in publico agro] Ultima Gruteri ed. operarum errore praefert *Clariae*, quod Elzevir. Heinsii, aliaeque servarunt, sed Gronov. in priori ed. notarum emendavit.

E foco suo sanguinem per triduum et duas noctes manasse] Ita recte ultima Gruteri editio. priores legunt *sanguine.* Jul. Obseq. de Prodig. cap. 70. *Calatiae in agro publico per triduum et duas noctes sanguis manavit.*

§. 8. *Quanta dona, App. Claudio, M. Sempronio*] Hi A. V. IDLXVIII. consules fuerant. dona A. V. IDLXII. vota. 36, 2. Antiochus anno sequenti a L. Cornelio Scipione victus. DUKER.

§. 1. *Decem in Macedoniam*] At nominat modo novem, praetermisso uno, quum in Illyricum omnes quinque appellet; ut omnino unus ille interciderit. Qui quis fuerit, haud liquide dixerim. Multa tamen me adducunt, ut suspicer de Q. Marcio. JAC. GRON. Vide ad verba sequentia.

§. 2. *In Macedoniam sunt hi nominati, A. Postumius Luscus*] Pighius in Annal. ad A. V. IDLXXIIII. pag. 333. cognomen *Luscus* a Postumiis prorsus peregrinum videri adfirmat. Idem in Ann. ad A. V. IDLXVIII. pag. 308. locum corruptum, et *Lusci* praenomen ac gentilitium nomen *T. Annius* librariorum neglegentia periisse existimat, et hinc scribendum *A. Postumius, T. Annius Luscus.* Ad ita censendum eo magis inductus fuisse videtur, ut haberet decimi legati in Macedoniam nomen, quod somniculosi scribae inertia intercidit. Verum non adtendisse videtur ad sequentia Livii verba *ambo censorii*, quae conjecturam ejus evertunt. Nam, praeterquam quod ea admissa tres, non duo, censorii forent, certum etiam est, T. Annium

cum Macedonia atque Illyrico in potestate populi Romani essent, ut, quanta dona, Ap. Claudio, M. Sempronio consulibus, ob devictum Antiochum regem data ad omnia pulvinaria essent, tanta Q. Cassius et M. Juventius praetores curarent danda. 8

XVII. Legatos deinde, quorum de sententia imperatores L. Paullus, L. Anicius componerent res, decreverunt decem in Macedoniam, quinque in Illyricum. In Macedoniam sunt hi nominati, A. Postumius Luscus, C. Claudius, ambo censorii, C. Licinius Crassus, collega in consulatu Paulli; tum 1 2

Luscum censuram non gessisse. Iosuper, verius esse, Postumium hunc *Lusci* cognomen, vel potius agnomen habuisse, ejus tamen posteros, si quos reliquit, eo non usos esse, docui ad 40, 35, 1. Cl. Jac. Gronovius, qui etiam decimi legati nomen excidisse deprehendit, inter eos fuisse Q. Marcium suspicatur. Licet autem, in genere dixisse satis habens, multa se adducere, ut ita suspicetur, fundamenta, quibus conjectura haec nititur, non indicarit, attamen unum eorum fuisse videtur, quia ante Aemilium Paullum in Macedonia bellum gessit; alterum, quia Livius, post duos censorios unius Licinii mentione facta, addit, *His consularibus addidere*; unde alterius consularis nomen excidisse verisimile credebat: Marcio autem iterum consuli Macedonia obvenit, supra 43, 11. 15. Verum si consularis, et quidem, qui in consulatu Macedoniam provinciam sortitus est, nomen excidisse placet, videri etiam posset, librarios omisisse voces *P. Licinius Crassus*, quem consulem Macedoniam obtinuisse constat ex Liv. 42, 28. 32. et ita ratio, cur mentio ejus vel ante vel post Licinium Crassum excidisset, foret utriusque nominis similitudo. Sed, P. Licinium inter legatos in Macedoniam non fuisse, inde constat, quod hoc eodem tempore cum aliis legatis in Asiam missus sit, ad finiendum bellum inter Gallos et regem Eumenem. Vide Liv. infra cap. 34. et Polyb. Exc. legat. 93. Quin etiam, utrum consularis nomen inter legatos omissum sit, incertum est. Voces enim *His consularibus* aeque respicere possunt censorios ambos, qui simul consulares erant, ac C. Licinium Crassum. Et hinc, utrum Q. Marcii nomen addendum sit, dubitare audeo.

Tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat] Donec successor veniret. Nam consulibus statim inito magistratu Pisae et Gallia provinciae decretae fuerant, cap. 16. et Licinius, inter decem legatos in Macedoniam nominatus, quum ei Q. Aelius consul succederet, hoc anno in Macedoniam profectus est. DUKER.

prorogato imperio provinciam Galliam habebat.
3 His consularibus addidere Cn. Domitium Ahenobarbum, Ser. Cornelium Sullam, L. Junium, C. Antistium Labeonem, T. Numisium Tarquiniensem,
4 A. Terentium Varronem. In Illyricum autem hi nominati, P. Aelius Ligus consularis, C. Cicerejus, et Cn. Baebius Tamphilus, (hic priore anno, Cicerejus multis ante annis praetor fuerat) P. Terentius
5 Tusciveicanus, P. Manilius. Moniti deinde consules a Patribus, ut, quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret, primo quoque tempore provincias aut compararent inter se, aut sortirentur, sortiti
6 sunt. M. Junio Pisae obvenerunt, (quem prius, quam in provinciam iret, legationes, quae undique Romam gratulatum convenerunt, introducere in se-
7 natum placuit) Q. Aelio Gallia. Ceterum quamquam tales viri mitterentur, quorum de consilio sperari

§. 3. *Cn. Domitium Aenobarbum*] *Ahenobarbum* scribendum esse, saepius Sigonius monuit. V. ad 34, 42, 4.

Ser. Cornelium Sullam] Ed. prima *Serg. Cornelium Syllam*: sed recte mox Frob. anno 1535. *Serg.* emendavit in *Ser.* V. ad 5, 29, 2. postea *Syllam* in *Sullam* Sigonius, quem v. ad 25, 2, 5. et inprimis Cort. ad Sall. Catil. 5.

§. 5. *Sortiti sunt. M. Junio Pisae*] Potest tolerari. Amat tamen Livius alibi: *Sortitis M. Junio Pisae obvenerunt*, etc. *Q. Aelio Gallia.* J. FR. GRONOV. Quum verbum *sunt* unica litera *s* scribi soleat, librarii nullo negotio ex *sortitis* facere potuerunt *sortiti s*, seu *sortiti sunt*, praesertim quo tempore voces continua serie scribi solebant. Exempla vide ad 1, 15, 5. 6, 2, 1. 10, 21, 4. c. 46, 3. 25, 13, 7. quemadmodum etiam contra *to sunt*, sive ejus notam *s*, junxerunt voci praecedenti. V. ad 2, 62, 3. 3, 7, 7. 7, 37, 2. 27, 15, 2. Similiter verbum *est* scribebatur unica litera *e*: hinc librarii vel eam voci praecedenti addiderunt; vel ex litera finali *e* fecerunt *est*. V. ad 9, 8, 13. De similibus tamen conjecturis v. ad 3, 22, 3.

§. 6. *Romam gratulatum convenerunt*] Cur non *convenerant*? DUKER.

posset, imperatores nihil indignum nec clementia nec gravitate populi Romani decreturos esse, tamen in senatu quoque agitata est summa consiliorum, ut inchoata omnia legati ab domo ferre ad imperatores possent.

XVIII. *Omnium primum liberos esse* placebat 1 *Macedonas atque Illyrios, ut omnibus gentibus adpareret, arma populi Romani non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem adferre; ut et in* 2 *libertate gentes quae essent, tutam eam sibi perpetuamque sub tutela populi Romani esse, et, quae sub regibus viverent, et in praesens tempus mitiores eos justioresque respectu populi Romani habere se, et, si quando bellum cum populo Romano regibus fuisset suis, exitum ejus victoriam Romanis, sibi libertatem adlaturum crederent. Metalli quoque Ma-* 3 *cedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque praediorum rusticorum tolli* placebat. *nam neque* 4

§. 2. *Tutam eam sibi perpetuamque sub tutela esse*] Videtur legendum *sub tutela populi Romani esse*; sicut dixit *arma populi Romani*, et *respectu populi Romani*. SIGON.

§. 3. *Metalli Macedonici*] Si hi genitivi, itidem ut sequentes, a subst antivo *locationes* pendent, quod puto, copula *que* importuno loco poni, et post *praediorum* removenda videtur. Nec sperni posset *praediorumque rusticorum locationes*. Quae hic *praedia rustica* dicat Livius, non scio. Nam Romanos nec praedia regia inculta ac deserta relinqui, nec privatis praediorum suorum locatione interdicere voluisse, probabile est. Agros Philippi et Persae in Macedonia deinde a censoribus locatos fuisse, scribit Cic. 2. Agrar. 19. DUK. Clariss. Crevierius *praedia rustica* intelligi debere conjicit, praedia, quae proprium essent regum Macedonicorum patrimonium: quae, quum locarentur a regibus, a Romanis vel venduntur, vel donantur.

§. 4. *Ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse*] Hujus loci, ab iis, qui de vectigalibus populi Romani scripserunt, non explicati sententia mihi satis obscura est, nec ausim affirmare, me eam recte percipere. Dicam tamen, quid mihi de eo videatur, ut, si quid aber-

sine publicano exerceri posse; et, ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis
5 *nullam esse. Ne ipsos quidem Macedonas idem exercere posse. ubi in medio praeda administrantibus esset, ibi numquam caussas seditionum et certami-*
6 *nis defore. Commune concilium gentis esset, ne in-*

ro, meliora, qui possint, doceant. *Jus publicum* variis modis dici, notum est. Interdum est, quod Justinianus §. 1. Instit. de Just. et Jur. *privatum jus* vocat, id est, quo de rebus ad singulorum rem privatam et familiarem pertinentibus, publica auctoritate legibus constituto, omnes cives communiter utuntur, quodque magistratus omnibus aequaliter impertiri debent. Hoc sensu *jus publicum* a Terentio Phorm. 2, 5, 65. et Sueton. Aug. 10. et Tib. 50. dici, multi adnotarunt. Sed et *jus publicum* proprie est, quod ad statum publicum civitatis atque imperii pertinet, de quo loquitur Cicero 1. de Orat. 46. *Publica quoque jura, quae sunt propria civitatis atque imperii, tum monumenta rerum gestarum, et vetustatis exempla oratori nota esse debere.* Ibid. *Antiquitatis monumenta, publici juris auctoritas.* cap. 61. *Historiam dico, et prudentiam juris publici, et antiquitatis iter, et exemplorum copiam.* et in Bruto cap. 77. *Cum auguralis, tum omnis publici juris, antiquitatisque nostrae bene peritus fuit.* Hac significatione hic credo dici *jus publicum* de eo, quod censoriis aliisve publici exercendi legibus praescriptum et constitutum erat. Nam hoc quoque magis ad statum publicum civitatis et imperii pertinet, quam ad rem privatam singulorum. Quod hoc *vanum* esse dicit senatus, *ubi publicanus est,* in eo haec sententia esse potest, leges de conducendis et exercendis vectigalibus publicis eludi fraudibus et rapacitate publicanorum, et sine vi esse. Sic *vanas leges* dicit Horatius, quae *vim* non obtinent, in noto illo 3. Carm. 24, 35. *Quid leges sine moribus Vanae proficiunt?* et Livius 2, 42. *vanam legem,* quae promulgata perferri non potuit. Nam in re nihil interest inter legem, quae non servatur, et eam, quae non perlata est. Verum hanc explicationem respuit oratio disjunctiva, in qua, si haec mens senatus fuit, parum boni sensus est. Idem enim est, ac si senatus diceret, ubi publicanus est, ibi alterutrum horum evenire, aut ut jus publicum vanum sit, aut, si vanum non sit, libertas nulla sit sociis. Sed hoc ferri non potest. Nam eo ipso, quod *jus publicum vanum* reddebatur, et leges eludebantur, fiebat, ut sociis libertas nulla esset; quae illis salva fuisset, si leges vim suam obtinuissent. Itaque aut alia explicatio horum verborum quaerenda, aut, si ea, quam posui, vera videtur, aliquid mutandum, et vel utroque loco, vel, deleto priore *aut*, tantum posteriore pro particula disjunctiva *aut* copulativa *et* ponenda est. Sigonius 2. de Ant. Jur. Civ. Rom. haec Paullo Aemilio tribuit, quae senatus sunt. DUKER. Cl. Crevierius verba Livii ita exponit:

probum vulgus a senatu aliquando libertatem salubri moderatione datam ad licentiam pestilentem traheret. In quatuor regiones describi Macedoniam, 7 *ut suum quaeque concilium haberet*, placuit; *et dimidium tributi, quam quod regibus ferre soliti erant, populo Romano pendere.* Similia his et in 8

ubi publicanus est, alterutrum accidere necesse est: aut remissius agere publicani jubebuntur; tunc jus publicum vanum erit, id est, ex jure illo publico vel metalli, vel portorii, nihil aut perpaululum pecuniae recipietur: aut publicanus rigide et districte aget; tunc libertas sociis nulla erit. Idem mox §. seq. *id exercere*, pro *idem exercere*, malebat.

§. 6. *Commune consilium gentis esse*] Legendum est, *commune concilium gentis nullum esse*. Sensus est: commune concilium gentis nullum esse, sed in quatuor regiones describi Macedoniam, ut suum quaeque concilium haberet, placuit. SIG. Maluissem ego, *concilium gentis ne esset*. GRUTER. Recte Sigonius hic et mox §. seq. *consilium* in *concilium* mutavit. *Concilium* enim vel communem conjunctorum populorum rempublicam, vel cujusque populi comitia aut conventum notat. Vide Gronov. ad 44, 2, 5. *consilium* Crevier. retinet. Sed praeterea, licet, judice eodem Crevierio, res ipsa clamare videatur, recte Sigonium legisse, *gentis nullum esse*, ejus emendationi tamen praefero Gruteri conjecturam *gentis ne esset*. Primae editiones legunt *gentis esset*; unde minori mutatione fit *gentis nesset*, *neesset*, vel *ne esset*, quam *nullum esse*. Certe nulla causa subigit, ut *esset* in *esse* mutemus. Nam variata constructio *placuit ne esset*, vel *nullum esset*, et *Macedoniam dividi* Liviana est, ut constat ex dictis ad 39, 14, 9.

A senatu aliquando libertatem] *aliquando* ad remotiora, *ad licentiam pestilentem traheret*, pertinet. Dubito, an, ut alia, loco motum sit. DUKER.

§. 7. *Dimidium tributi, quam quod regibus ferre soliti sunt*] Expunge *τὸ quam*. Sic cap. 26, 14. J. FR. GRON. Similiter tamen Livius supra loquitur 35, 1, 2. *Ut vix dimidium militum, quam quod acceperat, successori tradiderit* Verum ibi alii codd. voculam *quam* omittunt, quidam sequentem *quod*, quos Gronov. sequitur. Lib. 34, 19, 4. *Duplex stipendium accipere, quam quantum a Turdetanis pepigissent*. Gronovii conjecturae hoc loco favent, quae obcurrunt infra cap. 29, 4. *Tributum dimidium ejus, quod pependissent regibus, pendere populo Romano*. et paullo post eodem cap. §. 11. *Vectigal exercentibus dimidium ejus impositum, quod pependissent regibus.*

§. 8. *In quibus praesens tractatio rerum certiora subjectura erat consilia*] Potest ferri *τὸ in*, si *τὸ quibus* referas ad *caetera relicta*: sin respicit *imperatores*, delenda praepositio. J. FR. GRON. Profecto Livius

Illyricum mandata. cetera ipsis imperatoribus legatisque relicta, in quibus praesens tractatio rerum certiora subjectura erat consilia.

1 XIX. Inter multas regum gentiumque et populorum legationes Attalus, frater regis Eumenis, ma-
2 xime convertit in se omnium oculos animosque. exceptus enim est ab his, qui simul eo bello militaverunt, haud paullo benignius, quam si ipse rex Eu-
3 menes venisset. Adduxerant eum duae in speciem honestae res: una, gratulatio, conveniens in ea vi-

scripsit, *ut quibus.* 29, 34, 15. *Ut quibus haud facilis receptus fuit.* 7, 14, 6. *Ut qui magis animis, quam viribus, fretus ad certamen descenderet.* et cap. 37, 6. *Ut quibus praeter equos caeterorum jumentorum culonumque turba abesset.* 25, 13, 14. *Sed ut quibus locis aequior esset, deturbant nitentes per ardua hostes.* 28, 37, 4. *Ut quibus libertas Antiocho pulso, pax Gallis domitis data esset.* Sic quoque igitur ex MS. Cantabrig. supplendum est 30, 31, 5. *Et Dii testes sunt, ut qui et illius belli exitum secundum jus fasque dederunt, et hujus dabunt.* Vulgo abest particula *ut.* JAC. GRONOV. 29, 32, 8. *Neque enim cunctanter, ut quos major metus urgueret, inmiserant equos.* 30, 6, 3. *Inermes, ut quibus nihil hostile suspectum esset.* 37, 1, 2. *Aetoli, ut quibus plus in misericordia senatus, quam in caussa, spei esset.* 39, 43, 1. *Valerius Antias, ut qui nec Catonis orationem perlegisset,* etc. *aliud argumentum peragit.* 41, 2, 13. *Et, ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerant.* cap. 18, 12. *Haud neglegenter, ut qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultavere.* 42, 7, 5. *Nec consul, ut qui id ipsum obpugnatione comminanda quaesisset, moram certamini fecit.* c. 26, 6. *Responsum tamquam legatis, ut qui adire senatum non postulassent, dari non placuit.* 44, 8, 3. *Ut qui obferentibus sese rebus omisisset e manibus ea.* V. Jac. Gronov. ad 29, 31, 5. Solent autem voculae *in* et *ut* in Mſtis confundi. V. ad 21, 63, 14. Hic tamen commode *τὸ in* referri potest ad praecedens *cetera relicta*; et hinc nihil mutandum videtur.

§. 1. *Attalus, frater regis Eumenis, maxime* etc.) Cum his conferendus est Polyb. in Exc. Legat. num. 93.

§. 2. *Qui simul eo bello militaverunt*] Quid si *quibus simul eo bello militaverat*? J. FR. GRON. Livium tamen eo modo τὸ *simul* construxisse, nondum observavi. Vide ad 1, 31, 3. et 8, 31, 7. Necesse etiam non videtur vulgatum mutari; nam quibuscum simul militavit Attalus, hi quoque simul cum Attalo militaverunt. Polyb. id exprimit *διὰ τὴν ἐν τῇ στρατείᾳ γεγενημένην συνήθειαν.* Mecum sentit Cl.

ctoria, quam ipse adjuviſſet: altera, querimonia Gallici tumultus, Advertaeque gladiis regnum in dubium adductum eſſe. Suberat et secreta spes honorum praemiorumque ab senatu, quae vix salva pietate ejus contingere poterant. erant enim quidam Romanorum quoque non boni auctores, qui spe cupiditatem ejus elicerent: *Eam opinionem de Attalo et Eumene Romae esse, tamquam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis, nec Persi fido socio. Itaque vix statui posse, utrum, quae* 4 5 6

Dukerus. Clericus edidit *militaverant*, invitis omnibus libris.

§. 3. *Altera, querimonia Gallici tumultus, Advertaeque gladiis regnum in dubium adductum esse*] Advertam Gallorum regulum videtur vocare, quem tamen paullo poſt [cap. 34.] Solovettium nominat. Eſt autem verisimile, supra hoc de bello Gallico, deque hoc rege apertius scripsiſſe; verum, ut similia alia, excidiſſe: neque enim tam paucis verbis causam hanc adventus Attali eſſet complexus. De hac re paullo poſt [c. 20, 1.] *Et Gallorum defectionem, quae nuper ingenti motu facta erat, exposuit.* SIG. An non, pro *Advertaeque gladiis regnum in dubium adductum esse*, legendum eſt *aperte*? Nam non possum adduci, ut *Advertam* proprium nomen eſſe credam. TURNEB. 11. Advers. 18. Sive *Advertae*, sive *aperte* legatur, non possum adduci, ut credam, Livium dixiſſe *gladiis regnum in dubium adductum* pro regno periculum eſſe a bello. Fortaſſis ne poëtae quidem ita loquuntur. DUKER. Certe neque ego mihi persuadere poſſum, Livium ita in prosa locutum eſſe. Crevierius etiam locum pro desperato habet. In Polybio ea de re haec obcurrunt: ἐι καὶ μὴ τὸ κατὰ τοὺς Γαλάτας ἐγεγόνει σύμπτωμα περὶ τὴν βασιλείαν. et paullo poſt: τότε δὲ καὶ διὰ τὴν Γαλατικὴν περίσασιν ἠναγκασμένος ἦκεν ἐις τὴν Ῥώμην. Vereor, ne temerarius videar, si conjicio *altera, querimonia, Gallico tumultu Solovettiique cladibus regnum in dubium adductum esse.* Mox §. seq. Crevierius conjicit *salva pietate ei contingere poterant.*

§. 5. *Nec Romanis, nec Persi fido socio*] Ita omnes typis descripti usque ad ultimam ed. Gruteri, *Persei* exhibentem; pro quo Gronov. ad 42, 25, 2. veterem lectionem adseruit, et in contextum recepit. Mirari igitur subit, cur nihilominus Hearne *Perseo*, Clericus *Persei* dederint. Quo depulso, priscam scripturam revocavi; quod et Crevierium feciſſe video.

§. 6. *Et huic tribuere, et illi vero negare*] Forte *merito negare*. J. FR. GRON. Veniebat in mentem *negare velle* e Polybio: Βούλεσθαι γὰρ αὐτὸν σύγκλητον συγκαταθέτειν ἰδίαν ἀρχὴν καὶ δυναστείαν διὰ

pro se, an, quae contra fratrem petiturus esset, ab senatu magis impetrabilia forent: adeo universos
7 *omnia et huic tribuere, et illi vero negare.* Eorum hominum (ut res docuit) Attalus erat, qui, quantum spes spopondisset, cuperent, ni unius amici prudens monitio velut frenos animo ejus, gestienti se-
8 cundis rebus, inposuisset. Stratius cum eo fuit medicus, ad id ipsum a non securo Eumene Romam missus, speculator rerum, quae a fratre agerentur,
9 monitorque fidus, si decedi fide vidisset. Is, ad occupatas jam aures sollicitatumque jam animum
10 quum venisset, adgressus tempestivis temporibus rem prope prolapsam restituit, *aliis alia regna crevisse rebus*, dicendo: *regnum eorum novum, nullis vetustis fundatum opibus, fraterna stare concordia: quod*

τὴν ἀλλοτριότητα τὴν πρὸς τὸν ἀδελφόν. DUKER. Particulam *vero* delendam pronunciat Doujatius; contra in ea emphasin agnoscit Crevierius, et hinc nihil mutandum censet. Ejus etiam sententia verior videtur. Puto enim *vero* hic cum emphasi adfirmare, ut supra 27, 19, 12. *Quum, effusis gaudio lacrimis, cupere vero, diceret.* Cic. de Senect. 2. *Faciam vero, Laeli.* 3. de Off. 1. *Magnifica vero vox, et magno viro ac sapiente digna.* 2. de Divin. 8. *Quod enim is, qui divinat, praedicit, id vero futurum est.* Vide Cortium ad Sall. Catil. 58, 16. et 61, 1.

§. 9. *Adgressus tempestivis temporibus*] Ausonius quidem in Ludo septem Sapientum:

Sed καιρὸς iste tempestivum tempus est.

Censeo tamen scribas *tempestivis sermonibus.* Statius 2. Theb. [354.] *et oscula moestis Tempestiva genis posuit.* J. FR. GRON. Conjectura haec placet. *sermones tempori aptos* vocat Liv. 3, 17, 10. *oratio tempestiva* supra 5, 12. 12. quae *oratio tempori conveniens* vocatur 35, 36, 4.

§. 11. *Necdum enim agnoverat eum*] Polybius: *Οὐδέπω γὰρ ἀναδεδειγμένος ἐτύγχανε κατὰ φύσιν υἱὸς ὢν αὐτῷ, ὁ μετὰ ταῦτα διαδεξάμενος τὴν ἀρχήν.* Is fuit Aristonicus, pellice natus, qui post mortem Attali 3. qui Romanos heredes instituisse dicitur, sub A. V. 1021. regnum invasit. Eumenem tum adhuc *παιδα* fuisse, etiam Polybius scribit. Sed deinde e Stratonice Ariarathis regis Cappadocum filia suscepit filium Attalum, eique

quod unus nomen regium et praecipuum capitis insigne gerat, omnes fratres regnent. Attalum vero, 11
quia aetate proximus, quis non pro rege habeat? neque eo solum, quia tantas praesentes ejus opes cernat, sed quod haud ambiguum prope diem regnaturum eum infirmitate aetateque Eumenis esset, nullam stirpem liberûm habentis: (necdum enim agnoverat eum, qui poſtea regnavit.) *Quid adtineret vim adferre rei, sua sponte mox ad eum adventurae?* 12
Accessisse etiam novam tempestatem regno tumultus Gallici, cui vix consensu et concordia regum resisti queat. Si vero ad externum bellum do- 13
mestica seditio adjiciatur, sisti non posse; nec aliud eum, quam, ne frater in regno moriatur, sibi ipsi spem propinquam regni erecturum. Si utraque glo- 14
riosa res esset, et servasse fratri regnum, et eripuis-

parvo admodum moriens tutorem reliquit Attalum fratrem, de quo hic agit Livius. Attalus, tutela una cum regno suscepta, eumdem poſt unum et viginti annos succeſſorem habuit. Ita Strabo lib. 13, 624. Stratonicen tamen dudum ante A. V. DCLXXXVI. quo hunc sermonem cum Attalo habuit Stratius, Eumeni nuptam fuisse, e Liv. 38, 39. et 42, 16. cognosci poteſt. DUK. Attalum 3. Philometora dictum, intelligunt Doujatius et Crevierius.

§ 12. *Quod adtineret vim adferre*] Scribe *quid attinere vim afferri?* J. FR. GRON. Quemadmodum *adtinere*, pro *adtineret*, facile probo; ita *adtinere vim adferri* probe quidem dici concedo, ut conſtat ex iis, quae notantur ad 3, 36, 4. at simul contendo, non opus eſſe, ut *adferre* in *adferri* mutemus. Supra 6, 23, 7. *Quid adtinere pati?* cap. 26, 7. *Confutare nihil adtinet.* 31, 25, 9. *Nihil adtinere coarguere id.* 34, 3, 5. *Quid adtinebit rogare leges?* Cic. de Amic. 11. *Quid adtinet dicere?* de Fato 3. *Quid adtinet inculcare?*

Mox ad eum adventurae] Forte *venturae*, quasi de hereditate, quae *venire*, non *advenire*, dicitur. Juſtin. 1. 4. *Si ad filiam mortuo rege venisset imperium.* Salluſt. Jug. 8. *Ultro illi et gloriam et regnum venturum.* DUKER.

§. 13. *Nec aliud eum quam ne frater*] Lege: *nec aliud eum fratri, quam ne in regno moriatur, sibi ipsum spem propinquam regni erecturum.* Auctor ad Herenn. lib. 4, (52.) *Tu cessas mihi vitam, tibi omnem*

se; servati tamen regni, quae juncta pietati sit, potiorem laudem fuisse. Sed enimvero quum detestabilis altera res et proxima parricidio sit, quid
15 *ad deliberationem dubii superesse? Utrum enim partem regni petiturum esse, an totum erepturum? si partem; ambo infirmos, distractis viribus, et omnibus injuriis obnoxios fore: si totum; privatumne ergo majorem fratrem, an exsulem illa aetate, illa cor-*
16 *poris infirmitate, an ultimum mori jussurum? Egregium enim (ut fabulis traditus inpiorum fratrum eventus taceatur) Persei exitum videri, qui ex fraterna caede raptum diadema in templo Samothra-*

bene vivendi spem mea morte eripere? J. FR. GRON. Doujatius adversus Gronovium vulgatum tuetur, censens ad verba *nec aliud eum* subintelligendum *effecturum*. Ejus sententiam probat Crovierius, ita tamen ut ingeniosam Gronovii emendationem agnoscat.

§. 14. *Servati tamen regni*, etc. *potiorem laudem fuisse*] Cl. Jac. Perizon. ad oram Livii legendum conjecit *potiorem laudem esse*.

§. 15. *Et omnibus injuriis obnoxios fore*] Ant. Perizonius ad oram editionis, qua uti consuevit, scribendum suspicatur *omnium injuriis*. Saepe in similibus peccarunt librarii. Ita plures codd. praeferunt *omni cura Latinorum*, pro *omnium*, supra 1, 45, 3. *contra omnem opinionem*, pro *omnium*, 2, 56, 2. *omni adsensu*, pro *omnium*, 5, 9, 7. ubi quaedam vide. Contra *omnium vita*, pro *omni*, 2, 33, 10. *exposita omnium praeda*, pro *omni*, 3, 10, 1. *omnium laudem*, pro *omnem*, 6, 22, 6. ubi quaedam vide. *omnium agmine principum*, pro *omni*, 8, 33, 9. *omnium laude*, pro *omni*, 9, 16, 12. *omnium patientiam*, pro *omnem*, 23, 19, 15. aliisque locis saepius.

Privatumne ergo majorem fratrem, an exsulem illa aetate, illa corporis infirmitate; an ultimum mori jussurum?] Lege *ad ultimum*. Eo sensu, quo summus Poëta [Virg. Ecl. 2, 7.] *Mori me denique cogis*. Lib. 26, [27, 10.] *Ne se ad ultimum perditum irent*. Lib. 42, [43, 1] *Quum experienda omnia ad ultimum, nec praetermittendam spem ullam censuisset*. Lib. 4, [44, 11.] *Egregie ad ultimum in audacter commisso perseveravit*. J. FR. GRON. Mihi tria quaerere videtur Stratius; utrum fratrem privatum in regno vivere passurus, an in exsilium pulsurus, an denique interfecturus sit? non duo tantum, privatum an exsulem mori jussurus? Qui mori jubetur, nihil interest, privatus an exsul mori jubeatur; ac ne quidem eadem facultas est regi-

cum velut praesentibus Diis exigentibus poenas, ad pedes victoris hostis prostratus posuerit. Eos ipsos, 17
qui, non illi amici, sed Eumeni infesti, stimulent eum, pietatem constantiamque laudaturos, si fidem ad ultimum fratri praestitisset.

XX. Haec plus valuere in Attali animo. Itaque 1
introductus in senatum, gratulatus victoriam, et sua merita eo bello fratrisque, si qua erant, et Gallorum defectionem, quae nuper ingenti motu facta erat, exposuit. Petiit, ut legatos mitteret ad eos, 2
quorum auctoritate ab armis avocarentur. His pro regni utilitate editis mandatis, Aenum sibi et Maro-

bus exsules occidendi, quae privatos in regno ipsorum viventes. Suspicor post *infirmitate* periisse vocem aliquam sequenti *jussurum* sono adsimilem, ut *visurum*, vel si quae propius a *jussurum* abest. *Ad ultimum* quidem legendum, nec tamen *an* tollendum puto, quia tria quaeri credo. Liv. 1, 53, 10. *Vetant mirari, si, qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset.* 5, 10, 8. *Quae nunc etiam vectigalis ad ultimum facta sit.* DUKER. Vulgatum *an ultimum* tuentur Doujatius et Crevierius, et *ultimum* exponunt tandem, ad ultimum, denique: posterior etiam voces *an ultimum mori jussurum* tertium divisionis membrum constituere existimat. *Ultimum* eo sensu sumi posse, vidimus ad 40, 42, 10. Verum, ita nunc sumi debere, vix existimo. Nam placere nequit locutio *jubeo fratrem privatum, exsulem*, pro *esse privatum, esse exsulem*: et ita cum Dukero vocem post *ro infirmitate*, sive *visurum*, sive *esse*, sive aliam excidisse statuendum foret. Praeterea si ea Livii mens fuisset, credo potius dicturum fuisse *interfici jussurum*. Videtur igitur Stratius duo tantum interrogasse; utrum nempe Attalus jussurus, sive operam daturus sit, ut frater, crepto regno, privatus ad mortem usque in patria viveret; an vero, ut, erepta simul patria, vitam in exsilio finiret? Si tamen tres interrogationis partes esse placet, etiam lectionem mutandam esse Dukero adsentiar. Ceterum *illa aetate, illa corporis infirmitate*, similiter dictum, atque *ea aetate, iis honoribus actis* 3, 35, 3. ubi vide.

§. 1. *Introductus in senatum, gratulatus victoriam; et sua merita* etc. *exposuit*] Forte vel legendum *introductus in senatum, gratulatusque victoriam*; vel *gratulatus victoriam est, et sua merita*: ut verbum *est* haustum sit a sequenti *et*. Vide ad 37, 51, 3.

§. 2. *Aenum sibi et Maroneam petiit*] Non magnopere ad laudem senatus pertinet, quod Po-

3 neam petiit. Ita destituta eorum spe, qui fratre accusato, partitionem regni petiturum crediderant, curiam excessit. Ut raro alias quisquam, rex aut privatus, tanto favore tantoque omnium adsensu est auditus; omnibus honoribus muneribusque, et praesens est cultus, et proficiscentem prosecuti
4 sunt. Inter multas Asiae Graeciaeque legationes, Rhodiorum maxime legati civitatem converterunt.
5 nam quum primo in veste candida visi essent, quod gratulantes decebat, et, si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum praebere speciem po-
6 terant; postquam consulti ab M. Junio consule Patres, stantibus in comitio legatis an locum, lautia, senatumque darent, nullum hospitale jus in iis ser-
7 vandum censuerunt; egressus e curia consul, quum Rhodii, gratulatum se de victoria purgatumque civitatis crimina dicentes venisse, petissent, ut sena-
8 tus sibi daretur, pronunciat: *Sociis et amicis et alia comiter atque hospitaliter praestare Romanos, et senatum dare consuesse: Rhodios non ita meritos*

lyb. Legat. 93. scribit, senatum Attalo praesenti promisisse, se ei has urbes daturum; sed deinde, quum Roma digressus adhuc in Italia esset, eas, mutata sententia, liberas pronunciasse. DUKER.

§. 3. *Curia excessit*) Et hic male curiosi fuerunt recentiores: nam prima editio, *curiam excessit*. Ut *excedere urbem, portam*, de quibus superius. Sed et τὸ *Ut*, quod sequitur, supervacuum. Scribe *Raro alias*. J. FR. GRONOV. *curia* demum in ed. Sigonii inveni. Omnes priores constanter *curiam excessit*, quod recte Crevierius iterum in contextum recepit. Vide ad 2, 37, 8. Sequens *Ut*, quod Gronovius eique adsensus Crevierius delendum censent, forte natum est ex ultimis literis praecedentis vocis *excessit*. Vide ad 42, 63, 5. Malo etiam *Raro alius quisquam, rex aut privatus*, pro *Raro alias*.

§. 4. *Rhodiorum maxime legati*) Cum his confer Polyb. in Exc. Legat. num. 93. pag. 1279.

§. 8. *Ut amicorum sociorum numero habendi sint*) Lege ut

eo bello, ut amicorum sociorum numero habendi sint. His auditis, proſtraverunt se omnes humi, con- 9
sulemque et cunctos, qui aderant, orantes, ne nova falsaque crimina plus obeſſe Rhodiis aequum censerent, quam antiqua merita, quorum ipsi teſtes eſſent. Extemplo, veſte ſordida sumta, domos prin- 10
cipum cum precibus ac lacrimis circumibant, orantes, ut prius cognoscerent cauſſam, quam condemnarentur.

XXI. M. Juventius Thalna praetor, cujus inter 1
cives et peregrinos jurisdictio erat, populum adversus Rhodios incitabat: rogationemque promulgave- 2
rat, *ut Rhodiis bellum indiceretur: et ex magistratibus ejus anni deligerent, qui ad id bellum cum classe mitteretur*, se eum sperans futurum eſſe. Huic actioni M. Antonius et M. Pomponius tribuni 3
plebis adversabantur. Sed et praetor novo malo- 4
que exemplo rem ingreſſus erat, quod, ante non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, de sua unius sententia rogationem ferret, *Vellent*,

amicorum aut sociorum. MURET. Forte *sociorumve numero.* J. FR. GRONOV. Gronovii conjecturam consensu suo firmat Crevierius, quam Clericus etiam in contextum recepit. Contra Doujatius nihil mutandum censet, et, *amicorum* adjective accipiens, *amicos socios* exponit fideles socios. Quod ut verum eſſe aliis persuaderet, idoneis exemplis *amicos socios* eo sensu, vel *inimicos socios* pro infidelibus sociis sumi, docere debuiſſet. Vir doctus in margine ed. Curionis legendum conjicit *amicorum sociorumque.* In hac formula Romanos particula connectente, non disjungente, uti solitos fuiſſe, docent exempla superius laudata ad 35, 38, 8. et 37, 53, 6. quibus totidem alia ex uno Livio addere in proclivi foret, nisi illa sufficerent. Sed vide infra ad cap. 25, 8.

§. 10. *Ut prius cognoscerent cauſſam, quam condemnarentur*] Forte *quam condemnarent.* Vide ad 39, 22, 8. Similiter legendum exiſtimat Crevierius.

§. 1. *M. Juventius Thalva*] *M. Juventius Thalna* ex consul. Cap. SIG. Eadem hic va-

5 *juberentne, Rhodiis bellum indici?* quum antea semper prius senatus de bello consultus esset, deinde
6 ad populum latum; et tribuni plebis, quum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset; eoque persaepe evenisset, ut, qui non professi essent se intercessuros, animadversis vitiis
7 legis ex ratione dissuadentium, intercederent; et,

rietas in edd. prioribus obcurrit, qualem vidimus supra ad 43, 8, 2. et 45, 16, 3.

§. 6. *Et tribuni plebis, quum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi*) Pauca verba desiderantur in hanc sententiam: *et tribuni plebis, quod, antequam privati de lege dicerent, legi ipsi intercederent, cum ita traditum esset*, etc. Tota enim sententia haec est: Et praetor novo exemplo rem ingressus erat, quod, ante non consulto senatu, de sua unius sententia rogationem ferret, cum antea semper senatus prius de bello consultus esset, post ad populum latum; et tribuni plebis, (scilicet novo exemplo agebant) quod, antequam privati dicerent, intercederent, cum ita traditum esset, ne quis intercederet prius legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset. Hanc autem deesse sententiam, ex eo etiam apparet, quod sequitur: *Tribuni festinationem praetoris ante tempus intercedendo.* SIGON. Hunc damnavit asterisco locum Sigonius, desiderari ratus haec verba: *quod, antequam privati de lege dicerent, legi ipsi intercederent.* Ego vero nihil deesse censeo, et attentum lectorem ex praecedentibus facile ad haec verba intelligere: *novo maloque exemplo actioni praetoris adversabantur.* J. FR. GRONOV. Hoc quidem intelligi potest, nec tamen ex eo satis apparet, in quo situm fuerit, quod tribuni plebis quoque novo maloque exemplo actioni praetoris adversabantur. Id autem vix intelligi potest, nisi supplemento aliquo adhibito, sine quo sensus verborum obscurus est. DUKER.

Quum ita traditum esset, ne quis) Vide Gruchium 1. de Comit. Rom. 4. pag. 597. DUKERUS.

Ex ratione dissuadentium) Potius *oratione.* J. FR. GRON. Legendum videtur *ex rationibus*, vel potius, ut Gronovius conjecit, *ex oratione.* Solent autem voces *ratio* et *oratio* a librariis confundi. Vide ad 35, 25, 9.

§. 8. *Tribuni festinationem praetoris ante tempus intercedendo in adventum im.*) Exciderunt pauca, quae ad rem Rhodiorum, de quibus loquitur, pertinebant. Exciderunt etiam prima verba orationis Rhodiorum, quam pro se dixerunt in senatu. Hujus autem orationis capita una cum sententiis quibusdam orationis ejus, quam dixit Cato pro

qui ad intercedendum venissent, desisterent, victi auctoritatibus suadentium legem. Tum inter praetorem tribunosque omnia intempestive agendi certamen erat. Tribuni festinationem praetoris ante 8
tempus intercedendo, [quum damnarent, imitabantur. Hoc tamen intercessioni suae praetendebant,] in adventum im-[peratoris et decem legatorum ex Macedonia, qui, re diligentissime ex litteris tabulisque perpensa, certo indicaturi essent, quo quaeque civitas in Persea Romanosve

Rhodiis, exstant apud Gellium lib. 7, [3.] Catonianae autem orationis post etiam meminit Livius. SIG. Astymeden, alterum legatorum Rhodiorum, in senatu verba pro civitate sua fecisse, sed orationem illius absurdam, et in totum ad persuadendum ineptam, ab intelligentibus judicatam fuisse, auctor est Polybius Legat. 93. Nam eum, quae Rhodii pro Romanis fecerant, cum iis, quae alii, comparantem, horum erga Romanos merita per mendacium elevasse, et eorum delicta, quorum, etsi nullam mererentur veniam, tamen iis gratia facta esset, aspere et odiose commemorasse; Rhodiorum culpam contra levem et venia dignam esse dixisse. Apparet, Livium omisisse eam partem orationis legati Rhodii, qua aliorum merita erga Romanos obtrectando carpebat, et qua tam criminose insectabatur et exaggerabat ea, quae illi in Romanos deliquerant. In iis enim, quae de Carthaginiensibus, Philippo, Antiocho et Perseo dicit, nihil praecipuae acerbitatis et invidiae est. Quod merita populi Rhodii erga Romanos paullo gloriosius praedicat, non valde reprehendendum videtur, quum non minus magnifice sua in senatu jactet Eumenes apud Polyb. Legat. 25. et Livium 37, 53. et tamen cum adsensu omnium auditus sit. Nec ea pars orationis, qua causam populi a turbulentis quibusdam et Perseo addictis principibus segregans, in hos omnem culpam confert, omnino ad persuadendum inepta videri potest. Nam hos Polybius ipse multis locis civitati causam malorum fuisse dicit; quod ad defensionem multitudinis aliquantum valere debuit. Ob has causas parum abest, quin mihi persuadeam, Livium non tam ea, quae orator Rhodius in senatu dixit, quam quae ab eo dici potuisse, ac debuisse putavit, in hanc orationem contulisse: eo magis, quod legatus cap. 24. dicit, esse senatores, qui Rhodios non ideo bello persequendos esse censeant, quia maluerint, Perseum vincere, quam Romanos; nam *neque moribus, neque legibus ullius civitatis ita comparatum esse, ut, si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit, quo id fiat, capitis damnetur.* Haec enim ex oratione Catonis pro Rhodiis apud Gellium 7, 3. sumta, sed nonnihil a Livio immutata esse, facile animadverti potest. Eam autem Cato, ut Gellius cum Livio consentiens scribit, postquam legati Rhodiorum curia excesserant, in senatu habuit. DUKERUS.

animo fuisset, totam de Rhodiis consultationem rejici opus esse. Sed quum nihilominus praetor propositum urgeret, eo res processit, ut Antonius tribunus, productis ad populum legatis, procedentem contra Thalnam et dicere incipientem de Rostris detraheret, Rhodiisque concionem praeberet. Ceterum, etsi praecipitem ac fervidum praetoris conatum par tribuni pervicacia discusserat, nondum tamen cura discesserat Rhodiorum animis. Patres enim erant infensissimi: ut imminenti malo levati magis in praesens Rhodii, quam omnino liberati essent. Igitur quum diu multumque precantibus tandem senatus datus esset, introducti a consule, primo prostratis humi corporibus diu flentes jacuerunt. Deinde, quum excitatos consul dicere jussisset, Astymedes, quam maxime composito ad commovendam miserationem habitu, in hunc modum verba fecit.

Polyb. Legat. 93.

Liv. infra 25.

Oratio Rhodiorum in senatu.

XXII. *Hic luctus et squalor paullo ante florentium amicitia vestra sociorum, Patres conscripti, non potest non esse etiam iratis miserabilis. At quanto justior vestras mentes subibit miseratio, si cogitare volueritis, quam dura conditione causam hic apud vos prope jam damnatae civitatis agamus? Ceteri rei fiunt, antequam damnentur: nec prius luunt supplicia, quam de culpa constet. Rhodii*]

§. 1. *Dona ferentes*] Si quis recte attendat, legendum intelliget, *dona ferentes veniebamus*. Nam sequitur *ἀπόδοσις*. *nunc vix mercede recepti venimus in curiam Romanam Rhodii*. SIG. Verbum rursus interposuit Sigonius: ego eleganter reticeri, et ex proximis intelligi puto. J. FR. GRON. Perizonius in editione Concionum Livianarum ad marginem hujus loci monuit, legendum sibi videri *dona ferebamus*. Crevierius, qui Sigonium minus proprie aut eleganter *veniebamus* interposuisse judicat, ejus loco adscivit verbum *deducebamur*. Mox §. seq. legendum *deversorio*. Vide ad 1, 51, 2. et 44, 43, 2.

§. 3. *Liberos esse (ut audivimus) jubetis*] Et hoc recentiorum: nam primum exemplar *audimus*: et est *ἰδιωτισμὸς* vulgarium quoque linguarum *audio* pro cognovi, audivi. Cic. pro Sex. Roscio (cap. 6.) *Quorum alterum sedere in accusatorum*

peccaverimusne, adhuc dubium est: poenas, igno- 1
minias omnes jam patimur. Antea, Karthaginien-
sibus victis, Philippo, Antiocho superatis, quum Ro-
mam venissemus, ex publico hospitio in curiam gra-
tulatum vobis, Patres conscripti, ex curia in Capito-
lium ad Deos vestros dona ferentes; nunc ex sor- 2
dido deversorio, vix mercede recepti, ac prope ho-
stium more extra urbem manere jussi, in hoc squa-
lore venimus in curiam Romanam Rhodii, quos pro-
vinciis nuper Lycia atque Caria, quos praemiis at-
que honoribus amplissimis donastis. Et Macedonas 3
Illyriosque liberos esse (ut audimus) jubetis, quum
servierint, antequam vobiscum bellarent: (nec cu- 4
jusquam fortunae invidemus, immo agnoscimus cle-
mentiam populi Romani) Rhodios, qui nihil aliud
quam quieverunt hoc bello, hostes ex sociis facturi
estis? Certe quidem vos estis Romani, qui ideo fe- 5
licia bella vestra esse, quia justa sint, prae vobis
fertis; nec tam exitu eorum, quod vincatis, quam
principiis, quod non sine caussa suscipiatis, gloria-
mini. Messana in Sicilia obpugnata Karthaginien- 6

subselliis video, alterum tria hujusce praedia possidere audio. Petronius [cap. 104.] *Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues neque capillos deponere.* J. FR. GRON. Sigonius est, qui primus *audivimus* dedit, reliquis recentioribus ejus lectionem recipientibus. Sed recte Gronov. alteram revocavit. Infra cap. 24, 2. *Voluntatis nostrae tacitae velut litem aestimari vestris inter vos sermonibus audio.* Et ita priscae edd. praeferunt cap. seq. in fine: *Etiam Deos aliqui verbis ferocioribus increpant. nec ob id quemquam fulmine ictum audimus.* ubi etiam postea subslitutum est *audivimus.*

§. 5. *Nec tam exitu eorum, quod vindicatis*] Legendum videtur *vincatis.* SIGON. Similiter emendat Freinsh. ad Curtii 10, 6, 14. Et ita praefert ed. princeps: pro quo mox Frob. anno 1535. errore, ut videtur,

ses, Athenae obpugnatae et Graecia in servitutem petita, et adjutus Hannibal pecunia, auxiliis, Phi-
7 *lippum hostem fecerunt. Antiochus ipse, ultro ab Aetolis hostibus vestris arcessitus, ex Asia classe in Graeciam trajecit; Demetriade, et Chalcide, et saltu Thermopylarum occupato, de possessione imperii vos*
8 *dejicere conatus. Cum Perseo socii vestri obpugnati, alii interfecti reguli principesque gentium aut popu-*
9 *lorum, caussa belli vobis fuere. Quem tandem titulum nostra calamitas habitura est, si perituri sumus? Nondum segrego civitatis caussam a Polyarato et Dinone, civibus nostris, et iis, quos, ut traderemus vobis, adduximus. Si omnes Rhodii aeque noxii essemus, quod nostrum in hoc bello cri-*
10 *men esset? Persei partibus favimus; et, quemadmodum Antiochi Philippique bello pro vobis adversus*

operarum dedit *vindicatis*. Licet autem ed. Sigonii, quae post ejus mortem anno 1592. prodiit, et in qua scholion ejus primum adparuit, emendationem in contextum receperit, secuti tamen editores errorem typographorum servarunt usque ad Gronovium.

§. 9. *A Polyarato et Dinone*] Ita recte edidit Gronovius, quum omnes priores praeferant *Dione*. V. ad 44, 23, 9.

§. 11. *C. Livium, L. Aemilium Regillum interrogate, qui classibus* etc.] Cl. Jac. Perizonius ad marginem editionis Livianae, qua uti solebat, Livium incuriae arguere videtur, notans C. Livium, qui classi Romanae in Asia praefuit, jam hoc tempore, sive A. V. IDLXXXVI. mortuum fuisse. Id autem eum collegisse puto ex Livii 43, 11. ubi inter pontifices, qui anno IDLXXXIII. obierunt, refertur C. Livius Salinator. Pari etiam modo Pighius ad in Annal. ad A. V. IDLIV. pag. 248. existimavit, C. Livium, M. Livii Salinatoris bis consulis et censoris filium, praetorem et consulem fuisse, ac pontificem mortuum esse. Omnino tamen verisimile non est, Livium tantopere in hac re erraſſe; praesertim quum consulere potuerit ipsam orationem, quam hoc tempore Astymedes Rhodiorum legatus habuit. Ἐξέβαλλε γὰρ ἐγγραπτον μετὰ ταῦτα ποιήσας τὴν σύνταξιν τῆς δικαιολογίας, teste Polyb. in Exc. Legat. num. 93. pag. 1280. Supereſt etiam ratio difficultatis, a viris doctis injectae, removendae. Duo enim C. Livii Salinatores circa haec tempora vi-

reges, sic nunc pro rege adversus vos stetimus. Quemadmodum soleamus socios juvare, et quam 11
inpigre capessere bella, C. Livium, L. Aemilium Regillum interrogate, qui classibus vestris in Asia praefuerunt. Numquam vestrae naves pugnavere sine 12
nobis. nostra classe pugnavimus semel ad Samum, iterum in Pamphylia adversus Hannibalem imperatorem. quae victoria nobis eo gloriosior est, quod, 13
quum ad Samum magnam partem navium adversa pugna et egregiam juventutem amisissemus, ne tanta quidem clade territi, iterum ausi sumus regiae classi ex Syria venienti obviam ire. Haec non gloriandi 14
caussa retuli, (neque enim ea nunc nostra est fortuna) sed ut admonerem, quemadmodum adjuvare socios solerent Rhodii.

XXIII. *Praemia, Philippo et Antiocho devictis,* 1

xerunt. Eorum alter aedilis curulis fuit A. V. 1DXLIX. Livius 29, 38. praetor A. V. 1DLI. Liv. 30, 26. alter praeturam obtinuit A. V. 1DLXII. Livius 35, 24. Priorem Pighius in Ann. ad A. V. 1DXLII. pag. 184. Marci filium, Marci nepotem, M. Livii Salinatoris bis consulis et censoris fratrem vocat: posteriorem idem Pighius in Ann. ad A. V. 1DLIV. pag. 248. itidem Marci filium, Marci nepotem, sed M. Livii Salinatoris bis consulis et censoris filium vocat. Horum posterior anno 1DLXV. consulatum adipiscitur 35, 24. prior anno 1DLXI. consulatus repulsam fert 35, 10. Eumdem, qui consulatus repulsam tulit, postea consulatum obtinuisse, statuit quidem Pighius in Ann. ad A. V. 1DLXI. pag. 275. at potius diversos fuisse existimo. Qui enim anno 1DLXI. consulatus repulsam tulit, non videtur anno sequenti 1DLXII. praeturam, et ita demum 1CLXV. consulatum gessisse. Ita enim consulatum petiisset, antequam praetor fuisset. Quod interdum quidem evenit, sed eo casu id Livius monere solet, ut constat ex T. Quinctii Flaminini exemplo 32, 7. quod non modo 35, 10. non fecit, verum insuper omnes patricios plebejosque, qui eo anno consulatum petebant, *potentes* vocat, quod vix juveni nondum praetura functo convenire potest. Censeo igitur, C. Livium Salinatorem, bis consulis et censoris fratrem, anno 1DXLII. pontificem adoptatum esse apud Liv. 26, 23. Aedilem curulem creatum esse A. V. 1DXLIX. praetorem 1DLI. consulatus repulsam tulisse 1DLI. pontificem obiisse 1DLXXXIII. at C. Livium

amplissima accepimus a vobis. Si, quae vestra nunc
est fortuna Deûm benignitate et virtute vestra, ea
Persei fuisset, et praemia petitum ad victorem re-
gem venissemus in Macedoniam, quid tandem dice-
2 *remus? Pecuniane a nobis adjutum, an frumento?*
auxiliis terrestribus, an navalibus? quod praesi-
dium tenuisse nos? ubi pugnasse aut sub illius du-
3 *cibus, aut per nos ipsos? Si quaereret, ubi miles*
noster, ubi navis intra praesidia sua fuisset; quid
responderemus? Caussam fortasse diceremus apud
4 *victorem, quemadmodum apud vos dicimus. Hoc*
enim legatos utroque de pace mittendo consecuti su-
mus, ut ne ab utraque parte gratiam iniremus; ab
5 *altera etiam crimen et periculum esset. Quamquam*
Perseus vere objiceret, id quod vos non potestis,
Patres conscripti, nos principio belli misisse ad vos

Salinatorem, bis consulis et censoris filium, praeturam A. V. 580XII. consulatum 101LXV. obtinuisse, et hoc anno 101LXXXVI. adhuc superfuisse. Quum autem posterior hic in praetura classi Romanae praefuerit, 36, 2. recte ad ejus adhuc superstitis testimonium provocat Astymedes.

§. 4. *Ut ne ab utraque parte*] Scribe *ut ab neutra parte gratiam iniremus.* J. FR. GRON. Utrum Livius alibi *ut ne* pro simplici *ne*, quod tamen saepe apud optimos scriptores obcurrit, dixerit, me dubitare, constat ex illis, quae notavi ad 10, 27, 2. Non tamen vel ob eam caussam, vel quod *utroque* modo praecesserit, (similes enim repetitiones in Livio frequentes esse, vidimus ad 1, 3, 9.) Gronovii conjecturam probo, sed ut sensui consulam; qui exigit, ut legatus Rhodius dicat, cives suos utroque de pace legatos mittendo neque a Romanis, neque a Perseo gratiam iniisse. Nam supra jam dixit, si Perseus victoriam obtinuisset, et Rhodii victorem praemia petitum adirent, forte ipsis, itidem ut nunc Romae, caussam dicendam fore. At secundum vulgatam lectionem legatus tantum queritur, cives suos non ab utraque parte, id est eos tantum ab una parte, gratiam iniisse. Gronovii conjecturam probat etiam Crevierius. eamdem etiam Clericus in contextum recepit.

§. 5. *Navalibus, armis, juventute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos fore*] Scribe *navibus, armis, juventute.* J. FR. GRON. Doujatius,

legatos, qui pollicerentur vobis, quae ad bellum opus essent; navalibus, armis, juventute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos fore. Ne praestaremus, per vos stetit, qui de quacumque caussa tum adspernati nostra auxilia estis. Neque fecimus igitur quidquam tamquam hostes, neque bonorum sociorum defuimus officio; sed a vobis prohibiti praestare fuimus. Quid igitur? nihilne factum neque dictum est in civitate vestra, Rhodii, quod nolletis, quo merito offenderetur populus Romanus? Hinc jam non, quod factum est, defensurus sum, (non adeo insanio) sed publicam caussam a privatorum culpa segregaturus. Nulla enim est civitas, quae non et inprobos cives aliquando, et inperitam multitudinem semper habeat. Etiam apud vos fuisse audivi, qui adsentando multitudini grassaren- 6 7 8 9

ut vulgatum tueatur, jungit *navalibus armis*, et exponit copiis maritimis, quibus Rhodii pollebant. Sed, *arma navalia* eo sensu a Livio adhiberi, exemplis erat probandum. Contra Gronovii conjecturam Clericus non modo probavit, sed eidem etiam in contextu locum dedit. Forte etiam legendum *juventute nos nostra* etc. *paratos fore*. Pronomen illud ob easdem vocis sequentis literas facile excidere potuit.

§. 6. *Sed a vobis prohibiti praestare fuimus*] Excidit pronomen: *sed id a vobis prohibiti praestare fuimus*. J. FR. GRON.

§. 7. *Hinc jam non, quod factum est, defensurus sum*] Voculam *hinc* mendosam puto, pro qua, unica litera extrita, legendum puto *hic jam non*. Et quidem τὸ *hic* saepe notam temporis obtinet. Vide ad 30, 13, 3. Quemadmodum autem *hic tum* significatione praeteriti notat tunc, eo tempore, ita *hic jam* significatione praesentis ponitur pro nunc, hoc tempore. Vide Tursell. de Partic. Lat. Orat. cap. 64. ubi laudat optime huc facientem locum Cic. ex Orat. pro L. Manil. cap. 9. *Hic jam plura non dicam. Fuit enim illud extremum*. Particulas *hic* et *hic*, sive *hinc*, saepe confundi, vidimus ad 26, 13, 13. Similiter scribendum esse etiam Cl. Dukerus conjecit.

§. 9. *Nec in potestate vestra rempublicam fuisse*] Malim *populum Rom.* quam *remp.* Nam, si plebes seceſſit, certe in poteſtate Patrum non fuit; quo mi-

tur: et secessisse aliquando a vobis plebem, nec in
10 *potestate vestra rempublicam fuisse. Si hoc in hac tam bene morata civitate accidere potuit, mirari quisquam potest, aliquos fuisse apud nos, qui, regis amicitiam petentes, plebem nostram consiliis depravarent? qui tamen nihil ultra valuerunt, quam*
11 *ut in officio cessaremus. Non praeteribo id, quod gravissimum est in hoc bello crimen civitatis nostrae. Legatos eodem tempore et ad vos, et ad Persea de pace misimus: quod infelix consilium furiosus (ut*
12 *postea audivimus) orator stultissimum fecit: quem sic locutum constat, tamquam C. Popillius legatus Romanus, quem ad submovendos a bello Antiochum*
13 *et Ptolemaeum reges misistis, loqueretur. Sed ta-*

nus autem resp. in eorum potestate esset, nullo inpedimento fuit. Intelligi autem Rhodii volunt, ne multitudinem quidem Rhodiam in potestate principum fuisse. Sic saepe alias Livius: *Tribuni plebis in potestate Patrum fuerunt.* Ex vulgata tamen lectione etiam sensus elicitur. SIG. Sigonius malit: *nec in potestate vestra populum Romanum fuisse.* nam si plebes, inquit, secessit, certe in potestate Patrum non fuit: quo minus autem respublica in eorum potestate esset, nullo impedimento fuit. Equidem scire velim, in quo rempublicam ponat: utrum in tectis et moenibus vacuis, an in civibus? L. 24, [33, 7.] *Quum in eorum, ad quos venerint, manu res Syracusana esset, tum reverterentur.* Lib. 26, [8, 11.] *Praesidiaque in urbes contraherent, ut sua cuique respublica in manu esset.* Lib. 39, [50, 6.] *Defectionis auctores, quorum in manu respublica erat.* Cicero lib. 3. de Legib. [17.] *Eamque optimam rempublicam esse duco, quam hic consul constituerat, quae sit in potestate optimorum.* Philipp. 1. [1.] *Cum sperarem aliquando ad vestrum consilium auctoritatemque rempublicam esse revocatam.* J. FR. GRON.

§. 10. *Aliquos fuisse apud nos, qui*, etc. *depravarent*] Adcurata loquendi ratio exigere videtur, ut legamus *qui depravarint.* forte etiam mox *cessarimus*, pro *cessaremus.*

§. 11. *Furiosus orator*] Respicit ad ea, quae 44, 14. leguntur. Agesipolis oratio post adlatum Romam nuncium de Perseo victo nequaquam tam insolens fuit. Eam tamen hic designari, e Polyb. Legat. 88. colligitur. DUK.

§. 12. *Tamquam C. Popillius legatus Romanus*, etc. *loqueretur*] Cl. Jac. Perizonius ad marginem Livii conjecit *tam-*

men ea, sive superbia sive stultitia adpellanda est, eadem, quae apud vos, et apud Persea fuit. Tam 14
civitatium, quam singulorum hominum mores sunt: gentes quoque aliae iracundae, aliae audaces, quaedam timidae: in vinum, in Venerem proniores aliae sunt. Atheniensium populum fama est celerem et 15
supra vires audacem esse ad conandum: Lacedaemoniorum cunctatorem, et vix in ea, quibus fidit, ingredientem. Non negaverim, et totam Asiae re- 16
gionem inaniora parere ingenia, et nostrorum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas civitates videamur; et id ipsum non tam viribus nostris, quam vestris honoribus ac judiciis. Satis quidem et tunc in praesentia castigata illa le- 17

quam si C. Popillius. Ita loquitur supra 40, 9, 7. *Ita me audias, precor, tamquam si, voce et conploratione nocturna excitus, mihi quiritanti intervenisses.* Ciceronem etiam hac formula *tamquam si*, et *tamquam si, ita* usum esse, adlatis exemplis ex orat., pro S. Rosc. 32. pro Caecin. 21. et Philipp. 2, 41. probat Stewech. de Partic. Ling. Lat. voce *Tamquam*. Quibus adde Cic. 2. ad Famil. 16. *Suadeo videas, tamquam si tua res agatur.* et 2. de Divin. 64. *Tamquam si Poeni aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine interprete.* Horum omnium non meminerat Inluſtr. Nic. Heins. quum, ex Mſſis apud Ovidium reponens, 7. Met. 753.

Dat mihi praeterea, tamquam se parva dedisset
Dona, canem munus,

addit, *tamquam si*, ut antea edebatur, minus elegans esse, licet bis terve apud A. Gellium obcurrat. Eodem modo optimos scriptores *veluti si*, et *quasi si* usurpasse, vidimus ad 1, 12, 7.

§. 14. *Tam civitatum, quam singulorum hominum*] *civitatium* edd. principes: ex quibus ita etiam laudat Voſſius 4. Gram. 14. Primus Curio *civitatum* edidit, quod omnes poſtea servarunt. Sed vide ad 33, 20, 11. et 41, 22, 7.

§. 15. *Atheniensium populus fama est*] Malim *Atheniensem*, et mox *Lacedaemonium*. J. FR. GRON. Gronovio adsentiebar, quum sub manum haberem locum Livii 5, 24, 3. quia Livium alibi, quam hoc loco, ita locutum non memineram. Nunc, vineta mea caedens, nihil mutandum puto, quia similis locutio supra obcurrit cap. 5, 2. *Quum in concione esse populum Samothracum animum advertisset. populus Karthaginiensium* in Mſſis eſt supra 21, 17, 4. et 29, 23, 5. *populi Aetolorum*

gatio erat, cum tam tristi responso vestro dimissa. si tum parum ignominiae pensum est, haec certe tam miserabilis ac supplex legatio etiam insolentioris, quam illa fuit, legationis satis magnum piacu-
18 *lum esset. Superbiam, verborum praesertim, iracundi oderunt, prudentes inridٍent; utique si inferioris adversus superiorem est: capitali poena nemo*
19 *umquam dignam judicavit. Id enimvero periculum erat, ne Romanos Rhodii contemnerent. Etiam Deos*

est apud Plin. 4. H. Nat. 2. *populus Scytharum* 6, 17. *populi barbarorum* 22, 1. *populi Graecorum* 30, 1. Neque multum hinc diversa sunt *lacus Lucrini*, *Timavi*, et similia, apud Livium obvia; de quibus vide ad 40, 19, 9.

§. 18. *Iracundi oderunt, prudentes inridٍent*] Ita recte Curio edidit, quum priores vitiose praeferrent *irriderent*. Erroris origo esse videtur, quod olim *od'unt* breviter scriptum fuerit; quod qui recte *oderunt* explicuit, se similem etiam notam verbo sequenti *irridٍent* additam videre credidit, et hinc *irriderent* exaravit. Ceteroquin, librarios passim similia tempora, syllabam *er* vel addendo, vel detrahendo, confudisse, vidimus ad 39, 52, 6.

§. 19. *Fulmine ictum audivimus*] Ita primi ediderunt Basil. anno 1554. quod mox Sigonius, et inde recentiores omnes receperunt. Antiquiores legunt *audimus*; quod non est spernendum. Vide ad cap. praec. §. 3. Eam igitur lectionem recepi.

§. 1. *Quid igitur superat, quod purgemus*] Haec lectio J. Fr. Gronovium auctorem habere videtur. Certe eam primum vidi in ejus editione anni 1665. quam deinceps reliqui editores adoptarunt. Priores praeferunt *quod purgamus*. Sed *purgemus* est purgare debemus.

§. 2. *Voluntatis nostrae tacite velut litem aestimari*] Minimo clam et tacite (neque etiam causa suberat) haec agebant senatores; sed palam in senatu graves de Rhodiis dicebant sententias, atque ipse praetor publicam de bello illis indicendo rogationem promulgabat. Lege *tacitae*, h. e. occultae voluntatis nostrae. Quamvis enim satis ferociter et liberius, quam aures Romanae ferre poterant, locuti essent, ut inde, quae tacita eorum foret voluntas, colligi facile forsan posset; non tamen apertis verbis declaraverant, Perseo se favere. Et verisimile est, ac decuit, legatos suae civitatis causam, quam maxime fieri potest, in hac oratione juvare. JAC. PERIZ. Recte Perizonium *tacitae* emendasse pronuncianti Crevierio consentio. Error inde natus est, quod passim in Mss. diphthongus *ae* in literam *e* mutata sit, unde etiam *libere et*

Deos aliqui verbis ferocioribus increpant, nec ob id quemquam fulmine ictum audimus.

XXIV. *Quid igitur superat, quod purgemus, si* 1
nec factum hostile ullum nostrum est, et verba tumidiora legati obfensionem aurium, non perniciem civitatis, meruerunt? Voluntatis nostrae tacitae vel- 2
ut litem aestimari vestris inter vos sermonibus audio, Patres conscripti: favisse nos regi, et illum vincere maluisse; ideo bello persequendos esse credunt. Alii vestrûm, voluisse quidem nos hoc, non 3

pudice, pro *liberae et pudicae*, datum erat supra 3, 50, 6. Eam lectionem recipiendam credidi. Gronovius in pr. ed. notarum dubitabat, Latiniusne foret *voluntati nostrae*, an *voluntatis*; quum tamen ipse, non tantum *litem alicui*, sed etiam *litem alicujus*, *aestimare* in usu fuisse, ex Cic. 4. in Verr. 10. lib. 5. in Verr. 19. Nep. in in Timoth. 3. et Vell. Pat. 2, 8. docuerit. Quibus adde Cic. pro Cluent. 41. *Omni contentione pugnatum est, ut lis haec capitis aestimaretur.* quod Manut. exponit, ut, quae capitis lis erat, ad pecuniae solutionem redigeretur. His itaque deinceps vir maximus permotus fuisse videtur, ut in iterata editione conjecturam omitteret, et tacite damnaret.

§. 3. *Ut, si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit, quo id fiat, capitis damnetur*) Scriptum exemplar: *ut si nihil fecerit.* Deleverunt particulam pro supervacua: at nos Livii morem in hac repetitione dudum exemplis probavimus. Quin et fuisse puto: *ut is si nihil fecerit.* J. FR. GRON. Prisca lectio *ut, si qui vellet inimicum perire, ut si nihil fecerit.* Vulgatum demum obvium fuit in ed. Vascos. Quod ad priorem partem verborum *si qui vellet* attinet, certum est *qui* et *quis* passim a librariis confundi. Vide Cortium ad Sall. Catil. 44, 5. Utrum vero hic praeferendum sit, liquido adfirmare nequeo. „Veteres enim certos fuisse elo„gantiae suae, et ubi *qui*, ubi „*quis* praestaret, usu fuisse do„ctos, licet nos saepe in his flu„ctuemus," adsentior Celeberr. Burm. ad Phaedr. 1, 13, 6. Si tamen sententia mihi dicenda foret, unici codicis lectionem damnare non auderem, quia *si qui*, pro *si quis*, saepius apud nostrum et alios obcurrit. Vide ad 3, 17, 7. et 6, 32, 5. Quod autem ad posteriorem partem, Perionius, qui conciones Livianas edidit, et in contextu veterum edd. lectionem *ut si nihil fecerit* servavit, in margine, teste Hearnio, scribendum conjecit *et si nihil fecerit.* Plurimis quidem locis voculas *et* atque *ut* a scribis commutari, vidimus ad 21, 28, 8. hic tamen magis arridet Gronovii emendatio *ut is, si nihil fecerit.* Ita hic primo duplicabitur particula *ut*; quod Livianum esse, vidimus ad 22,

tamen ob id bello persequendos esse: neque moribus, neque legibus ullius civitatis ita comparatum esse, ut, si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit,
4 *quo id fiat, capitis damnetur. His, qui nos poena, non crimine, liberant, gratiam quidem habemus: ipsi nobis hanc dicimus legem; si omnes voluimus, quod arguimur, non distinguimus voluntatem a fa-*
5 *cto: omnes plectamur. Si alii principum nostrorum vobis, alii regi faverunt; non postulo, ut propter nos, qui partium vestrarum fuimus, regis fautores salvi sint: illud deprecor, ne nos propter illos per-*
6 *eamus. Non estis vos illis infestiores, quam civitas ipsa; et hoc qui sciebant, plerique eorum aut profugerunt, aut mortem sibi consciverunt. alii, damnati a nobis, in potestate vestra erunt, Patres*
7 *conscripti. Ceteri Rhodii, sicut gratiam nullam meriti hoc bello, ita ne poenam quidem sumus. Prio-*
8 *rum nostrorum benefactorum cumulus hoc, quod nunc cessatum in officio est, expleat. Cum tribus regibus gessistis bella per hos annos. ne plus obsit*

11, 4. deinde *is* interceptum erit a sequenti *si*, quod iisdem literis, sed inversis, scribitur. De illa autem repetitione pronominis *is* vide ad 25, 27, 1.

§. 4. *Si omnes voluimus, quod arguimur*] Ita primus Vascos. Antiquiores *volumus*. Sed recepta lectio praeferenda est. Pariter enim supra *favisse nos regi, et illum vincere maluisse*, deinde *voluisse quidem nos hoc*, non *favere, malle*, et *velle*; deinde mox *faverunt*, non *favent*.

§. 6. *Et hoc qui sciebant*] Scribendum puto *et hoc quia sciebant*, *plerique* etc. JAC. PERIZON.

§. 8. *Ne plus obsit nobis, quod uno bello cessavimus, quam quod duobus bellis*] Una vox excidisse, ac legendum videtur, *quam prosit, quod duobus bellis*. Idem etiam Cl. Crevierio in mentem venit.

§. 9 *Tres sententias ponite. duae nos absolvunt: una dubia est, ut gravior sit*] Videtur aliquid excidisse, et scripsisse Livius: *una dubia est; tantum abest, ut gravior sit*. Nec absolvit, quia non juvimus; nec

nobis, quod uno bello cessavimus, quam quod duobus bellis pro vobis pugnavimus. Philippum, Antiochum, Persea, tamquam tres sententias, ponite. duae nos absolvunt: una dubia est, ut gravior sit. Illi de nobis si judicarent, damnati essemus. vos judicate, Patres conscripti, sit Rhodus in terris, an funditus deleatur. Non enim de bello deliberatis, Patres conscripti, quod inferre potestis, gerere non potestis; quum nemo Rhodiorum arma adversus vos laturus sit. Si perseverabitis in ira, tempus a vobis petemus, quo hanc funestam legationem domum referamus: omnia libera capita, quidquid Rhodiorum virorum, feminarum est, cum omni pecunia nostra naves conscendemus; ac, relictis penatibus publicis privatisque, Romam veniemus: et, omni auro et argento, quidquid publici, quidquid privati est, in comitio, in vestibulo curiae vestrae, cumulato, corpora nostra conjugumque ac liberorum vestrae potestati permittemus, hic passuri, quodcumque patiendum erit. procul ab oculis nostris urbs

9 10 11 12 13

condemnat, quia non contra fletimus: tantum abeſt, ut certo condemnet. J. FR. GRON. Voces *tantum abest* neglegentia librarii facile excidere potuerunt ob praecedentem vocem *est*. V. ad 9, 11, 11. Ita *gravior sententia* erit, sententia quae majorem habet auctoritatem, quam duae reliquae. Ita *gravis auctor* supra 1, 16, 5. ubi vide. At vulgatum tuentur Doujatius et Crevierius: quorum prior hoc Livium velle putat, unam sententiam contra duas, quae certae et indubitatae sunt, praeponderare non debere; quamvis enim daretur, hanc, si certa eſſet, graviorem eſſe alterutra duarum, graviorem tamen ac juſtiorem haberi non poſſe, quandoquidem dubia eſt. Verum hic sensus qua ratione ex verbis Livii efficiatur, non intelligo. Clariſſ. Crevierius *ut gravior sit* exponit, etiamsi severior, durior sit. Eo sensu *sententia gravis* eſt apud Caesar. 1. B. Civ. 2. *Dicuntur sententiae graves: ut quisque acerbissime crudelissimeque dixit, ita quam maxime ab inimicis Caesaris conlaudatur.*

§. 14. *Quod numquam judi-*

14 *nostra diripiatur, incendatur. Hostes Rhodios esse, Romani judicare possunt; est tamen et nostrum aliquod de nobis judicium, quo numquam judicabimus nos vestros hostes: nec quidquam hostile, etiam si omnia patiemur, faciemus.*

1 XXV. Secundum talem orationem universi rursus prociderunt, ramosque oleae supplices jactantes, tandem excitati, curia excefferunt. Tunc sen-
2 tentiae interrogari coeptae. Infestissimi Rhodiis erant, qui consules praetoresve aut legati gesserant in Macedonia bellum. Plurimum caussam eorum adjuvit M. Porcius Cato; qui, asper ingenio, tum
3 lenem mitemque senatorem egit. Non inseram si-

cavimus nos vestros hostes] Voluit *quo numquam judicabimus*. J. FR. GRON. Illud *quo* nunc vulgo exstans, quod unde invectum sit, se nescire fatetur Crevierius, Gronovio debetur, ut praemissa ejus nota docet. Et hanc conjecturam jam anno 1645. in contextum recepit. Ut tamen de auctore ejus lectionis dubitaret Crevierius, caussam praebuerunt operae typographorum; ab his enim in ed. Jac. Gronov. anni 1679. in nota J. Fr. Gronovii perperam *qui*, pro *quo*, substitutum est. Sed errorem typographicum deprehendit Clariss. editor, et in syllabo erratorum monuit. Verum ne vel ex hoc syllabo se expedire posset, forte nova typothetarum menda fraudi fuit, quorum culpa factum est, ut in syllabo illo error hic, qui pag. 963. commissus erat, referretur ad pag. 983.

§. 3. *Ipsius oratio scripta exstat*] Ex ejus oratione quaedam excerpta vide apud Gellium 7, 3.

Originum quinto libro inclusa] Norisius Cenotaph. Pisan. Diss. 1. cap. 1. pag. 4. scribit, Catonem nondum id temporis *Originum libros* exarasse, idque certe Livio notandum fuisse. Non intelligo, quid hoc sit, nec ullam probabilem caussam invenio, cur Livius id hoc loco annotare debuerit. Si Cato tum nondum scripserat librum quintum Originum, tamen omnes earum libri dudum exstabant, et in omnium manibus erant, quum Livius haec scribebat. Alia ratio est in eo, quod 34, 5. L. Valerium de iis, ut a se lectis, loquentem inducit, de quibus scribendis fortasse tum nondum cogitaverat Cato. DUK.

§. 5. *Subsistere, quae agerentur, sciret, certioresque suos faceret*] Videtur legendum, *quae, quae agerentur, sciret*, atque alteram *quae* esse incuria praetermissam. SIG. Mallem, *partem cum Astymede Romae subsistere, qui, quae agerentur, scirent, certioresque suos face-*

mulacrum viri copiosi, quae dixerit, referendo: ipsius oratio scripta exstat, Originum quinto libro inclusa. Rhodiis responsum ita redditum est, ut 4
nec hostes fierent, nec socii permanerent. Philocrates et Astymedes principes legationis erant. Par- 5
tem cum Philocrate renunciare Rhodum legationem placuit, partem cum Astymede Romae subsistere, quae agerentur, sciret, certioresque suos faceret. In praesentia deducere ante certam diem ex Lycia 6
Cariaque jusserunt praefectos. Haec Rhodum nunciata, quae per se tristia fuissent, quia majoris mali levatus erat timor, quum bellum timuissent, in gaudium renunciata verterunt. Itaque extemplo co- 7

rent. Retulit ad legatos: nam pars legationis sunt nihil aliud, quam legati quidam. Id durius visum librariis, et numerum mutarunt J. FR. GRON. Vulgatae lectioni patrocinium exserit Doujatius, statuens absciſſum posterius, et per se absolute capiendum; unde majori interpunctione a praecedenti *subsistere* erit dividendum. Clericus excidisse putavit voculam *ut*, quam etiam, sed alia characterum forma, et circinulis inclusam, in contextum recepit *subsistere*, [ut,] *quae agerentur, sciret.* Verisimilior tamen Gronovii conjectura videtur. Librarii primo numerum mutantes dederunt *sciret*, et *faceret*, quia τό *qui* ad solum principem legationis Astymedem referendum putabant, cum referri debeat ad junctas voces *partem cum Astymede.* Locutio autem *partem* legatorum *cum Astymede subsistere, qui scirent* partim similis est ei, quae obcurrit 21, 60, 7. *dux cum principibus capiuntur*; partim illi, quae 27, 1, 12. *pars in fugam effusi.* quibus locis plura vide. Deinde *qui* excidit ob similitudinem sequentis *quae.*

§. 6. *Deducere ante certam diem ex Lycia Cariaque jusserunt praefectos*] Polybius hoc decretum senatus post missam legationem, quae coronam ferebat, factum tradit. DUK. *deducere praefectos ex regione* alibi me legere non memini: lego itaque *praesidia*, vel *praesidiarios*, pro *praefectos.*

§. 7. *Coronam viginti millium aureorum decreverunt*] Polybius [Exc. Leg. num. 93.] στέφανον ἀπὸ μυρίων χρυσῶν. Utrum igitur hic διςμυρίων, an ibi *decem millium*? J. FR. GRONOV. Audacior Gronovio Hotomannus, qui libro de Re Numm. pag. 364. lectionem Polybii probat, et in Livio legendum censet *decem*, pro *viginti.* Cum Gronovio tamen rem in medio relinquere malo. Lectioni Livianae favet corona Pamphylio-

ronam viginti millium aureorum decreverunt: Theodotum, praefectum classis, in eam legationem miserunt. Societatem ab Romanis ita volebant peti, ut nullum de ea re scitum populi fieret, aut literis mandaretur: quod, nisi impetrarent, major repul-
8 sis ignominia esset. Praefecti classis id unius erat jus, ut agere de ea re sine rogatione ulla perlata
9 posset. nam ita per tot annos in amicitia fuerant, ut sociali foedere se cum Romanis non inligarent

rum ejusdem ponderis senatui Romano oblata lib. 44, 14. Ceterum *viginti millibus aureorum* editi ante ultimam Gruteri, quae *millium* substituit: ut numerus per notas expressus fuerit, in quibus explicandis priores editores errarunt. V. ad 28. 9, 16. Et sane vel ita legendum est; nam ita loquitur Livius 38, 14, 5. *Coronam auream quindecim talentûm adferebant.* vel *coronam ex viginti millibus aureorum*; similiter enim 44, 14, 3. *Coronam auream ex viginti millibus Philippeorum factum in curiam intulerunt.* Polybius quidem, quem Livius descripsit, loco laud. dicit σέφανον ΑΠΟ μυρίων χρυσῶν, unde posterior lectio videretur probanda esse. Verum id non urgendum est: quod enim Livius lib. 38, 14, 5. dixit *coronam quindecim talentûm*, Polyb. in Exc. Legat. num. 30. effert σέφανον ΑΠΟ πεντεκαίδεκα ταλάντων.

Theodotum, praefectum classis] Ex Polybio puto corrigendum Livium in legati hujus nomine, qui Θεαίτητος nominatur [Exc. Legat. num. 93.] Καὶ καταστήσαντες πρεσβευτὴν ἅμα καὶ ναύαρχον Θεαίτητον ἐξέπεμπον. ita et infra apud Polyb. nominatur. URSIN. ad Polyb. Exc. Legat. num. 93. Ursinus in loco Polyb. laudato edidit ναύαρχον Θεόδοτον, pro quo recte in notis laudat Θεαίτητον, (sive ita in cod. suo receperit, sive ex conjectura emendandum censuerit) et in Livio emendat *Theaetetum*. Inter illos enim, qui praecipue Rhodi Romanis favebant, frequenter memoratur Theaetetus. V. Polyb. Exc. Leg. num. 70. et 80. Hinc maxime idoneus erat, qui legatus Romam mitteretur, et operam daret, ut Romani cum Rhodiis, quibus admodum infesti erant, in gratiam redirent, et cum iis societatem inirent. Quin et diserte principem legationis, quae coronam Romam adlatura erat, Theaetetum vocat Polyb. ibid. inferius. Ἄρτι δὲ τῶν περὶ τὸν Θεαίτητον καταπεπλευκότων ἀπέσησαν Καύνιοι. In hac autem legatione cum ortogenario majorem Romae obiisse, narrat idem Polyb. Exc. Leg. num. 99. Eumdem olim, post victum Antiochum, a decem legatis, qui Romanorum nomine res Asiae ordinarunt, Lyciam et Cariam obtinuisse, refert Polyb. Exc. Leg. num. 39.

Quod, nisi impetrarent, major repulsis ignominia esset] Forte, *quo, si non impetrarent,*

ob nullam aliam cauſſam, quam ne spem regibus abscinderent auxilii sui, si cui opus eſſet, neu sibi ipsis fructus ex benignitate et fortuna eorum percipiendi. Tunc utique petenda societas videbatur; non quae tutiores eos ab aliis faceret, (nec enim timebant quemquam, praeter Romanos) sed quae ipsis Romanis minus suspectos. Sub idem fere tempus et Caunii descivere ab his, et Mylasenses Euromensium oppida occuparunt. Non ita fra-

10 11 12

minor repulsae ignominia esset. J. FR. GRON. *quo* et *quod* saepius a librariis commutantur. Vide ad 36. 33, 3. Pariter etiam *minor* et *major*. Vide ad 4, 42, 9. 7, 35, 10. 9, 5, 9. 28, 28, 9. et c. 43, 8. Nec aliter *minus* et *magis*. Vide Burm. ad Quinctil. Decl. 7, 1. ad Nason. 5. Triſt. 2, 5. et viros doctos ad Nason. 1. Art. Am. 644. Si vero conjectura haec placet, non opus tamen eſt, ut *si non* legamus, pro *nisi*, quae particula paſſim eo sensu usurpatur. Verum vulgata etiam lectio commodo sensu exponi poteſt hoc modo, *quod, nisi impetrarent*, (intellige, poſtquam ea de re scitum populi factum, et literis mandatum eſſet) *major repulsis ignominia esset*. Et ita fere Doujatius ac Crevierius.

§. 8. *Nam ita per toi annos*] Prope centum et quadraginta. Polyb. Legat. 93. ex quo pleraque omnia, quae hoc cap. tradit Livius, descripta sunt. *Socii* ab *amicis* etiam cap. 20. diſtinguuntur. Itaque non omnes, qui amici, etiam socii sunt; qui socii, iidem et amici. 32, 54, 8. *Socio atque amico regi*. Quod Livius dicit *sociali foedere se cum Romanis non illigarent*, Polybius Graece expreſſit, *οὐκ ἐβούλοντο συνδυάζειν, οὐδὲ προκαταλαμβάνειν φρᾶς αὐτοὺς ὅρκοις καὶ συνθήκαις*. Rhodum tamen *sociam urbem* vocat Liv. c. 10, 6. et hoc cap. de Rhodiis ait, *ut nec hostes fierent, nec socii permanerent*. Nec Gellius ad hoc diserimen attendit 7, 3. *Rhodiensis civitas quum amica atque socia populi Romani foret*. DUKER.

§. 9. *Ne spem regibus abscinderent*] *absciderent* primae edd. Poſtea Vascos. cumque secuti reliqui omnes *abscinderent* vulgari curarunt. V. ad 31, 34, 4. Ita *spes abscisa* in Mſtis eſt, ubi *abscissa* vulgo editur. V. ad 4, 10, 4. et Cel. Duker. ad 35, 32, 6.

§. 10. *Quae ipsos Romanis minus suspectos*] Ita legendus hic locus ex fragmento Polybii 93. cum dictio *ipsis*, quae in libris male posita eſt, pro *ipsos*, totam sententiam perturbet. URSIN. Jam bis monuit Fulvius, *τὸ ipsis* male positum eſſe, et omnem sententiam perturbare; scribendum autem *ipsos*. Cui tu credere noli. Videtur oblitus paullo ante positum *Eos*. J. FR. GRON. Ursinus ita emendavit non tantum in notis ad hunc loc. sed etiam ad Polyb. Exc.

cti animi civitatis erant, ut non sentirent, si Lycia et Caria ademtae ab Romanis forent, cetera aut se ipsa per defectionem liberarent, aut a finitimis occuparentur, includi se insulae parvae et sterilis agri litoribus, quae nequaquam alere tantae urbis
13 populum posset. missa igitur juventute, propere et Caunios, quamquam Cibyratarum adsciverant auxilia, coëgerunt imperio parere; et Mylasenses Ala-

Legat. num. 93. Rectius tamen Gronovius vulgatum tuetur.

§. 12. *Si Lycia et Caria ademtae ab Romanis forent*) Legendum *ademptae ab Rhodiis forent*, non, ut est in vulgatis editionibus, *ademptae ab Romanis forent*; quae lectio ex eodem Polybii fragmento elicitur, in quo est: *Διότι δεῖ Κάρας καὶ Λυκίους ἐλευθέρους εἶναι πάντας, ὅσους προσένειμε Ῥόδιοις.* Nam et apud ipsum Polybium librarii saepe in eo peccarunt, ut *Ῥωμαίους*, pro *Ῥοδίους*, scripserint. URSIN. Fulvius *ademptae ab Rhodiis forent*. Eam lectionem a Polybii fragmento elici, in quo sit: *ἡ σύγκλητος ἐξέβαλε δόγμα, διότι δεῖ Κάρας καὶ Λυκίους ἐλευθέρους εἶναι πάντας, ὅσους προσένειμε Ῥοδίοις μετὰ τὸν Ἀντιοχικὸν πόλεμον.* Sed primo de sermone dubites; *adimere* enim *alicui* dicimus: dein supervacuum *τὸ ab Rhodiis*, cum praeceflerit *civitatis*: tertio semiplena est oratio, si dicatur, alios liberare se ipsos, alios a finitimis occupari, alios adimi, non addito, per quem adimantur: duo enim alia genera auctores habent. Denique ubi mens fuit hominis, cum haec verba Polybii et Livii commisit? Si quaerebat locum, ubi Livius meminisset hujus senatusconsulti, invenire poterat lib. 44, 15. J. FR. GRON. Fulvii conjectura quidem nequaquam probabilis est, sed locus Livii 44, 15. huc non pertinet. Nam Livium hic non respexisse ad ea, quae ibi a Claudio prodita narrat, de quibus nihil habet Polybius, sed prope ad verbum interpretatum esse verba Polybii, et Fulvium eum iis recte commisisse Liviana, legationem 93. inspicienti manifestum est. DUK. Eamdem conjecturam Ursinus etiam proposuit ad Polyb. Exc. Leg. num. 93.

§. 13. *Quamquam Cibyratarum asciverant auxilia*) Forte melius *acciverant*. J. FR. GRON. *adscitus* et *adcitus*, vel *accitus*, saepe in Mss commutantur. V. ad 4, 31, 6. 6, 40, 4. 7, 4, 3. 8, 27, 6. et 21, 2, 4. Adde N. Heins. ad Nas. 15. Met. 625. et Cortium ad Sall. Catil. 47. De locutione autem *adcire auxilia* vide ad 40, 47, 4. Potest tamen et vulgatum commode servari. Supra 4, 31. *Missis circum Etruriae populos legatis, voluntarios undique ad spem praedae adsciverunt.*

Mylassenses Alabandenosque) *Μυλάσσαι* unico σ tantum cum scribatur a Graecis, *Mylasenses* scribendum est. Porro autem *Alabandaeos* videtur scribendum. Cicero enim dixit in Bruto [95.] *Hierocles Alaban-*

bandenosque, qui, Euromensium provincia ademta, ad ipsos conjuncto exercitu venerunt, circa Orthosiam acie vicerunt.

XXVI. Dum haec ibi, alia in Macedonia, alia 1
Romae geruntur; interim in Illyrico L. Anicius, rege Gentio, sicut ante dictum est, in potestatem redacto, Scodrae, quae regia fuerat, praesidio imposito Gabinium praefecit, Rhizoni et Olcinio ur- 2

daeus, et alibi [1. de Orat. 28.] *Apollonius Alabandensis*. Stephanus autem Ἀλάβανδα, πόλις Καρίας. Τὸ ἐθνικὸν Ἀλαβανδεύς. SIGON. Sigonio *Alabandaeos* videtur scribendum: Ciceronem enim dixisse in Bruto *Hierocles Alabandaeus*, alibi *Apollonius Alabandensis*. Stephanum autem, Ἀλαβανδα πόλις Καρίας. Τὸ ἐθνικὸν Ἀλαβανδεύς. Haec inter se parum consentiunt. Nam Ἀλαβανδεύς non magis gignit *Alabandaeus*, quam Ἁλικαρνασσεύς *Halicarnassaeus*. Est ergo apud Ciceronem quoque scribendum aut *Hierocles Alabandeus*, aut ex Livio *Alabandenus*. Neque haec forma analogiae repugnat, ut putat Sigonius. Sic *Labranda* Λαβρανδηνός, *Halyatta* Ἁλιατηνός, *Amatha* Ἀμαθηνός, Ὑπαιπα *Hypaepeni*. Apud Tacitum [4. Ann. 55.] Sic Ἀγβάτανα Ἄγβατεύς et Ἀγβατηνός. *Caryanda* Καρυανδεύς et Καρυανδηνός, *Gadara Gadareus* Suetonio [in Tiber. 57.] et Γαδαρηνός Stephano. J. FR. GRONOV. ΜΥΛΑΣΕΩΝ esse in nummis, testantur eruditi. Unde, inducto altero *s*, scribendum foret *Mylasenses*. JAC. GRON. Multa hujus generis habet Stephanus. Vel in primo elemento Ἀδροτα Ἀδροττεύς et Ἀδροττηνός, Ἀνδειρα, Ἀνδειρηνός. Apud Cic. in Bruto 95. in Lamb. et Grut. edd. est *Alabandaeus*; rectius in recentioribus *Alabandeus*. *Halicarnasseus* 2. de Divin. 42. et in his, et in illis, et in Cornel. Nep. Lysandr. 3. Gentile *Alabandensis* habet Livius 38, 13. et 43, 6. DUK. *Mylasenses*, altero sibilo inducto, legendum monuit etiam Ursin. ad Polyb. Exc. Leg. num. 93. Vide superius notata ad 38, 39, 8. et Manut. ad Cic. 5. Philipp. 7. Recte vero Gronov. *Alabandenosque* contra Sigonium defendit, et apud Cic. vel *Alabandenus*, vel, ut nunc optimae edd. praeferunt, *Alabandeus* emendat. Pariter a Μύλασα Graeci declinarunt Μυλασεῖς, Latini vero *Mylasenses* et *Mylaseni*. Vide ad Livii d. loc.

§. 2. *Rhizoni et Olzinio*] *Rizonitae* sine adspiratione incolae infra vocantur hoc cap. Quare vel hic *Rizoni*, vel postea *Rhizonitae* legendum, quod posterius secutus sum. Eamdem scripturam viri docti adoptarunt in Plinio 3. Hist. Nat. 22. *Rhizinium* edentes. Praeterea, quoniam alterius urbis incolae inox bis *Olciniatae* vocantur, Cellar. 2. Geogr. Ant. 8, 301. hic etiam *Olcinio* scribendum putat. Neque aliter praeferunt edd. ante Francofurtanam anni 1578. quae operarum errore *Olzinio* dedit. Plinius l. laud. adscita adspira-

3 bibus opportunis C. Licinium. Praepositis his Illyrico, cum reliquo exercitu in Epirum est profectus. ubi prima Phanota ei dedita, tota multitudine
4 cum infulis obviam effusa. hic praesidio inposito, in Molossidem transgressus: cujus omnibus oppidis, praeter Passaronem, et Tecmonem, et Phylacen, et Horreum, receptis, primum ad Passaronem
5 ducit. Antinous et Theodotus principes ejus civitatis erant, insignes et favore Persei, et odio adversus Romanos: iidem universae genti auctores
6 desciscendi ab Romanis. Hi conscientia privatae noxae, quia ipsis nulla spes veniae erat, ut communi ruina patriae obprimerentur, clauserunt portas, multitudinem, ut mortem servituti praepone-
7 rent, hortantes. Nemo adversus praepotentes vi-

tione *Olchinium* vocat, ut, nomen a Colchis deducendum esse, verisimilius reddat. *Οὐλκίνιον* vocat Ptolem. 2, 17. ubi propius ad Pliinii etymologiam *Ὀλκίνιον* legendum est. Ceterum, quum mox Licinius addito praenomine memoretur, in praecedentibus Gabinii praenomen excidisse videtur. Quo vero nominatus fuerit, incertum est. *Auli* et *Publii* praenomina in ea gente usitata sunt.

§. 4. *Hic praesidio inposito, in Molossidem transgressus*] *Molosidem* uno *s* scribendum, auctore Stephano. *Μολοσία*, inquit, *χώρα τῆς Ἠπείρου. ὁ οἰκήτωρ Μολοσσός, καὶ Μολοσοὶ δι ἐνός τ.* SIG. Mallem. *hinc praesidio imposito. in M.t.* DUK. Verum est, olim *Μολοσία* in Steph. Byz. scriptum fuisse: verum recte postea *Μολοσσία* editum est. quomodo id nomen passim apud alios scriptores Graecos et Latinos exaratur: quos tutius Sigonius duces secutus fuisset, quam corruptas Stephani editiones: quem hoc nomine etiam reprehendit Voss. ad Scylac. Caryand. Peripl. pag. 28. V. etiam supra ad 8, 24, 3. *Hic* et *Hinc* innumeris locis a scribis librariis confunduntur. V. ad 26, 13, 13.

Tegmonem] *Tecmonem* ex Stephano, qui ait: *Τέκμων, πόλις Θεσπρωτῶν, ὁ πολίτης Τεκμώνιος.* SIGON.

§. 5. *Antinous et Theodotus principes ejus civitatis erant*] Antinoum Charopi delationibus et apud Romanos criminationibus, quasi Perseo faveret, coactum fuisse, ut ferme invitus a Romanis desciscceret, narrat Polyb. in Exc. de Virtut. et Vit. pag 1443. et 1447. De Theodoto vero, qui id frustra operam dedit ut consulem Hostilium Per-

ros hiscere audebat. Tandem Theodotus quidam, nobilis et ipse adolescens, quum major a Romanis metus timorem a principibus suis viciſſet, *Quae vos rabies*, inquit, *agitat, qui duorum hominum noxae civitatis accessionem facitis? Equidem pro patria qui* 8 *letum obpetissent, saepe fando audivi: qui patriam pro se perire aequum censerent, hi primi inventi sunt. Quin aperimus portas, et imperium accipimus, quod orbis terrarum accepit?* Haec dicentem quum multitudo sequeretur, Antinous et Theodotus in primam ſtationem hoſtium inruperunt, atque ibi, obferentes se ipsi vulneribus, interfecti. urbs dedita eſt Romanis. Simili pertinacia Cephali principis 10 clausum Tecmonem, ipso interfecto, per deditionem recepit. Nec Phylace, nec Horreum, obpu-

seo proderet, vide ibid. pag. 1444. et 1447.

§. 8. *Duorum hominum noxae civitatis accessionem facitis*] *civitatem*, ut supra dictum. J. FR. GRON. Cl. Jac. Perizonius ad marginem Livii adscripserat, forte vulgatum servandum, et per ellipsin vocis *nôxam*, vel *causam* hoc modo exponendum eſſe; facitis noxam, vel cauſſam civitatis acceſſionem noxae duorum hominum. Doujatius etiam vulgatum servat, sed ita explicat: „facitis civita-„tis acceſſionem ad crimen duo-„rum, qui soli noxii: sive as-„sentiendo vosque adjungendo „noxiis illis duobus, efficitis, „ut civitas accedat ad eorum „crimen.“ Verum cum Crevierio magis placet conjectura Gronovii, quem vide ad h. l. cap. 7, 2.

§. 9. *In primam stationem hostium inruperunt*] Jac. Perizonius in margine Livii scribendum conjecit *eruperunt*, nimirum ex urbe. Si codex ita praeferret, omnino recipiendum putarem. Nunc et vulgatum ferri poſſe exiſtimo.

§. 10. *Simili pertinacia Cephalonis principis*] Meminit quidem alicubi *Cephalonis* Polybius, qui familiaris Arati ex morientis ore exceperat verba nota, regias amicitias deteſtantia. Sed hunc Molossum Polybius et Diodorus *Cephalum* appellant. Ille [Exc. de Virt. et Vit. pag. 1447.] *Μετέρρίψαν πρὸς Περσέα τὸ τῶν Μολοσσῶν ἔθνος Ἀντίνους, καὶ Θεόδοτος, καὶ Κέφαλος.* ubi et socios eosdem ejus nominari vides. Immo Livius ipse sic lib. 43, [18.] *Thraciae pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione a Romanis praestarent.* J. FR.

11 gnationem tulerunt. Pacata Epiro, divisisque in hiberna copiis per opportunas urbes, regressus ipse in Illyricum, Scodrae, quo quinque legati ab Roma venerant, evocatis ex tota provincia principibus, 12 conventum habuit. Ibi pro tribunali pronunciavit de sententia consilii: *Senatum populumque Romanum Illyrios esse liberos jubere. praesidia ex omnibus oppidis, arcibus, et castellis sese deducturum.*

GRON. Ejusdem *Cephali* meminit etiam Polybius ibid. pag. 1442. ubi narrat, qua ratione ferme invitus a fide Romanorum ad Persea Macedoniae regem defecere coactus sit; quod brevius fecit Diod. Sic. in Exc. Peiresc. pag. 309.

§. 12. *Pronunciavit de sententia consilii*] Ita legendum monuit Gronov. ad 44, 2, 5. Nec aliter praeferunt edd. ante Modium; qui errore, quem saepissime in Livio edendo commisit, *concilii* vulgari curavit.

§. 13. *Dassaritiorum Tirustas, Rizonitas*] Hos Ptolemaeus [2, 17.] *Ἱπιρούσιος*, Strabo lib. 7, [314.] *Ἱπιρούσαι* vocat. Quare *Pirustas* lege. SIG. Prima ed. *Dassaretiorum Tirustaras, Inittas*. Mox subsecuta Frobenii editio *Dassaretiorum Tirustas, Rizonitas*. Sigonius *Dassaritiorum Pirustas, Rhizonitas*. De *Dassaretiis* v. ad 27, 32, 9. *Pirustae* memorantur apud Caesar. 3. B. G. 1. *In Illyricum proficiscitur, quod a Pirustis finitimam partem provinciae incursionibus vastari audiebat*. Et mox, *Qua re nunciata, Pirustae legatos ad eum mittunt*. Idem nomen etiam Gerard. Vossius restituit Vellejo Pat. 2, 115. ubi hodie ex emendatione Nic. Heinsii in curis secundis editur *Perustae*, et libri antiquitus typis descripti praeferunt *Perusia*. Utrum hi *Pirustae* iidem sint, qui *Pyrissei* vocantur apud App. Alex. in B. Illyr. pag. 763. et *Pyraei* apud Plin. 3. H. N. 22. incertum est. Inter hos Pyraeos et Liburnos emittitur fluvius Nar, teste Mela, 2, 3 fin. Verum nondum locus persanatus est, si credimus Palmer. Graec. Ant. 18 qui, caussatus *Rhizonitas* et *Olciniatas* (de *Tirustis* enim se nihil legisse profitetur) ad mare ultra Lissum et Scodram habitantes a nemine Dassaretiis adcenseri, suo periculo legi jubet *Dassaretios, tum Tirustas, Rhizonitas*, etc. Non male, nisi quod cum Sigonio malim *Pirustas*. Doujatius existimat, Livium velle, solos Pirustas Dassaretiorum populum esse, non item Rhizonitas et Olciniatas. Verum secundum Ptolemaeum 2, 17. *Ἱπιρῶται* (ita enim in ed. Mercatoris vocantur, non ut Sigonius ex Ptolemaeo laudat, *Ἱπειρῶται*) Illyrici populus est: at vero 3, 13 *Δασσαρήτιος* Macedoniae. Unde dicendum videtur, *Pirustas* non fuisse *Dassaretiorum* populum.

§. 14. *Daorseis quoque*] Ptolemaeus [2, 17.] *Δαορσίους* vocat; alii, puto, *Δαορίζους*. Strabo lib. 7, [pag. 315.] ubi de Illyriis agit, *εἶδ' ὁ Νάρων ποταμὸς, καὶ ὁ περὶ αὐτὸν Δαόρι-*

Non solum liberos, sed etiam inmunes fore Issenses, 13
et Taulantios, Dassaretiorum Pirustas, Rhizonitas,
Olciniatas, quod, incolumi Gentio, ad Romanos de-
fecissent. Daorseis quoque inmunitatem dare; quod, 14
relicto Caravantio, cum armis ad Romanos trans-
issent. Scodrensibus, et Dassarensibus, et Selepi-
tanis, ceterisque Illyriis, vectigal dimidium ejus,
quod regi pendissent. Inde in tres partes Illyricum 15

201. SIGON. *Daorizi* etiam vocantur Plinio lib. 3. H. N. 22. Eosdem *Δάρσους* vocari, putant viri docti, apud App. Alex. B. Illyr. pag. 757. quos nomen accepisse narrat ab Illyrii filia, quam *Δαορσὼ* vocat. Quum autem id nomen propius ad *Daorseos*, vel *Daorizos* accedat, vox *Δάρσοι* apud Appianum erroris suspecta fit.

Dassarensibus, et Selepitanis] Utrum *Dassarenses* iidem sint, qui alibi *Dassaretii* vocantur, ut Doujatius existimat, incertum est. Cautius Ortel. in Thes. Geogr. id eruditioribus investigandum reliquit. *Selepitani* alibi non memorantur. Hinc nomen illud suspectum habens Doujatius vel *Sulonitanis*, vel *Salvianis* legendum censet. Abundans etiam conjecturis additi Plinium 3. H. N. 22. inter Dalmatiae insulanos memorare *Separos* et *Epetinos*; ex quorum duorum nominibus, librariorum errore corruptis, facile *Selepitanos* nasci potuisse opinatur. Quasi vero inter locorum ac populorum nomina, praesertim in regione Romanis minus cognita et explorata, nulla *ἅπαξ λεγόμενα* obcurrant: qualia tamen in solo Livio plura supra memorata sunt. Quum itaque hanc, quae vulgo exstat, lectionem praeferat prima editio, eam, unico codice invito, mutare periculosum est. Mecum sentit Cl. Crevierius.

Illyriis vectigal dimidium ejus, quod regi pendissent] *pependissent*, ut bis hoc libro dixit. SIG. Videtur excidisse *impositum*. MURET. Ex hoc loco patere posse existimat Vossius 5. Gramm. 26. *pendo* perfectum formasse sine geminatione *pendi*. Cum Sigonio tamen librariorum inertiae tribuere malo, duarum priorum literarum duplicationem neglectam esse. Recte vero Muretus vocem *inpositum* hic intercidisse putat. Infra cap. 29. *Vectigal exercentibus dimidium ejus inpositum, quod pependissent regi.*

§. 15. *Unam eam fecit, quae supra dicta est*] Livium de ea re supra nihil dixisse, viri docti observant. unde Crevierius, vel hic aliqua intercidisse, vel Livium rem non parum fastidiosam indiligentius transcurrisse, opinatur: hinc etiam non facile definiri posse ex antecedentibus, quos populos habuerit prima haec Illyrici pars. Id quidem facere conatus est Doujatius; sed ipse difficultates, quibus sententia sua premeretur, probe vidit.

Tertiam Agrauonitas] *Agrauonitae* alibi non memorantur:

divisit. unam eam fecit, quae supra dicta est: alteram Labeatas omnes; tertiam Agranonitas, et Rhizonitas, et Olciniatas, adcolasque eorum. hac formula dicta in Illyrico, ipse in Epiri Passaronem in hiberna rediit.

XXVII. Dum haec in Illyrico geruntur, Paullus ante adventum decem legatorum Q. Maximum filium, jam ab Roma regressum, ad Aeginium et

quod ansam praebuit Doujatio conjiciendi *Ascrivionitas*; *Ascrivium* enim vel *Ascrivion* Dalmatiae urbem esse. Sane *Ascrivium* simul cum *Rhizinio*, Butua, et *Olchinio* memorat Plinius 3. H. N. 22. Verum recte Crevierius observat, ab *Ascrivio* urbe non bene formari nomen gentilitium *Ascrivionitae*; addens licere aliqua ignorare. Vide, quae de *Selepitanis* ad §. 14. dicta sunt.

Rhizonitas et Olciniatas] et *Olceratinos* perperam ed. prima, quod Frob. anno 1535. in *Olciniatas* mutavit; qui cum *Rhizonitis* memorantur §. 13. eorumque urbes *Rhizon* et *Olcinium* §. 2.

§. 1. *Ad Aeginium et Agassas diripiendas*] Singulari numero *Agassam* supra memorat 44, 7. Sine dubio idem utrobique oppidum refertur, et alter locus ex altero emendandus est. Praeterea Ortelius in Thes. Geogr. h. voce, rejecta Turnebi conjectura, qui supra ad d. loc. Livii *Pagausam* vel *Pagasam* emendabat, scribendum opinatur *Tagasas* ex Athen. 1. Deipn. pag. 27.

Αἱ Ταγασαὶ δούλουσ καὶ σιγματίαν παρέχουσι.

Existimat autem errori cautam dedisse, quod librarius geminationem elementi *T.* ex ore praelegentis non perceperit, et hinc, quin prius *Tagassas* scriptum fuerit, non dubitabat. At contra Casaub. locum Athenaei in mendo cubare opinatus est, et ex Mss. edidit *Αἱ Παγασαὶ δούλουσ. Ἀγησσὸς πόλις Θράκης* obcurrit apud Steph. Byz. Ad quem locum Pinedo *Ἀγησσὸν* Stephani *Agassam* vel *Agassas* a Livio vocari docet: obvium enim apud scriptores esse, oppidorum nomina numero, genere, et terminatione variare; neque obstare, quod Stephani *Agessus* Thraciae, Livii *Agassam* vel *Agassas* Macedoniae urbs sit; Macedoniam enim et Thraciam esse regiones confines; apud scriptores autem translativum esse, regionum confinia misceri. Agnosco equidem, saepe loca quaedam ab hoc Thraciae, ab illo Macedoniae adsignari: id tamen inde praecipue evenit, quod Philippus Macedoniae rex illam partem Thraciae, quae sita est inter fluvios Strymonem et Nessum, devictam subegerit; quae regio etiam postea Macedoniae nomine dicta est. Jam vero non constat, *Agessum* sitam fuisse in illa sive Macedoniae sive Thraciae parte, quae est inter Strymonem et Nessum; et contra certum est, *Agassas*

Agaſſas diripiendas mittit: Agaſſas, quod, quum 2
Marcio conſuli tradidiſſent urbem, petita ultro ſocietate Romana, defecerant rursus ad Persea: Aeginiensium novum crimen erat. famae de victoria 3
Romanorum fidem non habentes, in quosdam militum, urbem ingreſſos, hoſtiliter saevierant. Ad Ae- 4
niorum quoque hoſtiliter urbem diripiendam L. Poſtumium misit, quod pertinacius, quam finitimae

vel *Agassam* longe inde remotam eſſe. Hic enim jungitur cum Aeginio, quam urbem in parte Macedoniae, Theſſaliae vicina, aut in ipsa Theſſalia, sitam eſſe conſtat. Praeterea ex itinere Q. Marcii consulis, supra 44, 7. deſcripto, patet, Agaſſas non majori spatio a Dio, quae urbs Theſſaliae eſt, aut certe ei regioni contermina, diſtare, quam quod exercitus biduo conficere poteſt. Narrat enim, consulem, ab urbe Dio caſtra moventem, eo die ad amnem Mityn proceſsiſſe, et poſtero die progreſſum urbem Agaſſam recepiſſe. Gravius adhuc ibidem obſendit Pinedo, ſtatuens *Agessum* Thraciae urbem a Plinio 3. H. N. 11. *Agasum* vocari, quum Plinius eo capite describat ultimam partem Italiae versus Siciliam, et in ea memoret portum *Agasum*. Locus hic Livii mihi sanus videtur. Respice, quae notantur ad 44, 7, 5.

§. 4. *Ad Aeniorum quoque hoſtiliter urbem diripiendam*: *Aenii* sunt incolae urbis Aeni in Thracia. V. ad 31, 31, 4. Ea tamen urbs hic non videtur intelligi poſſe. Poſtumius enim, ad unius urbis direptionem cum parvis copiis itinere terrefiri profectus, eo usque in Thraciam penetrare non potuiſſet; in qua regione antea Manlius consul, cum exercitu victore ex Asia reversus, Thracum incursionibus multum damni paſſus eſt. Verum licet tuto eo pervenire potuiſſet, alia obſtant, quo minus Aenus Thraciae intelligi queat. Cauſſa enim direptionis fuisse dicitur, quod Aenii pertinacius, quam finitimae civitates, in armis fuerint. At plures Aeno finitimas civitates in poteſtatem Romanorum veniſſe, verisimile non puto; neque etiam, consulem cum copiis Thraciam ingressum, ejusque metu civitates illas se dedidiſſe, Livius supra retulit. Praeterea Romani Aenum hoc tempore obtinebant: ceteroquin enim Attalus Eumenis frater a senatu Romano Aenum et Maroncam sibi petere non potuiſſet, neque senatus polliceri, se urbes illas daturum eſſe. Vide supra cap. 20. et Polyb. Exc. Legat. num. 93. Insuper Romani *τὴν Αἶνον καὶ τὴν Μαρωνίαν ἠλευθέρωσεν*, apud Polyb. eodem loco. Jam vero non videntur libertatem conceſſuri eſſe male adeo de populo Romano meritis, ut digni forent, qui diriperentur. Ob has igitur cauſſas vocem *Aeniorum* corruptam eſſe exiſtimo, et Livium intelligere Aenum Macedoniae urbem, cujus gentile eſt *Αἰνειεύς* sive *Aeneensis*, et *Αἰνέατης* sive

civitates, in armis fuerant. Autumni fere tempus erat; cujus temporis initio circumeundam Graeciam, visendaque, quae nobilitata fama magis au-
ribus accepta sunt, quam oculis noscuntur, ut statuit, praeposito castris C. Sulpicio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera Scipione filio et Athenaeo Eumenis regis fratre, per
Thessaliam Delphos petit, inclitum oraculum: ubi, sacrificio Apollini facto, inchoatas in vestibulo columnas

Aeneates. Supra 40, 4. *Archo Poridi cuidam longe principi gentis Aeneatum nupsit.* Emendo igitur *ad Aeneatum quoque.* Et sane Perseus, quum Aemilium novum consulem in provinciam adveniſſe intelligeret, mille equites cum Antigono Aeneam misit. Vide Livium 44, 32. Forte igitur Aeneates, hoc praesidio firmati, pertinacius poſt victum Persea in armis fuerant, quam finitimae civitates; eaque pertinacia irritatus Aemilius nunc Poſtumium ad eorum urbem diripiendam mittit.

§. 5. *Quam oculis noscuntur, ut statuit*] Pithoeum ad marginem adscripsiſſe *sibi statuit*, pro *ut statuit*, auctor eſt Hearnius. Verum ita perit omnis orationis nexus.

§. 7. *Inchoatas in vestibulo columnas*] V. Plutarch. in Aemil. Paull. pag. 270.

§. 8. *Templum Jovis Trophonis*] *Trophonii* ex Suida. StG. Jovis Trophonii meminit Strabo lib. 9, 414. *Λεβάδια δ' ἐστὶν, ὅπου Διὸς Τροφωνίου μαντεῖον ἱδρυται.* Vide Vales. ad Harpocrat. v. *Λεμβάδεια*, et Perizon. ad Aeliani 3. Var. Hiſt. 45. Oraculum, quod Lebadiae erat, Jovi sacrum fuiſſe, refert Hesych. v. *Λεβάδεια. Λεβάδεια πόλις Βοιωτίας, ἔνθα καὶ μαντεῖον Διὸς τὸ ἱερὸν κατεσκεύασο.* Verum secundum Pausan. in Boeot. 39. prope Lebadiam lucus eſt Trophonii, *τὰ δὲ ἐπιφανέσατα ἐν τῷ ἄλσει Τροφωνίου ναὸν καὶ ἄγαλμα.* Idem vero cap. 37. refert, Trophonium a quibusdam haberi filium Ergini, ab aliis Apollinis: quod verius putat. Et ita etiam Philoſtr. sentit in vit. Apollon. Tyan. 8, 19. Plura de eo vide apud Schol. Ariſt. ad *Νεφέλ.* vers. 508.

Sacrificio Jovi Hercynnaeque facto] Ne quis insolentia nominis *Hercynae*, hominibus Latinis vix fando umquam auditi, moveatur, ea virgo fuit, Proserpinae comes, a qua et fluvius Hercyna nomen consecutus eſt. In templo consecratam virginis illius simulachrum anserem manibus gerebat. TURNEB. 11. Advers. 18. Pausanias l. 9, (39.) *Διείργει δ' ἀπ' αὐτῆς τὸ ἄλσος τὸ Τροφωνίου. φασὶν δὲ ἐνταῦθα Ἑρκυνναν ὁμοῦ Κόρῃ τῇ Δήμητρος παίζουσαν καὶ ἔχουσαν χῆνα ἀφεῖναι τοῦτον ἀκουσαν· ἐς δὲ ἄντρον κοίλου ἐσπτάντος*

lum-

lumnas, quibus inposituri ſtatuas regis Persei fuerant, suis ſtatuis victor deſtinavit. Lebadiae quo- 8
que templum Jovis Trophonii adiit. ibi quum vidiſſet os specus, per quod oraculo utentes sciscitatum Deos descendunt, sacrificio Jovi Hercynnaeque facto, quorum ibi templum eſt, Chalcidem ad spectaculum Euripi * aevoque ante insulae, ponte continenti junctae, descendit. A Chalcide Aulidem 9
trajicit, trium millium spatio diſtantem, portum inclitum ſtatione quondam mille navium Agamemno-

καὶ ὑπὸ λίθου ἀποκρύψαντος αὐτὸν ἐσελθούσα ἡ κόρη λαμβάνει τὴν ὄρνιθα ὑπὸ τοῦ λίθου κατακείμενον· ῥυῆναι δὲ δὴ τὸ ὕδωρ, ὅθεν ἀνείλετο ἡ Κόρη τὸν λίθον· καὶ ὀνομασθῆναι τὸν ποταμὸν ἐπὶ τούτῳ Ἑρκυναν· καὶ ἔτι μὲν πρὸς τῇ ὄχθῃ τοῦ ποταμοῦ ναὸς Ἑρκύνης, ἐν δὲ αὐτῷ παρθένος χήνα ἔχουσα ἐν ταῖς χερσίν. Scholiaſtes Lycophronis ad 5. 154. Ἔρκυνα δὲ ἡ Τροφωνίου συγάτηρ ἐν Δεβάδῃ τῆς Βοιωτίας ἱδρύσατο τὴν Δηὼ, καὶ ἀφ' ἑαυτῆς ὠνόμασεν Ἔρκυναν. et reliqua. J. FR. GRON. *Hercynnaeque* omnes edd. et ita nomen id scribitur in vulgatis Lycophron. edd. vers. 153. et apud. Tzetz. ad eum locum. Verum Potterus monuit, se in duobus Mſſis, pro Ἔρκυνν', Ἐρινυός reperiſſe Ἔρκυν', Ἐρινυός. Conſtanter etiam Ἔρκυνα editur apud Pausan. in Boeotic. 39. et Philoſt. in vita Apollon. Tyan. 8, 19. An igitur etiam hic *Hercynnaeque* legendum? Ceterum Jupiter, cui Trophonii oraculum consulturi inmolabant, dicebatur Ζεὺς Βασιλεύς. Pausan. l. laud. Θύει γὰρ δὴ ὁ κατιὼν αὐτῷτε τῷ Τροφωνίῳ, καὶ τοῦ Τροφωνίου τοῖς παισὶ, πρός δὲ Ἀπόλλωνί τε, καὶ Κρόνῳ, καὶ Διΐ ἐπικλησιν Βασιλεῖ, καὶ Ἥρᾳ τε Ἡνιόχῃ, καὶ Δήμητρι, ἣν ἐπονομάζοντες Εὐρώπην, τοῦ Τροφωνίου φασὶν εἶναι τροφόν.

Ad spectaculum Euripi aevoque ante insulae] Pro *aevoque* reponit Florebellus *Euboeaeque*. quo nihil verius. SIGON. Tolle aſteriscum, et scribe: *ad spectaculum Euripi Euboeaeque insulae*. Plinius (4. H. N. 12.) *Euboea et ipsa avulsa Boeotiae, et tam modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur*. Adde noſtrum 8, 7. J. FR. GRON. Vide etiam Strab. 9, 403.

§. 9. *Portum inclitum statione quondam mille navium Agamemnoniae classis*] Mela 2, 2. *Aulis Agamemnoniae Grajorumque classis in Trojam conjurantium statio*. De numero navium, quibus Graeci ad Trojam profecti sunt, vide ad Silii 3, 229.

Dianaeque templum, ubi navibus etc.] *trajicit Aulidem Dianaeque templum*, pro et ad Dianae templum. Illud autem templum erat in ipſa Aulide, teſte Pausan. in Boeot. 19. ubi, memorabilia ejus describens, meminit etiam arae, ad quam Aga-

niae classis, Dianaeque templum, ubi navibus cursum ad Trojam, filia victima aris admota, rex ille
10 regum petiit. Inde Oropum Atticae ventum est; ubi pro Deo vates Amphilochus colitur, templumque vetustum est, fontibus rivisque circa amoenum.
11 Athenas inde, plenas quidem et ipsas vetustate famae, multa tamen visenda habentes: arcem, portus, muros Piraeeum urbi jungentes, navalia magnorum imperatorum, simulacra Deorum hominumque, omni genere et materiae et artium insignia.

1 XXVIII. Sacrificio Minervae praesidi arcis in

memnon filiam victimam admovit.

Filia victima aris admota] Locutionem *aris admota* Livium adhibuisse putat Doujatius, quia Iphigenia oblata, non inmolata est. Verum passim eadem locutio usurpatur etiam de illis, quae revera inmolantur. Ita de Polyxena ad Achillis tumulum mactata Ovid. 13. Met. 753.

— — *postquam crudelibus aris*
Admota est, sensitque sibi fera sacra parari.

Virg. 12. Aen. 170. *Admovitque pecus flagrantibus aris.* ubi v. Taubm. Adde Briss. 1. de Form. 16.

§. 10. *Oropum Atticae*] Thucyd. 2, 23. Ὠρώπιοι Ἀθηναίων ὑπήκοοι. Sed v. Cell. 2. Geogr. Ant. 13. pag. 727.

Ubi pro Deo vates Amphilochus colitur] Immo pater ejus Amphiaraus, si Pausan. Attic. 34. credimus, ubi Ruhnius Livium hic vel corruptum, vel memoria lapsum putat. Amphiarai fanum haud procul Oropo fuisse etiam alii apud Salmas. ad Solin. p. 103. prodiderunt. DUKER. Livium memoriola vacillasse, ut Ruhnius inquit, plane negare nolo; ei tamen excusando facere potest, quod Pausan. d. l. refert, arae Amphiarai partem sacram fuisse filio ejus Amphilocho, eumdemque Amphilochum in Ciliciae urbe Mallo oracula edere, et Athenis aram habere. De ejus oraculo vide etiam Philostr. in Heroïc. cap. 2. §. 8. Aliud ejus in Aetolia oraculum memorat Aristid. orat. in Asclepiod. tom. 1. pag. 82.

Templum vetustum est, fontibus rivisque circa amoenum] Πηγὴ πλησίον τοῦ ναοῦ, ἣν Ἀμφιαράου καλοῦσιν, memoratur Pausan. in Att. 34. Cl. Perizon. ad marginem Livii conjecit *amoenis.*

§. 11. *Arcem, portus, muros Pireum urbi jungentes, navalia*] *Piraeeum* scribendum, ceterum muros intelligit, quae μακρὰ τείχη appellabantur. SIG. Arcem Athenarum illustrat Meursius singulari libro, cui titulum fecit *Cecropia, sive de Arce Athenarum.* portus alio libro, qui inscribitur *Piraeeus, sive*

urbe facto profectus, Corinthum altero die pervenit. 2
urbs erat tunc praeclara ante excidium. arx quoque et Isthmus praebuere spectaculum: arx inter omnia in inmanem altitudinem edita, scatens fontibus: Isth- 3
mus duo maria, ab occasu et ortu solis finitima, artis faucibus dirimens. Sicyonem inde et Argos nobiles urbes adit: inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclitam Aesculapii nobili templo; quod, quinque millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quae remediorum salutarium aegri mer-

de Piraeeo, Atheniensium portu celeberrimo. De muris, qui Piraeeum urbi jungunt, agit ibid. cap. 2. de Navalibus cap. 3. Ceterum, vocem *monumenta* aut similem hic excidisse, existimat Cl. Crevierius, ac legendum esse, *navalia, magnorum imperatorum monumenta, simulacra.*

Materiae et artium] 25, 40, 2. *Graecarumque artium opera*, de signis ac tabulis pictis. Credo tamen, quum de his rebus sermo est, saepius *materiam et artem*, quam *materiam et artes*, dici. DUKER.

§. 1. *Minervae praesidi arcis*] Vide Meurs. in Cecropia cap. 14. ubi, ut et duobus seqq. capp. templum Minervae pluribus describit.

§. 2. *Urbs erat tunc praeclara ante excidium*] Ita J. Fr. Gronov. edidit, quod, praeter Doujatium, recentiores servarunt. Antea vulgabatur *ante excidium*; quod reduxi. V. ad 5, 15, 9.

Arx inter omnia in inmanem altitudinem edita, scatens fontibus] Vide, an non scripserit Livius, *arx intra moenia.* Strabo lib. 8, (361.) Ἡ δὲ Μεσσηνίων πόλις ἔοικε Κορίνθῳ· ὑπέρκειται γὰρ τῆς πόλεως ἑκατέρας ὄρος ὑψηλὸν καὶ ἀπότομον, τεῖχει κοινῷ περιειλημμένον, ὥστε ἀκροπόλει χρῆσθαι, τὸ μὲν καλούμενον Ἰθώμη, τὸ δὲ Ἀκροκόρινθος. Eodem, (p. 379.) Συμπεριείληπτο δὲ τῷ περιβόλῳ τούτῳ καὶ τὸ ὄρος ἄνω ὁ Ἀκροκόρινθος, ᾗ δυνατὸν ἦν τειχισθῆναι δέ. J. FR GRONOV. Conjecturam Gronovii probat Crevierius. De arce Corinthi vide Pausan. in Coriuth. cap. 4. et 5. ubi et fontem ejus Pirenen memorat; de qua vide etiam Strab. posteriori loco a Gronovio laudato.

§. 3. *Aesculapii nobili templo; quod, quinque millibus*] Aesculapii templum extra moenia Epidauri fuisse, testatur etiam Pausan. in Corinth. cap. 26. De tabellis votivis in illo ejus templo suspensis Strab. 8, 374. Mox vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit *remediorum salutarium compotes aegri*, adscita voce, quae tamen necessaria non est. Quisque enim videt,

4 cedem sacraverant Deo. Inde Lacedaemonem adit, non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem: unde per Megalopolim Olym-
5 piam adscendit. Ubi et alia quidem spectanda visa, et, Jovem velut praesentem intuens, motus animo est. Itaque, haud secus quam si in Capitolio immolaturus esset, sacrificium amplius solito adparari
6 jussit. Ita peragrata Graecia, ut nihil eorum, quae quisque Persei bello privatim aut publice sensisset, inquireret, ne cujus metu sollicitaret animos sociorum, Demetriadem quum revertit, in itinere sor-
7 didata turba Aetolorum obcurrit; mirantique et percunctanti, quid esset, defertur, quingentos quinquaginta principes ab Lycisco et Tisippo, circum-

τὰ remediorum salutarium regi a voce *mercedem*.

§. 4. *Unde per Megalopolin*] Ita Basileenses anno 1539. ediderunt, eorumque scripturam recentiores plerique servarunt. Priores legunt *Megalopolim*: quod iterum admisi. V. ad 36, 41, 7. et 40, 41, 3.

§. 5. *Et, Jovem velut praesentem intuens, motus animo est*] Videtur augeri pondus orationis, si legas: *ubi et alia quidem spectanda visa, sed Jovem, velut praesentem intuens, motus animo est*. Amplius vero haec explicantur ab Suida verbis Polybii in voce *Φειδίας*. *Λεύκιος Αἰμίλιος παρῆν εἰς τὸ τέμενος τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ, καὶ τὸ ἄγαλμα θεασάμενος ἐξεπλάγη· καὶ τοιοῦτον εἶπεν, ὅτι μόνος αὐτῷ δοκεῖ Φειδίας τὸν παρ' Ὁμήρῳ Δία μεμιμῆσθαι· διότι μεγάλην ἔχων προσδοκίαν τῆς Ὀλυμπίας, μείζω τῆς προσδοκίας εὑρηκὼς εἶη τὴν ἀλήθειαν.* J. FR. GRON. Vide etiam Plutarch. in Aemil. Paull. pag. 270. Ceterum Clariss. Clericus conjecit *at Jovem*, eamque conjecturam in contextum recepit. Solent autem *et* ac *sed* in Mſtis mutari. Vide ad 40, 58, 1. etiam *et* atque *at*. Vide ad 36, 35, 7. Utrum etiam eorum, sive *sed*, sive *at*, mavis, pondus orationi addet; vulgatum tamen mutare nolui.

§. 6. *Privatim ac publice sensisset*] *privatim aut publice* editio prima, quod mox Frob. anno 1535. mutavit; sed sine causa. Priscam igitur lectionem Livio reddidi, consentiente Crevierio. Infra cap. 31. *Quaerenda deinde latius, qui publice aut privatim partium regis fuissent.*

Demetriadem quum revertit] Utique *revertisset*. J. FR. GRONOV. Aemilio sordidata Aetolorum turba non obcurrit, quum jam Demetriadem reversus esset, verum, ut Livius addit, *in iti-*

sesso senatu per milites Romanos, missos a Baebio praeside, interfectos; alios in exsilium actos esse: bonaque eorum, qui interfecti essent, et exsulum possidere, qui arguebant. Jussis Amphipolim adesse, ipse, convento Cn. Octavio Demetriade, postquam fama accidit, trajecisse jam mare decem legatos, omnibus aliis omissis, Apolloniam ad eos pergit. quo quum Perseus obviam Amphipoli nimis soluta custodia processisset, (id diei iter est) ipsum quidem benigne adlocutus est: ceterum, postquam in castra ad Amphipolim venit, graviter increpuisse traditur C. Sulpicium: primum, quod Persea tam procul a se vagari per provinciam passus esset: deinde, quod adeo indulsisset militibus, ut nudare te-

nere. Ob hanc etiam rationem Gronovii conjecturam recte improbat Doujatius. Verum, licet mens Livii tempus praesens requirat, non tamen vulgatum probare audeo. Observant enim Grammatici, et inter eos etiam Vossius 5. Gramm. 7. classicos quidem hoc verbo forma activa usos esse, non tamen in praesenti, verum in praeterito: et addit, eam ob causam se in praesenti non alia, quam passiva, forma dicturum *revertor.* Scribendum igitur hoc loco videtur *quum revertitur.* Saepe autem vidimus, terminum verbi passivi *ur*, nota a ταχυγράφοις exprimi solitum, modo in Mssis additum, modo omissum perperam fuisse. Adi ad 10, 10, 1. et 39, 22, 8.

§. 7. *Ab Lycisco et Tisippo*] Quorum amborum, tamquam qui apud Aetolos rebus Romanis favebant, meminit Polyb. in Exc. Legat. num. 94. Lycisci solius Livius 42, 38. et Polyb. de Virt. et Vit. pag. 1443. ejus mortui meminit Polyb. ibid. pag. 1465.

Missos a Baebio praeside] Utrum toti genti Aetolorum praepositum, an tantum praesidio urbis, in qua haec patrata sunt, praefectum dicat Livius, incertum esse arbitror. Sed neutra significatione ab eo alibi *praesidem* dici inveni. An, quem Jurisconsulti in Pandectis saepe *Praesidem provinciae* vocant, vetustiores scriptores eodem nomine appellent, mihi nondum compertum est. DUKER.

§. 8. *Jussis Amphipolim adesse*] *Amphipoli*, ut cap. seq. *Adesse Amphipoli denos principes civitatum jusserat.* 21, 63, 1. *Ut is exercitus adesset Arimini in castris.* 36, 39, 4. *Exercitum dimisit, et adesse Romae ad diem triumphi jussit.* DUKER.

Apolloniam ad eos pergit. etc. id diei iter est] Apolloniam

gulis muros urbis ad tegenda hibernacula sua pateretur. referrique tegulas et resarciri tecta, sicut
11 fuerant, jussit. Et Persea quidem cum majore filio Philippo, traditos A. Postumio, in custodiam misit: filiam cum minore filio, a Samothrace adcitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit.

1 XXIX. Ipse, ubi dies venit, quo adesse Amphipoli denos principes civitatium jusserat, literasque omnes, quae ubique depositae essent, et pecuniam regiam conferri, cum decem legatis, circumfusa omni multitudine Macedonum, in tribunali conse-
2 dit. Adsuetis regio imperio tamen novum formam

Macedonicam intelligit. Siquidem ab Amphipoli ad eam iter unius diei est, de qua Stephanus, non eam, quae est in Epiro. SIG.

§. 10. *Vagari per provinciam passus est*] Lege *passus esset*. J. FR. GRON.

§. 11. *A. Postumio*] Multi Postumii in exercitu Paulli fuerunt. *L. Albinus* consularis 44, 41. idem fortassis, de quo 45, 27, *C. Postumius* tribunus militum cap. 6. Hic *A. Postumius*, quem itidem tribunum militum fuisse ex eo conjicio, quod etiam 38, 23, et 44, 32. cura custodiae captivorum tribunis militum commissa fuisse dicitur. Nisi tamen alterutro loco error in praenomine est, et hi non duo Postumii fuerunt, sed unus, sive *Cajus*, sive *Aulus*. DUKER.

§. 1. *Adesse Amphipoli denos principes civitatum jusserat*] *adesse Amphipolim* scribendum conjicit Crevierius. Sed, receptam scripturam nulla mutatione indigere, constat ex illis, quae Dukerus notavit ad cap. praec. §. 8. Deinde *civitatium* edd. principes, pro quo Curio *civitatum* substituit. Licet vero interim Sigonius priorem lectionem revocarit, nemo tamen eum audire dignatus est. Vide ad 41, 22, 7.

§. 2. *Novum formam terribilem praebuit tribunal*] Vide Inlustriss. Ezech. Spanhem. ad Juliani Orat. 1. pag. 215.

Submotor aditus, praeco, adcensus] Puto, *summotorem aditus* lictorem vocari. Senec. Epist. ad Lucilium 95. *Non est, quod feliciorem eum judices, cui summovetur, quam quem lictor de semita dejicit.* Dejiciebantur autem, qui, equo forte vel vehiculo obvii, sponte non descenderant, a lictore moniti. TORRENT. ad Horat. 2. od. 16, 9. Plinius 8. H. N. 46. *Quum se proripuit in coetus, incedit submotu lictorum.* ubi vide Harduin. Perperam vir doctus ad marginem ed. Curionis scribendum opinatur *summotor additus*.

Socios, nedum hostes] *Ne-*

terribilem praebuit tribunal, submotor aditus, praeco, adcensus, insueta omnia oculis auribusque; quae vel socios, nedum hostes victos, terrere possent. Silentio per praeconem facto, Paullus Latine, quae senatui, quae sibi ex consilii sententia visa essent, pronunciavit: ea Cn. Octavius praetor (nam et ipse aderat) interpretata sermone Graeco referebat. *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus: tributum dimidium ejus, quod pependissent regibus, pendere populo Romano. Deinde in quatuor regio-*

3 4 5

dum hic pro non tantum poni, observat Crevierius, et inlustrat locis Cic. 10. ad Att. 16. et Balbi atque Oppii, quorum epistolam Cicero inseruit 9. ad Attic. Ep. 3. post Ep. 8. Vide ad 10, 32, 4.

§. 3. *Quae sibi ex consilii sententia visa essent*] Haec vett. edd. lectio est: pro quo Modius solito errore vulgavit *ex consilii sententia*. Sed recte Gronov. alterum restituit; cujus tamen emendationis in notis non meminit. Vide, quae notavit ad 44, 2, 5.

§. 4. *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas*] Spartianus de Hadriano Imp. in ejus vita cap. 5. *Omnia trans Euphratem et Tigrim reliquit, exemplo, ut dicebat, Catonis, qui Macedonas liberos pronunciavit, qui teneri non poterant.* Hoc nusquam alibi de Catone proditum scio. Si quid in eo veri est, Cato, quum in senatu de statu Macedoniae formando ageretur, hanc sententiam dixisse potuit. DUK. Recte Cl. Dukerum conjeciſſe existimo. Certe orationem Catonis *de Macedonia liberanda* laudat Priscian. 3, 601. Ceterum cum his Livii verbis comparandi sunt Diod. Sicul. in Exc. Peiresc. pag. 314. et 317. et Plutarch. in Aemil. Paull. pag. 370.

§. 5. *Deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam*] Divisionem illam Macedoniae in quatuor partes viri docti ex nummis inlustrarunt. Nummos cum inscriptione *ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ* protulit Goltz. in numism. Graec. tab. 22. alterum, quem Ampl. Cuperus possedit, cum inscriptione *ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΔΕΥΤΕΡΑΣ* Inlustriss. Spanhem. de Praest. et Us. Numism. diss. 9. pag. 652. ei similem, ut et tertium cum titulo *ΤΕΤΑΡΤΗΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ* Harduin. ad Plinii 4. Histor. Nat. 10. Ceterum eamdem Macedoniae divisionem ex Livio, vel, si mavis, ex Polybio hausit Dexippus, cujus exstat fragmentum in Chron. Eusebi. pag. 59. Utriusque et Livii et Dexippi loca inter se commi-

nes dividi Macedoniam. unam fore et primam partem, quod agri inter Strymonem et Nessum amnem
6 *sit: accessurum huic parti trans Nessum, ad orientem versum, qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida, praeter Aenum, et Maroneam, et Abdera; trans Strymonem autem vergentia ad occasum, Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen ad-*
7 *pellant. Secundam fore regionem, quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis, praeter Sinticen Heracleam et Bisaltas: ab occasu qua Axius terminaret*

sit, et inluſtravit Schurzfleisch. in Notit. Biblioth. Vinar. pag. 70. et seqq. quam particulam inde excerptam in Appendicem Livianam conjecimus.

Inter Strymonem et Nessum amnem] Hic eadem ratione scribi poteſt *amnes*, qua Gronov. paullo poſt (§. 8.) pro *Axius* etc. *Peneus amnis* legi jubet *amnes*. DUK. De diversis modis, quibus fluvius *Nessus* vulgo scribi solet, vide Schurzfl. l. laud. pag. 71. et adde Cellar. in Geogr. Antiq. 2, 13, 677.

§. 6. *Accessurum huic parti trans Nessum, ad orientem versum, qua Perseus tenuisset vicos*] Recte Schurzfl. l. laud. pag. 71. tuetur vulgatum *ad orientem versum*, ac notare monet τὴν πρὸς ἀνατολὴν χώραν, ne quis scilicet, jungens *trans Nessum versum ad orientem*, eumque ad occidentem potius, quam ad orientem, vergere noscens, hinc praepositione deleta scribendum exiſtimet *trans Nessum orientem versus*. Similiter locum interpretatus eſt Cl. Jac. Perizonius, qui orae exemplaris sui ad voces *ad orientem versum* adscripsit, scilicet *agrum*; quae vox modo praeceſſit, et inde commode hic repeti poteſt. Pari modo locum supplet quoque Cl. Crevierius. Eſt autem locutio Liviana *ager ad* vel *in orientem versus*, de qua supra dictum eſt ad 9, 2, 15. et 36, 15, 7. Praeterea idem Perizon. ad oram Livii conjicit, *quae Perseus tenuisset*. Sed nihil mutandum eſt. V. ad 10, 14, 4.

Vergentia ad occasum, Bisalticam omnem cum Heraclea] De hoc loco vide ad cap. seq. §. 3.

§. 7. *Ab occasu qua Axius terminaret fluvius*] Vox *qua* hic abundare videtur. Invito tamen cod. nihil muto.

Additis Paeonis, qui prope Axium] Scribe *Paeonibus*. J. FR. GRON. Librarii hic erraruntque eumdem errorem, quo *principiis* dederunt pro *principibus*, et similia plura; de quibus v. ad 21, 60, 7.

§. 8. *Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu*] Lege *amnes*, ut ad utrumque referatur. J. FR. GRON. Haec emendatio non neceſſaria videtur invito unico codice. Nam supra eſt h. cap. *quod agri inter Strymonem et Nessum amnem sit.*

fluvius, additis Paeonibus, qui prope Axium flumen ad regionem orientis colerent. Tertia pars facta, 8
quam Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu, cingunt: ad septentrionem Bora mons objicitur. adjecta huic parti regio Paeoniae, qua ab occasu praeter Axium amnem porrigitur: Edessa quoque et Beroea eodem concesserunt. Quarta regio trans 9
Boram montem, una parte confinis Illyrico, altera Epiro. Capita regionum, ubi concilia fierent, primae regionis Amphipolim, secundae Thessalonicen,

Et cap. seq. *Trans Nessum amnem incolunt, et circa Strymonem.* Jam supra Livius lectorem monuerat, Axium amnem esse. *Ab occasu qua Axius terminaret fluvius, additis Paeonibus, qui prope Axium flumen ad regionem orientis colerent.* Mox etiam addit: *Qua ab occasu praeter Axium amnem porrigatur.* Forsitan erunt, quibus id toties inculcatum displicebit. Hi cogitent, velim, Macedoniae in quatuor regiones divisae suos terminos praefitui; in qua re Aemilio summa perspicuitate versandum erat, ne quid dein controversiis ansam praeberet. Similiter mox sequitur, *ad septentrionem Bora mons objicitur;* et tamen, paucis verbis interjectis, subjungitur, *Quarta regio trans Boram montem.*

Ad septentrionem Bora mons objicitur] Dexippo apud Euseb. in Chron. pag. 50. vocatur *Βέρνον*, pro quo Schurzfl. in Notit. Bibl. Vinar. pag. 73. Salmasio adsensus, *Βέρμιον* legendum putat. cujus nominis montem Ptolem. 3, 12. aliique memorarunt. *Horae* nullus, praeter Livium, mentionem fecit. Ab eo enim diversus est *Borea*, quem Vibius Seq. *ad Dyrrhachium* recenset, et plenius Bocchacius: *Boreas mons est Epiri, Dyrrhachio proximus.* Doujatius putat, *Boram* esse, qui aliis *Orbelus* vocatur, et Macedoniam a Moesia dividit. At Schurzfl. l. d. docet, Orbelum hunc ad primam, non ad tertiam Macedoniae partem pertinuisse.

§. 9. *Quartae Pelagoniam fecit*] Aperte *Pelagonia* hic nomen urbis est, cujus et Dexippum apud Euseb. et Constantinum Porphyr. 2. Them. 2. meminisse, Schurzfl. observat. Hinc ergo refellitur Ampliss. Cuperus Exerc. 2. de Elephant. in numm. obviis cap. 5. pag. 151. qui se *Pelagoniam* pro urbe apud neminem invenisse testatus est. Vide Salleng. tom. 3. Antiq. Rom. in Praefat. * versa.

Eo concilia suae cujusque regionis indici] Potius *sua*. J. FR. GRON. De hac re satis supra dictum est ad 3, 22, 6. et 33, 46, 9. Mox postrema Gruteri ed. perperam dedit *pecuniam confici*; cujus loco recte Gronov. in prima ed. notarum vulgatum *conferri* revocavit.

tertiae Pellam, quartae Pelagoniam fecit. Eo concilia suae cujusque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magistratus creari jussit. Pronunciavit deinde, *neque connubium, neque commercium agrorum aedificiorumque inter se placere cuiquam extra fines regionis suae esse. Metalla quoque auri atque argenti non exerceri: ferri et aeris permitti.* vectigal exercentibus dimidium ejus inpositum, quod pependissent regi. Et sale invecto uti vetuit. Dardanis repetentibus Paeoniam, quod et sua fuisset, et continens esset finibus suis, *omnibus dare libertatem* pronunciavit, *qui sub regno Persei fuissent.* Post non impetratam Paeoniam, salis commercium dedit: tertiae regioni imperavit, ut Stobos Paeo-

§. 10. *Neque connubium, neque commercium*] De jure connubii inter vicinos aut unius gentis populos prohibito vide Inustriss. Spanhem. in Orb. Rom. Diss. 2. cap. 22. de prohibito inter eosdem jure commercii eumdem ibid. cap. 25.

§. 2. *Ita videri lacerata*] Scilicet Macedonia, quod vocabulum ex sequenti membro hic subintelligendum monuit Gronov. priori ed. notarum. Crevierius, nihil esse praefatus, quo *lacerata* referri possit, omnino legendum monet *lacerati*; nempe ipsi Macedones.

Quam divisui facilis] Clariss. Crevier. primo conjicit, Livium scripsisse *divisu facilis*. Et ita *locus aditu difficilis* apud Sall. Jug. 91. *facile intellectu* Nep. in Dion. 9. *difficile intellectu* Att. 15. Postea tamen agnoscit, sam dici posse *regio divisui facilis*, quam *cibus difficillimus ad concoquendum*, quomodo loquitur est Cic. 2. de Finib. 20. Mihi etiam nihil mutandum videtur. Supra 26, 15. *Facilis impetrandae veniae Claudius, Fulvii durior sententia erat.* Et ita *contumeliae opportunus, injuriae facilis* Quinctil. Declam. 1. 16. Plin. 17. II. N. 21. *Pampinationi quoque et occationi, omnique operi facilior.* 23, 3. *Nigra oliva stomacho inutilior, ventri facilior.* cap. 8. *Fructum fert difficilem concoctioni, et stomacho inutilem.*

Et a se ipsa quaeque contemta pars esset] Lege *ut se ipsa quaeque contenta pars esset.* Loquitur de divisione Macedoniae, quam ita Paullus instituit, ut omnium inter se regionum commercia tolleret. Quod antequam factum esset, Macedones ignoraverant, ut magna Macedonia esset, ut facile dividi posset, ut quaeque ejus pars se ipsa

niae deveherent, pretiumque ſtatuit. Navalem ma- 14
teriam et ipsos caedere, et alios pati vetuit. Re-
gionibus, quae adfines barbaris eſſent, (excepta
autem tertia, omnes erant) permisit, ut praesidia
armata in finibus extremis haberent.

XXX. Haec, pronunciata primo die conventus, 1
varie adfecerunt animos. Libertas praeter spem
data adrexit, et levatum annuum vectigal. Regio- 2
natim commerciis interruptis ita videri lacerata,
tamquam animalia in artus, alterum alterius indi-
gentes, diſtracta: adeo, quanta Macedonia eſſet,
quam divisui facilis, et a se ipsa quaeque contemta
pars eſſet, Macedones quoque ignorabant. Pars 3
prima Bisaltas habet, fortiſſimos viros, (trans Nes-

contenta esset: quod eſt nihil aliud, nisi ut nulla pars alterius ope egeret. SIG. 1. Emend. 39. Hanc conjecturam vivus Sigonius in contextum editionis anni 1572. recepit. Crevierius emendat *et se ipsa quaeque contenta pars esset*. Si quis dubitet, utrum praepositionem *a* in Mſto obviam expungere liceat; ejus loco, videat, num legere malit *et ut se ipsa*. Voces *contentus* et *contemtus*, utraque enim breviter *contẽtus* scribi poteſt et solet, saepiſſime in Mſtis confunduntur. V. ad Liv. 25, 38, 20.

§. 3. *Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros (trans Nessum amnem incolunt et circa Strymonem) et multas frugum proprietates*] Ex hoc loco colligendum eſt, Bisaltas non tantum sedes habuiſſe inter Strymonem et Neſſum amnes, sed etiam trans Neſſum in Thracia. At supra cap. praec. inter illa, quae *trans Strymonem ad occasum* vergunt, memorat Livius *Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen adpellant*. unde sequitur, Bisalticam fuiſſe in Macedonia proprie dicta. Nam *trans Strymonem* accipiendum eſt respectu regionis, quae eſt inter Strymonem et Neſſum; unde etiam addit ad occasum vergentia. Cellarius in Geogr. Ant. 2, 13, 671. verba *trans Nessum* hoc loco, si mentem ejus intelligo, accepit respectu Thraciae, et notare putavit, eos incoluisse inter Neſſum et Strymonem. Hinc etiam ex utroque Livii loco hoc et praec. cap. juncto colligit, Bisaltas et cis Strymonem fuiſſe, sive in Macedonia proprie dicta, et ultra illum amnem, sive inter Strymonem et Neſſum in illa parte, quam Philippus Amyntae regno Macedoniae adjecit. Contra Cl. Perizon. ad Aelian. 5. Var. Hiſt. 11. utrumque Livii locum in-

sum amnem incolunt et circa Strymonem) et multas frugum proprietates, et metalla, et opportunitatem Amphipolis: quae objecta claudit omnes ab
4 oriente sole in Macedoniam aditus. Secunda pars celeberrimas urbes, Theſſalonicen et Caſſandriam, habet; ad hoc Pallenen, fertilem ac frugiferam terram: maritimas quoque opportunitates ei praebent portus ad Toronen ac montem Atho, (Aeneae vocant hunc) alii ad insulam Euboeam, alii ad Hel-
5 lespontum opportune versi. Tertia regio nobiles urbes, Edeſſam et Beroeam et Pellam, habet, et Vettiorum bellicosam gentem: incolas quoque per-

ter se comparans, hunc locum vitii manifeſtum, et forte τὸ *incolunt* ex gloſſa ortum eſſe arbitratur: eo igitur ejecto legendum, *Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros; trans Nessum autem et circa Strymonem multas frugum proprietates.* In primis autem, ut hunc locum erroris convincat, urguet verba cap. praec. *trans Strymonem vergentia ad occasum, Bisalticam omnem cum Heraclea.* Si enim *Bisaltica omnis* erat *ad occasum Strymonis*, Bisaltae hic *trans Nessum* locari nequeunt. Verum verba illa *trans Nessum* hoc cap. non videntur illo sensu accipi poſſe, quo accipere voluit Cellarius. Certe alio sensu eadem verba usurpat cap. praec. *quod agri inter Strymonem et Nessum amnem sit: accessurum huic parti trans Nessum ad orientem versum.* Verisimile autem non videtur, *trans Nessum* cap. 29. notare ad ripam siniſtram, cap. 30. ad ripam dextram ejus amnis. Praeſtat igitur, ut utroque loco accipiamus pro ad ripam Neſſi siniſtram. Neque moratur, quod eodem c. 29. *trans Strymonem* notet ad dextram ejus ripam. Livius enim ibi enumerat, quid Aemilius Paullus in primam regionem Macedoniae contribuerit: praeſertim autem eo pertinuiſſe dicit, quod agri inter amnes Strymonem, nempe a dextra, et Neſsum, nempe a siniſtra sit: ei insuper accessura quaedam partim *trans Nessum*, id eſt respectu ejus agri ad ripam ejus siniſtram, partim *trans Strymonem*, id eſt eodem respectu ad ripam ejus dextram. Dicendum igitur videtur, Bisaltas fuisse gentem longe ac late patentem, et habitaſſe ad dextram ripam Strymonis in Macedonia, deinde trans Strymonem inter eum fluvium et Neſſum, et denique pertinuiſſe ultra Neſſium ad ripam ejus siniſtram in Thracia. Ut autem argumento Perizonii ex voce *omnem* petito satisfaciamus, considerari velim, utrum cap. praec. exigua mutatione legendum sit *trans Strymonem autem vergentem ad occasum*

multos Gallos et Illyrios, inpigros cultores. Quar- 6
tam regionem Eordaei et Lynceſtae et Pelagones incolunt: juncta his Atintania, et Stymphalis, et Elimiotis. frigida haec omnis, duraque cultu, et 7
aspera plaga eſt: cultorum quoque ingenia terrae similia habet. ferociores eos et adcolae barbari faciunt; nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Divisae itaque Macedoniae par- 8
tium usibus separatis, quanta universos teneat Macedonas, formula dicta, quum leges quoque se daturum oſtendiſſet.

XXXI. Aetoli deinde citati: in qua cognitione 1

Bisalticam omnem cum Heraclea, id eſt omnem illam Bisalticam, quae trans Strymonem vergit ad occasum. In eo tamen nondum mihi satisfacio: displicent enim tot voces junctae, quae, intermedia tantum unica vocula *ad*, omnes litera *m* finiuntur. Cogitent igitur alii.

§. 4. *Pallenem, fertilem et frugiferam terram*] Ita omnes edd. usque ad Crevier. qui recte *Pallenen* edidit. Eſt enim a recto *Pallene*. Supra 31, 45, 15. *Irrito incepto regressi Canastrum Pallenes trajecere.* Mela 2, 2. *Inter Athon et Pallenen Cleona et Olynthos.* Hujus agri fertilitatem supra etiam laudat 44, 10, 12. *Classis, profecta ad agrum Pallenensem, excensionem ad populandum fecit. Finium is ager Cassandrensium erat, longe fertilissimus omnis orae.*

Portus ad Toronem] Hic etiam vel *ad Toronen*, vel, si mavis *ad Toronam* legendum eſſe, vidimus ad 44, 12, 7.

§. 5. *Vettiorum bellicosam gentem*] Gentem hanc ignotam et suspecti nominis vocat Cellar. 2. Geogr. Ant. 12, 664. Alibi memoratam nondum inveni.

Eordaei et Lycestae] *Eordei* edd. vett. *Heordei* Sigonius, et ed. Heinsii Elzevir. pro quo Gronov. anno 1665. *Eordaei* recte subſtituit. Vide Sigon. ad 31, 39, 6. Praeterea *Lincestae* edd. antt. pro quo recte Modius *Lyncestae*. Urbs enim, unde ipsi dicti sunt, *Lyncus* vocabatur. Vide ad 31, 33, 6.

Et Stymphalis, et Elimiotis] Non dubitat Palmer. in Graec. Ant. 2, 9. quin legendum sit *Stymphaeis*, et insuper docere conatur, librarios notissimum ob fabulam de avibus Stymphalidibus et Hercule nomen pro minus noto et hic et alibi subposuiſſe. V. etiam Cellar. Geogr. Ant. 2, 13, 664. At vulgatum tueri videtur Gronov. ad Livii 32, 13, 2.

§. 8. *Quanta universos teneat Macedonas, formula dicta*] Videtur legendum: *quae univer-*

magis, utra pars Romanis, utra regi faviſſet, quaesitum eſt, quam utri feciſſent injuriam, aut acce-
2 piſſent. Noxa liberati interfectores: exsilium pulsis aeque ratum fuit, ac mors interfectis. A. Baebius unus eſt damnatus, quod milites Romanos
3 praebuiſſet ad miniſterium caedis. Hic eventus Aetolorum cauſſae in omnibus Graeciae gentibus populisque eorum, qui partis Romanorum fuerant, inflavit ad intolerabilem superbiam animos; et obnoxios pedibus eorum subjecit, quos aliqua parte
4 suspicio favoris in regem contigerat. Tria genera principum in civitatibus erant: duo, quae adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum, sibi privatim opes obpreſſis faciebant civitatibus: medium unum, utrique generi adversum, libertatem
5 et leges tuebatur. His ut major apud suos caritas, ita minor apud externos gratia erat. Secundis rebus elati Romanorum partis ejus fautores, soli tum
6 in magiſtratibus, soli in legationibus erant. Hi quum frequentes et ex Peloponneso, et ex Boeotia,

sos teneret Macedonas, formula dicta. J. FR. GRON. Nota haec J. Fr. Gronovii in ed. anni 1679. male Sigonio adscripta eſt; quam Grevierius, licet Cl. Jac. Gronovius operas errasse in syllabo errorum monuerit, secutus eſt.

§. 5. *Secundis rebus elati Romanorum* etc.] Cum his confer Polyb. in Exc. Leg. num. 94.

§. 8. *Nihil praeter imperium Romanorum exspectarent*] Lege *aspectarent*, vel *spectarent*. Satis frequens hoc genus vitii. Nec mirandum, apud Ciceronem lib. 1. Famil. ep. 4. *Quum in senatu pulcherrime staremus*, in quodam codice legi *exstaremus*. Sic apud Juſtinum [43, 4.] *insidias exstruit*, pro *struit*, vel *instruit*. J. FR. GRON. *Spectare* et *expectare* non raro permutata sunt. Vide, quae ad Juſtinum 13, 1, 10. adnotantur. Pomponius l. 33. D. de Contrab. emt. *Primum spectari oportet, quid acti sit.* Florent. *expecari*, alii MSS. *exspectari*. vulgo *spectari*. sine dubio recte. DUK. Quamvis *aspectarent* propius ad unici cod. lectionem accedat, malo tamen *spectarent*. Innu-

et ex aliis Graeciae conciliis adessent, implevere aures decem legatorum: *Non eos tantum, qui se* 7
propalam per vanitatem jactassent, tamquam hospites et amicos Persei, sed multo plures alios ex occulto favisse. reliquos per speciem tuendae libertatis in conciliis adversus Romanos omnia instruxisse. nec aliter eas mansuras in fide gentes, nisi, fractis 8
animis partium, aleretur confirmareturque auctoritas eorum, qui nihil praeter imperium Romanorum spectarent. Ab his editis nominibus, evocati lite- 9
ris imperatoris ex Aetolia, Acarnaniaque, et Epiro, et Boeotia, qui Romam ad causam dicendam sequerentur: in Achajam ex decem legatorum numero profecti duo, C. Claudius et Cn. Domitius, ut ipsi edicto evocarent. Id duabus de causis factum: 10
una, quod fiduciae plus animorumque esse Achaeis ad non parendum credebant, et forsitan etiam in periculo fore Callicratem et ceteros criminum auctores delatoresque: altera, cur praesentes evoca- 11
rent, causa erat, quod ex aliis gentibus principum

meris autem locis *spectare* et *exspectare* a librariis confundi, vidimus ad 6, 33, 1.

§. 9. *Ab his editis nominibus*] Sola haec particula de rebus a Paullo et decem legatis in Macedonia et Graecia constitutis, usque ad verba *Aetolis dimissis*, in Polybii Legat. 94. superest. DUK.

§. 10. *In periculo fore Callicratem*] Ne quis, observans Polyb. passim in Exc. Legat. num. 58. 89. 94. 105. et in Exc. de Vit. et Virt. pag. 1452. casum quartum hujus nominis profetre Καλλικράτην a recto Καλλικράτης, etiam hic apud Liv. *Callicraten* legendum censeat; notandum est, Pausan. in Achaïc. 10. et 11. casum patrium proferre Καλλικράτους, et ibid. cap. 11. 12. tertium Καλλικράτει. Ex his intelligimus nomen id Graecos utraque forma declinasse: quod eo magis firmatur, quia contra Paus. casu quarto Καλλικράτην, Polyb. in Exc. Legat. num. 58. casu secundo Καλλικράτους dixerunt. De hoc Callicrate plura vide apud Polyb. et Pausan. l. laudatis, et apud Liv. 41, 23.

§. 11. *Literas deprehensas in*

literas deprehensas in commentariis regiis habebant: in Achaeis caecum erat crimen, nullis eorum 12 literis inventis. Aetolis dimissis, Acarnanum citata gens: in his nihil novatum, nisi quod Leucas ex- 13 emta est Acarnanum concilio. Quaerendo deinde latius, qui publice aut privatim partium regis fuis- 14 sent, in Asiam quoque cognitionem extendere: et ad Antissan in Lesbo insula diruendam, traducendos Methymnam Antissaeos, Labeonem miserunt: quod Antenorem, regium praefectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum est vagatus, portu 15 receptum commeatibus juvissent. Duo securi percussi viri insignes; Andronicus Andronici filius Aetolus, quod, patrem secutus, arma contra populum Romanum tulisset: et Neo Thebanus, quo auctore societatem cum Perseo junxerant.

XXXII.

commentariis] *deprensas* primae edd. cujus loco *deprehensas* dedit Vascos. V. ad 2, 29, 4. et 8, 18, 6.

§. 14. *Antissan in Lesbo*] Invito cod. nihil muto. Livius tamen, ubi commode potest, in nominibus Graecis declinationem Latinam praeferre solet. Et ita Plinius 5. H. N. 31. *Antissam Methymna traxit in se ipsam.*

Circa Lesbum est vagatus] Non ita Livius, sed vel *vagabatur*, vel *erat vagus*, vel *errabat vagus*. J. FR. GRON. Cl. Clericus sua auctoritate edidit *erat vagatus.*

Portum receptum non commeatibus juvissent] Lege *portu receptum commeatibus juvissent.* Sic enim in primo exemplari legebatur, et hic est sensus. SIG. Ovid. 7. Her. 89.

Fluctibus ejectum tuta statione recepi.

Error, quem Sigonius hic emendat, tantum commissus est in edd. Bas. anni 1554. et 1555.

§. 15. *Neo Thebanus, quo auctore*] Polyb. Exc. Leg. num. 63. Μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς περὶ τὸν Νέωνα καὶ Ἱππίαν ἐξέβαλλον, συντρέχοντες ἐπὶ τὰς οἰκίας αὐτῶν, καὶ κελεύοντες αὐτοὺς ὑπὲρ αὐτῶν ἀπολογεῖσθαι περὶ τῶν διῳκονομημένων· οὗτοι γάρ ἦσαν οἱ τὰ περὶ τὴν συμμαχίαν οἰκονομήσαντες. Hic, ut ex seqq. apud Polybium conflat, ex pa-

XXXII. His rerum externarum cognitionibus in- 1
terpositis, Macedonum rursus advocatum concilium: pronunciatum, *Quod ad statum Macedoniae* 2
pertinebat, senatores, quos Synedros vocant, legendos esse, quorum consilio respublica administraretur. Nomina deinde sunt recitata principum Ma- 3
cedonum, quos cum liberis, majoribus quam quindecim annos natis, praecedere in Italiam placeret. Id prima specie saevum, mox adparuit multitudini 4
Macedonum pro libertate sua esse factum. nominati sunt enim regis amici purpuratique, duces exercituum, praefecti navium aut praesidiorum; servire regi humiliter, aliis superbe imperare ad- 5
sueti: praedivites alii, alii, quos fortuna non aequarent, his sumtibus pares: regius omnibus victus vestitusque: nulli civilis animus, neque legum neque libertatis aequae patiens. Omnes igitur, qui 6

tria ejectus contulit se ad regem Persea; cui tanta fide et constantia adhaesit, ut Perseus, ab Aemilio victus, ex tribus fugae comitibus unum Neonem Thebanum habuerit. Vide Liv. 44, 43. Quo tempore autem Perseus in manus Aemilii incidit, simul Neo captus fuisse videtur.

§. 2. *Quod ad statum Macedoniae pertinebat*] Si haec verba Paulli sunt, potius legendum est *pertineret*. DUKER. Crevierius, siquidem haec sunt verba legatorum Romanorum, legendum censet *pertineat*.

Quos Synedros vocant] Diod. Sic. in Exc. Peiresc. pag. 292. de Philippo patre Persei, *τοὺς πρώτους τοῦ συνεδρίου πέντε ἀν-*

δρας ἀπέσφαξε. Vide ibi Vales. DUKER.

§. 3. *Majoribus, quam quindecim annos natis*] Cornel. Nep. de Reg. 2. *Majorque annos sexaginta natus decessit.* et Hannib. cap. 3. *Minor quinque et viginti annis natus.* Sed mihi recte videntur sentire, qui ibi utroque loco *natu*, et priore *annis* legunt, ex Cic. 2. Academ. 19. *Aliquot annis minorem natu.* et 2. Verr. 49. *Minor triginta annis natu.* Hic quoque si quis scribendum putaret *majoribus quindecim annis natu*, vel tantum *majoribus quindecim annis*, non dissentirem. DUK. Frontin. 4, 1, 10. *Ne quis minor quinquaginta annos natus hospitio matris fa-*

in aliquibus miniſteriis regiis, etiam qui in minimis legationibus fuerant, juſſi Macedonia excedere, atque in Italiam ire: qui non paruiſſet imperio, 7 mors denunciata. Leges Macedoniae dedit cum tanta cura, ut non hoſtibus victis, sed sociis bene meritis, dare videretur: et quas ne usus quidem longo tempore (qui unus eſt legum conrector) ex- 8 periendo argueret. Ab seriis rebus ludicrum, quod ex multo ante praeparato, et in Asiae civitates, et ad reges miſſis, qui denunciarent, et quum circumiret ipse Graeciae civitates, indixerat principi- 9 bus, magno adparatu Amphipoli fecit. Nam et artificum omnis generis, qui ludicram artem faciebant, ex toto orbe terrarum multitudo, et athletarum, et

milias uteretur. Ubi Cl. Oudend. *minor quinquaginta annis natu* in Mſto Leid. 2. eſſe adnotavit.

§. 6. *In aliquibus ministeriis regiis] in aliquis* ed. pr. Pari modo *aliquis*, pro *aliquibus*, plures codd. praeferunt supra 26, 49, 6. quod pro *aliqueis* positum exiſtimat Rhenanus. Verius tamen videtur, eodem errore abreptos fuiſſe librarios, quo dederunt *principiis*, pro *principibus*. V. quae notantur ad 21, 60, 7.

§. 8. *Ludicrum, quod ex multo ante*] Quod apud Athenaeum lib. 5, [cap. 5.] legitur: *ἀκούσας τοὺς ἐν τῇ Μακεδονίᾳ συντετελεσμένους ἀγῶνας ὑπὸ Αἰμιλίου Παύλου.* De veris, non ludicris, Aemilii Paulli certaminibus accipere se, ait Casaubonus: nam, editos in Macedonia ludos fuiſſe ab Aemilio Paullo, neque Livium dicere, neque Plutarchum, neque alium quemquam veterum, et omnino simile veri non eſſe. Memoria fefellit summum virum. Non enim modo id hic Livius tradit, sed et confirmat Plutarchus (in vita Aemil. Paull. pag. 270.) *Θέας δὲ παντοδαπῶν ἀγώνων καὶ Συσίας ἐπιτελῶν τοῖς Σκοῖς ἑστιάσεις καὶ δεῖπνα προύθετο.* Confirmat et Epit. l. 51. *Scipio exemplo patris sui naturalis Aemilii Paulli, qui Macedoniam vicerat, ludos facit, transfugasque ac fugitivos bestiis objecit.* Et quae, quaeso, spes *τῷ Ἐπιμανεῖ τῆς μεγαλοεργίας ὑπερᾶραι τὸν Παῦλον*, si *μεγαλοεργία* ibi maximae res geſtae? Immo sic eam accipies, ut *μεγαλουργίαν* Pericelis in operibus, quibus exornavit Athenas, praedicat Plutarchus in Fabio extremo. Sumptu et elegantia in ludis certaſſe significatur; magnificentia, non rebus geſtis, ad quas Syrus ille non magis adspirabat, quam rana ad magnitudinem bovis. J. FR. GRON.

nobilium equorum convenit: et legationes cum victimis, et quidquid aliud Deorum hominumque cauſſa fieri magnis ludis in Graecia solet. Ita factum eſt, ut non magnificentiam tantum, sed prudentiam in dandis spectaculis, ad quae rudes tum Romani erant, admirarentur. Epulae quoque legationibus paratae et opulentia et cura eadem. Vulgo dictum ipsius ferebant, et convivium inſtruere, et ludos parare ejusdem eſſe, qui vincere bello sciret. 10 11

XXXIII. Edito ludicro omnis generis, clipeisque aereis in naves inpositis, cetera omnis generis arma, cumulata in ingentem acervum, precatus Martem, Minervam, Luamque matrem, et ceteros 1 2

§. 9. *Et legationes cum victimis*] Sunt legati, quos Graeci Θεωρούς vocant. Vide Vales. ad Harpocr. voc. Θεωροί. DUKER.

§. 10. *Ad quae rudes tum Romani erant*] *Rudis ad aliquid* familiaris Livio locutio. 1, 22, 6. *Viros natos militiae, factis magnos, ad verborum linguaeque certamina rudes.* 21, 25, 6. *Gens ad obpugnandarum urbium artes rudis.* 24, 48, 5. *Rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse.* 28, 25, 8. *Scipionem bellis adsuetum, ad seditionum procellas rudem.* Pariter etiam alii. Ovid. 11. Her. 48.

Et rudis ad partus, et nova miles eram.

Juſtin. 1, 1. *Rudes ad resistendum populos.* Ita *fortes ad civilem sanguinem* supra 7, 40, 2. ubi vide notata.

§. 2. *Precatus Martem, Minervam, Lunamque matrem, et ceteros Deos*] Romanorum erat consuetudo arma de hoſtibus capta interdum cremare Vulcano, aut Marti, aut Minervae: idque ab imperatoribus factum reperimus non semel. Sed hic *Lunae matri* id factum scribit Livius: ut, cum in superioribus numinibus conſtet rei causa, hic vacillet et titubet, certe non appareat. Quid enim attinet arma in honorem *Lunae* comburi? Ego iſtam *Lunam* capite foras praecipitem agendam puto, et in hos penates revocandam *Luam matrem*, ut et lib. 8, 11, 6.] *Armorum vis magna tum inter caesa corpora hostium, tum in castris inventa est. Ea Luae matri dare se consul dixit.* Ea Dea nomen a *luendo* expiandoque sortita videtur esse: et praefuiſſe luſtrationibus et luſtris. poſt caedem autem hoſtium et bellum opus purgamentis et piaculis eſt. TURNEB. 16. Advers. 20. Hunc locum enarrans doctiſſimus Turnebus non

Deos, quibus spolia hostium dicare jus fasque est,

Lunam matrem, sed *Luam matrem*, legendum contendit, alio ejusdem Livii lib. 8, [1.] permotus. Hanc *Luam* Deam ita appellatam inquit a *luendo* et expiando, eamque praefuisse lustrationibus et lustris: post caedem enim hostium et bellum opus purgamentis et piaculis esse. Ego sane libentissime, ni ratio aliud suaderet, cum doctissimo viro consentirem. Sed, quaeso, unde haec nova Dea excogitata? quis illius ex classicis authoribus verba fecit? nam, in loco adducto mendum inesse, mox demonstrabimus. Fatemur gentilium Deorum innumeram farraginem, ita ut D. Augustinus lib. 4. Civit. Dei cap. 23. lib. 7, 2. ex Varrone dixerit, supra triginta millia fuisse, et Pindarus ante illum triginta millia esse dixerit, si Maximo Tyrio credimus, qui illum citat Serm. 1. id tamen referens ad opera et effectus divinitatis. Verum enimvero, quomodo Livius pene incognitam Deam specifice cum Marte et Minerva nominarit, non video: quin imo rationi consentaneum erat, ut potius eam, si qua est, in generali illa dictione, *et caeteros Deos, quibus spolia hostium dicare jus fasque est*, comprehenderet. Auget difficultatem, quod epitheton *matrem* adjunxerit, quo praecipuos magnosque Deos donavit antiquitas, non communioribus attribuens. Ad haec admiratione non caret, si haec lustrationibus praeerat, cur scriptores illius non meminere, ubi de exercituum lustratione agunt. *Armilustrum* vocavit Varro lib. 5. Ling. Lat. [48.] ex quo Plutarch. in Romul. [pag. 32.] et Livius ipse [27, 37.] Dion. Halic. lib. 4. scripsere. cur in classium expiatione, cujus Liv. lib. 39. et Appian. meminit lib. 5. Bell. Civil. nec in rogi militaris lustratione, de qua Virg. lib. 11. Aeneïd. [193.]

Hinc alii spolia occisis directa Latinis
Conjiciunt igni, galeas ensesque decoras.

Cur, inquam, in hujusmodi militaribus expiationibus scriptores de *Lua Dea* ne verbum quidem fecere? Utrobique itaque Livium *matris Lunae* verba *fe*cisse crediderim, mendumque inesse potius lib. 8. quam lib. 45. impressorum incuria, qui pro litera *n* clementum *u* facile supposuere; nam characteres, utramque literam exprimentes, consimiles maxime sunt, siquе invertantur, alter alterum repraesentat. Lunam vero jure *matris* attributo donatam conflat: quippe quae sublunarium omnium generationi et incremento opem ferat. Unde non immerito Aristot. lib. de Animal. scripsit, Lunae naturam persimilem videri naturae terrae, quam *magnam matrem* dictam alibi docuimus. Aït Turnebus. Quid attinet arma in honorem Lunae eomburi? At, ipse sciat, velim, in re militari maximum Lunae usum, nec contemnendum juvamen plerumque in rebus bellicis eam praestitisse. Communiora omitto, particularia aliquot exemplo adduco, ex antiquorum historia excerpta. Germani in proelio incundo religiose Lunam novam observabant, tradente Plutarcho in Jul. Caes. [pag. 717.] Ipsemet Livius, de cujus dictis agitur controversia, quot bellicas insidias silente Luna patratas, quot itinera ea perlucente noctu facta recenset? Lib. 32, [11, 9.] ubi de T. Quinctio scribit: *Nocte itinera fieri jubet, et pernox forte Luna*

ipse imperator, face subdita, succendit. deinde cir-

erat. At audiamus, quae magis ad divinitatem accedunt, exempla. Idem Livius lib. 44, [37.] haec habet. *C. Sulpicius Gallus tribunus militum secundae legionis, qui praetor superiore anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronunciavit: Nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam horam noctis Lunam defecturam esse. Id, quia naturali ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et praedici posse. Itaque quemadmodum, quia certi Lunae Solisque et ortus et occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescente cornu exiguo fulgere Lunam, non mirarentur, ita ne obscurari quidem, quum condatur umbra terrae, trahere id in prodigium non debere. Nocte, quam pridie Nonas Septembres insecuta est dies, edita hora Luna quum defecisset, Romanis militibus Galli sapientia prope divina videri. Macedonas, ut triste prodigium, occasum regni perniciemque gentis portendens, movit: nec aliter vates. clamor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec Luna in suam sedem emersit.* Pergit deinceps Livius pugnam describere, et Romanorum victoriam. Sed audiamus et Tacitum lib. 1. Ann. [28.] ubi de seditione Pannonicarum legionum: *Noctem minacem et in scelus erepturam sors lenivit. Nam Luna clarior pene coelo visa languescere. Id miles, rationis ignarus, omen praesentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prospereque cessura, quae peragerent, si fulgor et claritudo Deae redderetur. Igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere, ut splendidior obscuriorve laetari aut moerere, at postquam obortae nubes officere visui, creditumque conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes, sibi aeternum laborem portendi, sua facinora aversari Deos lamentantur.* Et paulo post: *Tum redire paullatim amor obsequii, omittunt portas, signa unum in locum principio seditionum congregata suas in sedes referunt.* Itaque parumne momenti in bellicis rebus Lunae numen esse dicemus? an potius jure hostium arma, sicuti Marti et Minervae, Lunae comburi debuisse non negabimus? Ergo, ut ipsissimis Turnebi de Luna prolatis verbis utar, iftam *Luam* Deam capite foras praecipitem agendam puto, et in hos penates revocandam *Lunam matrem*; quae tempestates praevidere, et praecavare quoque milites doceat: quae terras satiaret, accedens corpora impleat, abscedens inaniat, frondes quoque ac pabula juvet, et tandem in omnia illius vis penetret, ita ut recte Plinius lib. 2, 99. eam mundi spiritum appellarit. MARC. DONAT. Verissime *Luamque matrem* Turnebus, et firmat satis nostter lib. 8, [1, 6.] Laudat et Lipsius ad 15. Ann. [41.] Taciti. Est tamen, ut sunt multa curva ingenia, vero adsentiri nescia, Dempsterus [ad Rosin. 2, 8.] qui regerit *Lunam matrem*, et nobis Lunam bellorum praesidem facit. Unde tanta mysteria? quia apud Livium est lib. 32, [11, 9.] *Nocte itinera fieri jubet, et luna pernox erat.* Quod perinde est, ac si ex eo, quod Tacit. [2. Hist. 6.] *Parando interim bello secundum tutumque*

cumstantes tribuni militum pro se quisque ignes
3 conjecerunt. Notata est in illo conventu Europae Asiaeque, undique partim ad gratulationem, partim ad spectaculum contracta multitudine, tantis navalibus terrestribusque exercitibus, ea copia re-
4 rum, ea vilitas annonae; ut et privatis, et civitatibus, et gentibus, dona data pleraque ejus generis sint ab imperatore, non in usum modo praesen-
5 tem, sed etiam quod domos aveherent. Spectaculo fuit ei, quae venerat, turbae non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, quam praeda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita statuarum, tabularumque, textilium, et vasorum ex auro et argento et aere et
6 ebore factorum ingenti cura in ea regia: ut non in praesentem modo speciem, qualibus referta regia Alexandriae erat, sed in perpetuum usum fie-

mare, colligam, Neptunum atque Amphitriten aut Protea habitos bellorum praesides. Ejusdem farinae sunt cetera: quia Sulpicius Gallus in Macedonia exercitui defecturam praedixit, idque, quia naturali ordine et fatis temporum vicibus fiat, in prodigium trahi vetuit: quia seditiosus apud Tacitum miles defectionem sideris, ignarus rationis, omen praesentium accepit: quia Virgilius aït Trojam captam Luna silente: satis indigna, quae vel refutentur, nedum ut paginas impleant. Sed et comitem habet Marcellum [Donatum] similiter disputantem. Aristoteli scribi, Lunae naturam persimilem esse terrae, quam *Magnam Matrem* dixerunt: tum in re militari maximum Lunae usum: praeterea illam tempestates praevidere, et praecavere milites quoque docere, etc. quae lunatici admirentur licet. Diomedes lib. 3. [pag. 484.] de origine Bucolicorum: *Antequam Hiero rex Syracusas expugnasset, morba Sicilia laborabat. Variisque et assiduis caerimoniis Dianam placantes finem malis invenerunt. Eandem Αὐγὴν cognominaverunt, quasi solutricem malorum.* J. FR. GRON. Turnebi conjecturam *Luamque matrem* probant, praeter Doujatium et Crevierium ad h. locum, Germanus et Cerda ad Virgil. 11. Aen. 193. De Dea *Lua* videndus etiam est Reines. Cl. 1. Inscr. 238. Ejusdem nomen etiam supra 40, 2, 2. Modius restituere

rent. Haec, in classem inposita, devehenda Ro- 7
mam Cn. Octavio data. Paullus, benigne legatis dimissis, transgressus Strymonem, mille passuum ab Amphipoli castra posuit: inde profectus, Pellam quinto die pervenit. Praetergressus urbem, ad 8
Spelaeum (quod vocant) biduum moratus, P. Nasicam, et Q. Maximum filium cum parte copiarum ad depopulandos Illyrios, qui Persea juverant bello, misit, jussos ad Oricum sibi obcurrere: ipse, Epirum petens, quintisdecimis castris Passaronem pervenit.

XXXIV. Haud procul inde Anicii castra abe- 1
rant. ad quem literis missis, ne quid ad ea, quae fierent, moveretur; *senatum praedam Epiri civitatium, quae ad Persea defecissent, exercitui dedisse,* submissis centurionibus in singulas urbes, qui 2
se dicerent ad praesidia deducenda venisse, ut li-

conatus est, ubi tamen vulgatum *Lunae* servandum monui. Ceterum Fabrett. de Column. Traj. cap. 9. pag. 312. hunc locum ad partes vocans laudat *Luemque:* potius tamen errorem calami vel operarum puto, quam ipsum ita emendatum voluisse.

§. 3. *Ea utilitas annonae*] *vilitas.* SIG. Cic. pro L. Manil. 15. *Repente vilitas annonae ex summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est.* Nec aliter hic praeferunt omnes, quas vidi, editiones praeter solam Basil. anni 1554. quae operarum errore *utilitas* legit. Ut autem ibi typographi, sic alibi scribae librarii voces illas confuderunt. Vide Cel. Burm. ad Quinct. 5. Inst. Orat. 7. pag. 382.

§. 5. *Ei, quae venerat, turbae*] Forte *convenerat.* Paullo ante, *in illo conventu.* et cap. 32. *Multitudo convenit.* DUK. Cl. Dukeri emendatio verisimillima est. Simili errore *venire,* pro *convenire,* quidam codd. exhibent supra 37, 32, 13. Vide ad 35, 41, 7.

§. 6. *Referta regia Alexandriae*] Ita Vascos. et post eum recentiores omnes. Antiquiores edd. legunt *Alexandreae.* Vide ad 44, 19, 11.

§. 1. *Praedam Epiri civitatium*] Haec lectio priscarum editionum est. Pro ea *civitatum* legendum, vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit. Et ita ediderunt Basil. anno 1555. Licet autem Sigonius priscam

beri Epirotae, sicut Macedones, essent, denos principes ex singulis evocavit civitatibus: quibus quum denunciasset, ut aurum atque argentum in publicum proferretur, per omnes civitates cohortes dimisit. 3 ante in ulteriores, quam in propiores, profecti, ut 4 uno die in omnes perveniretur. Edita tribunis centurionibusque erant, quae agerentur: mane omne aurum argentumque conlatum: hora quarta signum 5 ad diripiendas urbes datum est militibus: tantaque praeda fuit, ut in equitem quadringeni denarii, peditibus duceni dividerentur, centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur. Muri 6 deinde direptarum urbium diruti sunt: ea fuere oppida circa septuaginta. Vendita praeda omnium, 7 de ea summa militi numeratum est. Paullus ad mare Oricum descendit, nequaquam, ut ratus erat, expletis militum animis: qui, tamquam nullum in Macedonia gessissent bellum, expertes regiae prae-

mox lectionem receperit, altera tamen recentioribus placuit usque ad Gronovium, qui anno 1665. *civitatium* revocavit. V. ad 41, 22, 7.

§. 5. *Ut in equitem quadringeni denarii, peditibus duceni dividerentur.*] Immensum hinc discrepat Plutarch. undenas tantum drachmas ex hac direptione in milites divisas referens, in Aemil. Paull. pag. 271. Γενέσθαι δ' ἐκ τοσαύτης φορᾶς καὶ πωλεθείσης ἑκάστῳ στρατιώτῃ τὴν δόσιν οὐ μείζον ἑνδεκα δραχμῶν. φρίξαι δὲ πάντας ἀνθρώπους τὸ τοῦ πολέμου τέλος, εἰς μικρὸν ὄντω τὸ καθ' ἕκαστον λῆμμα καὶ κέρδος ἑθνους ὅλου κατακερματισθέντος.

Centum quinquaginta millia capitum humanorum] Sic Plutarch. [Aemil. pag. 271.] ὥστε ὥρᾳ μιᾷ πεντεκαίδεκα ἀνθρώπων ἐξανδραποδισθῆναι μυριάδας· ἑβδομήκοντα δὲ πόλεις πορθῆναι. SIG. Pariter Polyb. apud Strab. 7. Geogr. 322. Τῶν δ' οὖν Ἠπειρωτῶν ἑβδομήκοντα πόλεις Πολύβιος φησὶν ἀνατρέψαι Παῦλον τὸν Αἰμίλιον μετὰ τὴν Μακεδόνων καὶ Περσέως κατάλυσιν (Μολοττῶν δ' ὑπάρξαι τὰς πλείστας) πέντε δὲ καὶ δέκα μυριάδας ἀνθρώπων ἐξανδραποδίσασθαι.

§. 7. *Paullus ad mare Oricum descendit*] Sic Plut. (ibid.) Αἰμιλίοις τοῦτο πράξας εἰς Ὠρικὸν κατέβη. SIGON.

dae esse indignabantur. Orici quum missas cum 8
Scipione Nasica Maximoque filio copias invenisset,
exercitu in naves inposito, in Italiam trajecit. Et 9
post paucos dies Anicius, conventu reliquorum Epi-
rotarum Acarnanumque acto, jussisque in Italiam
sequi principibus, quorum cognitionem caussae re-
servarat, et ipse, navibus exspectatis, quibus usus
Macedonicus exercitus erat, in Italiam trajecit.
Quum haec in Macedonia Epiroque gesta sunt, le- 10
gati, qui cum Attalo ad finiendum bellum inter Gal-
los et regem Eumenem missi erant, in Asiam per-
venerunt. Induciis per hiemem factis, et Galli do- 11
mos abierant, et rex in hiberna concesserat Perga-
mum, gravique morbo aeger fuerat. Ver pri-
mum ex domo excivit: jamque Synnada perve-
nerant, quum Eumenes ad Sardes undique ex-
ercitum contraxerat. Ibi et Romani Solovettium 12
ducem Gallorum Synnadis adlocuti, et Attalus

§. 9. *Quorum cognitionem caussae reservarat*] Cui reservarat? Sine dubio *senatui*. Hoc addendum puto. 39, 29. 2. *Placere cognitionem senatui reservari*. DUKER.

§. 11. *Galli domos abierunt, et rex in hiberna concesserat*] Merito haec lectio Cl. Perizonio displicuit, qui in margine Livii, *abierant* sibi legendum videri, monuit. Verum similiter praeferunt omnes typis descripti ante ultimam Gruteri editionem, quae *abierunt* admisit. Id vero postea secuti editores servarunt usque ad Crevierium, qui priscam lectionem recte reduxit.

Ver primum ex domo excivit] Satis intelligi, haec dici de Gallis; rem tamen clariorem futuram, si eorum nomen diserte exprimetur, judicat Cl. Crevierius.

§. 13. *P. Licinius cum regulo Gallorum*] Hic P. Licinius princeps erat legationis in Asiam missae, cujus occultis artibus eveniisse suspicio est, ne Galli in potestate Romanorum, pacem inter eos et Eumenem conciliantium, fuerint, ut ita paullatim vires Eumenis a Gallis frangerentur; licet mirum videri Livius profiteatur, verba legatorum apud Gallos nullius momenti fuisse. Metus vero, ne, si Attalus castra Gallorum intraret, animi disceptatione ir-

cum eis profectus; sed castra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex disceptatione irri-
13 tarentur. P. Licinius cum regulo Gallorum est locutus, retulitque, ferociorem eum deprecando
14 factum. ut mirum videri posset, inter tam opulentos reges, Antiochum Ptolemaeumque, tantum legatorum Romanorum verba valuisse, ut extemplo pacem facerent, apud Gallos nullius momenti fuisse.

1 XXXV. Romam primum reges captivi, Perseus et Gentius, in custodiam cum liberis abducti; dein turba alia captivorum: tum quibus Macedonum denunciatum erat, ut Romam veni-
2 rent, principumque Graeciae. nam hi quoque non solum praesentes exciti erant, sed etiam, si qui apud reges esse dicebantur, literis arcessiti

ritarentur, speciosus praetextus arreptus est Attalum procul amovendi; ut, eo absente, tanto commodius legati cum regulo Gallorum agerent, quae a senatu mandata erant. Suspicionem hanc palam injicit Polyb. Exc. Legat. num. 93. *Τοὺς δὲ περὶ τὸν Πόπλιον Λικίνιον ἔπεμψε πρεσβευτὰς παρὰ τοὺς Γαλάτας· ὃν ποιας μὲν ἔδωκεν ἐντολάς, εἰπεῖν οὐ ῥᾴδιον· ὑποζάζεσθαι δὲ ἐκ τῶν μετὰ ταῦτα συμβάντων ὀυ δυσχερὲς· τοῦτο δ' ἔσαι δῆλον ἐκ τῶν πράξεων αὐτῶν.*

§. 14. *Inter opulentos reges, Antiochum Ptolemaeumque*] Ita Froben. anno 1535. edidit: sed princeps ed. praefert *inter tam opulentos reges:* quod Gronov. in prima ed. notarum ex Aldina etiam laudavit. Verum adnotatio illa postea in curis secundis omissa est. Priscam lectionem Livio reddidi. Eam autem a genio loquendi ejus non abhorrere, patet ex illis, quae notantur ad 33, 45, 4.

§. 3. *Regia nave ingentis magnitudinis*] Sic Plutarch. [in Aemil. 271.] *Ἀνέπλει τὸν Θύβριν ποταμὸν ἐπὶ τῆς βασιλικῆς ἐκκαιδεκήρους κατεσκευασμένης ὅπλοις διχαλωτοῖς, καὶ φοινικίδι καὶ πορφύραις.* Hujus unius navis meminit Suidas in Perseo. SIGON. Hujus ejusdem navis meminit Livius supra 33, 30, 5. *Naves omnes tectas tradere, praeter quinque, et regiam unam inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant. Naves regias captas de Macedonibus inusitatae ante magnitudinis*

sunt. Paullus ipse post dies paucos regia nave in- 3
gentis magnitudinis, quam sexdecim versus remo-
rum agebant, ornata Macedonicis spoliis, non in-
signium tantum armorum, sed etiam regiorum tex-
tilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus,
completis ripis obviam effusa multitudine. Paucos 4
post dies Anicius et Octavius classe sua advecti.
Tribus iis omnibus decretus est ab senatu triump-
phus; mandatumque Q. Cassio praetori, cum tri-
bunis plebis ex auctoritate Patrum ageret, roga-
tionem ad plebem ferrent, ut iis, quo die urbem
triumphantes inveherentur, imperium esset. Inta- 5
cta invidia media sunt: ad summa ferme tendit.
nec de Anicii, nec de Octavii triumpho dubitatum
est: Paullum, cui ipsi quoque se comparare eru-
buissent, obtrectatio carpsit. Antiqua disciplina 6

infra memorantur cap. 42. hujus libri. Ceterum verba Plutarchi a Sigonio laudata minus dextere Latine vertentem Meibomium carpit Jac. Gronov. Diss. Epist. in Liv. loca quaed. Geogr. Ep. 6. pag. 45.

§. 4. *Cum tribunis plebis ex auctoritate Patrum ageret*) Si hic Livius non recessit a consuetudine sua loquendi, scribendum est, *cum tribunis plebis ageret, ex auctoritate Patrum rogationem ad populum ferrent.* 26, 21, 5. *Tribuni plebis ex auctoritate Patrum ad populum tulerunt.* 35, 7, 4. *M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate Patrum plebem rogavit.* 42, 21, 5. *Ex auctoritate deinde senatus eam rogationem promulgarunt.* DUKER.

§. 6. *Nihil relicturus (si aviditati indulgeretur)*] Nec male foret: *relicturis, (si aviditati indulgeret) quod in aerarium deferretur.* Forte etiam: *Quia antiqua.* J. FR. GRONOV. In hac Gronovii emendatione carpit Doujatius, quod *relicturus* in *relicturis* mutarit. Sententiam enim, quamvis commodam, ea recepta, Livii tamen menti omnino commodam dicere non audet. Eum enim velle videri, Aemilium Paullum providisse futurum, ut, si aviditati militum indulgeret, nihil sibi ipse reliquum faceret, quod posset in aerarium inferre. Verum quot capita, tot sensus. *relicturis*, quod unum in Gronovii conjectura Doujatio displicebat, ego maxime probandum ac recipiendum putavi, praesertim quum ita praeferat ed. princeps, pro quo mox Frob. anno 1535. *re-*

milites habuerat; de praeda parcius, quam speraverant ex tantis regiis opibus, dederat nihil relicturis, (si aviditati indulgeretur) quod in aerarium
7 deferret. Totus Macedonicus exercitus imperatori erat neglegenter adfuturus comitiis ferendae legis.
8 Sed eos Ser. Sulpicius Galba, qui tribunus militum secundae legionis in Macedonia fuerat, privatim imperatori inimicus, prensando ipse, et per suae legionis milites sollicitando, stimulaverat, ut fre-

licturus substituit; unde lectio haec ad reliquas omnes edd. propagata est. In reliquis verbis nihil muto, nisi quod omnem distinctionem inter voces *dederat nihil relicturis* sustulerim. Milites nihil erant relicturi, quod Paullus in aerarium deferret, *si aviditati indulgeretur*, id est, si quis eorum aviditati indulgeret, si quis illis rapiendi potestatem faceret, quantum vellent. Si quis tamen ad verba praecedentia *Quia* inserendum judicat, etiam interpunctio maxima post voces *in aerarium deferret* in minimam mutanda est.

§. 7. *Comitiis ferendae legis*] Posses *ferendae legi*. Vide ad lib. 2, 8, 3. Ita ultima litera voci *legis* adcrevisset ex principio vocis sequentis; de quo vide ad 28, 25, 2. Nihil tamen invito cod. mutandum: nam, et vulgatum Livio in usu esse, patet ex illis, quae notantur ad 10, 11, 3.

§. 9. *Militem honorem dare posse*] *dare non posse*, videtur legendum, siquidem subdit: *ne speraret ibi fructum gratiae, ubi non meruisset*. SIG. Illud *non*, quod in primis editionibus non exstat, fugandum est, et *honorem dare posse* scribendum. qui autem potest honorem dare, penes eum etiam potestas est non dandi. Intelligat igitur Paulus, qui se negat habuisse potestatem dandae pecuniae, militem habere potestatem mandandi suffragio triumphi, quem non deferet male merito. Iste sensus et historico dignior est, et argutior, et acrior. TURNEB. 16. Advers. 20. Animavi interrogatione. Sigonius aliique interjecerunt negativam *honorem dare non posse*, abnuente Turnebo; qui aliter tamen interpretatur, quam ego. GRUTER. Quod Turnebus, haud scio quo exemplari usus, quasi de conjectura restituit lib. 16, 20. id Frobenius, Aldus, Gryphius, Curio, jam sic ediderunt: et interpretatur ille acute, tamquam qui potestatem habeat dandi, penes illum sit et potestas non dandi. Non satisfacit tamen, quod Paullum vult negasse, habere se potestatem dandi. Quis ergo? aut cur huic imperatori minus licuit, quam omnibus aliis? Sigonius, *dare non posse*. Malim, *pecuniam illum non dare potuisse: militem honorem non dare posse*. J.FR.GRON. Turnebus usus est ed. Sigonii, qui conjecturam suam in contextum receperat, ejiciens autem voculam *non*, a Sigonio insertam,

quentes ad suffragium adessent: *Imperiosum ducem* 9
et malignum antiquando rogationem, quae de triumpho ejus ferretur, ulciscerentur. plebem urbanam secuturam esse militum judicia. Pecuniam illum dare non potuisse, militem honorem dare posse? ne speraret ibi fructum gratiae, ubi non meruisset.

XXXVI. His incitatis, quum in Capitolio roga- 1
tionem eam Ti. Sempronius tribunus plebis ferret, et privatis lege dicendi locus esset, nec ad suaden-

eam etiam in primis edd. non exstare expresse testatus est. Gronovii conjecturam Doujatius probat, eamque germanam Livii sententiam exprimere judicat. Crevierio nihil melius videtur, quam quod Sigonio placuit. At viri Cl. Ant. et Jac. Perizonii priscarum editionum scripturam, admissa simul Gruteri interrogatione, ut vulgo nunc editur, praeferunt hoc sensu: Paullum ab animo maligno impetrare non potuisse, ut liberalius praedam inter milites divideret; milesne ergo ab animo suo impetrare poterit, ut eidem honorem det?

§. 1. *Et privatis lege dicendi locus esset ad suadendum, ut in re minime dubia, si quisquam procederet*] Mallem *et privatis lege dicendi locus esset, nec ad suadendum, ut in re minime dubia, quisquam procederet.* Idem sentit Manutius. SIG. Recte Sigonius hic: sed tamen relinquit mendum, nec totum procurat. Scribe: *et privatis de lege dicendi locus esset.* Dabatur *locus dicendi de lege*, quum, ea proposita et promulgata, per magistratus ferentes copia privatis fiebat prodeundi in medium, populumque vel accipiendae ejus, vel antiquandae rationes edocendi. V. supra cap. 21. Sed et quia liber antiquus omnesque editi: *dubia si quisquam:* cogitare possis: *nec ad suadendum, ut in re minime dubiosa, quisquam procederet.* Neque enim sine auctore dixit Gellius lib. 3. cap. 3. *Quoniam dubiosae non erant.* Et lib. 5. cap. 10. *Dubiosum hoc in explicabileque.* J.FR. GRON. Manutium idem sentire, Sigonius dixisse videtur, quia is haec locum laudans in lib. de Legib. cap. 35. eum ita profert, ut ab ipso emendatur. Quod autem Gronov. insuper emendet *de lege dicendi*, omnino verum videtur. Sed, quod etiam *ut in re minime dubiosa* scribendum conjiciat, in eo ipsius sententiae accedere nequeo. Nam Gellium quidem non sine auctore hoc vocabulo usum esse dicit, at non probat. Immo potius, quum nullus ante Gellium hac voce usus reperiatur, isque plures novas dictiones invenerit, eumdem etiam hanc vocem finxisse verius videtur, certe eam ex sola conjectura Livio obtrudendam non puto. *Controversiosus* tamen eodem exemplo formatam vocem Livium adhibuisse supra 3, 72, 5. plures Mssti innuunt.

dum ut in re minime dubia, quisquam procederet;
2 Ser. Galba repente proceſſit, et a tribuno poſtula-
vit, *Ut, quoniam hora jam octava diei esset, nec satis temporis ad demonstrandum haberet, cur L. Aemilium non juberent triumphare, in posterum diem differrent, et mane eam rem agerent. Integro*
3 *sibi die ad caussam eam orandam opus esse.* Quum tribunus dicere eo die, si quid vellet, juberet, in noctem rem dicendo extraxit, referendo admonendoque, *Exacta acerbe munia militiae; plus laboris, plus periculi, quam desiderasset res, injunctum;*
4 *contra in praemiis, in honoribus, omnia artata. militiamque, si talibus succedat ducibus, horridiorem*

§. 2. *Quoniam hora jam octava diei esset*] Idem, sed aliis verbis, dicit Galba apud Plutarch. in Aemil. pag. 271. Ἠτήσατο παρὰ τῶν δημάρχων ἄλλην ἡμέραν· ἐκείνην γὰρ οὐκ ἐξαρκεῖν τῇ κατηγορίᾳ, τέσσαρες ἔτι λοιπὰς ὥρας ἐχούσαν. Illa autem sumsisse videtur ex Servilii responso cap. seq. *Diem integrum hesterno die ad accusandum L. Paullum petiit: quatuor horas, quantum supererat diei, dicendo absumsit.*

In posterum diem differrent, et mane eam rem agerent] Unus tantum Ti. Sempronius tribunus plebis rogationem tulisse dicitur de imperio Aemilii Paulli, quo die triumphans urbem inveheretur. Is unus etiam, nulla aliorum tribunorum mentione facta, Galbae respondens, dicere eo die, si quid vellet, *jubet.* Cur ergo hic *differrent*, et *agerent* numero plurium? Cl. Jac. Perizonius ad oram Livii conjecit *differret*, et *ageret.* At huic obstat, quod in fine cap. iterum de *tribunis* numero plurium loquatur: *Ut de integro eam rem agerent, ab tribunis petere, dicendique sibi ad populum potestatem facerent. Tribuni, quum ad deliberandum secessissent, victi auctoritatibus principum, de integro agere coeperunt, revocaturosque se easdem tribus renunciarunt.*

§. 5. *Non omnia in ducis, aliquid et in militum manu esse*] Doujatius se sensum Livii intelligere putat, quum verba haec ita reddat, non ex illis solis, penes quos imperium in exercitum erat, pendere, quae in bello gerantur. Verum de rebus bello gestis vel gerendis nunc non cogitat Galba, sed de distributione praemiorum; quam non solius ducis beneficium dicit, sed in militum etiam manu ac potestate esse, duci suffragiis suis triumphum vel concedere, vel eripere. Videtur existimasse, locutionem *in militum manu es-*

asperioremque bellantibus; eamdem victoribus inopem atque inhonoratam futuram. Macedonas in meliore fortuna, quam milites Romanos, esse. Si 5 *frequentes postero die ad legem antiquandam adessent, intellecturos potentes viros, non omnia in ducis, aliquid et in militum manu esse.* Iis vocibus 6 incitati, postero die milites tanta frequentia Capitolium compleverunt, ut aditus nulli praeterea ad suffragium ferendum esset. Intro vocatae primae 7 tribus quum antiquarent, concursus in Capitolium principum civitatis factus est, *Indignum facinus esse*, clamitantium, *L. Paullum, tanti belli victorem, dispoliari triumpho. obnoxios imperatores tradi* 8

se hic notare in eorum virtute ac fortitudine esse. At nosse debuerat, illa dici *in manu esse*, quae sunt in potestate. Cic. 14. ad fam. 2. *Haec non sunt in nostra manu.* Hinc *e manibus emittere*, est emittere ex potestate. Vide ad 22, 3, 10. Praesertim quum et in jure eadem locutio familiaris sit, ubi mulier dicitur *convenire in manum*, et *esse in manu mariti*; qui autem in servitute est, *manui et potestati suppositus esse.* Vide Brisson. de Verb. Sign. voce *Manus.*

§. 7. *Intro vocatae primae tribus quum antiquarent*] Sic Plutarch. [pag. 271.] *Ἡ τε πρώτη φυλὴ τὸν Σχιπίωνα ἀπεψηφίζετο.* SIGON.

Despoliari triumpho] Si haec veterum edd. lectio foret, non adversarer. Nunc vero ita demum invenio in Gronovianis. Priores omnes praeferunt *dispoliari.* Cic. 4. in Verr. 20. *Ut etiam una cum ceteris Siculis dispoliaretur.* ubi tamen alii *despoliaretur* ediderunt. Lactant. 5. Divin. Instit. 9. *Et Deorum, quos colunt, templa dispolient.* Veterem itaque lectionem restitui.

§. 8. *In uno nimis se per ambitionem peccare*] Egregius locus, sed adhuc corruptus. Scribe: *ultro nimis saepe per ambitionem peccari: quid si domini milites imperatoribus imponuntur?* Vel, si mavis, *ultro nimis saepe ambitionem peccare*, nempe imperatorum. Recte enim dicetur, peccasse imperatoris ambitionem, quum imperator peccavit per ambitionem. Sensus est, ultro suaque sponte et praeter necessitatem peccare imperatores, satis frequenter disciplinam ambitionis caussa remittendo: quid, si metu cogantur, futurum? *Ambitio* nihil est aliud, quam intempestiva captatio gratiae ac favoris, plerumque tam efficax, ut

licentiae atque avaritiae militari: in uno nimis se per ambitionem peccare. Quid, si domini milites imperatoribus inponantur? In Galbam pro se quis-
9 que probra ingerere. Tandem, hoc tumultu sedato,

ejus ergo jus et officium migremus. Sic 3, [c. 47, 4.] *Et ultro querente pauca petitore, quod jus sibi pridie per ambitionem dictum non esset.* Lib. 5, [36, 9.] *Senatui nec factum placebat Fabiorum, et jus postulare barbari videbantur. Sed ne id, quod placeret, decerneret in tantae nobilitatis viris, ambitio obstabat.* Lib. 29, [16, 5.] *Nec tam Q. Pleminii scelus, quam Scipionis in eo aut ambitio, aut negligentia iras hominum irritavit.* Salluſtius de Mario scribente milites capite censos plerosque [Jug. 86.] *Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant.* Sic et *ambitiose facere* dicimur, quae facimus praeter decorum fere demerendi alicujus cauſſa; quum ſtudemus plus et supra, quam oportet, et in quibus non oportet, ut gratiam incamus. Cic. 3. Famil. [7.] *Praesertim quum in isto genere multo etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus et dignitas postulat.* Salluſt. [Jug. 64.] *Neque facto ullo, neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret.* Ita frequenter accipitur et in libris juris, neque fugit Budaeum et Cujacium. Sed elegans Fornerius [1. Selection. 17.] dum illis addere aliquid cupit, nimium dicit. l. 5. C. de Commerc. et merc. volunt Auguſti, *cessante omni ambitione*, manere quingentorum sexaginta trium collegiatorum numerum. hoc eſt, ne in favorem aut gratiam ullius augeatur minuaturve, neve in locum defunctorum ex alio, quam illi fuerant, corpore subrogentur, ut ipsi se ibidem explicant. l. 3. C. de Execut. rei judic. *Res subhastatas ex compacto, sive ambitione diversae partis emptorem invenire potuisse.* quod eſt, quia reus ita omnium, qui eam rem agere debebant, aucupatus sit et occupaverit gratiam, ut damno ejus lucari noluerint. Fornerius aït, *ambitionem* eſſe falsae caussae allegationem et praetextum. Sane iis, quae per ambitionem fiunt, callidi homines alia et falsa praetexunt: non tamen *ambitio* eſt praetextus. Id maxime putat evinci e collatione lib. 1. et 3. C. Si tutor vel curator fals. alleg. excus. Priore dicitur: *si non competentibus allegationibus liberati esse a munere jussi sunt.* poſteriore: *si ambitione potius, quam juris ratione, si excusaverit.* Haec vero non sunt idem, sed illud generaliter dictum, hoc unam speciem continet. Sic et *ambitiose remissum* l. 12. C. de Transact. eſt, in quo, poſthabito publicae rei commodo aut jure, privatam gratiam quaesitam appareat. Et *ambitiosa decreta*, quibus, ut gratificareris nonnemini, a jure deceſſum sit, l. 3. princ. ff. de Minorib. l. 4. de Decret. ab ord. fac. lib. 2. C. de Decret. decurion. quid aliud sunt, inquit, quam gratiosa? Recte hoc. sed cur subjicit? quam quae cauſſa vacant, et colore quaesito conflata sunt? Nam hoc generale nimis, nec explica-

dato, M. Servilius, qui consul et magister equitum fuerat, ut de integro eam rem agerent, ab tribunis petere, dicendique sibi ad populum potestatem facerent. Tribuni, quum ad deliberandum secessissent, victi auctoritatibus principum, de integro a-

tur voce *ambitiosa*. Quid enim? si privato et proprio odio in quemquam decernatur? an non id quoque causa vacat, et colore quaesito conflatur? Nec tamen erit *ambitiosum*: quia non gratia sic captatur, sed intempestiva et incivilis vindicta exercetur. Perperam et Ovidii interpretatur lib. 3. de Ponto [Ep. 1. vers. 84.]

Pro nostris ut sis ambitiosa malis.

Ut mendax mei solandi sublevandique causa esse non vereare. Cur enim mendax? Immo simpliciter est, ut pro me ambias, roges, depreceris: ambitiosis, hoc est, illis, quae gratiam mereri possint, precibus utare. Nam et *ambitiosas preces* dixit Tacitus lib. 2. Histor. [49.] J. FR. GRON. *Εὐσοχωτάτως* Gronov. *ultro nimis saepe* pro *in uno nimis se*. Ductus literarum in vocibus *in uno* et *ultro* simillimi sunt, et facile commutari possunt. Ultima autem syllaba *τοῦ saepe* hausta est a primis literis vocis sequentis. Ut vero *peccari*, pro *peccare*, scribatur, opus non videtur. Subintelligendum enim *imperatores*, quae vox et praecessit, et sequitur. Erudite etiam vocem *ambitio* Gronov. inlustravit. Ita 28, 40, 2. *Id consilium haudquaquam primoribus Patrum quum placeret, ceteri que per metum aut ambitionem mussarent.* 38, 32, 4. *Quum alia, satis ambitiose partem utramque fovendo, incerta re-*

spondisset. 43, 14, 7. *Multos ex Macedonicis legionibus, incertis commeatibus per ambitionem ab exercitu abesse.* Plura v. supra ad 3, 47, 4. Adde viros doctos ad Suet. Aug. 26. Graev. ad Cic. 3. ad fam. 7. et Cortium ad Sall. Jug. 86. et Plinii 3. Ep. 9, 10.

§. 9. *M. Servilius, qui consul et magister equitum fuerat*] Magister equitum fuit biennio ante, quam bellum Punicum secundum finiebatur, sive A. V. 201. consul anno sequenti. 30, 26. *Insequentia excedunt in eum annum, quo M. Servilius Geminus, qui tum magister equitum fuit, et Ti. Claudius Nero consules facti sunt.* Ab anno autem 201. quo consul fuit, jam effluxerunt anni XXXV. unde probe senem fuisse constat, quum legem Sempronii suaderet, et Paullum adversus criminationes Galbae defenderet.

§. 10. *Revocaturosque se easdem tribus renunciarunt*] *pronunciarunt* puto. 38, 60, 3. *Tribuni quum in consilium secessissent, paullo post C. Fannius ex sua collegarumque aliorum, praeter Gracchum, sententia pronunciavit.* Cic. in Bruto cap. 22. *Quum consules, re audita, amplius de consilii sententia pronunciavissent.* Suet. Ner. 15. *Quoties autem ad consultandum secederet*, etc. *quid ipsi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronunciabat.* Hic, qui plenum inficetia-

gere coeperunt, revocaturosque se easdem tribus renunciarunt, si M. Servilius aliique privati, qui dicere vellent, dixissent.

1 XXXVII. Tum Servilius: *Quantus imperator L. Aemilius fuerit, Quirites, si ex alia re nulla aestimari possit, vel hoc satis erat, quod, quum tam seditiosos et leves milites, tam nobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad instigandam multitudinem inimicum in castris haberet, nullam in exer-*
2 *citu seditionem habuit. Eadem severitas imperii,*

rum commentarium in Suetonium, quem non attingere debuerat, edidit, *secederet* interpretatur *in aliud cubiculum iret.* quasi scilicet hae cognitiones in cubiculo Neronis habitae fuerint. Sed forsitan scivit, Gutherium 1. de Offic. Dom. Aug. 24. in hoc loco Suetonii consistorium principis, et Huberum auditorium in Palatio Caesaris invenisse: quamquam, si id scivit, et hi nominandi, et Perizonium Differt. 2. de Praetorio cap. 19. Hubero respondisse, quantum satis est, dicendum fuisset. DUKER.

§. 1. *Quantus imperator L. Aemilius fuerit, Quirites, si ex alia re* etc.] Hoc principium orationis sic Graece vertit Plutarchus [in Aemil. pag. 271.] *Αἰμίλιον μὲν ἔφη Παῦλον ἡλίκος ἀυτοκράτωρ γένοιτο, τὸ νῦν μάλιστα γινώσκειν, ὁρῶν ὅσης ἀπειρίας γέμοντι, καὶ κακίας στρατεύματι Χρώμενος ὄντω καλὰς κατώρθωσε καὶ μεγάλας πράξεις.* SIGON.

§. 2. *Itaque, antiqua disciplina habiti, neque fecerunt*] Scribe cum Alberto Rubenio *habiti tunc quieverunt.* Lib. 8, [7.] *Exanimati omnes tam atroci imperio, nec aliter quam in se quisque districtam cernentes securim. metu magis, quam modestia, quievere.* J. FR. GRONOV. Rubenii conjecturam recte etiam Crevierius probavit. *Quiescere* est a seditione, a tumultu abstinere, nullas turbas movere. Liv. 3, 48, 1. *Nocte tota coetus in urbe factos esse ad movendam seditionem. Itaque secum armatis descendisse. Proinde quiesse erit melius.* c. 65, 7. *Quiescenti plebi ab junioribus Patrum injuriae fieri coeptae.* 4, 49, 11. *Malum quidem militibus meis, inquit, nisi quieverint.* 8, 2, 13. *Campanos, seu velint, seu nolint, quieturos.* 22, 14, 1. *Tum prope de integro seditio accensa. quieverant enim per paucos dies.* Ita *inquietus* est seditiosus. 3, 46. 2. *Inquietum hominem, et tribunatum etiam nunc spirantem, locum seditionis quaerere.* Vir doctus ad marginem ed. Curionis adscripsit, forte vocem excidisse, ac legendum *neque seditionem fecerunt.* Cel. Trill. l. 3. Obs. Crit. c. 8. vel *neque defecerunt*, vel *nunquam defecerunt* legi posse conjecit.

§. 4. *Postero die, quam triumphatum est, privatum eum vi-*

quam nunc oderunt, tunc eos continuit. Itaque, antiqua disciplina habiti, neque fecerunt. Ser. qui- 3
dem Galba, si in L. Paullo accusando tirocinium ponere, et documentum eloquentiae dare voluit, non triumphum inpedire debuit, quem, si nihil aliud, senatus justum esse judicaverat: sed postero die, 4
quam triumphatum est, privatum eum visurus esset, nomen deferret, et legibus interrogaret; aut serius paullo, quum primum magistratus ipse cepisset, diem diceret, inimicum ad populum accusaret.

surus esset, nomen deferret] Legendum *privatum cum visurus esset*. Porro autem ego malim legere, *deferre, interrogare, dicere, accusare*; ut haec omnia ad vocem *debuit* referantur. SIG. *privatum cum visurus* Sigonii est: nam prius *privatum eum visurus*. Sed manet incommodum in illo *quam triumphatum est*. Requiritur enim *esset*. Scribe: *sed postero die, quam triumphatum, et cum privatum eum visurus esset*. J. FR. GRON. Non dicit Gronovius, quid sentiat de conjectura Sigonii, verba infinitiva pro subjunctivis substituentis. Ea mihi non contemnenda quidem videtur; haud scio tamen, an subjunctiva retineri possint: *deferret* pro deferre potuisset, vel debuisset, et sic cetera. Terentius Phorm. 2, 1, 66. *Non fuit necesse habere; sed id, quod lex jubet, dotem daretis, quaereret alium virum*. Et vers. 69. *Sumeret alicunde* argentum. DUKERUS. *quam triumphatum esset* Gronov. in prima notarum editione conjecit, cui deinde substituit id, quod hic praemittitur. Verum neque id Cl. Jac. Perizonio placuit, qui ad marginem Livii emendavit *postero die, quam triumphatum, privatumque quum visurus esset*, quasi copula *que* elisa fuisset a sequenti voce *quum*. Vide ad 38, 40, 7. Sed observandum est, in ed. principe legi *privatum eum*, pro quo Sigonius demum *privatum cum*, vel *quum* conjecit; et ita evanescere similitudinem, quae causa fuisset, ut vox *que* excideret. Ipsi etiam Perizonio haec conjectura non satisfecit, qui dein tentabat *privatumque eum visurus esset*, ut ad hoc membrum ex praecedenti intelligatur *quam*. Verum, unica tantum litera expuncta, proxime codicis lectionem eodem sensu legendam, *postero die, quam triumphatum, et privatum eum visurus esset*. Deinde *deferret, interrogaret, diceret, accusaret* adversus Sigonium defendit etiam Doujatius. An igitur *non triumphum inpedire debuit, sed nomen deferret* ad consuetudinem Livii orationem variandi referendum est?

Legibus interrogaret] Livius 38, 60, 8. *Neminem unum civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit*. Sallust. in Catil. 18. *P. Autro-*

5 *Ita et pretium recte facti triumphum haberet L. Paul-*
lus pro egregie bello gesto; et poenam, si quid et
6 *vetere gloria sua et nova indignum fecisset. Sed*
videlicet, cui crimen nullum, nullum probrum di-
cere poterat, ejus obtrectare laudes voluit. Diem
integrum hesterno die ad accusandum L. Paullum
petiit: quatuor horas, quantum supererat diei, di-
7 *cendo absumsit. Quis umquam tam nocens reus*

nius et P. Sulla, ambitus interrogati, poenas dederant. ubi vide Cortium. Adde Briſſon. 5. de Formul. pag. 471. et lib. 2. Select. ex Jur. civ. antiq. c. 1.

§. 6. *Cui crimen nullum probrum dicere poterat*] Legendum *cui nullum crimen, nullum probrum dicere poterat.* SIG. Ea forma supra 8, 36, 9. *Nulla arma, nullam vim, nec apertam, nec insidiis, expertus.* ubi vide. 34, 13, 7. *Nullum imperatorem, nullos in ea milites haberent.* Cic. de Senect. 10. *Nullo imbre. nullo frigore adduci, ut capite operto sit.* Eadem forma *quantum numero militum, quantum pecunia valerent* dixit lib. 29, 37, 7. ubi alia vide. Vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit, *cui crimen nullum probro dicere poterat.* Verum ita insuper legendum erit *probro ducere poterat.* Sed verisimilior videtur conjectura Gronovii in prima notarum editione proposita, *cui crimen nullum, nullum probrum dicere poterat.* ut ita vocis *nullum* repetitio cauſſa fuerit, cur semel ab inerti librario omiſſa fuerit. Ejusdem erroris alia exempla v. ad 33, 27, 4.

Diem integrum hesterno die ad accusandum L. Paullum petiit] *hesterno die accusandum* edd. principes. *ad accusandum* primum inveni in ed. Vascos. quomodo etiam vir doctus ad marginem ed. Curionis, priscam lectionem servantis, scribendum conjecit. Videri poſſet, olim scriptum fuiſſe *accusatum L. Paullum*, idque in *accusādum*, et *accusandum* poſtea mutatum eſſe. Vide ad 2, 48, 4. et 6, 37, 4. Sed praefero, quod nunc receptum eſt, *ad accusandum*, et puto, forte olim *ad adcusandum* scriptum fuisse, et ita primam syllabam posterioris vocis praepositionem elisiſſe. Ita *in* saepe intercipitur a syllaba prima vocis sequentis. Vide ad 34, 28, 3. *re*, vel *rē*, id eſt *rem*. Vide ad 42, 32, 7. *se*. Vide ad 29, 21, 7.

§. 8. *Puram alteram, integrioris judicii, et a favore et odio*] Lectio haec vix servari poſſe videtur, in qua poſtremae voces *et a favore et odio* referendae sunt ad primam *puram. puram a favore*, ut *purum ab humano cultu solum* 1, 44. *purus ab arboribus campus* apud Ovid. 7. Met. 709. Sed quo minus commode haec jungi poſſint, obſtant partim interjectae voces *integrioris judicii*, quae per se accipi debent; partim quod tum potius Livius dixiſſet *puram et a favore, et ab odio*; quomodo etiam Crevierius legendum conjicit. Vide supra h. lib. ad cap.

fuit, cujus vitia vitae tot horis expromi non possent? Quid interim objecit, quod L. Paullus, si caussam dicat, negatum velit? Duas mihi aliquis 8
conciones parumper faciat: unam militum Macedonicorum; puram alteram, integrioris judicii, et a favore et odio, universo judicante populo Romano. Apud concionem togatam et urbanam prius reus agatur. Quid apud Quirites Romanos, Ser. Galba, 9

8, 4. Vir doctus ad marginem ed. Curionis vocem excidisse, ac legendum conjicit *et a favore et odio liberam*. Sed, nisi inevitabilis necessitas exigat, integram vocem, invitis Mstis, interponere, nimis temerarium videtur. An igitur potius, una voce transposita, scribendum *alteram integrioris judicii, et puram a favore et odio*?

Apud concionem togatam et urbanam prius reus agatur] Forte *res agatur*. MURET. Saepius *res* et *reus* a librariis commutantur. V. ad 4, 42, 6. 9, 26, 8. 21, 10, 6. 38, 52, 2. Vir doctus ad oram ed. Curionis emendat *Paullus*, pro *prius*. Sed verisimile non est, librarios vocem notissimam *Paullus* corrumpere voluisse. Eadem etiam modo praecessit; unde hic iterum repeti necesse non est. Neque ductuum similitudo errori scribarum praetendi potest. Tandem τὸ *prius* defendit, quod mox sequitur §. 14. *Transeatur ad alteram concionem*. Recte etiam Doujatius, Hearnius, ac Crevierius judicarunt, caussam non esse, cur *reus agatur* Mureto displicere debuerit. *Reum* enim *agere*, ac *peragere* locutiones sunt optimis scriptoribus usitatae. Supra 4, 42, 6. *Vos autem, si reum perago, quid acturi estis*? ubi quaedam vide. Ovid. 14. Her. 120.

Quid fiet sonti, si rea laudis agar?

16. Her. 324.

Ipse reus sine te criminis hujus agar.

ubi vide N. Heins. Convenit etiam huic lectioni, quod praecedit, *si caussam dicat*: et quod sequitur *Itaque accusatorem id scire potuisse, et supervacaneam defensionem Paulli fuisse*.

§. 9. *Illa enim tibi tota abscisa oratio esset*] Haec principum editionum lectio est. Ejus loco *abscissa oratio* dedit Vascos. quod recentiores servarunt usque ad Gronovium, qui *abscisa* revocavit. Vide ad 31, 34, 4.

In statione severius et intentius institisti] Doujatius existimat, in prima hac parte orationis acute a Servilio induci Galbam, objicientem L. Paullo, quae tum per milites, tum per se ipsum fecerat, quasi illi exprobraretur a Galba, quod laudi vertendum erat; et hinc, oratione ex persona Galbae ad L. Paullum versa, dici *institisti, operis plus fecisti, circumires, iter fecisti, in aciem duxisti*: in posteriore autem parte sermonem ex persona Servilii Paullum defendentis ad ipsum Galbam converti, *ne victorem qui-*

diceres? illa enim tibi tota abscisa oratio esset: „in „statione severius et intentius institisti; vigiliae acer-„bius et diligentius circumitae sunt; operis plus, „quam antea, fecisti, quum ipse imperator et exa-„ctor circumires; eodem die et iter fecisti, et in aciem
10 *„ex itinere duxisti. Ne victorem quidem te adquie-„scere passus est: statim ad persequendos hostes „duxit. Quum te praeda partienda locupletem fa-„cere posset, pecuniam regiam translaturus in trium-*
11 *„pho est, et in aerarium laturus.“ Haec sicut ad militum animos stimulandos aliquem aculeum habent, qui parum licentiae, parum avaritiae suae inservitum censent; ita apud populum Romanum ni-*
12 *hil valuissent: qui, ut vetera atque audita a parentibus suis non repetat, quae ambitione imperatorum*

dem te (o Galba) *adquiescere passus est* (Paullus.) etc. Hinc efficit contra Gronovium, qui in verbis sequentibus *circumiret*, pro *circumires*, et *ductus es*, pro *duxisti*, legendum conjicit, nihil mutandum esse. Contra Cl. Crevierius hic aliquid vitiatum esse agnoscit. Quum autem ex illis, quae secunda persona dicuntur, alia ad imperatorem spectent, alia ad militem, libentius mutaret verba ad imperatorem pertinentia, et non tantum cum Gronovio *circumiret*, *ductus es* legeret, sed etiam *institit*, pro *institisti:* cui omnino adsentior.

Imperator et exactor circumires] Immo *circumiret*. Sallust. (Jugurth. 45.) de Metello: *Vigilias crebras ponere, et eas ipse cum legatis circuire.* J. FR. GRON.

In aciem ex itinere duxisti] Proxima oratio requirit: *et in aciem ex itinere ductus es.* J. FR. GRON.

§. 10. *Ne victorem quidem te adquiescere passus est*] *se acquiescere* conjicit vir doctus ad marginem ed. Curionis: at superior ratio hic *te* requirit.

§. 11. *Qui parum licentiae*, etc. *inservitum censent*) Clariss. Jac. Perizonius ad marginem Livii malebat *censeant*. Ita mox cap. seq. *Ipse aliter adfectus animo sum, qui apud exercitum mihi loqui videar.* Verum nihil mutandum: sequitur enim hoc ipso cap. *Apud populum Romanum nihil valuissent, qui* etc. *meminit;* non *meminerit.*

§. 13. *Itaque accusatorem id scire potuisse*] Non potest in his verbis intelligi, nisi praecedens *meminit:* id autem parum commodum est. Fortassis: *Ita-*

clades acceptae sint, quae severitate imperii victoriae partae, proximo certe Punico bello, quid inter M. Minucium magistrum equitum et Q. Fabium Maximum dictatorem interfuerit, meminit. Itaque 13
accusatorem id scire potuisse, et supervacaneam defensionem Paulli fuisse. Transeatur ad alteram 14
concionem: nec Quirites vos, sed milites videor adpellaturus, si nomen hoc saltem ruborem incutere, et verecundiam aliquam imperatoris violandi adferre possit.

XXXVIII. *Equidem ipse aliter adfectus animo* 1
sum, qui apud exercitum mihi loqui videar, quam paullo ante eram, quum ad plebem urbanam spectabat oratio. Quid etiam dicitis, milites? Aliquis 2
est Romae, praeter Persea, qui triumphari de Ma-

que et accusator id scire potuisset, et supervacanea defensio Paulli fuisset. J. FR. GRON. Crevierio Gronovius nondum hic satisfecit. Mihi etiam locus adhuc mendosus videtur: restitutio vero non, nisi codicis integrioris ope, sperari potest.

§. 14. *Nec Quirites vos, sed milites videor adpellaturus*] Magistratus aliique, cum populo acturi, cives adloquebantur voce *Quirites*: at imperatores exercitum voce *milites*, vel *commilitones*. Hinc, milites adpellatione *Quiritium* adloqui, quasi genus poenae erat, et signum inhonestae missionis habebatur. Sueton. Caes. 70. *Decumanos, missionem et praemia flagitantes, una voce, qua Quirites eos pro militibus adpellarat, tam facile circumegit et flexit, ut ei milites esse confestim responderint.* V. ibi Torrent. et Brisson. 4. de Form. 347. Adde, quos laudat Cl. Oudendorp. ad Lucani 5, 358.

§. 2. *Quid etiam dicitis, milites*] Muretus, *Quid enim dicitis.* Ego τὸ *etiam* trajiciendum censeo in membrum praecedens, hoc modo: *Equidem ipse etiam aliter animo affectus sum, quum apud exercitum mihi loqui videor, quam paullo ante eram, cum ad plebem spectabat oratio. Quid dicitis, milites?* J. FR. GRON. Doujatius nihil vitii in vulgata lectione deprehendit. Putat enim, Servilium, quum sibi visus esset plebem urbanam ad suas partes traduxisse, jam milites interrogare, ut eliciat etiam ab illis parem adsensum. Si quid tamen mutandum, mallet *Quid jam dicitis, milites.* At neutrum verum esse mihi persuadet. Sed nec Mureti conjectura placet. Nam licet voces

cedonibus nolit? et eum non iisdem manibus discerpitis, quibus Macedonas vicistis? Vincere vos prohibuisset, si potuisset, qui triumphantes urbem inire
3 *prohibet. Erratis, milites, si triumphum imperatoris tantum, et non militum quoque et universi po-*
4 *puli Romani, esse decus censetis. Non unius hoc Paulli. Multi etiam, qui ab senatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triumpharunt. Nemo L. Paulo magis eripere decus perfecti belli Macedonici potest, quam C. Lutatio primi Punici belli, quam P. Cornelio secundi, quam illis, qui*
5 *post eos triumphaverunt. Nec L. Paullum minorem*

enim et *etiam* saepissime commutentur, ut vidimus ad 36, 41, 3. τὸ *enim* tamen non videtur hic locum habere posse. Gronovii trajectio sensui satisfacit; sed eam invito cod. admittere non audeo, nisi credere velimus, τὸ *etiam* primo perperam a librario omissum, mox margini adscriptum, et tandem alieno loco insertum fuisse.

§. 4. *Non unius hoc Paulli*] Valde abruptum hoc. Forte nimii sumus. Sed valde placeret, si legeretur: *Erratis, milites, si triumphum imperatoris tantum, si unius hunc Paulli, et non militum quoque et universi populi Romani esse decus censetis.* J. FR. GRONOV. Hanc etiam Gronovii trajectionem rejicit Doujatius, et sic abrupte pronunciata sententia ei elegantior videtur. Contra, quaedam excidisse, et post vocem *Paulli* asteriscum adponendum esse, Grevierius judicavit.

Quam illis, qui * *triumphaverunt*] Nihil huic sententiae deerit, si legas: *quam illis, qui post eos triumphaverunt.* Intelligit autem, qui post Lutatium et Cornelium triumpharunt, ut de Philippo et de Antiocho: atque ita legendum est: *quam Macedonici et Asiatici illis, qui triumphaverunt.* SIGON. Sic [*quam illis, qui triumphaverunt*] vetus liber, mutilus haud dubie hac parte ac parum integer. Sigonius nihil sententiae defore putat, si legas, *qui post illos triumpharunt.* Sed certe plura desunt, si nihil aliud, post τὸ *illis*, quod eripi posse negat: verbi gratia, *sua cuique decora et aliis sive ante hos, sive post eos triumphaverunt.* J. FR. GRON. Sigonianum supplementum Doujatio sufficiebat, aut certe ei satis esse videbatur *quam sua decora illis, qui post eos triumphaverunt:* vocem autem *decora* ex τῷ *decus* in superiori membro huc non absurde revocari. Clericus, quae desunt, ita supplet *quam* [*decora cuique sua*] *illis, qui* [*post eos*] *triumphaverunt:* Grevierius *quam* [*decora cuique sua*] *illis, qui* [*ante postve eos*] *triumphaverunt*, et

aut majorem imperatorem triumphus faciet. militum magis in hoc universique populi Romani fama agitur primum ne invidiae et ingrati animi adversus clarissimum quemque civem opinionem habeat, et imitari in hoc populum Atheniensem, lacerantem invidia principes suos, videatur. Satis peccatum in Camillo a majoribus vestris est, quem tamen ante receptam per eum a Gallis urbem violarunt: satis insuper a vobis in P. Africano. Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africae! Literni sepulcrum ostendi! Erubescamus, gloria si par illis viris L. Paullus, injuria vestra exaequetur. Haec 6 7 8

ambo id in contextum receperunt. Sed vix verisimile videtur, vocibus mediis *illis qui* remanentibus, et quae praecedunt, et quae sequuntur, excidisse. Neque hujus loci medicina salutifera sine ope codicis sperari potest.

§. 6. *Ne invidiae et ingrati animi adversus clarissimum quemque civem opinionem habeat*] *invidi et ingrati animi* conjicit Crevierius. Ceterum *opinio* hic est fama, existimatio, et is *opinionem animi ingrati habere* dicitur, qui existimatur ingratus esse. Supra 43, 1, 2. *Omnia iis sua concessit, ut opinione clementiae eos, qui Carnuntem munitam urbem incolebant, alliceret.* Caesar 7. B. Gall. 59 *Bellovaci, quae civitas in Gallia maximam habet opinionem virtutis, instabant.* Cic. 2. d. Offic. 11. *Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio justitiae necessaria est: eoque magis, quod, si eam non habebunt, injusti habebuntur.* Justin. 12, 8. *Bellum jam pridem, audita Alexandri opinione, in adventum ejus parabat.*

§. 7. *Literni sepulcrum ostendi. Erubescamus, gloria si par*] Et haec male sani coloris. Conjiciebam: *satis insuper nos in P. Africano, Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africae, Literni sepulcrum ostendi, erubescimus. Gloriane par illis viris L. Paullus injuria etiam vestra exaequabitur?* Vel *et injuria vestra.* J. FR. GRON. Edd. antiquiores in eo differunt a recentioribus, quod paullo ante praeferant *satis insuper vobis* sine praepositione, quam demum in edd. Gronovii additam notavi: et recte. Praecessit enim *Satis peccatum in Camillo a majoribus vestris.* In reliquis verbis hujus periodi nihil mutandum censuit Cl. Jac. Perizonius, ad marginem Livii monens, *ea fuisse* et *ostendi* sibi esse quasi ablativos, indicantes qua in re peccatum sit. Conjectura Gronovii etiam Cl. Crevierio placere non potuit, qui

igitur primum infamia deleatur, foeda apud alias
9 *gentes, damnosa apud nostros. Quis enim aut Afri-*
cani, aut Paulli, similis esse in ingrata et inimica
10 *bonis civitate velit? Si infamia nulla esset, et de*
gloria tantum ageretur, qui tandem triumphus non
11 *communem nominis Romani gloriam habet? Tot*
de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Poenis,
ipsorum tantum imperatorum, an populi Romani,
dicuntur? Quemadmodum non de Pyrrho modo,
nec de Hannibale, sed de Epirotis Karthaginiensi-
busque triumphi acti sunt; sic non M? Curius tan-
tum, nec P. Cornelius, sed Romani triumpharunt.
12 *Militum quidem propria est caussa; qui et ipsi lau-*
reati, et quisque donis, quibus donati sunt, insi-

maluit locum intactum relinquere, addita tantummodo nota admirationis, ut hic sensus esse intelligatur: quam pudendum nobis est, *Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africae! Literni sepulcrum ostendi!* Non raro autem integrum orationis membrum per vehementem adfectum subprimi, docuit adlato loco Virgil. 1. Aen. 97. *Mene Iliacis occumbere campis Non potuisse!* Neque mihi persuaderi potest, Livium in prima parte horum verborum dedisse *satis insuper nos*, pro *a vobis*, quia praecessit *Satis peccatum in Camillo a majoribus vestris*. Si enim hic *nos* maluisset, ibi etiam *a majoribus nostris* dedisset. Prima hac emendatione rejecta, pleraeque reliquae in sequentibus vocibus sponte cadunt.

§. 9. *In ingrata et inimica bonis civitate*] Praepositio *in* exsulat ab ed. principe; quam Frob. anno 1535. adposuit. Potuit autem excidisse ob syllabam initialem vocis sequentis. V. ad 8, 33, 6. Potest tamen etiam prisca lectio servari, et per ellipsin participii verbi substantivi intelligi: de quo v. ad 4, 47, 7. et 22, 31, 5.

§. 11. *Sic non M. Curius tantum*] *M? Curius*, ut ante. SIGON. *M? Curius* vocatur in Fastis Capitol. Triumphal. ad A. V. CCCLXXVIII. et idem praenomen genti Curiae familiare est. V. ad 32, 7, 8. ubi etiam ante Sigonium pari errore *M.* pro *M?* edebatur. Passim librariorum inscitia M? Curii, qui Pyrrhum devicit, praenomen apud omnes fere auctores, ejus mentionem facientes, corruptum esse, monuit Pighius in Annal. ad A. V. CCCLXIII. pag. 403. Perperam *T. Curius* vocatur apud Quinctil. 7. Instit. 2, 607. Sed ibi praeno-

gnes, triumphum nomine cient, suasque et imperatoris laudes canentes per urbem incedunt. Si quando non deportati ex provincia milites ad triumphum sint, fremunt: et tamen tum quoque se absentes, quod suis manibus parta victoria sit, triumphare credunt. Si quis vos interroget, milites, ad quam rem in Italiam deportati, et non statim, confecta provincia, dimissi sitis? quid Romam frequentes sub signis veneritis, quid moremini hic, et non diversi domos quisque abeatis vestras? quid aliud respondeatis, quam vos triumphantes videri velle? Vos certe victores conspici velle debebatis. 13 14

XXXIX. *Triumphatum nuper de Philippo, patre hujus, et de Antiocho est. ambo regnabant, quum* 1

men, quod Voſſianum 2. omittere, neque in ed. Obrechti comparere Cel. Burmannus monuit, delendum videtur. Paſſim praenomina *Manius* et *Marcus* commutari, vidimus ad 27, 25, 2.

§. 12. *Triumphum nomine cient*] Hoc eſt id, quod Varro scribit libro de Lingua Latina 5, [58.] quod milites, cum imperatore redeuntes, per urbem in Capitolium euntes, clamitaverint *Io Triumphe*. Itaque Horat. 4. [Od. 2, 50.]

Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis.

SIGON. De adclamationibus militum in triumpho vide Briſſon. 4. de Formul. pag. 351.

§. 13. *Et tamen tum quoque se absentes*, etc. *triumphare credunt*] Conſtanter vetuſtae editiones *et tamen suum quoque se absentes:* pro quo vir doctus ad marginem ed. Curionis adſcripsit, legendum videri, *et tamen per suum quoque imperatorem se absentes.* Quod nunc exſtat vulgo, demum inveni in poſtrema Gruteri editione; idque verius eſſe videtur.

§. 14. *Vos certe victores conspici velle debebatis*] Insulsam hanc et ingratam repetitionem vocat Crevierius; neque credere poteſt, haec sic a Livio sine ulla neceſſitate, sine ullo lepore inculcata eſſe. Quare vel totum delendum, vel alio rejiciendum putat: quonam tamen apte transferri poſſit, non satis certo reperit. Ego hic nihil Livio indignum video. Modo dixerat, milites nihil aliud respondere poſſe, quam se triumphantes videri velle. Hic vero addit, si id non responsuri eſſent, certe, id eſt minimum, saltem, eos decere, ut victores conspici, et spectatorum oculis in sollemni tali pompa notari vellent.

de his triumphatum est. De Perseo capto, in urbem
2 *cum liberis abducto, non triumphabitur? Quod si in curru scandentes Capitolium, auratos purpuratosque, ex inferiore loco L. Paullus in turba togatorum unus privatus interroget: L. Anici, Cn. Octavi, utrum vos digniores triumpho esse, an me, censetis? currum ei cessuri, et prae pudore videntur*
3 *insignia ipsi sua tradituri. Et vos Gentium, quam Persea, duci in triumphum mavultis, Quirites, et de accessione potius belli, quam de bello, triumpha-*
4 *ri? Et legiones ex Illyrico laureatae urbem inibunt, et navales socii? Macedonicae legiones, suo abrogato, triumphos alienos spectabunt? Quid deinde tam opimae praedae, tam opulentae victoriae spo-*
5 *liis fiet? Quonam abdentur illa tot millia armo-*

§. 1. *In urbem cum liberis abducto*] *adducto* Perionium in concionibus Livianis edidisse, auctor est Hearnius. Similiter quoque vir doctus ad oram ed. Curionis scribendum conjecit. Sed male. V. ad 39, 12, 3.

§. 3. *Gentium, quam Persea, duci in triumphum mavultis*] Sueton. Caes. 80. *Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam.* Sed non minus insolens est, quam hoc lib. cap. 43, 4. *Translulit in triumphum multa militaria signa.* Infra c. 42, 5. *Ceteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit.* Vellej. 1, 9, 5. *Ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit.* 2, 11, 1. *Kalendis Januariis eum in triumpho duxit.* Et Plinius H. Nat. 5, 5. 7, 43. 18, 3. DUKER.

§. 4. *Quid deinde tam opimae praedae, tam opulentae victoriae spoliis fiet*] Teste Hearnio, Perionius in concionibus Livianis edidit, *quid dein de tam opimae praedae, tam opulentae victoriae spoliis fiet.* Ita locutus est Terent. in Ad. 5, 9, 39. *Quid de fratre fiet?* et Cic. 14. ad Fam. 4. *Sed quid de Tulliola mea fiet?* ubi tamen quidam codd. et edd. praepositionem omittunt. in Fragm. orat. pro Vareno apud Quinctil. 5. Instit. 13. *Varenum vinctum adservatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri vellet.* Verum minus haec lectio placet, quod me alibi *spolia praedae* legere non memini. Gronov. ad Livii 27, 16, 8. emendat *quid deinde tam opima praeda*, idque genus loquendi quum Livio, tum aliis scriptoribus in usu fuisse docuit: neque aliter praefert postrema Sigonii editio, eamque emendationem Crevierius pro-

rum, detracta corporibus hostium? an in Macedoniam remittentur? Quo signa aurea, marmorea, eburnea, tabulae pictae, textilia, tantum argenti caelati, tantum auri, tanta pecunia regia? An noctu, tamquam furtiva, in aerarium deportabuntur? Quid illud spectaculum maximum, nobilissimus opulentissimusque rex captus, ubi victori populo ostendetur? Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, plerique meminimus. Perseus rex captus, Philippus et Alexander filii regis, tanta nomina, subtrahentur civitatis oculis? Ipsum L. Paullum, bis consulem, domitorem Graeciae, omnium oculi conspicere urbem curru ingredientem avent. Ad hoc fecimus consulem, ut bellum, per quadriennium ingenti etiam pudore no-

6 7 8

bavit. Nec mihi haec conjectura displiceret, si libri favèrent. Nunc vero, quum princeps editio, ex unico cod. expressa, *opimae praedae* servet, nihil mutare audeo. Non modo enim antiqui dixerunt *quid me fiet*, sed etiam *quid mihi*. Ovid. 14. Her. 120.

Quid fiet sonti, si rea laudis agar?

et 1. Art. Am. 536.

Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait. Sonuerunt cymbala toto
Litore, et adtonita tympana pulsa manu.

V. Malaspin. ad Cic. 6. ad Att. 1. Et ita Ciceronem non tantum *quid faciatis hoc homine*, sed etiam *quid faciatis huic homini* dixisse, exemplis probat Manut. ad Cic. 1. in Verr. 16. Aliquoties Livius hac locutione usus est; sed plerumque ambiguum est, utrum tertium, an sextum casum addiderit. V. ad 2, 31, 8. 27, 16, 8. et 34, 32, 8.

§. 6. *Ubi victori populo ostendetur*] *ostenditur* omnes typis impressi ante ultimam Gruteri editionem; quae prima *ostendetur* exhibuit; quomodo etiam vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit. Eaque conjectura vera esse videtur.

§. 8. *Ad hoc fecimus consulem, ut bellum, per quadriennium*] *ad hoc*, est ob hoc, ideo, propterea. Vide ad 37, 27, 5. Alii etiam *in hoc* dixerunt. V. Cel. Burm. ad Phaedri 5. Praef. vers. 2. Praeterea legendum videtur *per triennium*. Vide Sigon. infra cap. 41, 5. Mox *ingenti etiam pudore nostrum* ed. princeps, pro quo recte *pudore nostro* substituit Froben. anno 1535.

9 stro tractum, perficeret. cui sortito provinciam, cui proficiscenti praesagientibus animis victoriam triumphumque destinavimus, ei victori triumphum negaturi? et quidem non homines tantum, sed Deos et-
10 iam suo honore fraudaturi? Diis quoque enim, non solum hominibus, debetur. Utrum majores vestri omnium magnarum rerum et principia exorsi ab
11 Diis sunt, et finem eum statuerunt? Consul, proficiscens, praetorve, paludatis lictoribus, in provinciam et ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor, perpetrato eodem, in Capitolio triumphans ad eosdem Deos, quibus vota nuncupavit, merita dona
12 populi Romani traducit. pars non minima triumphi

§. 10. *Diis quoque enim, non solum hominibus, debetur. Utrum majores vestri*] Scribe *Diis quoque enim, non solum hominibus, debetur triumphus. Majores vestri.* Vide ad 38, 48. J. FR. GRON. Quanta festinatione in Livio versatus fuerit, hic etiam Doujatius testatum reliquit. Parum enim interesse opinatus est, utrum addatur nomen *triumphus*, quod vult Sigonius, (ei enim hanc conjecturam adscribit, quae est Gronovii) an subintelligatur e proximo *honor*; non, adtendens, Gronovium non simpliciter nomen *triumphus* addidisse, sed substituisse voci *Utrum*; quae hic commodum sensum non recipit, et in contextu tamen supererit, si ex proximo tantum *honor* subintelligamus. Oportuerat, ut docuisset, qua ratione illud *Utrum* eo casu intelligendum foret.

*Et finem * cum statuerunt*] Tolle asteriscum: locus est sanus atque integer. *Finem statuerunt* rerum gerendarum *eum*, nempe Deos, mentionem et venerationem Deorum. Cicero lib. 6. Famil. ult. *Cum consilii tui bene fortiterque suscepti eum tibi finem statueris* Lib. 7. ad Att. Ep. 12. *M. quidem Lepidus (nam fuimus una) eum finem statuit: L. Torquatus eundem.* V. ad 1, 44, 2. et 23, 28, 8. J. FR. GRON. Primae edd. et quae Sigonii nomen praeferunt, asteriscum non agnoscunt. Eum Vascos. primus margini e regione harum vocum adposuit; Gryphius anno 1548. in contextu post vocem *statuerunt* recepit, Curio ante voces *et finem*. Eum autem reliqui, praeter Sigonium, secuti sunt usque ad Gruterum, cujus ultima ἔκδοσις post easdem voces recepit, unde nunc recte Gronovius abegit.

§. 11. *Consul, proficiscens, praetorve, paludatis lictoribus, in provinciam*] Scribe *paludatus cum lictoribus*, uti dictum. J. FR. GRON. Vide Gronov. ad

est victimae praecedentes; ut adpareat, Diis grates agentem imperatorem ob rempublicam bene gestam redire. Omnes illas victimas, quas traducendas in triumpho vindicavit, alias alio caedente, mactate. illas quidem epulas senatus, quae nec privato loco, 13 nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, utrum hominum voluptatis caussa, an Deorum hominumque, auctore Ser. Galba, turbaturi estis? L. Paulli triumpho portae claudentur? Rex Macedonum Per- 14 seus cum liberis et turba alia captivorum, spolia Macedonum, citra flumen relinquentur? L. Paullus privatus, tamquam rure rediens, a porta domum ibit. Et tu, centurio, miles, quid de impe- 15

41, 10, 5. Similiter autem Perionium in concionibus Livianis edidisse, auctor est Hearnius.

§. 12. *Quas traducendas in triumpho vindicavit*] Libenter legerim, et prope ambitiose *in triumphum dicavit*. TURNEB. 11. Adv. 18. Si *in triumphum dicavit* scribatur, et sententiae satisfiet, et ingenua quaedam liberalisque antiquitatis indoles apparebit. TURNEB. 16. Adv. 20. *in triumpho judicavit* in Modiana prima video. Frobenius, Aldus, Gryphius, Curio *vindicavit*. Turnebus *in triumphum dicavit*. Videtur scripsisse: *quas traducendas in triumpho locavit*. Solebant enim et his apparatibus praebenda locari. J. FR. GRON. *judicavit* jam ante Modium editum vidi in ed. Sigonii secunda, omnibusque inter illam et Modianam mediis. Gronovius in prima ed. notarum malebat *quas traducendas in triumpho dicavit*; quod deinde Doujatius probavit. Ita censeri posset lectio, quae vulgo exstat, nata esse ex junctis duabus lectionibus *in triumpho* et *in triumphum*, quas librarius hoc modo junxisset *in triumpho, um, dicavit*, et ex *um dicavit* postea natum esse *uindicavit*. Sed praefero cum Gronovio *in triumpho locavit*.

§. 13. *Utrum hominum voluptatis caussa, an Deorum hominumque*] Haec non sincera esse, cuivis patet. Cl. Crevierius legendum conjicit *non hominum voluptatis caussa, sed Deorum honoris*. Sed veriorem medicinam ab integriore codice exspectandam censeo.

§. 14. *Citra flumen relinquentur*] Olim edebatur *circa flumen*; cujus loco Gronovius in prima ed. notarum conjecit *citra*, idque in contextum adoptavit. Quod licet deinde servatum sit, ipsa tamen viri maximi adnotatio, incertum quam ob causſam, omissa est. *Citra* et *Circa* alibi a librariis commutata sunt. V. ad 21, 48, 6.

ratore Paullo senatus decrerit potius, quam quid Ser. Galba fabuletur, audi: et hoc dicere me potius,
16 *quam illum, audi. Ille nihil, praeterquam loqui, et ipsum maledice et maligne, didicit: ego ter et vicies cum hoste per provocationem pugnavi: ex omnibus, cum quibus manum conserui, spolia retuli. insigne corpus honestis cicatricibus, omnibus adverso*
17 *corpore exceptis, habeo.* Nudaſſe deinde se dicitur, et, quo quaeque bello vulnera accepta eſſent, retuliſſe. quae dum oſtentat, adapertis forte, quae ve-

§. 15. *Et tu, centurio, miles, quid de imperatore Paullo senatus decrevit*) Legimus *At tu, centurio, miles, quid de imperatore Paullo senatus decrerit potius, quam quid Serv. Galba fabuletur, audi: et hoc dicentem me potius, quam illum, audi.* J. FR. GRON. Optime hic Gronovius *At tu, centurio*, et *decrerit*. Voculae *et* atque *at* saepe a librariis confusae sunt. V. ad 36, 35, 7. *decrerit* legendum eſſe, evincit subsequens *fabuletur*. Censeri poſſet, olim scriptum fuiſſe *decrevit*, id eſt *decreverit*, et inde factum eſſe *decrevit*, omiſſa compendiariae scripturae nota: sed malo *decrerit* contracte, ut *decresset*, de quo v. ad 2, 27, 8. ita *liberarimus*, pro *liberavimus*, supra emendatum ad 34, 32, 8. ubi plura vide. Cauſſa similium errorum fuit similitudo literarum *r* et *v* in scriptura Longobardica. Hinc factum, ut in Mſſis confundantur voces *erectus* et *evectus*. V. ad 2, 21, 6. *vivi* et *viri*. V. ad 4, 59, 7. *juret* et *juvet*. V. ad 6, 35, 9. *vocare* et *rogare*. V. ad 25, 4, 9. *invidens* et *inridens*. Vide ad Epit. Liv. 55. ubi alia habebimus exempla. Non male etiam *et hoc dicentem*, pro *et hoc dicere*, emendavit. Forte olim scriptum fuerat *dicēte*, unde minima mutatione fieri potuit *dicere*. Crevierius facile pati poſſet, recidi haec verba *hoc dicere*, tamquam nec satis clara, et inutilia.

§. 16. *Et ipsum maledice*] Frobenius ex cod. scripto *et ipsud maledice*. Scribe *et ipsum id maledice*. J. FR. GRON. *et ipsum* primum inveni in ed. Vascosani: pro quo Gronov. priori ed. notarum se *et id ipsum* in ed. Aldina reperiſſe teſtatus eſt; vir doctus autem ad marginem ed. Curionis *et hoc ipsum* scribendum conjecit. Sed principis ed. veſtigia probant, rectius in secundis curis Gronovium *et ipsum id* reſtituiſſe. V. ad 2, 43, 4.

Insigne corpus honestis cicatricibus etc.] Plutarch. in Aemil. pag. 272. *Περὶ στρατηγίας καὶ Σριάμβου τολμᾷ λέγειν ἄνθρωπος ἄτρωτος, καὶ τῷ σώματι σίλβων ὑπὸ λειότητος καὶ σκιατραφίας, πρὸς ὑμᾶς τοὺς τοσούτοις τραύμασι πεπαιδευμένους ἀρετὰς καὶ κακίας κρίνειν*

velanda erant, tumor inguinum proximis risum movit. Tum, *Hoc quoque, quod ridetis*, inquit, *in* 18
equo dies noctesque persedendo habeo: nec magis me ejus, quam cicatricum harum, pudet poenitetque; quando numquam mihi inpedimento ad rempublicam bene gerendam domi militiaeque fuit. Ego 19
hoc ferro saepe vexatum corpus vetus miles adolescentibus militibus ostendi. Galba nitens et integrum denudet. Revocate, si videtur, tribuni, ad suffra- 20
gium tribus; ego ad vos, milites, [descendam, euntesque ad suffragia assectabor, et notabo Plut. in Aemil.

στρατηγῶν. Ubi forte ratio exigere videtur, ut legamus πρὸς ἡμᾶς τοὺς τοσούτοις.

§. 20. *Revocate, si videtur, tribuni, ad suffragium tribus; ego ad vos, milites*] Intercidit finis orationis, qua usus est M. Servilius pro triumpho Paulli. Qui tamen finis est apud Plutarchum [in Aemil. pag. 272.] his verbis ἀλλ' ἄγε λαβὼν αὐτοὺς ἐπὶ τὴν ψῆφον· ἐγὼ δὲ καταβὰς παρακολουθήσω πᾶσι, καὶ γνώσομαι τοὺς κακοὺς καὶ ἀχαρίστους, καὶ δημαγωγεῖσθαι μᾶλλον ἐν τοῖς πολέμοις, ἢ στρατηγεῖσθαι βουλομένους. Id est: *Revoca ipsos ad suffragium; ego vero ipsos omnes subsequar, et malos ac ingratos cives cognoscam, quique in bellis a tribunis, quam ab imperatore, regi malunt.* Excidit praeterea initium expositionis triumphi Paulli, quem per triduum egit, III, II, prid. Kal. Decemb. ut est scriptum in triumphis Capitolinis, de quo triumpho in sequentibus proximis verbis traditur. SIGON. Plutarchi locum transtulit hic Sigonius parum commode. Ἐγὼ δὲ καταβὰς παρακολουθήσω πᾶσι vertendum, *ego autem descendens* (puta templo, vel e loco superiori, unde concionabatur) *comitabor singulos.* nempe in suffragium euntes, quasi rogator, diribitor, custos. Ex more, quem significat Cicero Post redit. in senat. [7.] *Affinem tuum, quem comitiis praerogativae primum custodem praefeceras.* Item [c. 11.] *Quando illa dignitate tot rogatores, diribitores, custodes, vidistis?* In Pison. [5.] *Ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogativae.* Rursus [cap. 15.] *Vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabularum, et, quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis vel aetatis excusatione vel honoris, id in salute mea, nullo rogante, vel vestra sponte fecistis.* Pertinet eodem Plinii lib. 33. cap. 2. *Nongenti vocabantur ex omnibus* (equitibus) *selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis.* Γνώσομαι est *distinguam, notabo.* Δημαγωγεῖσθαι autem hic non est *ab tribunis regi*, sed sic regi, ut solet plebs ab tribunis, hoc

improbos ingratosque, et eos, qui non regi se ab imperatore, sed eum ultro sibi per ambitionem servire aequum censent. Hac oratione castigata militaris turba ita mutavit animum, ut tribus ad suffragium revocatae ad unam omnes rogationem de triumpho juberent. Victa igitur inimicorum malevolentia et obtrectatione, triumphavit Paullus de Perseo rege et Macedonibus per triduum, IV. III. et pridie Kalendas Decembres. Fuit hic triumphus, sive magnitudinem victi regis, sive speciem simulacrorum, sive modum pecuniae spectes, longe magnificentissimus, ut omnium anteactorum comparationem amplitudine superaret. Populus, exstructis per forum et cetera urbis loca, qua traduci pompam oportebat, tabulatis theatrorum in modum, spectavit in candidis togis. Aperta templa omnia et sertis coronata thure fumabant. Lictores satellitesque confluentem temere turbam et vage discurrentem summoventes e medio, patentes late vias vacuasque praebebant. Quum in tres, ut diximus, dies distributa esset pompa spectaculi, primus dies vix sufficit transvehendis signis tabulisque captivis, in ducentos quinquaginta currus impositis. Sequenti die multis plaustris translatum, quidquid Macedonicorum armorum pulcherrimum et magnificentissimum fuit, quae et ipsa ferri aut aeris recens tersi nitore splendebant, et ita structa erant inter se, ut, quum acervatim potius cumulata, quam artificiose digesta, viderentur, miram quamdam hac ipsa velut temeraria et fortuita concursione speciem objicerent oculis: galeae scutis, et loricae ocreis, et

Fasti Capit. *Triumphus Paulli.*

Valer. Max. l. 1. c. 9. Plut. ibid.

Signa tabulaeque.

Arma Macedonica.

est, per ambitionem, et prava indulgentia. Dicit ergo Plutarchus, *in bellis coli, quam regi;* vel *ambitiose, quam sub imperio et disciplina haberi.* J. FR. GRON.

peltae Creticae, et Thracicae cetrae, et pharetrae equestribus permistae frenis, strictique gladii hinc inde mucrone exerto minaces, et e lateribus eminentes sarissae. Atque haec omnia quum laxius vincta inter se forent, si quando in transvehendo sibi mutuo alliderentur, Martium quemdam ac terribilem edebant sonum, ut ne victa quidem conspici possent, sine quodam animorum horrore. Tum onusta argento signato vasa quinquaginta supra septingenta a tribus millibus hominum portabantur. Tria talenta in singulis, a quaternis gestata hominibus. Erant et qui crateras argenteos, et phialas, et calices, et cornua ferebant, tum apte inter se collocata, tum magnitudine, et pondere, et exstantis insigniter caelaturae artificio conspicua. Tertio autem die ducere agmen primo statim mane coepere tubicines, non festos solennium pomparum modos, sed bellicum canentes, quasi in aciem procedendum foret. Post hos agebantur pingues, cornibus auratis, et vittis sertisque redimiti boves centum et viginti. Ducebant eos cincti fasciis eximio opere textis juvenes, quibus comites additi pueri pateras aureas argenteasque gestabant. Sequebantur ii, qui signatum aurum in vasis septem et septuaginta ferebant, quorum unumquodque, quemadmodum et ea, in quibus argentum translatum fuerat, tria talenta habebat. Tum visebatur sacra phiala decem talentorum pondo auri, pretiosis distincta gemmis, quam Paullus faciendam curaverat, et Antigonides, Seleucidesque, et Thericlea, ceteraque pocula ex auro, quibus Persei triclinia ornabantur. Subibat Persei currus ejus armis onustus, addito diademate. Sequebatur captivorum agmen: Bitis, Cotyis regis filius, obses in Macedoniam a

Argentum signatum.

Argentum caelatum.

Tubicines.

Victimae.

Aurum signatum.

Pocula ex auro.

Currus Persei.

Zonaras.

Bitis.

Polyb. Legat. 96. Plut. *Persei liberi.*

patre missus, ac deinde cum Persei liberis captus a Romanis; tum ipsi Persei liberi, comitante eductorum et magistrorum agmine, manus ad spectatores cum lacrymis miserabiliter tendentium, et docentium pueros, implorandam suppliciter victoris populi misericordiam. Filii erant duo, puella una, qui eo majorem movebant miserationem spectantibus, quod ipsi per aetatem vix mala sua intelligere poterant. Itaque plurimi lacrymas tenere non potuerunt, et omnibus confudit animum tacitus quidam moeror, qui sincero *eos* frui gaudio, quamdiu sub oculis pueri fuerunt, non sineret. Pone filios incedebat cum uxore

Perseus. Zonarus. Plut.

Perseus, pullo amicto, cum crepidis Graeci moris, stupenti et attonito similis, et cui magnitudo malorum mentem omnino eripuisse videretur. Sequebatur amicorum et familiarium turba, quorum in vultu dolor gravis eminebat, quique, quum semper oculos in eum figerent, lacrymis rigantes ora, satis indicabant, sese illius dolere malis, suo-

§. 1. *Sestertium millies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit*] Paterculus lib. 1. [c. 9.] habet *bis millies centies H-S.* De hac item summa Plinius lib. 33, 3. *pondo trium millium auri*, etc. URSIN. Vellejus [1, 9.] auget summam, scribitque contulisse Paullum aerario *bis millies centies.* Testatur Cicero lib. 2. de Offic. [c. 22.] omni Macedonum gaza potitum Paullum, tantum pecuniae aerario invexisse, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum: ut credibile sit, neminem unum ante hunc egisse opulentiorem triumphum. At bis millies L. Scipio, devicto Antiocho, intulerat, ut ipse tradit Livius [38, 55.] Quare utrumque laborare mendo, sed ita, ut alter ex altero juvari possit, existimabam, scribendumque utrobique *bis millies ducenties.* Sunt quinquagies quinquies centena millia Philippûm. Sed hoc occupavit Lipsius. Plinio ter millies est. Suidae sena millia talentûm. Sed vide ad Plinium 33, 3. J. FR. GRON. Puto respicere Gronovium ad locum Lipsii 2. de Magnit. Rom. 8. DUK. Latinius *bis mille centies*; vitiose, pro *bis millies centies:* ut veriorem putarit summam, expressam a Vell. Pat. 1, 9. ad quem eumdem Velleji locum Lipsius, Vellejo praeeunte, apud Livium emendat *H-S bis millies.* Eadem, atque ad hunc locum notat, jam olim observavit Gronov. in prima ed. commentarii de Sestertiis pag. 103. nisi quod

rum immemores. Hanc quidem ignominiam deprecatus erat Perseus, missis ad Aemilium, qui orarent, ne in triumpho duceretur. Risit Aemilius hominis ignaviam, et, *id quidem*, inquit, *in ipsius et pridem fuit, et nunc est, manu ac potestate:* tacite monens, ut generosa morte id, quod metuebat, dedecus effugeret. Sed forte consilium non admisit mollis animus, et nescio qua spe delenitus, maluit in praedae suae parte ipse numerari. Quadringentae inde coronae aureae portabantur, Paullo ab omnibus fere Graeciae et Asiae civitatibus in gratulationem victoriae per legatos dono missae: grandis sane, si per se ipsae spectarentur, pretii, sed mediocris accessio immanium opum, quae in hoc triumpho transvectae fuerant.]

Coronae aureae Paullo donatae.

XL. Summam omnis captivi auri argentique translati sestertiùm millies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit: quae haud dubie major ali-

insuper *sestertii*, pro *sestertium*, malebat. Idem vero ad Plinii 33, 3. in Livio et Vellejo legendum censet *bis millies trecenties*. De vera lectione Velleji nunc non disquiro; verum, utrum emendatio Gronovii Liviana recipi debeat, admodum dubito. Livius enim hic ostendit, Valerium Antiatem in edenda omnis captivi auri argentique translati summa errasse, et ex numero plaustrorum ponderibusque auri et argenti generatim ab ipso scriptis haud dubie majorem aliquanto summam, quam millies ducenties sestertium, effici. Summa igitur pecuniae, quam Valerius Antias memoravit, differre debet ab ea, quam revera Paullum transtulisse alii scriptores retulerunt: et quidem ea minor esse debet: unde forte verius, *sestertium millies ducenties* servandum. Mecum sentit Cl. Crevierius. Si ad nos pervenissent in superiori lacuna amissa Livii verba, quibus inter alia ex sua sententia retulisse videtur, quantum pecuniae ab Aemilio Paullo vere in aerarium inlatum sit, certius de horum verborum scriptura dijudicari potuisset.

Quae haud dubie major aliquanto summa] Lege *qua haud dubie*. J. FR. GRON.

Ex numero plaustrorum] An ergo ex vehiculorum multitudine pecuniae summa exacte cognosci potuit? Tacco, Plutarchum in descriptione hujus triumphi docere, non plaustris ve-

quanto summa ex numero plaustrorum ponderibusque auri, argenti, generatim ab ipso scriptis, effi-
2 citur. Alterum tantum aut in bellum proximum absumtum, aut in fuga, quum Samothracen peteret, dissipatum tradunt: eoque id mirabilius erat, quod tantum pecuniae intra triginta annos post bellum Philippi cum Romanis, partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis, coacervatum
3 fuerat. Itaque admodum inops pecuniae Philippus, Perseus contra praedives, bellare cum Romanis

ctam, sed ab aliquot millibus hominum ἐν ἀγγείοις, in vasis portatam esse omnem illam auri atque argenti vim. Quid si legas *Philippeorum*? quorum mentio cum in omnibus Graecis Asiaticisque triumphis fieri solet, tum praecipue in Macedonicos convenit. Certe Quintius, devicto Philippo, ejus nominis numismatum XIV millia et DXIV in triumpho transtulit, lib. 34, 52. Scipio ex Asia CXL millia, lib. 37, 59. Fulvius ex Graecia XII millia et amplius, lib. 39, 5. Cn. Manlius Vulso iterum ex Asia ultra XVI millia, lib. 39, 7. Romam deportavit. Numquam vero in illorum vel aliorum triumphis videas summam pecuniae subduci et colligi *ex plaustrorum numero*. JAC. PERIZ. Verissimam reor hanc τοῦ *plaustrorum* accusationem: genuinum quoque acumen in reponenda mente Livii. Ceterum suppositicia vox videtur indicare, originem suam inde veniisse, quia scriptum fuit *ph. aureorum*, quod explicandum per voces *Philippeorum aureorum*, ut sic scripserit nunc Livius, quomodo alibi. Vide ad 39, 7. JAC. GRON. Satis probabilis est conjectura Perizonii. Sed cum ea parum convenire videtur, quod deinde in Differt. de Aere Gravi §. 23. scripsit, pecuniam vel aurum illud et argentum, quod Servilius cap. 39. in praeda Macedonica fuisse dicit, in ponderibus auri et argenti constitisse, vel certe iis aestimatum fuisse. Nam si hic legendum est *Philippeorum*, apertum est, pecuniam ab auro et argento distingui, et *numerum* ad Philippeos, *pondera* ad aurum et argentum pertinere; nec pecuniam, sed aurum et argentum non signatum aestimatum fuisse, ut ad rationes et summam pecuniae signatae redigi posset. DUKER.

Ponderibusque auri, argenti, generatim ab ipso scriptis] *speciatim* resingendum esse, conjicit Pighius in Annal. ad A. V. IↃLXXXVI. pag. 386.

§. 2. *Quum Samothracen peteret*] *Samothracem* priores edd. quod ferri nequit; sed mutandum est vel in *Samothracam*, vel in *Samothracen*. Posterius Cl. Jac. Gronovius adoptavit. Vide supra ad Epit. h. lib.

§. 4. *Ipse postremo Paullus*] Cl. Crevierius hic ordinem nar-

coepit. Ipse poſtremo Paullus in curru magnam, 4
quum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa, majeſtatem prae se ferens: poſt currum inter alios inluſtres viros filii duo, Q. Maximus et P. Scipio: deinde equites turmatim, et cohortes peditum suis quaeque ordinibus. Pediti in singulos dati cen- 5
teni, duplex centurioni, triplex equiti. tantum pediti datorum fuiſſe credunt, et pro rata aliis, si aut non refragati honori ejus fuiſſent, aut benigne, hac ipsa summa nunciata, adclamaſſent. Sed non Per- 6

rationis a librariis corruptum eſſe credit. Secundo enim die translatum fuiſſe aurum et argentum: tertio Perseum et captivos ante currum victoris ductos eſſe. Verisimile igitur non eſſe, Livium poſt mentionem Persei factam, antequam de Paullo, qui proxime sequebatur, diceret, reliquiſſe descriptionem incedentis pompae, ut de summa auri argentique captivi, quod pridie translatum fuerat, et de divitiis Persei differeret, ac tum denique ad Paullum reverteretur. Ob hanc igitur cauſſam, totam periodum, *Ipse postremo Paullus* etc. *suis quaeque ordinibus*, praecedere debere priorem, *Summam omnis captivi auri* etc. *bellare cum Romanis coepit.*

Filii duo, Maximus et P. Scipio] *Q. Maximus et P. Scipio.* Neque enim alter praenomine spoliandus eſt, alter ornandus. SIGON. V. ad 4, 49. 1.

§. 5. *Pediti in singulos dati centeni*] Deeſt vox *denarii*. J. FR. GRONOV. Recte. *Denariorum* enim in hac re paſſim circa haec tempora mentio exſtat. V. 37, 59. 39, 5. 7. 40, 43. 41, 7. 13. et hoc lib. cap. 43. quum olim, antequam tam opulentae victoriae spolia reportabantur, tantum nummi aerei memorarentur. Vide 33, 23. 34, 52. et alibi. Cauſſa omiſſae vocis eſſe poteſt, quod per notam *X* scripta fuerit, quam librarius adsecutus non eſt. V. simile exemplum supra ad 7, 16, 9. et apud Harduin. ad Plin. 8. Sect. 82.

Tantum pediti datorum] Scribendum, quod et Mureto visum, *alterum tantum pediti datorum fuisse credunt, et pro rata aliis.* nempe pediti ducentos, centurioni quadringentos, equiti sexcentos. J. FR. GRON. V. ad 1, 36, 7. Vir doctus ad marginem ed. Curionis adscripsit, forte legendum eſſe *duplex tantum pediti.* Verum ita ambiguum eſt, utrum intelligatur duplex ejus, quod pediti; an ejus, quod equiti dedit. Gronovius priori ed. notarum malebat *tantumdem pediti.* Doujatius nihil mutabat, et *tantum* pro tantumdem positum accipiebat. Et ita fere Jac. Perizonius, qui voces *tantum pediti* exponit quantum equiti datum eſt, nempe trecentos denarios. Crevierius Mureto et Gronovio consentientibus adsentitur.

seus tantum per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis per urbem hostium ductus; sed etiam victor
7 Paullus, auro purpuraque fulgens. Nam duobus e filiis, quos, duobus datis in adoptionem, solos nominis, sacrorum, familiaeque haeredes retinuerat domi, minor, ferme duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum, major, quatuordecim annorum, triduo post triumphum decessit:
8 quos praetextatos curru vehi cum patre, sibi ipsos
9 similes praedestinantes triumphos, oportuerat. Paucis post diebus, data a M. Antonio tribuno plebis concione, quum de suis rebus gestis more cetero-

Benigne, hac ipsa summa nunciata, adclamassent] Scribendum, quod item Muretus vidit, *hac ipsa summa pronunciata*. Cicero pro Cluent. [29.] *Suppressam esse ab eo pecuniam, quam pro reo pronunciavisset*. Suetonius Julio [19.] *Nummos de suo communi nomine per centurias pronunciaret*. Et infra [cap. 26.] *Munus populo epulumque pronunciavit in filiae memoriam*. J. FR. GRONOV. Adsentior Gronovio *pronunciata* emendanti. Livius 21, 45, 4. *Vocatis ad concionem certa praemia pronunciat, in quorum spem pugnarent*. ubi quaedam vide. Adde Graevium ad Cic. pro Cluent. cap. 29. *pronunciata* praefert etiam ultima Sigonii ed. anni 1592. eamdemque lectionem Crevierius probavit.

§. 7. *Minor*, etc. *quinque diebus ante triumphum, major*, etc. *triduo post triumphum decessit*] Contra scribit Plutarchus, majorem ante triumphum, minorem post triumphum decessisse, in Paullo [pag. 274.] et in Apophthegmatis [pag. 198.] SIG. Alius etiam dissensus a verbis Livii notari potest in posteriori loco Plutarchi, qui narrat, majorem filiorum Aemilii quinque diebus ante triumphum paternum, minorem totidem diebus post eum actum obiisse. Neque Livio consentit Appianus, qui refert, alterum filiorum tribus ante triumphum, alterum quinque diebus post eum mortuum esse, in Exc. Peiresc. pag. 565. *Τοὺς δὲ νεωτέρους ἀμφω συνέβη, τὸν μὲν πρὸ τριῶν ἡμερῶν τοῦ θριάμβου, τὸν δὲ μετὰ πέντε ἀποθανεῖν.*

Quos praetextatos curru vehi cum patre, etc. *oportuerat*] Cum patre ergo curru vecti non sunt. Erravit igitur Eutrop. 4, 8. tradens Paullum, magnificentissime in curru aureo triumphasse, *cum duobus filiis, utroque latere adstantibus*. Nisi cum his praetex-

rum imperatorum differuiſſet, memorabilis ejus oratio et digna Romano principe fuit.

XLI. *Quamquam et quam feliciter rempublicam* 1
administraverim, et quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror, quum spectaculo vobis nunc triumphus meus, nunc funera liberorum meorum fuerint; ta- 2
men paucis, quaeso, sinatis me cum publica felicitate comparare eo, quo debeo, animo privatam meam fortunam. Profectus ex Italia, classem a 3
Brundisio sole orto solvi; nona diei hora cum omnibus meis navibus Corcyram tenui. Inde quinto die Delphis Apollini pro me, exercitibusque, et classi-

tatis, et ante et poſt triumphum mortuis, confundat in adoptionem datos, quos tamen non in curru paterno adſtitiſſe, sed inter alios inluſtres viros currum ejus secutos fuiſſe, Livius supra narravit.

§. 1. *Et quod duo fulmina*] Scribe *et quae duo fulmina domum meam per hos dies perculerint*. J. FR. GRON. Caussam hujus emendationis Gronovius habuiſſe videtur, quoniam locutionem *scio*, vel *ignoro quod* aevi Liviani esse non putarit. Vide ad 3, 52, 2. Conjecturam ejus probat etiam Crevierius. Librarios voces *quod* et *quae* saepius commutaſſe, vidimus ad 37, 35, 3.

§. 3. *Classem a Brundisio, sole orto, solvi; nona diei hora* etc.] *a Brundisio* hic, ut alibi semper ultimis Livii libris, primi editores ex unico cod. vulgarunt. Vide ad 42, 17, 2. Eam scripturam Clericus semper servavit, praeterquam hoc loco, et 44, 19, 3. ubi non probanda inconſtantia *Brundusio* et *Brundusii* edidit. Ejus exemplum Crevierius imitari non debuisset. Ceterum his, quae Livius Aemilium dixiſſe refert, convenit ejusdem Aemilii oratio apud Plutarch. ej. vit. pag. 274. et apud Appian. in Exc. Peiresc. pag. 565.

Pro me, exercitibusque, et classibus lustra sacrificavi] Primum hoc dicam, *sacrificare lustra* me nusquam legiſſe; deinde, de luſtratione exercitus intelligi non poſſe; non enim adhuc acceperat exercitum, ergo ne luſtrare quidem poterat. His rationibus adductus lego: *pro me, exercitibusque, et classibus vestris sacrificavi*. Hoc ita eſſe oſtendit Plutarchus, qui ita hunc locum vertit [in Aemil. p. 274.] Πεμπταῖος δ' ἐκεῖθεν ἐν Δελφοῖς τῷ Θεῷ θύσας, ἑτέραις ἀνθ' ἑτέρων πέντε τὴν δύναμιν ἐν Μακεδονίᾳ παρέλαβον, καὶ τὸν ἐιωθότα συντελέσας καθαρμὸν ἀντῆς. Quibus ex verbis apparet,

4 *bus lustra sacrificavi. A Delphis quinto die in castra perveni: ubi exercitu accepto, mutatis quibusdam, quae magna inpedimenta victoriae erant, progressus, quia inexpugnabilia castra hostium erant, neque cogi pugnare poterat rex, inter praesidia ejus saltum ad Petram evasi, et, ad pugnam rege coa-*
5 *cto, acie vici: Macedoniam in potestatem populi Romani redegi, et, quod bellum per quadriennium quatuor ante me consules ita gesserunt, ut semper successori traderent gravius, id ego quindecim die-*
6 *bus perfeci. Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus secutus. civitates omnes Macedoniae se dediderunt; gaza regia in potestatem venit; rex ipse, tradentibus prope ipsis Diis, in templo Samothracum cum liberis est captus. Mihi quoque ipsi nimia jam fortuna mea videri, eoque suspecta esse.*

lustrationem non Delphis, sed in castris, ab eo esse susceptam, ubi accepit exercitum. Delphis autem Apollini ab eo esse sacrificatum. SIGON. Simpliciter etiam, se Delphis Apollini sacrificasse, inquit Aemilius apud Appian. in Exc. Peiresc. pag. 566.

§. 4. *Inter praesidia ejus saltum ad Petram evasi*] V. ad 44, 32, 9. Doujatius se non satis capere professus est, quid sit *evadere saltum ad Petram:* et hinc legendum conjecit *inter praesidia ejus et saltum ad Petram evasi;* nisi, ut addit, velimus intelligi, Aemilium inter media regis Persei praesidia saltum, qui ad Petram erat, evasisse, sive e saltu et montibus Perrhaebiae incolumem exisse, et in Macedoniam descendisse: quod posterius omnino verum est. Quid sit *evadere inter praesidia,* patet ex illis, quae notantur ad 35, 11, 10. *Evadere saltum* ut 2, 65, 3. *Quo leviores arduae evaderent, cursu subeunt.* 7, 36, 2. *Jam evaserant media castra.* 21, 32, 13. *Raptim angustias evadit.* 38, 2, 8. *Cupientem, si se sequerentur, raptim evadere angustias.* Silius 12, 502. *Hesperio quum clausos milite colles Evasi victor.* qui in hac locutione multus est. Vide notata ad Silii 16, 522. Ant. Perizonius quoque in hoc loco haeserat, et in margine exemplaris sui vel *pervaserat* scribendum conjecit, vel *inter praesidia ejus per saltum ad Petram evasi.* Sed recte, paternas conjecturas sibi displicere, Cl. Jac. Perizonius adscripsit.

§. 5. *Quod bellum per quadriennium quatuor ante me consules ita gesserunt*] *per trien-*

Maris pericula timere coepi, in tanta pecunia regia 7
in Italiam trajicienda, et victore exercitu transportando. Postquam omnia secundo navium cursu in 8
Italiam pervenerunt, neque erat, quod ultra precarer, illud optavi, ut, quum ex summo retro volvi fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius, quam respublica, sentiret. Itaque defun- 9
ctam esse fortunam publicam mea tam insigni calamitate spero; quod triumphus meus, velut ad ludibrium casuum humanorum, duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Et, quum ego 10
et Perseus nunc nobilia maxime sortis mortalium exempla spectemur, ille, qui ante se captivos captivus ipse duci liberos vidit, incolumes tamen eos habet: ego, qui de illo triumphavi, ab alterius fu- 11

nium tres ante me consules lege. tres enim tantum fuerunt, P. Licinius Craſſus, A. Hoſtilius Mancinus, Q. Marcius Philippus. Labes haec quanto facilius elui poteſt, tanto foedior eſt, cum praesertim tot ante annos a nemine agnita hunc locum depravarit. SIGON. Si emendatio haec Sigonii vera eſt, quae veriſſima eſſe videtur, eadem medicina etiam supra Livio adhibenda eſt cap. 39, 8. *Ad hoc fecimus consulem, ut bellum per quadriennium ingenti etiam pudore nostro tractum perficeret.* ubi itidem *per triennium* legendum eſt. Vide etiam Crevierium, qui hunc errorem non a Livio eſſe credit, sed a corruptore.

§. 6. *Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus secutus*] Doujatius vel *secutus* refert ad praecedens *perfeci*, ut cohaereant *perfeci, secutus proventus:* vel legendum censet, *Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus secuto civitates omnes Macedoniae se dediderunt.* JCto, ad res et subtilitates juris adtendere solito, hic minutiae grammaticorum fraudi fuerunt, eique tantas tenebras obfuderunt, ut videre non potuerit, verbum subſtantivum *est* per ellipsin subintelligi. Id tamen saepe alias, ubi facile intelligitur, non exprimi, discere poterat ex Gronovio ad Livii 28, 46, 15. Voce *proventus* pari sensu, quo Livius hoc loco, usus eſt Orosius 4, 20. *Plurima praeterea et satis diversis proventibus bella multarum ubique gentium gesta sunt.*

§. 11. *Ab alterius funere filii currum ex Capitolio prope jam exspirantem veni*] Loquitur de

nere filii curru in [*Capitolium, ad alterum*] *ex Capitolio prope jam exspirantem veni: neque ex tanta stirpe liberûm superest, qui L. Aemilii Paulli nomen ferat.*
12 *Duos enim, tamquam ex magna progenie liberorum in adoptionem datos, Cornelia et Fabia gens habent; Paulli in domo, praeter se, nemo superest. Sed hanc cladem domus meae vestra felicitas et secunda fortuna publica consolatur.*

1 XLII. Haec, tanto dicta animo, magis confudere audientium animos, quam si miserabiliter or-
2 bitatem suam deflendo locutus esset. Cn. Octavius

filiis suis Paullus, quorum alter ante triumphum, alter post triumphum, ut diximus, decessit. Foedata autem mirum in modum verba omne hujus sententiae lumen aut sustulerunt, aut certe obscurarunt. Sic igitur legendum censeo: *ab alterius funerefilii curru ex Capitolio ad alterum prope jam exspirantem veni:* satis jam perspicua menda est. SIGON. Scribo *filii in currum:* et distinguo sic. Antequam currum triumphalem ascenderet, alterum se amisisse e liberis dicit: alterum, acto jam triumpho. quod consonat historiae. TURNEB. 16. Advers. 20. 20. Videtur ex historia legendum *ab alterius funere filii curru in Capitolium; ad alterum ex Capitolio prope jam exspirantem veni.* Nisi ita legamus, sententia non constabit, locusque remanebit mutilus et mendosus ex oscitantia librarii, qui deceptus videtur ob vocem *Capitolii* a Livio bis positam. URSIN. *curru ex Capitolio ad alterum prope* fabricavit Sigonius. Liber unicus *funere filii curru ex Capitolio prope.* Turnebus *in currum.* Sed non placet *venire in currum.* Hujusmodi quid desideratur: *ab alterius funere filii currum escendi, ad alterum ex Capitolio prope jam exspirantem veni.* Fulvius: *curru in Capitolium, ad alterum ex Capitolio.* J. FR. GRON. Qui primus hanc operis Liviani partem edidit, locum hunc mutilum esse, adposito in margine asterisco, indicavit. Vir doctus in ora editionis Curionis conjecit *ab alterius funere filii curru ex Capitolio prope ad jam exspirantem alterum veni.* Gronovius in prima ed. notarum Turnebi conjecturam probavit, quam recte postea rejecit. Nihil verius videtur Ursini emendatione, quam et Latinius adoptavit. Optime autem idem Ursinus monuit, repetitionem vocis *Capitolii* oscitanti librario erroris caussam fuisse. V. ad 9, 11, 11. Hinc patebit, vocis *currum*, ut habet unicus codex, ultimam literam natam esse ex sequenti vocula *in.* Ejectae igitur Sigonii conjecturae, quam is in contextum recepit, substitui supplementum Ursini, verum uncis circumscriptum, et alia characterum forma

Kalendis Decembribus de rege Perseo navalem triumphum egit. Is triumphus sine captivis fuit, sine spoliis. Dedit sociis navalibus in singulos dena- 3
rios septuagenos quinos; gubernatoribus, qui in navibus fuerant, duplex; magistris navium quadruplex. Senatus deinde habitus est. Patres censue- 4
runt, ut Q. Cassius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret; comites, pecuniam, argentum, instrumentum quod haberet. Bi- 5
tis, regis Thracum filius, cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Ceteros captivos, qui

exaratum, ut a verbis Livianis distinguatur. Similiter fere Crevierius, nisi quod ordine mutato dederit *curru in* [Capitolium,] *ex Capitolio* [ad alterum] *prope jam exspirantem veni*. Quod cur minus placeat, colligi potest ex dictis ad hujus lib. cap. 38, 4.

Paulli in domo, praeter se, nemo superest] Doujatius conjicit *praeter me*, nempe ipsum Paullum, qui loquitur; quod convenire non videtur, quia Paullus non *in domo mea*, sed de se in tertia persona verba faciens inquit *Paulli in domo*. Vulgatum defendi posset, dicendo *praeter se* hic poni pro praeter ipsum; quo modo *se ortum* Gronovius *orti tou ex ipsis ortum* accipiendum docuit supra ad 2, 6, 2. Verior tamen videtur ingeniosa conjectura, quam vir doctus proposuit in Miscellan. Observ. tom. 1. pag. 150. quarumdam literarum duplicatione legendum esse *Paulli in domo praeter senem nemo superest*. Primae literae vocis *nemo* eliserant ultimas *tou senem*. Ita non tantum dicet Paullus, unum se familiae suae supersesse, sed insuper ejus aetatis esse, ut damnum reparare, aliisque liberis procreandis operam dare non possit.

§. 3. *Denarios septuagenos quinos*] Ita recte Gronovius edidit. Omnes priores legunt *septuagenos quinque*. V. ad 32, 28, 11.

§. 5. *Bitis, regis Thracum filius*] Omnino scribendum videtur *Bitys*, vel potius *Bithys*. Ita enim Zonarae vocatur 9. Annal. 24. Ἔπεμψε δὲ καὶ Βίσυν, τὸν τοῦ Κότυος υἱόν, τόν τε Ιλέρδεα καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, τούς τε παῖδας τρεῖς ὄντας, ἐν τῷ τῶν ἀιχμαλώτων σχήματι. Et paullo post, Τῶν δ' ἀλόντων τῷ πατρὶ μὲν ὁ Βίσυς προῆκα ἐδόθη. Fuit autem hoc nomen in Thracia jam tempore mythico usitatum. Certe memorantur *Bisyae*, ἔθνος Θράκης, ἀπὸ ΒΙΘΥΟΣ, τοῦ Ἄρεος καὶ Σήτης, τῆς Ῥίσου ἀδελφῆς. Vide Steph. Byz. ea voce. Idem Stephan. in voce Βισυνία memorat mulierem Θρᾴκην, ἣ ἐκ μὲν Διὸς ἔσχε Βίσυν, ἐκ δὲ Κρόνου Δόλογκον. Quo loco Holsten. legendum monet

in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. 6 Paucos post dies, quam haec acta, legati ab Cotye rege Thracum venerunt, pecuniam ad redimendum 7 filium aliosque obsides adportantes. Eis, in senatum introductis, et id ipsum argumenti praetendentibus orationis, non sua voluntate Cotyn bello juvisse Persea, quod obsides dare coactus esset, orantibusque, et eos pretio, quantum ipsi statuissent Patres, redimi paterentur, responsum ex au- 8 ctoritate senatus est: *Populum Romanum meminisse amicitiae, quae cum Cotye, majoribusque ejus,* 9 *et gente Thracum fuisset. Obsides datos crimen,*

Βιϑυνόν, quia Stephanus inferius in voce *Δόλογκοι* Bithynum Dolonci fratrem vocat, et Arrian. apud Eustath. ad Dionys. Perieg. vers. 793. Bithynos a Bithyno dictos ait. Addere potuisset, eodem loco apud Stephan. praecedere *Βιϑυνία, πρὸς τῷ Πόντῳ Χώρα, ἀπὸ Βιϑυνοῦ τοῦ Διὸς καὶ Θρᾴκης τῆς Τιτανίδος.* Sunt tamen, quae ejus emendationem dubiam faciant. Arrianus enim apud Eustath. Bithynum fratrem fuisse dicit Thyni, eosque patrem habuisse vel Phinea regem, vel Odrysum; quod Stephani narrationi non convenit. Accedit, vulgatam lectionem apud Steph. defendi testimonio Appiani in Mithrid. p. 171. *Ἕτεροί δὲ [νομίζουσι,] Βιϑυν ἄρξαι πρῶτον ἀυτῶν, παῖδα Διός τε καὶ Θρᾴκης, ὃυς ἐπωνύμους ἑκατέρᾳ γῇ γενέσϑαι.* Quid igitur, si apud Stephan. in v. *Βιϑυνία* potius *ἀπὸ Βιϑυος*, pro *ἀπὸ Βιϑυνοῦ*, in voce *Δόλογκοι* autem *τοῦ ἀδελφοῦ Βιϑυος*, pro *Βιϑυνοῦ*, legamus?

§. 6. *Legati ab Cotye rege Thracum venerunt*] Sic Graeci *Κότυν*. Apud Ciceronem tamen in Pison. [34.] de rege ejusmodi est, *regi Cotto*, credo per mendum, pro *Coti*. SIG. Vide, quae notantur ad Livii 1, 3, 8. et Cel. Burm. ad Vell. Pat. 2, 129, 1. Cum his conferendus est Polyb. Exc. Legat. num. 96.

§. 7. *Et id ipsum argumenti praetendentibus orationis*] Lege *orationi*. J. FR. GRON. Similiter conjicit vir doctus ad marginem ed. Curionis. V. ad 39, 16, 7. Gronovii conjecturam probavit etiam Crevierius. At Doujatius vulgatum quoque servari posse existimat, si jungamus *id ipsum argumenti orationis*. Et sane ita locutus est Livius 37, 54, 13. *Meminisse, quem titulum praetenderitis prius adversus Philippum, nunc adversus Antiochum belli.*

§. 11. *T. Quinctius Flamininus, C. Licinius Nerva, C. Caninius Rebilus*] Horum legatorum C. Licinius Nerva verisimiliter ille est, qui hoc anno IↃLXXXVI. praetor creatus Hispaniam ulteriorem sortitus est su-

non criminis defensionem, esse: quum Thracum genti ne quietus quidem Perseus, nedum bello Romano occupatus, timendus fuerit. Ceterum, etsi 10
Cotys Persei gratiam praetulisset amicitiae populi Romani, magis, quid se dignum esset, quam quid merito ejus fieri posset, aestimaturum: filium atque obsides ei remissurum. Beneficia gratuita esse po- 11
puli Romani: pretium eorum malle relinquere in accipientium animis, quam praesens exigere. **Legati nominati, T. Quinctius Flamininus, C. Licinius Nerva, M. Caninius Rebilus, qui obsides in Thraciam reducerent: et Thracibus munera data**

pra cap. 16. In qua provincia quum, anno nondum elapso, neque adhuedum successore designato, hoc tempore degerit; quomodo legatus obsidibus in Thraciam reducendis creari potuerit, non video: nisi cum Clarissimo Dukero dicamus, legationem hanc in annum sequentem excessisse, quo utramque Hispaniam alios praetores accepisse Livius cap. 44. narrat. Quisnam autem primo loco memoratus T. Quinctius Flamininus fuerit, liquido dicere nequeo. Si verum est, C. Licinium Nervam, secundo loco memoratum, praeturam gessisse, conveniens esse videtur, ut credamus, principem legationis vel eodem, vel majori honore functum esse. Potuit igitur per rationem temporis esse celeberrimus T. Quinctius Flamininus, qui Philippum regem vicit, et bello Macedonico primo finem inposuit. Anno enim IDLV. consulatum gessit, nondum annos triginta natus, ut refert Plutarch. ejus vita p. 369. hic autem erat A. V. IDLXXXVI. quo vix sexagesimum aetatis annum transgressus adhuc satis virium ad obeundam hanc legationem habuisse videtur. Nonnihil tamen sententiae huic obstat, quod Plutarchus cj. vit. p. 381. testetur, nullam Quinctii, neque in toga, neque in armis, actionem se comperisse post legationem ejus ad Prusiam Bithyniae regem, quam Livius 39, 51. et 56. A. V. IDLXXI. describit: unde, non diu post obiisse, aut certe hoc jam tempore mortuum esse, ejusque mortem a Livio quidem narratam fuisse, sed aliquo loco superiorum librorum, qui laceri ad nos pervenerunt, narrationem ejus interciditse, verisimile videri potest. Forte igitur legendum erit *C. Quinctius Flamininus*, ut intelligatur is, qui praeturam gessit supra 41, 8. Si neque hoc placet, inverso ordine legi poterit *C. Licinius Nerva, T. Quinctius Flamininus, M. Caninius Rebilus.*

*Munera data in singulos bi*nûm millium aeris*] bis denûm millium aeris* scribendum, con-

12 in singulos binùm millium aeris. Bitis, cum ceteris obsidibus a Carseolis arcessitus, ad patrem cum legatis missus. Naves regiae, captae de Macedonibus inusitatae ante magnitudinis, in campo Martio subductae sunt.

1 XLIII. Haerente adhuc, non in animis modo, sed pene in oculis, memoria Macedonici triumphi, L. Anicius Quirinalibus triumphavit de rege Gentio
2 Illyriisque. Similia omnia magis visa hominibus, quam paria. minor ipse imperator, et nobilitate Anicius cum Aemilio, et jure imperii praetor cum consule conlatus: non Gentius Perseo, non Illyrii Ma-

jicit Pighius in Annal. ad A. V. IDLXXXVI. pag. 384. Sed vide ad 42, 19, 6.

§. 12. *Inusitatae ante magnitudinis*] Videtur et hic fuisse *invisitatae*, quo gaudet alibi Livius, quicquid irrideant. J. FR. GRON. Gronovio adsentior. V. ad 5, 35, 4. Et forte similiter emendandus est Eutrop. qui sua ex Livio hausisse videtur, 4, 8. *Romam cum ingenti pompa rediit in navi Persei, quae invisitatae magnitudinis fuisse traditur, adeo ut sedecim ordines dicatur habuisse remorum.* ubi vulgo etiam *inusitatae magnitudinis* editur. Ceterum, ut recte monet Crevierius, sive vulgatum sequamur, sive *invisitatae* emendemus, utique intelligendum est *Romanis*. Ita cadit observatio Meibomii, qui de Fabrica Trirem. in Thesaur. Antiq. Graevii tom. 12. pag. 611. hinc efficiebat, Livium nihil audivisse de eccaedeceri Demetrii, multo minus de triginta ordinum navibus Ptolemaei Philadelphi. Ita insuper illi, qui vulgatum tuetur, probandum incumbet, similis magnitudinis navibus Romanos post haec tempora usos esse, ut ita cum emphasi Livius dicat *inusitatae a n t e magnitudinis*.

§. 2. *Similia omnia magis visa hominibus, quam paria*] Vide Freinsh. ad Curtii 5, 5, 7.

Non pecunia Macedoniae] Lege *non pecunia pecuniae*. Nam reddidit eodem modo cetera, *non Gentius Perseo, non Illyrii Macedonibus, non spolia spoliis, non dona donis*. Errorem hunc glossa aliqua peperit, voci *pecuniae* superimposita, quam deinde librarius, vera lectione repudiata, in librum intulerat. SIGON.

§. 4. *Transtulit in triumphum*] Scripserat *in triumpho*, ut semper. J. FR. GRON. 37, 58, 4. *In eo triumpho undequinquaginta coronae aureae trans-*

Macedonibus, non spolia spoliis, non pecunia pecuniae, non dona donis comparari poterant. Ita- 3
que sicut praefulgebat huic triumphus recens; ita adparebat ipsum per se intuentibus nequaquam esse contemnendum. Perdomuerat intra paucos dies, 4
terra marique ferocem, locisque munitis fretam, gentem Illyriorum: regem regiaeque omnes stirpis ceperat: transtulit in triumphum multa militaria signa, spoliaque alia, et supellectilem regiam: auri 5
pondo viginti et septem, argenti decem et novem pondo: denariùm tria millia, et centum viginti millia Illyrii argenti. Ante currum ducti Gentius rex 6
cum conjuge et liberis, et Caravantius frater regis,

latae sunt. 39, 42, 4. *Tantumdem auri et argenti in eo triumpho translatum.* Vide tamen Cl. Dukerum ad cap. 39, 3.

§. 5. *Auri viginti et septem, argenti decem et novem pondo*] Nimis haec videtur tenuis summa: nam, etiamsi *argenti mille et novem pondo, denariûm triginta millia* legas, una cum auro nondum septingenta millia nummùm effeceris. J. FR. GRONOV. Recte Gronovium observasse, summam argenti in triumpho translati justo tenuiorem, et forte in numero errorem commissum esse, inde colligi potest, quod minor argenti, quam auri, pondus memoretur. Id autem commissi erroris indicium videri, jam supra monui ad 37, 59, 5. Ipse id Livius testatur lib. 38, 55, 8. *Malim equidem librarii mendum, quam mendacium scriptoris, esse in summa auri atque argenti. Similius enim veriest, argenti, quam auri, majus pondus fuisse.* Quum itaque per notas numerales prima ed. praeferat *argenti X et IX pondo*, mitissime emendavit *argenti mille et novem pondo.* Ut forte olim scriptum fuerit *argenti* ↀ *et IX pondo*, ac librarius, millenarii numeri notam non adsecutus, pro ea *X* dederit; quomodo alibi saepe erratum in Mstis esse vidimus ad 33, 14, 5. Utrum vero cum eodem Gronovio *denariûm triginta millia*, pro *tria*, legendum sit, non nihil dubito. Ratio est, quod denarii sint nummi Romani, quorum non tanta copia Gentio fuisse videtur. Tenuitatem autem summae argenti signati, si *tria millia* servamus, minuent subjuncta centum viginti millia Illyrii argenti. Verum et aliud hic latet. Omnes edd. antiquae praeferunt *auri pondo viginti et septèm*, ac vocem *pondo* prima omisit ed. Paris. anni 1573. Si unicus cod. τὸ *pondo* non agnosceret, id etiam non requirerem, quod eadem vox mox sequatur. Ita, saepe Livium in edendis duabus summis

7 et aliquot nobiles Illyrii. De praeda militibus in singulos quadragenos quinos denarios, duplex centurioni, triplex equiti, sociis nominis Latini quantum civibus, et sociis navalibus dedit quantum mi-
8 litibus. Laetior hunc triumphum est secutus miles, multisque dux ipse carminibus celebratus. sestertium ducenties ex ea praeda redactum esse, auctor est Antias, praeter aurum argentumque, quod in aerarium sit latum: quod quia unde redigi potue-
9 rit, non adparebat, auctorem pro re posui. Rex Gentius cum liberis, et conjuge, et fratre Spoletium in custodiam ex senatusconsulto ductus, ce-

vocem *millia* altero loco omisisse vidimus ad 31, 34, 7. Quum tamen nunc, vocem *pondo* in Msto superfuisse, fidem faciat princeps editio, eam Livio iterum reddidi; qui et alibi hanc dictionem iterare solitus est. Ita 36, 40, 12. *Transtulit* etc. *auri pondo ducenta quadraginta septem, argenti infecti factique in Gallicis vasis, non infabre suo more factis, duo millia trecenta quadraginta pondo.* 37, 59, 5. *Tulit in triumpho* etc. *vasorum argenteorum mille pondo et quadringenta viginti quatuor, aureorum mille pondo viginti quatuor.*

Centum viginti millia Illyrii argenti] Ita J. Fr. Gronovius edidit, quum olim legeretur *Illyrici argenti*. Vide ad Epit. Liv. 20. Per tot autem *millia argenti Illyrii* intelligenda videntur tot millia nummûm argenteorum, qui in Illyrico cusi sunt. Similiter per *Oscense argentum* indicari nummos argenteos, in Hispaniae urbe Osca signatos, vidimus ad 34, 10, 4. et c. 46, 2. Et quidem, intelligi nummos dictos *Victoriatos*, monuit Doujatius, quia primos Victoriatos ex Illyrico advectos esse Plinius notat 33, 3.

§. 9. *Igiturvium reges traducti*] *Iguvium* videtur esse, quod nunc Eugubium dicitur. De qua voce alii. SIG. Libenter legerim *Iguvium*. TURNEB. 11. Advers. 18. Hujus emendationis laus solida Turnebo debetur, qui ita scribendum esse monuit anno 1564. quo libros Adversariorum edidit. Inde id Sigonius accepit; sub cujus nomine haec emendatio demum post mortem ejus adparuit in ed. anni 1592. Nomen autem *Iguvii* passim in scriptis veterum corruptum legi, monuit Cluver. et quaedam loca exempli causa produxit 2. Ital. Ant. 7, 625. Adde Ortel. Thes. Geogr. voce *Iguini*, Holstenium ad eum locum, N. Heins. ad Silii 8, 460. et Harduin. ad Plinii 15. sect. 17. qui etiam in Fragmento Sisennae apud Non. Marc. in voce *Projicere Iguvii* nomen restituit in notis ad Plinii 3. H. N. sect. 19.

§. 10. *Corcyreis et Apollonia-*

teri captivi Romae in carcerem conjecti: recusantibusque custodiam Spoletinis, Igiturvium reges traducti. Reliquum ex Illyrico praedae ducenti viginti lembi erant; de Gentio rege captos eos Corcyraeis, et Apolloniatibus, et Dyrrachinis Q. Cassius ex senatusconsulto tribuit.

XLIV. Consules eo anno, agro tantum Ligurum populato, quum hostes exercitus numquam eduxissent, nulla re memorabili gesta, Romam ad magistratus subrogandos redierunt; et primo comitiali die consules crearunt M. Claudium Marcellum, C. Sulpicium Gallum. Deinde praetores postero die

tibus] Ita omnes editiones constanter, antiquiores et recentiores, praeter solas Sigonii, quae recte praeferunt *Corcyraeis*. Graecis enim, Herodoto, Thucydidi, Polybio, aliisque, per diphthongum vocantur *Κερκυραῖοι*, vel *Κορκυραῖοι* in nummis, quales plures *KOPKYPAI-ΩN* inscriptos vulgavit Harduin. in Numm. Popul. et Urb. Inde Latini formarunt *Corcyraei* apud Juven. Sat. 15. et Martial. 8, 68. et 13, 37.

§. 1. *Quum hostes exercitus numquam eduxissent*] Non moveo. nec tamen displicet *nusquam*. DUK. Similiter scribendum conjicit Crevierius. Supra 1, 38, 4. *Ubi nusquam ad universae rei dimicationem ventum est*. 3, 42, 4. *Persecutis hostibus nusquam se aequo certamine committentes*. ubi alia vide. 4, 54, 7. *Salii flaminesque nusquam alio, quam ad sacrificandum pro populo, sine imperiis et potestatibus relinquantur*. Cic. de Senect. 10. *Nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem*. Solent autem *nusquam* et *numquam* a scribis in membranis commutari. V. ad Livii 56, 17, 10.

§. 2. *Praetores postero die L. Livium*] Ita primum ediderunt Basil. anno 1554. eorumque lectionem recentiores omnes servarunt. Editio princeps ac multae proximae constanter legunt *L. Julium*. Facile quidem voces *Liuius* et *Iulius*, transpositis literis, confundi potuerunt, quale exemplum habuimus 22, 35, 3. inde tamen effici nequit, *Livium* pro *Julium* hic recte restitutum esse. Neque temporibus proxime vel sequentibus, vel praecedentibus ullus memoratur *L. Livius*, aut *L. Julius*, quem hic indicari conjici posset: nisi quis huc referre vellet L. Julium, qui octodecim annis antea praetor creatus Galliam sortitus est supra 39, 45. et priscam lectionem *L. Julium* defendens eum nunc iterum praeturam obtinuisse existimaret. Id licet verum esse praestare nolim, priorum tamen editionum scripturam reduxi. Partim enim id postulat principis ed. auctoritas,

L. Julium, L. Appulejum Saturninum, A. Licinium Nervam, P. Rutilium Calvum, P. Quinctilium Varum, M. Fontejum. His praetoribus duae urbanae provinciae sunt decretae, duae Hispaniae, Sicilia
3 ac Sardinia. Intercalatum eo anno: poſtridie Terminalia intercalares fuerunt. Augur eo anno mortuus eſt C. Claudius: in ejus locum augures legerunt T. Quinctium Flamininum. et flamen Quirina-

partim etiam suadet praenomen *Lucius* in gente Livia rarum, at in gente Julia etiam hoc tempore saliquoties obvium.

Sicilia et Sardinia] Hanc lectionem primum inveni in ed. Basil. anni 1539. tum Curionis, Lugd. anni 1553. Paris. anni 1573. et recentioribus omnibus, excepta una Sigoniana anni 1592. quae cum antiquioribus praefert *ac Sardinia*. Perinde esse fateor, utrum probemus; verum vel ideo veterem scripturam nulla de cauſſa loco motam Livio reddidi.

§. 3. *Intercalatum eo anno: postridie Terminalia intercalares fuere*) Similis locus exſtat supra 43, 11, 13. *Hoc anno intercalatum est. tertio die post Terminalia Kalendae intercalares fuere.* Ex quo loco intelligitur, vocem hic excidiſſe, ac similiter scribendum esse *postridie Terminalia Kalendae intercalares fuere.* Quod etiam Crevierius observavit. At insuper loco illo Livii laudato *tertio die post Terminalia*, hic *postridie Terminalia* Kalendae intercalares fuiſſe dicuntur. Cauſſam hujus variationis reddere conatur Dodwellus in App. ad Praelect. Camdem. pag. 751. Notat autem, Romanis ordinarium fuisse, ut mensem Merkedonium proxime poſt Terminalia intercalarent: verum, si ex ratione anni nundinae vel in praecedentis alicujus mensis iſtius anni Nonas, vel in Kalendas Januarias incisurae essent, diem unum ante illas Nonas vel Kalendas, a quibus Nundinae transferendae erant, exemtum, eumque poſtea, ne ratio anni turbaretur, intercalando iterum additum fuisse: et quidem diem exemtum addi solitum esse medium inter Terminalia et Kalendas intercalares; et hanc cauſsam esse, cur lib. 43, 11. *tertio die post Terminalia* Kalendae intercalares fuerint: si vero eveniret, ut, exemto jam die, nundinae iterum eodem anno vel in alterius mensis Nonas, vel in Kalendas Januarias incidere deberent, non potuisse jam differri intercalationem usque poſt Terminalia, sed alio aliquo in loco diem exemtum inserendum esse: id autem hoc anno evenisse, quo *postridie Terminalia* Kalendas intercalares fuisse Livius memorat. Nisi enim id ſtatuamus, nihil singulare dignumque observatione habere, quod *postridie Terminalia* Kalendae fuerint intercalares, quum is fuerit locus eorum usitatissimus; id tamen singulare esse, si ita eveniret in anno, in quo praeceſſiſſent dies exemtiles, quales supponebat hoc anno seu Livius ipse, seu auctor, quem secutus eſt. Alium

lis mortuus Q. Fabius Pictor. Eo anno rex Pru- 4
sias venit Romam cum filio Nicomede. Is, magno comitatu urbem ingressus, ad forum a porta tribunalque Q. Cassii praetoris perrexit: concursuque un- 5
dique facto, *Deos, qui urbem Romam incolerent, senatumque et populum Romanum salutatum se* dixit *venisse: et gratulatum, quod Persea Gentiumque reges vicissent; Macedonibusque et Illyriis in*

hic scrupulum injicit Pighius in Annal. ad A. V. IↃLXXXVII. pag. 390. et statuit, vel sequentis anni consules M. Claudium Marcellum et C. Sulpicium Gallum ante Idus Martias, consuetum diem, Kalendis intercalaribus ipsis magistratum iniisse, propter subitam fortasse Ligurum rebellionem, et, confecto brevi bello, mox eodem mense triumphasse: vel Livium intercalationis illius tempus inter acta hujus anni perperam redegisse, quod in anni sequentis exitu notari debuerat post designatos T. Manlium et Cn. Octavium consules. Hanc sententiam adstruit auctoritate fragmenti Marmorum Triumphalium Capitolinorum.

** VDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. COS. A. DXXCVII.
* GALLEIS. CONTRVBIEIS. ET. LIGVRIBVS.
*** TIBVSQVE. ** INTERR.
**** CIVS. C. F. C. N. G** COS. ANN. DXXCVII.
**** BVS. TAR***RNEIS. X. K. MART.

Hinc patet, Claudium Marcellum et Sulpicium Gallum triumphasse in consulatu, triumphasse etiam mense intercalari. Prior Pighii conjectura vera esse nequit, quia in hunc annum IↃLXXXVI. quo Q. Aelius Paetus et M. Junius Pennus consulatum obtinuerunt, mensis intercalaris non incidit. Nam secundum ordinationem Numae quolibet tantum biennio mensis Merkedonius adsumebatur: id autem factum erat A. V. IↃLXXXIIII. A. Hostilio Mancino et A. Atilio Serrano consulibus; in cujus fine intercalationem hanc retulit Livius 43, 11. Non igitur mensis hoc anno IↃLXXXVI. intercalari potuit; sed id fieri debuit et anno praecedenti IↃLXXXV. et sequenti IↃLXXXVII. quo posteriori intercalaris mensis etiam meminerunt Fasti Capitol. Triumph. Utrum vero Livius, quae altera Pighii conjectura erat, intercalationem integri mensis, quae ad annum sequentem pertinet, perperam ad hunc annum retulerit, aliis disquirendum relinquo.

Augur eo anno mortuus est C. Claudius] Nempe App. F. Pulcher, qui A. V. IↃLVIII. augur factus erat. 33, 44. DUKER.

Flamen Quirinalis mortuus M. Fabius Pictor] *Q. Fabius* legendum ex l. 37, [47, 8.] ubi hic fit flamen. *Praetores*, inquit, *exinde duo facti, duo Q. Fabii, Labeo et Pictor. Flamen Quirinalis eo anno inauguratus fuerat.* SIG. V. ad 37, 47. DUK. V. etiam Pighium in Annal. ad A. V. IↃLVIII. pag. 266. et IↃLXIV. pag. 290.

§. 4. *Rex Prusias venit Romam*] Ita primus edidit Vascos. hinc Gryph. tum Lugd. anno 1553. omnesque posteriores. Re-

6 *ditionem redactis, auxissent imperium.* Quum praetor senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset; biduum petiit, quo templa Deùm urbemque et ho-
7 spites amicosque viseret. Datus, qui circumduceret eum, L. Cornelius Scipio quaestor; qui et Capuam ei obviam missus fuerat: et aedes, quae ipsum comitesque ejus benigne reciperent, condu-
8 ctae. Tertio post die senatum adit: gratulatus victoriam est; merita sua in eo bello commemoravit; petiit, *Ut votum sibi solvere, Romae in Capitolio decem majores hostias, et Praeneste unam Fortunae,*
9 *liceret. ea vota pro victoria populi Romani esse. Et ut societas secum renovaretur; agerque sibi, de rege Antiocho captus, quem nulli datum a populo Romano Galli possiderent, daretur.* Filium postremo Nicomedem senatui commendavit. Omnium, qui in Macedonia imperatores fuerant, favore est ad-
10 jutus. Itaque cetera, quae petebat, concessa: de agro responsum est, *Legatos ad rem inspiciendam missuros. Si ager populi Romani fuisset, nec cuiquam datus esset, dignissimum eo dono Prusiam*
11 *habituros esse. Si autem Antiochi non fuisset, eo*

liqui legunt *rex Prusia.* V. ad 38, 39, 15. et adde Voss. 4. Gramm. 2.

§. 7. *L. Cornelius Scipio quaestor*] *P. Cornelius* vocatur Val. Max. 5, 1, 1. Sed potius L. Cornelii Scipionis Asiatici filium esse, ex annorum interstitio judicat, et librariorum culpa *Publium* apud Val. Max. vocari, qui hic recte *Lucius* dicitur, existimat Pighius in Ann. ad A. V. 1oLxxxvi. pag. 384.

Aedes, quae ipsum comitesque ejus benigne reciperent] Hoc mihi mire de aedibus videtur dici. Cogitabam, *benigne* forsan non obtinere locum suum, et ante *conductae* ponendum esse. Sed ne hoc quidem valde placet. DUKER.

§. 8. *Tertio post die senatum adit*] Subjunguntur mox *gratulatus est, commemoravit, petiit.* An igitur etiam hic *adiit* legendum? De eodem scribarum errore v. ad 36, 42, 3.

§. 12. *Ne quod detur quidem*] *Ἴσως quoi.* MURET. Obsoleta voce *quoi* Livium usum esse, non facile credit Crevierius: ideoque reponendum censet *cui.*

§. 14. *Munera ei ex sestertiis jussa dari*] Deest summa sestertium. Sic supra [c. 14, 6.] *Munera ex senatusconsulto emere regulo quaestor jussus est ex centum pondo argenti.* SIGON. Forte *ex C-H-S.* id est, ex centum millibus nummum. Posses *ei decies sestertii:* sed nimia videtur summa pro hoc tempore. J. FR. GRON. Summam sester-

ne populi quidem Romani factum adparere: aut, si datus Gallis esset, ignoscere Prusiam debere, si ex nullius injuria quidquam ei datum vellet populus Romanus. Ne quod detur quidem, gratum esse donum posse, quod eum, qui det, ubi vellet, ablaturum esse sciat. Facile Nicomedis commendationem accipere. Quanta cura regum amicorum liberos tueatur populus Romanus, documento Ptolemaeum Aegypti regem esse. Cum hoc responso Prusias est dimissus. Munera ei ex * sestertiis jussa dari, et vasorum argenteorum pondo quinquaginta. et filio regis Nicomedi ex ea summa munera dari censuerunt, ex qua Masgabae filio regis Masinissae data essent: et ut victimae aliaque, quae ad sacrificium pertinerent, seu Romae, seu Praeneste inmolare vellet, regi ex publico, sicut magistratibus Romanis, praeberentur: et ut ex classe, quae Brundisii esset, naves longae viginti adsignarentur, quibus uteretur, donec ad classem, dono datam ei, rex perveniisset. L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet, sumtumque ipsi et comitibus praeberet, donec navem conscendisset. Mire laetum et ea benigni- 12 13 14 15 16 17 18

tium hic deesse, deprehenderunt primi editores; qui, relicta lacuna, dederunt *ex sestertiis jussa dari*. Lacunam primus apud me omisit deinde Gryph. anno 1548. et post eum reliqui usque ad Gruterum, cujus ultima editio praefert *ex sestertiis * jussa dari*; ejus exemplum recentiores, quos vidi, imitati sunt praeter Clericum et Crevierium, qui asteriscum iterum expulerunt. At vetustissimas editiones sequi tutissimum putavi.

§. 15. *Ex qua Masgabae filio regis Masinissae*] Ei quaestor jussus fuerat munera emere ex centum pondo argenti, supra cap. 14. DUKER.

§. 17. *Sumtumque ipsi et comitibus praeberet, donec navem conscendissent*] Haec lectio demum obvia fuit in Paris. anni 1573. et inde in reliquis recentioribus. Priores constanter legunt *conscendisset*, ut ad Prusiam regem referatur; quod recte Crevierius loco suo restituit.

§. 18. *Mire laetum et ea benignitate in se populi Romani*] Manutius reponit *ex ea benignitate*. SIG. Voculas quidem *et* atque *ex* in membranis vetustis commutari, vidimus ad 26, 45, 1. quo minus tamen Manutium audiendum censeam, illud efficit, quod Livium *laetus ex aliqua re* alibi dixisse non meminerim; quem potius praepositionem omisisse, vel praepositionem *ab* adsciviſſe, vidimus ad 23, 37, 8. ubi typographorum

tate in se populi Romani regem fuisse, ferunt: munera sibi ipsum emisse; filium jussisse donum po-
19 puli Romani accipere. Haec de Prusia nostri scriptores. Polybius, cum regem indignum majestate nominis tanti, tradit; pileatum, capite raso, ob-

errore hic legendum dicitur *laetum ex benignitate*, pro *laetum ea benignitate*. Putavi enim voculam *et* expungendam esse. Mihi autem consentit Crevierius.

Munera sibi ipsum emisse] Quid est *emere munera*? aut quam dignum magnificentia populi Romani, ut pro illis, quae dono daret regi, pretium acciperet? Scribe: *munera sibi ipsum renuisse, filium jussisse donum populi Romani accipere*. J. FR. GRON. Conjecturam Gronovii recte probat Crevierius; at eamdem etiam in contextum Clericus recepit. Sufficere credo, eam in notis exstare.

§. 19. *Polybius, eum regem* etc.] Haec, ex Polybio fortasse sumpta, sic edidit Appianus in Mithrid. [pag. 172.] *Περσέως δὲ ἁλόντος ἀπήντησε τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς ἐιμά τε Ῥωμαϊκὸν ἀμπεχόμενος, ὃ καλοῦσιν τήβεννον, καὶ ὑποδήματα ἔχων Ἰταλικά, τὴν κεφαλὴν ἐξυρημένος, καὶ πῖλον ἐπικείμενος, ᾧ τρόπῳ τινὲς προἰασι τῶν ἐν ταῖς διαξήκαις ἐλευθερωθέντως, ἀισχρὸς ὢν καὶ τἆλλα ἀφθῆναι καὶ βραχύς· ἐντυχὼν δὲ αὐτοῖς ἔφη Ῥωμαϊκῇ τῷ ῥήματι, Ῥωμαίων εἰμὶ λίβερτος, ὅπερ ἐστὶν ἀπελεύθερος.* SIG. Quae de rege Prusia Livius dicit se a Polybio accepisse, cum integra non sint in fragmento a nobis edito [in Ecl. Legat. num. 97.] poterunt suppleri ex alio fragmento, quod e Polybio item, ut videtur, Diodorus Siculus descripsit. Nam quae aliis ex Appiani Mithridatico prolata sunt, ea partem tantum Livianorum exprimunt, partem omittunt. Licet ea appareat Appianum quoque a Polybio sumsisse. Graeca ipsa Diodori verba ex fragmento ipsius, a nobis cum Polybianis edito, peti poterunt [Ecl. Legat. num. 22.] In quibus illud notatu dignum, quod *pilei* colorem, praeter Diodorum, nemo alius indicat, cum aït: *Μιμησάμενος δὲ τὴν τῶν προσφάτως ἀπελευθερουμένων παρὰ Ῥωμαίοις τάξιν, ἀπήντησεν ἐξυρημένος τὴν κεφαλὴν, καὶ πῖλεον ἔχον λευκὸν, ἔτι δὲ φορῶν τηβέννιον*, etc. Ex quibus verbis hoc quoque intelligitur, novos libertos apud Romanos albis vestibus olim usos fuisse: ut nunc itidem, qui ex antiqui hostis servitute, aqua salutari tincti, liberantur. Pilei autem et rasi capitis mentionem facit Plautus in Amphitruone, nisi fallor, illo versu [1, 1, 306.] *Ut hodie raso capite capiam pileum*. Itaque pileum esse notam libertatis constat ex nummis veteribus, in quibus pileus est, et *libertas* item adscriptum est. Praeterea pileum ac virgam, quae *vindicta* dicebatur, virginem ferre in nummis videmus. Item in M. Bruti denariis pilei et duarum sicarum imaginem agnoscimus. Et Justiniani constitutionem habemus de libertis, qui fanus patroni prosequebantur pileati. URSIN. Nescio, cur Ursinus scribat, quae de Prusia dicit Livius, non integra esse in fragmento Polybii a se edito. Nam Polybius Legat. 97. multo pluribus verbis foedam, et non rege modo, verum etiam viro indignam adulationem Prusiae exsequitur, quam Livius. Henr. Stephanus

viam ire legatis solitum, libertumque se populi Romani ferre; et ideo insignia ordinis ejus gerere. Romae quoque, quum veniret in curiam, submisisse se, et osculo limen curiae contigisse: et *Deos servatores suos* senatum adpellasse, aliamque oratio-

cap. 9. operarum in Dionys. Halic. multa in Livii interpretatione Latina Graecorum Polybii carpit; jure, an injuria, judicabunt alii. ipse, quid mihi adversus illius reprehensiones responderi posse videatur, paucis exponam. DUKER.

Indignum majestate nominis tanti] Polybius: Οὐδαμῶς γεγόνει ἄξιος τοῦ τῆς βασιλείας προσχήματος. Quod hic in Graecis est βασιλείας, Stephanus largitur verti potuisse *nominis tanti*; quia respiciat ad illam, quam Prusiae dederat, *regis* appellationem: sed se non videre dicit, quomodo ei de interpretatione vocis πρόσχημα adsentiri possimus. Si ei de illa adsentiri non poterat, meliorem, cui omnes adsentiri possent, dare debuerat. Deinde libenter ex .. quaererem, cur, si Livius hic πρόσχημα non bene interpretatus est *majestatem*, ipse in Plutarchi Fabio pag. 289. maluerit sequi interpretationem Cruserii, qui, quod Plutarchus de dictatura dicit τὸ πρόσχημα τῆς ἀκροτάτης καὶ μεγίστης ἀρχῆς vertit *summi imperii maximique majestas*, quam Xylandri, qui πρόσχημα ibi interpretatus erat *dignitatem*? DUKER.

Obviam ire legatis solitum] Hoc quoque eidem animadversione dignum videtur, quum Polybius de re, quae *semel tantum* a Prusia facta fuerit, loquatur: nisi forte vocem *solitum* pro alia irrepsisse suspicandum sit. Hoc Diodoro potius tribuisset, quam Polybio: nam ille ita scribit: καί ποτε Ῥωμαίων πρὸς αὐτὸν παραγενομένων πρεσβευτῶν. hic, ὅτε πρῶτον μὲν πρεσβευτῶν παραγεγονότων Ῥωμαϊκῶν πρὸς αὐτόν. e quibus non satis apparet, *semel* tantum, an *saepius*, hoc a Prusia factum fuerit. DUKER.

§. 20. *Submisisse se*] Polybius et Diodorus, Καὶ καθεὶς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας προσεκύνησε τὸν οὐδόν. Hic videndum esse dicit, an Graecis καθεὶς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας dici possint respondere haec Livii *submisisse se*. Sane primo intuenti hoc videri potest esse *in genua procubuisse*. cap. 7. *Submittentemque se ad pedes sustulit*. Suet. Tib. 20. *Seque praesidenti patri ad genua submisit*. Curtius 8, 14, 39. *Elephantum procumbere jussit in genua, qui ut se submisit, ceteri quoque demisere corpora in terram*. Nec tamen hoc ita accipiendum esse, e Graecis intelligi potest, de quorum sententia, quum verba non obscura sint, mihi non ita liquet, ut plane perspiciam, cur Prusias utramque manum demiserit. Sed puto significari, eum, corpore ad limen inclinato, illud utraque manu contigisse, atque ita osculatum esse. et hoc Livium voluisse, quum eum *submisisse se* dicit: quemadmodum *submittere fasces* dicuntur, qui eos deorsum versus inclinant, ac deprimunt. Quamquam si Livius hic erraret, tamen Stephanus quoque culpa non vacaret, qui non offenderit, ob quam caussam Prusias utramque manum demiserit, et quomodo Graeca Polybii Latine vertenda fuerint. Nam non satis est erudiendis plerisque lectoribus, si quis

nem, non tam honorificam audientibus, quam sibi
21 deformem, habuisse. Moratus circa urbem triginta
haud amplius dies in regnum est profectus.

dicat, Latinam interpretationem non respondere Graecis, nisi simul doceat, in quo id situm sit; ne minus periti utriusque linguae in incerto fluctuent. DUKERUS.

Deos servatores suos] Χαίρετε Θεοὶ σωτῆρες, Polybius et Diodorus. De hoc cognomine, tam Deorum, quam hominum, multa habet Spanhem. Diss. 7. de Praest. et Usu Numism. pag. 415. DUKER.

Aliamque orationem, non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem, habuisse] Ne hoc quidem sine vellicatione aliqua praeterire potuit Stephanus. Mirum esse ait, Livium haec tantum dixisse pro iis, quae a Polybio dicuntur, Prusiam *illis, quae tam adulatorie fecerat, consentaneam orationem habuisse, et talia locutum esse, ut se referre ea pudeat.* Sed aliis forsitan mirum videbitur, morosum censorem hic quoque ita argutari, et λεπτολογεῖν potuisse. Etenim Polybius in historia non tantum ea, quae in Excerptis Legationum, verum etiam, quae in Livio leguntur, scripsisse potuit. Nam in has eadem omnia, quae in historia de hac re tradita erant, translata, nec quidquam eorum praetermissum fuisse, nemo affirmare potest. Stephanus quidem ita sensisse videtur, quum ex eo, quod Diodorus Legat. 22. pauca quaedam addit, quae in legationibus Polybii non leguntur, et inter ea, *senatum plerisque eorum, quae Prusias dixerat, offensum fuisse*, argumentatur, Diodorum etiam alios scriptores consuluisse et in quibusdam excerpendis suo judicio usum fuisse. Sed quum manifestum sit, Diodorum ibi pleraque omnia ad verbum e Polybio descripsisse, aeque probabiliter argumentari licet, et Diodorum et eum, qui Legationes e Polybio excerpsit, hunc solum auctorem secutos, sed utrumque suo judicio in excerpendo usum fuisse, et illum plura, hunc pauciora ex historia illius excerpsisse. Deinde etiamsi nihil amplius in historia scripsisset Polybius, quam quod hoc capite Legationum continetur, tamen Livius reprehendi non posset, qui, quod fidi interpretis est, mentem auctoris sui, quae ex Ecloga illa manifesta est, exprimere, quam verbum verbo reddere maluisset. DUKER.

Triginta haud amplius dies in regnum est profectus] *aut* pro *haud* in MS. teste Lambecio Bibl. Vindob. l. 2. pag. 947. qui insuper notat, post vocem *profectus* sequi *actumque*, aliosque etiam duos versus sive lineas olim fuisse, qui nunc prorsus evanuerunt, nec ulla ratione ex eorum vestigiis certi quidquam posse colligi. Totum denique illud volumen claudi monet subscriptione hac, quae ob vetustatem oculos fere fugit:

TITI LIVI
AB VRBE CONDITA
LIB. XLV EXP.
INC. LIB. XLVI. FELICITER.

HEARN. Illud *aut* errore scribae pro *haud* datum esse, mihi certum videtur: eum enim et alibi ita erasse, supra dictum est ad 41, 1, 8.

SUPPLEMENTA

LIVIANA

A LIBRO QUADRAGESIMO SEXTO

AD SEPTUAGESIMUM QUARTUM,

AUCTORE

JOHANNE FREINSHEMIO.

EPITOME
LIBRI QUADRAGESIMI SEXTI.

Eumenes rex Romam venit: qui, quia Macedonico bello medium egerat, ne aut hostis judicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur; in commune lex lata est, ne

Eumenes rex Romam venit] Non venit Romam. Quum Brundusium veniſſet, quaeſtor ad eum miſſus eſt cum senatusconsulto, quod, quum fama eſſet, eum Romam adventare, factum fuerat. Polyb. Legat. 97. qui δόγμα senatus fuiſſe dicit, id eſt, *senatusconsultum*, non *legem*, ut Auctor Epitomes. DUKER.

Qui, quia Macedonico bello se medium egerat] Clariſſ. Graevius ad Sueton. Claud. 29. observat, *ago me principem, patrem, ministrum* Latinis auribus insolens loquendi genus et inauditum eſſe. Illas enim adsuesse audire *ago principem, patrem, ministrum*. Sumtas autem locutiones esse ex scena, ubi *ago Davum, Simonem* eſt ejus personam gero; sic et *agere mimum, comoediam* dici hiſtriones, qui et propterea *actores* dicebantur. Ita Livius 45, 25. *Lenem mitemque senatorem egit.* Ovid. 2. Her. 78.

Haeredem patriae, perfide, fraudis agis.

Val. Max. 4, 7, 3. *Nec hactenus amicum egisse contentus, etiam fugae ejus comes accessit.* Vell. Pat. 2, 114. *Agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis.* Vide viros doctos ad Plinii 1. Ep. 17. Hanc locutionem Auctori Epit. reſtituens pronomen *se* delevi fide codd. Leid. Voſſ. Berg. et Lov. 2. Neque eſt, quod cuiquam locutio illa eruditior, quam pro genio scriptoris, videatur. Quum enim ita in quatuor Mſtis invenerim, genus illud loquendi ab ipso potius, quam ab indoctioribus librariis, profectum credo; praesertim quum forte ob oculos habuerit verba deperdita Livii, quem subinde exprimere solitus eſt; atque ipse eamdem locutionem etiam infra adhibuerit lib. 52. *Ipse L. Mummius abstinentissimum virum egerat.* Voculam *quia* omittunt Leid. Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Sed eam elisit praecedens pronomen *qui.* Vide ad 4, 58, 4.

Ne aut inimicus judicatus videretur] Veteres lib. *ne aut hostis.* SIGON. Similiter omnes quinque, quibus usus sum, Mſti, et ed. Camp. invito Hearnii Norv. Vide infra ad Epit. 110.

In comitio lex lata est] Vox *comitio* inepto legitur sensu. Melior antiqua lectio *in commune lex lata est, ne cui regi.* SIG. Eamdem lectionem firmant omnes codd. mei, et ed. Camp.

cui regi Romam venire liceret. Claudius Marcellus consul Alpinos Gallos, C. Sulpicius Gallus consul Ligures subegit. Legati Prusiae regis conquesti sunt de Eumene, quod fines suos popularetur: dixeruntque, eum conspirasse cum Antiocho contra

Probant eam etiam Pighius in Annal. ad A. V. IↃLXXXVII. pag. 388. et Ursin. ad Polyb. Exc. Legat. num. 97. docens, eam adstrui posse ex Polybio, qui dixerat καδόλου: Hearnii Norvic. vitiatae lectioni adhaeret. Praeterea *res*, pro *lex*, Leid. Berg. et Lov. 2. sollemni errore scribarum. V. ad 36, 9, 9. Tandem *data est* Lov. 2. V. ad 1, 4, 7.

Ne cui regi Romam] Ita demum in postrema Gruteri editione vulgatum inveni, consentientibus omnibus scriptis nostris, et ed. Camp. Priores praeferunt *ne cuiquam regi;* quod sibi etiam in Norv. obvium fuisse, Hearnius testatur.

Marcellus consul Alpinos Gallos] Barberinae membranae *consul Cisalpinos*. Forte *Inalpinos*. J. FR. GRON. Omnes nostri vulgatum exhibent.

C. Sulpicius Gallus Ligures subegit] Vet. lib. *Gallus consul*. SIG. Obsequens cap. 71. in hoc anno: *Galli Ligures deleti*. distinctio post *Galli* ponenda videtur, vel legendum *Galli et Ligures deleti*. DUKER. Vocem *consul* a Sigonio additam agnoscunt omnes scripti mei, et ed. Camp. quam contra a Norvicensi abesse Hearnius monuit. Insuper cognomen *Gallus* abest a Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quod forte librarius neglexit, quia modo praecessit *Gallos*. *C. Sulpicius Gallos Ligures* ediderunt Feyerab. et Modius, pro quo recte *Gallus* reposuit Gruterus. Et, ita scribendum esse, monuit etiam Cluver. 1. Ital. Ant. 7, 50. Neminem enim veterum auctorum, quorum monumenta exstant, adfirmasse, Ligures Gallicam gentem esse. Non adtendit itaque Cluver. ad corruptum Obsequentis locum; cui optimam medicinam adtulit Clariss. Dukerus, ut jam sententiae huic non obstet. Similiter Pighius in Annal. ad A. V. IↃLXXXVII. pag. 388. ex loco illo Jul. Obseq. docet, hoc anno *Ligures et Gallos* deletos esse. In eo tamen Cluver. aberravit, quod Sigonium apud nostrum ex vet. lib. *Gallus*, pro *Gallos*, emendasse scripserit; quum demum post Sigonium corrupte *Gallos* editum fuerit. In Fastis Triumph. Gallus triumphasse dicitur de *** *BVS. TAR* *** *NEIS*. Priorem lacunam viri docti supplent *Liguri-BVS*. Quinam vero populi ceteris vocum reliquiis lateant, incertum est. Mox *questi sunt* Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. idque voluit scriba Boend. qui aberrans dedit *quesiti sunt*.

Quod fines suos depopularetur] Ita primum editum vidi a Froben. anno 1531. quum recentiores omnes secuti sunt. Priores praeferunt *popularetur*, concinentibus scriptis nostris, et Hearnii Norv. quorum auctoritate recepi. Solent autem passim hae voces confundi. V. ad 2, 62, 4. 10, 12, 7. et 37, 27, 9.

Dixeruntque, eum conspirasse contra populum Romanum cum Antiocho] Hoc non Prusiae, sed Asiaticarum civitatum legatos quosdam dixisse, scribit Polyb. Leg. 104. DUK. *Τὸ eum*

populum Romanum. Societas cum Rhodiis deprecantibus juncta est. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti septem millia viginti duo. Princeps senatus lectus M. Aemilius Lepidus. Ptolemaeus Aegypti rex,

exsulat a Voſſ. *ipsum conspirasse* legit ed. Camp. Deinde *versus populum Romanum* Berg. *adversus populum Romanum* Voſſ. Lov. 2. et Boend. V. ad Epit. 57.

Societas cum Rhodiis deprecantibus juncta est] Ita Gronov. anno 1665. edidit, consentientibus Berg. Lov. 2. et ed. Camp. *cum Rhodiis precantibus* Boend. Priores vulgo legunt *cum deprecantibus Rhodiis*. et ita reliqui scripti, et Hearnii Norv. Deinde *unita est* Boend. Sed *jungere societatem* locutio eſt ipsi Livio frequens. Ita 23, 33, 6. *A Philippo rege se missum aït ad amicitium societatemque jungendam cum populo Romano.* 33, 2, 6. *Rogatio inde* etc. *lata recitataque de societate cum Romanis jungenda.* 34, 57, 6. *Quum ad amicitiam petendam jungendamque societatem venissent.* Similiter locutus eſt ipse auctor Epit. 14. *Cum Ptolemaeo Aegypti rege societas juncta est.* Epit. 23. *Inter Philippum Macedonum regem et Hannibalem societas juncta est.* Pari modo *jungere amicitiam* supra inluſtratur ad 35, 12, 9.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa eo sunt] Vet. lib. *Censa sunt.* SIG. Consentiunt scripti noſtri, et ed. Camp. at voculam *eo* servat Norvic. Hearnii, paſſim vulgatis adhaerens. Verbum *est* non adparet in Leid. Berg. et Lov. 2.

Trecenta viginti septem millia viginti duo] Placet magis Mſtum Jacobi Susii, in quo *CCCXXXVII millia XXII* notata sunt, sicut in Plutarcho, qui in L. Paulli vita [p. 275.] totidem ipsum millia civium recensuisse refert. PIGHIUS in Annal. ad A. V. 1015XXXIX. p. 395. Scripti noſtri nihil mutant; nisi quod Boend. legat *CCCXXVII. M. et XXII.* Exc. Pithoei *CCCVII millia.* Ed. Campani *CCCXXVII millia XXXII.* Secundum Plutarchum loco laudato *ἀνεγράψαντο κατ' ἀυτὸν [Αἰμίλιον] μυριάδες ἀνθρώπων τριάκοντα τρεῖς, ἔτι δ' ἑπτακισχίλιοι, τετρακόσιοι πεντήκοντα δύο.*

Princeps senatus lectus M. Aemilius Lepidus] Censores fuerunt L. Aemilius Paullus, Q. Marcius Philippus. Ab his quartum princeps senatus lectus eſt: nam, ante ter lectum fuisse, dixerat Livius 40, 51. 41, 27. et 43, 15. Deinde quintum, ac denique sextum lectus eſt, Epit. 47. et 48. quod haud scio, an nulli praeter eum contigerit. DUK. Vox *lectus* non conspicitur in Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Ptolemaeus Aegyptiorum rex, a minore fratre e regno pulsus] Tres scripti *Ptolemaeus Aegypti rex, pulsus regno a minore fratre, missis.* J. FR. GRON. Hoc quidem praeferendum puto propter auctoritatem Mſtorum, et quod praepositio *e* hic temere a fine vocis praecedentis repetita videri poteſt. Nec tamen Gronovium vulgatam scripturam, tamquam minus Latinam, improbasse credo. Livius 25. 31, 3. *Per seditiones pulsi ab domo.* Florus 1, 10. *Pulsis ex urbe regibus.* DUK. *Aegypti rex* praefe-

pulsus regno a minore fratre, missis ad eum legatis, restitutus est. Ariarathe Cappadociae rege mortuo, filius ejus Ariarathes regnum accepit, et amicitiam cum populo Romano per legatos renovavit. Res praeterea adversus Ligures, et Corsos, et Lusitanos, vario eventu gestas, et motus Syriae, mortuo

runt etiam Voſſ. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Non memini, titulum *Aegyptiorum rex* apud Livium vel auctorem Epitomarum obcurrere: at contra saepe *Aegypti reges* memorantur. Vide Livium 27, 30. 31, 2. 32, 33. 35, 13. 36, 4. 37, 3. 45, 13. et 44. Auctorem Epit. lib. 14. 45. 52. 104. 111. aliisque locis. Pariter *rex Syriae*, *Cappadociae* potius dixit, quam *Syrorum*, *Cappadocum*. Vide Epit. 35. 45. 46. et 47. Aeque autem *rex Numidarum* adhibuit, ac *Numidiae*. Vide ad Epit. 62. et contra *rex Macedonum* potius, quam *Macedoniae*. V. ad 40, 29, 4. quamvis tamen et alterum apud eum obcurrat 40, 6. et alibi. Crevierius edidit *rex Aegypti*, et ita in tribus codd. Gronovium, in ed. autem Campani se inveniſſe teſtatus eſt. Sed in ordine vocum aberravit. Deinde *pulsus regno a minore fratre* iidem codd. eademque ed. Praepositionem *e* etiam ab Exc. Pithoei abesse, Hearnius monuit. Et ita plerumque solet auctor. Sic Epit. 47. *Consilio Demetrii regis Syriae et viribus pulsus regno*. Epit. 66. *Jugurtha pulsus a C. Mario Numidia*. ubi quaedam vide. Epit. 79. *Pulsus urbe a Cn. Octavio collega*. Epit. 102. *Catilina urbe pulso*. Epit. 104. *Ptolemaeus, Aegypti rex, regno pulsus Romam venit*. Epit. 111. *Abrogato magistratu pulsus urbe*. et Epit. eadem: *A Ptolemaeo fratre regno pulsa est*. Similiter *expellere Italia* Epit. 109. ubi etiam vide. Clericus edidit *regno pulsus a minore fratre* contra fidem omnium codd. et edd. Utrobique hic Miſos duces secutus sum.

Missis ad eum legatis, restitutus est] *remissis* Exc. Pithoei apud Hearnium, invitis omnibus aliis, scriptis et excusis. Tum *regno restitutus est* Lov. 2. *in regno restitutus est* Boend. *in regnum restitutus est* Norv. Hearnii, et edd. omnes ante Gruterum, excepta una Campani; quae cum Gruteri ultima voces *in regnum* omisit, concinentibus Voſſ. Leid. et Berg. Et possunt etiam commode ex praecedenti *pulsus regno* intelligi.

Regnum accepit, et amicitiam cum populo Romano per legatos renovavit] Ita Gronov. anno 1665. edidit, adsentientibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani, nisi quod praepositio *cum* desit in Berg. Reliqui vetuſtiores typis descripti *accepit regnum, et amicitiam per legatos cum populo Romano renovavit*: quomodo etiam fuiſſe videtur in Leid. et Voſſ. Eumdem ordinem reduxerunt Cleric. et Crevier.

Adversus Ligures, Corsos, et Lusitanos] *et Corsos, et Lusitanos* Leid. Berg. et Lov. 2. quod recepi. Auctori enim familiaris-

tuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romae obses fuerat, clam, quia non dimittebatur a Romanis, interemit; et ipse in regnum receptus. L. Aemilio Paullo, qui Persen vicerat, mortuo, tanta ejus abstinentia fuit, ut, quum ex Hi-

simum est, ut hoc modo copulam *et* repetat. Supra Epit. 4. *Res praeterea gestas adversus Volscos, et Fidenates, et Faliscos continet.* ubi quaedam vide, ut et ad Ep. 9. et 13. Insuper Epit. 38. *Gallograecos Tolistobojos, et Tectosagos, et Trocmos vicit.* Epit. 48. *Vaccaeos, et Cantabros, et alias incognitas adhuc nationes subegit.* Epit. 59. *Caputque ejus, et manus, et pedes matri misit.* Ibid. *Seditiones a triumviris Fulvio Flacco, et C. Graccho, et C. Papirio Carbone agro dividendo creatis excitatae.* Epit. 80. *Marius Antium, et Ariciam, et Lanuviam colonias devastavit.* Epit. 96. *Sertorius a M? Antonio et M. Perperna, et aliis conjuratis in convivio interfectus est.* Epit. 99. *Gnosson, et Lyctum, et Cydoniam, et alias plurimas civitates expugnavit.* Epit. 102. *Cum Lentulo praetore, et Cethego, et pluribus aliis conjuravit.* Epit. 120. *Tresviri reipublicae constituendae per quinquennium essent ipse, et Lepidus, et Antonius.* Epit. 131. *Iapydas, et Dalmatas, et Pannonios subegit.*

Cum Lysia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat] *tutore ejus* ex vet. lib. et Appiano in Syriaco [pag. 117.] SIG. Duo scripti *cum Lysia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romae obses fuerat.* J. FR. GRON. Vocem *ejus*, a Sigonio demum receptam, ignorant etiam Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et Hearnii Norv. quam Cleric. et Crevier. iterum ex contextu ejecerunt. Deinde *qui Romae obses fuerat* Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Clam, quia minime dimittebatur a Romanis] Vet. lib. *quia non dimittebatur.* SIGON. Post haec verba excidit vox *elapsus.* Quod vero Sigonius *non dimittebatur*, nostri scripti confirmant. Historia est apud Polyb. [Exc. Legat. num. 114.] 3. FR. GRON. *non dimittebatur* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Perperam alteri lectioni adhaeret Hearnii Norv. Passim in his Epitomis editores *minime* dediſſe, ubi plerique codd. *non* praeferunt, videbimus ad Epit. 49. Mox *in regno receptus* Boend. et ed. Campani.

L Aemilius Paullus, qui Perseum vicerat, mortuus; cujus tanta abstinentia fuit] Scripti *Persen.* J. FR. GRON. *Persen* etiam scripti nostri, et ed. Campani. Vide ad 42, 25, 2. Praeterea *L. Aemilio Paullo* etc. *mortuo, cujus tanta* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Hearnii Norv. et priscae edd. quarum Aldina locum asterisco notavit. Frobenius deinde anno 1531. eam lectionem excudit, quae postea vulgo exstitit. Sed Leid. praefert *L. Ae-*

spania et ex Macedonia inmensas opes retulisset, vix ex auctione ejus redactum sit, unde uxori ejus dos solveretur. Pomptinae paludes a Cornelio Cethego

milio Paullo etc. *mortuo, tanta ejus abstinentia fuit;* quod positum est pro *L. Aemilii Paulli mortui tanta abstinentia fuit.* Vide ad Epit. 68. Hanc igitur lectionem, codicis unius fide nisam, incertae auctoritatis conjecturae praetuli.

Ex Hispania et Macedonia] Hujus loci argumento quoque nituntur viri Eruditissimi, qui Aemilium Paullum ter triumphasse contendunt. Sed operae est legi, quae adversus sententiam illorum disputat Perizon. Animadv. Histor. cap. 6. p. 211. DUKER. Adde Perizonii ad Morellii Quaestiones epistolicas de nummis Consularibus responsionem, ejus dissertationi de Aere Gravi subjectam pag. 132. 156. et 229. Ceterum *et ex Macedonia* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. quod recepi. Multis aliis locis in Mstis auctoris hujus praepositiones repetuntur, quas editores vulgo ejecerunt. Vide ad Epit. 52. 93. 115 et 139. Id autem huic scriptori adhaesisse videtur ex diligenti Livii lectione; quem ita loqui solitum fuisse, vidimus ad 6, 28, 6.

Maximas opes retulisset, vix ex auctione bonorum ejus redactum sit, unde dos uxori ejus redderetur] Quatuor membranae *immensas opes et spolia retulisset, vix ex auctione ejus redactum sit, unde uxori ejus dos solveretur.* J. FR. GRON. Vide Polyb. Exc. Peiresc. pag. 146. et Diod pag. 326. etiam Plutarch. in vita Paulli. DUKER. *immensas opes* etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei, quorum nullus voces *et spolia*, quas Gronovius in Mstis suis invenit, et Clericus in contextum recepit, agnoscit. Tum *ex auctione ejus* omnes iidem codd. cum Boend. et ed. Campani. Insuper *unde uxori ejus dos redderetur* Boend. et ed. Camp. *unde uxori ejus dos solveretur* Berg. et Lov. 2. *unde dos uxori ejus solveretur* Exc. Pithoei. *unde dos uxori ejus persolveretur* Leid.

Pomptinae paludes a Cornelio Cethego consule, cui ea provincia evenerat] Gruchius cap. 43. Refut. ad poster. Disput. Sigonii ita scribit, ut qui existimaverit, hoc anno paludes Pomptinas siccandas provinciam consularem fuisse. Hoc nequaquam verosimile, et a ratione hujus temporis alienum est. Pighius A. V. DXCIII. putat, alteri consulum Galliam et Ligures, alteri Italiam provincias decretas fuisse, et illam Anicio, hanc Cethego evenisse, eumque, quum in Italia materiam belli non haberet, e paludibus Pomptinis agros fecisse. Quod de provinciis dicit, mihi non probabile videtur. Nam quum Livius ante A. V. DLXXXVI. in quo desinit lib. 45. saepe tradat, consulibus Galliam et Ligures provincias decretas, et has, non Galliam et Ligures alteri, Italiam alteri, etiam post hunc annum, consulibus provincias fuisse, ex Epitomis Livii et aliis scriptoribus ipse Pighius colligat, non magna ratio est, cur credamus, hoc anno alterum consulem Italiam, alterum Galliam et Ligures provinciam habuisse. Sed quamcumque demum Cethegus habuit, non potuit manu militari Pomptinas paludes, quae in Volscis, non in provincia Italia, erant, siccare, nisi extra ordinem dato eas sic-

consule, cui ea provincia evenerat, siccatae, agerque ex iis factus.

candi negotio. De Pomptinis paludibus multa habet Cluverius 3. Ital. Ant. 7, 1003. et seq. DUK. *Pontinae paludes* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Norvic. et edd. principes. Male. V. supra ad 2, 34, 4. et Viros doctos ad Suet. Caes. 44. Tum *provincia obvenerat* Leid. Utrumque Livio in usu fuit. Vide ad 5, 12, 6. et 9, 31, 1. Mox *aegerque* edd. Mediol. anni 1480. Tarvis. utraque, et plures aliae; pro quo Mediol. anni 1505. Ascens. 1510. et hinc reliquae dederunt, quod non tantum edd. principes, sed et scripti noſtri conſtanter servant. Insuper *factus est*, addita ultima voce, Berg.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XI.

IN LOCUM LIBRI XLVI. T. LIVII.

U. c. 586. A. C. 166. M. Claudio, C. Sulpicio Coss.

I. Afflicta Macedonum regia, totque nobiles provinciae imperio adjectae, quum potentiam Romanam omnibus jam regibus nationibusque formidabilem effeciſſent; nullum ferme regnum, nulla respublica fuit, quin mittendis Romam legatis victori gentium populo adularetur. Acuerat praeterea diligentiam quorumdam non injuſtus terror, ne poenae reposcerentur parum ex fide cultae societatis. Iſta maxime cauſſa movit Eumenem Asiae regem, ut in Italiam navigaret. Comperto regis consilio dubitavere Patres, quonam modo excipi venientem verum eſſet. Quippe quum proximo bello Macedonico, neque satis pro amico, neque pro hoſte se geſſiſſet; haerebant, ne aut repulsus condemnari iſto crimine, aut admiſſus liberari videretur. Nam et absolvere pigebat haudquaquam illibatae fidei virum: et pudebat bello petere, quem ipsi paulo ante principem amicorum, ut aliis ad colendam amicitiam Romanam exemplum eſſet, opibus et honoribus ambitiose auxerant.

Eumenes in Italiam navigat.

II. Tandem ea via placuit, qua animi viresque regis frangerentur, nec in illum tamen nominatim aliquid conſtitueretur. Igitur in commune lata lex eſt, ne cui regi Romam venire liceret. Ejus exemplum miſſus a senatu quaeſtor Eumeni, qui jam Brundisium appulerat, attulit: simul denunciato, *ſi quid ei a populo Romano opus eſſet, uti ederet; quod ſi nihil eſſet opus, quamprimum excederet Italia.* Breve responsum Eumenis fuit, et quale in animo regio metus et ira pepererant, *nulla ſibi re opus eſſe.* Submoto sic Eumene, senatus aliarum gentium civitatumque legatis operam dedit,

Excedere Italia jubetur.

Cap. I. Polyb. legat. 97. Liv. Epit. 46. Polyb. Cap. II. Liv. Epit. Polyb. Diodor. apud Fulv. Ursin.

qui gratulandi cauſſa cum muneribus venerant. Ii perhumaniter auditi dimiſſique sunt, impetratis ferme, quae poſtulaverant. U. c. 586. A. C. 166.

III. Sed Atheniensium legatio, neque moribus civitatis, ad quam mittebatur, neque famae ejus, quae mittebat, satis convenire visa eſt. Pro Haliartiis, quorum urbem C. Lucretius praetor bello Persei deleverat, nequidquam deprecata; prolatis aliis mandatis repente vertit sermonem, et agros miserorum, quos precibus suis juvare inſtituerant, populo Atheniensi petiverunt. Minore indignatione acceptum eſt, quod Delum et Lemnum insulas reſtitui sibi poſtulavere: nam eas et olim obtinuerant. Itaque tunc quoque reddi senatus juſſit. *Athenienſium legatio.*

IV. Sub idem tempus Theaetetus Rhodiorum legatus apud Patres verba de societate fecit. Sed quum res in curia traheretur, ille moerore et annis oppressus, erat enim octogenario major, diem suum obiit. Supervenere deinde Cauniorum et Stratonicensium exsules, urbesque suas, contra quam senatui placuiſſet, Rhodiorum praesidiis teneri queſti, novum impetravere senatusconsultum, quo urbibus iſtis excedere Rhodii jubebantur. Erant adhuc in urbe Philophron et Aſtymedes: quos quum cepiſſet metus, ne civitatis suae contumacia Romanorum iram asperaret, validiores parendi auctores futuri, si coetibus publicis intereſſent, continuo in patriam sunt profecti. Movit repraesentatio discriminis Rhodios, ut non modo ſtatim deducenda curarent praesidia; sed etiam legationem decernerent Romam, quae de societate conjungenda omni ope contenderet. Ariſtoteles legationis ejus caput erat. Is quum adulta jam aeſtate in urbem perveniſſet, obsequium Rhodiorum et promptam ad parendum etiam duris imperiis voluntatem exposuit. deinde de societate ineunda multa verba fecit, vario sermone usus ad expugnandos iratorum animos. At Patres ad extremum, amicitiae neutram in partem facta mentione, responderunt, *ut ſocietas in praeſentia Rhodiis daretur, ex dignitate populi Romani non videri.* Ludos interea Megalenses M. Fulvius, M. Acilius Glabrio aediles curules ediderunt. *Rhodiorum legatio.* *Eorundem alia legatio.*

Cap. III. Polyb. legat. 98. Velleſus 1, 4. Cap. IV. Polyb. legat. 99. Polyb. legat. 100. Tit. And. Ter.

U. c. 586. A. C. 166.

V. Consulibus, nullo usquam majore bello, Inalpini Galli et Ligures provinciae fuere. ex utraque gente triumphatum: quum Claudius Marcellus Gallos, C. Sulpicius Ligures subegisset. Consularibus deinde comitiis tanta candidatorum ambitio fuit, ut convocato in Capitolium senatu opus esset. Eo se milvus avis intulit, raptamque de cella Jovis mustelam in medium consessum misit. Id prodigium solitis sacrificiis et lustratione urbis procuratum est. Plura mox sequens annus attulit, quum T. Manlius A. F. T. N. Torquatus, Cn. Octavius Cn. F. Cn. N. consulatum inivissent. Nam et pestilentia sic in urbe laboratum est, ut ex Sibyllinis libris populus circum compita et sacella operatus sederit. Et in aede Penatium noctu sua sponte fores patuerunt. lupi quoque in Esquiliis et colle Quirinali media luce conspecti, persequentibus eos, qui viderant, fugerunt. Urbe iterum lustrata, domi forisque tranquillae res fuerunt. Ludis Magnis pugilum et funambulorum spectacula in scenam Sex. Julius Caesar, Cn. Cornelius Dolabella aediles curules introduxere.

Consulavium comitiorum ambitio.

Prodigia.

U. c. 587. A. C. 165. T. Manlio, Cn. Octavio Coss.

VI. Hic quoque annus memorabilior legationibus, quam rebus bello gestis fuit. Venere Gallograecorum in urbem legati, magna spe, fore ut suspectus Eumenes, et tantum non pro hoste habitus gratiorem apud Romanos petitionem suam faceret. Bellum enim habebant cum Eumene, praeter solita hostibus, peculiari quadam feritate gentis exitiabile, quod ex captivis aetate et forma praecipuum quemque victimarum in morem ornatos Diis suis immolaverant; cetera omni turba, quamquam multi olim noti amicique in ea essent, telis obruta. Concessum his est ab senatu, ut legibus suis uterentur: jussi tamen sunt domi se continere, neque cum armis fines suos egredi.

Gallograecorum legatio.

VII. Haud aeque propitiis auribus, licet justiore in desiderio, Achaeorum est audita legatio. Populus iste unus ea tempestate per Graeciam erat, cui ad res novandas neque animus, si ferret occasio, neque vires deesse viderentur. Igitur has accidere quaerentibus Callicrates et Andronidas aperuere viam, plerosque primores Achaeorum, quasi cum Perseo sensissent, crimina-

Achaeorum legatio.

Cap. V. Jul. Obseq. Fasti Capit. Liv. Epit. 46. Jul. Obseq. Jul. Obseq. Prolog. Hec. Ter. Cap. VI. Polyb. legat. 102. Justin. 38, 6. Polyb. legat. 97. Diodor. apud Vales. Polyb. legat. 102. Cap. VII. Justin. 34, 1. Polyb. apud Vales.

ti. Ex quibus Xenon, qui et ipse per ea tempora exercitum duxerat, quum innocentiae conscientia exclamasset, *se vel in ipso senatu caussam suam defensurum esse*, dedit occasionem legato Romano, qui tum aderat, ut mitti Romam omnes, qui ab accusatoribus nominati fuerant, imperaret. Duris et insolentibus mandatis (neque enim aut Philippus olim, aut filius ejus Alexander, quum rerum potirentur, tam acerba jusserant) Achaei deteriorum metu paruere. missis in urbem principibus gentis, et quotquot aliorum per tempora Macedonici belli in imperiis aut curationibus alicujus momenti fuerant, circiter mille. Hos Romani, tamquam a suis judicatos, circum municipia coloniasque Italiae custodiendos dimiserunt. Ergo repetitis legationibus, *ut caussa civium suorum cognosceretur, aut, si credere innocentes senatus, quam reperire, mallet, patriae rederentur*, Achaei orabant. U. c. 587. A. C. 165.

VIII. Quod ubi frustra fiebat, vacuique in Peloponnesum legati revertebantur, tanta omnium indignatio in Callicratem et ceteros ejusdem sectae exarsit, ut non jam secretis odiis, sed plane confessa simultate, ab omnibus incesserentur, eousque, ut etiam a pueris e schola redeuntibus palam *proditores* appellarentur: neque in sacris Graecorum conventibus quisquam eorum cum laude mentionem facere posset, quin sibilis et tumultu vix credendo exciperetur. Estque tradita res non indigna memoratu, aliquando Sicyone quum inter Antigoniorum solennia balneis publice instructis Callicrates et Andronidas usi fuissent, neminem in eadem solia postmodum voluisse descendere, nisi prius, emissa priore aqua omni, novaque infusa, veluti expiata et lustrata viderentur. Sed Achaei, quum aliud auxilium praeterquam in precibus nullum esset, et harum vim maxime in perseverando positam crederent, denuo legationem decernunt, quam Eureas et cum Anaxidamo Satyrus obierunt. *Eorum odium in Callicratem et alios Romanae factionis.*

IX. Ii sub idem ferme tempus venere Romam, quo inter complures minorum gentium legatos a Rhodiis Astymedes, et a rege Prusia Python quidam accesserat. Hic, introductus in senatum, Eumenis accusationem orsus est, *cujus incursionibus fines Bithyniae vasta-*

Cap. VII. Pausan. l. 7. Cap. VIII. Polyb. legat. 103. Polyb. apud Vales. Polyb. legat. 104. Cap. IX. Liv. Epit. Polyb.

U. c. 587. A. C. 165. *Prusiae legatio Eumenem accusat.*

rentur, oppidis etiam aliquot ereptis occupatisque. neque aliud magnopere Prusiam Eumeni displicere, quam quod amicitiam Romanorum cum fide retineret. idque ex eo intelligi posse, quod cum Antiocho Syriae rege de bello Romano agitaret consilia: neque senatusconsultis haberet honorem, sed contra haec vexaret Gallograeciam, omnesque in universum socios clientesque Romanorum: res autem suas, ubivis confirmando qui suae factionis essent, stabiliret. Non spernenda res senatui visa: ne tamen adhuc nudarent consilia, sufficere creditum, si favore suo Gallograecorum sustinerent animos, illorumque libertatem, quantum citra manifestam Eumenis injuriam fieri posset, tutarentur.

Rhodii legati oratio.

X. Post hos Astymedes Rhodius iteravit civitatis suae preces: *satis eam magnas superbiae temeritatisque poenas luisse: quin et graviora delictis pertulisse supplicia. Nam et Lycia Cariaque decedere coacti sumus, quas regiones non sine maximis sumptibus, triumque bellorum laboribus et periculis, civitas nostra quaesiverat. Nunc igitur vectigalibus istarum tributisque caremus, unde nobis egregii nuper fructus, et opum publicarum accessiones magnae certaeque fuere. Quamquam de Lycia Cariaque, si quis infensius urgeat, forte minus licitum sit queri. Quod enim vestro munere possederamus, videri potest non inique nobis ademptum esse, offensionibus obortis, et civium nostrorum vecordia suspiciones et iram vestram provocante. Sed Caunum certe, ducentis talentis a Ptolemaeo, sed Stratoniceam ab Antiocho et Seleuco in magni beneficii loco accepimus: unde nobis annuus proventus centum viginti talentorum uno decreto vestro periit: cui quidem obedire, quamquam maximo cum reipublicae nostrae detrimento conjuncta res erat, non distulimus. Quibus ex rebus effectum est, ut majores poenas Rhodii dederimus semel dubii amici, quam semper certi hostes Macedones: ut jam alias taceamus gentes, ne cui incolumitatem suam invidere potius, quam velificari nostrae, videamur.*

Res Rhodiorum uccisae.

XI. *Et tamen praecipuum civitatis nostrae vulnus nondum attigi, quod exemptione Deli, demptaque populo de portu et publicis statuendi potestate, portorium, hoc est, Rhodiae rei fundus et columen, sic interiit, ut, quod paullo ante quadragies H-S locari consueverat, hodie vix in sexcenta millia nummûm inveniat redemptorem: adeo, Patres conscripti, jugulum premit ira vestra, et ipsos quasi nervos incidit civitatis. Quod si meritos haec urgeret calamitas, non foret absonum, publico delicta consilio, publicis quoque miseriis expiari: nunc autem, quando et paucorum iste furor fuit, et reorum omnium supplicis a populo Rhodio expiatus; relinquitur, ut, remotis a sen-*

Rhodii publice innoxii.

ſu malorum ſontibus, indignatio veſtra tantummodo adverſus innocentes deſaeviat. Quod quia neque pro cetera manſuetudine veſtra, neque pro gloria ſaepius ignoſcendo, quam vindicando, quaeſita, facere videmini; certa me ſpes tenet, fore, ut aliquando miſericordiae, quam irae, meminiſſe malitis. U. c. 587. A. C. 165.

XII. *Ob amentiam paucorum iracundiam non injuſtam contra Rhodios concepiſtis. quanto aequius fuerit venia proſequi ſceleris innoxios, ob errorem ſupplices, et poenitentia ac obſequiis admiſſa correcturos? Amiſimus dignitatem, potentiam, vectigalia, etiam libertate, pro qua jam inde ab antiquiſſimis temporibus nihil non ſuſtinuimus, haud parum imminuta: et tamen ferimus iſta patimurque, modo ſic tandem ſatisfactum ſit irae veſtrae, Patres conſcripti, aerumnaeque Rhodiorum vel in hac fortuna finem inveniant. Id autem nullo pacto ſperare audemus, niſi, quod toties oravimus, in amicitiam ſocietatemque populi Romani recipiamur. Olim invidioſa et ſuſpecta multis potuit haec eſſe poſtulatio, ne ad ſpes nimias praeſcriptione veſtrae ſocietatis abuti cogitaremus: nunc ad eam, velut ad aſylum, confugimus, nec ut aliis timori ſimus, ſed ut timere ipſi deſinamus.* *In amicitiam societatemque recipi poſtulant.*

XIII. Huic orationi quum similis argumenti alia quaedam adjeciſſet, imagine humilitatis, in quam ex tanto faſtu subito deciderat clariſſima civitas, movit animos Patrum, ut societatem cum deprecantibus jungendam eſſe decernerent. Neque deerant, qui reniterentur, simulatam Rhodiorum poenitentiam arguentes: sed apud plures misericordia valuit, adjuta Ti. Gracchi teſtimonio, qui *senatusconsultis omnibus obtemperatum a Rhodiis fuiſſe* referebat, *condemnatosque publico judicio universos, qui populum a Romanis alienaverant.* Nam hujus Gracchi, A. Manlio A. F. T. N. Torquato, Q. Caſſio L. F. Q. N. Longino consulibus, celebris legatio per Asiam fuit, quam miſſus ab senatu ad res sociorum inspiciundas obiverat. Cauſſa mittendi maxime fuit, ut coram cognosceret, quid Antiochus et Eumenes animi consiliique invicem aut adversus populum Romanum haberent. Honorificentiſſime ab utroque rege exceptum ferunt, nullo conspirationis inter eos certo indicio, benevolum ipsis faventemque revertiſſe. *Ti. Gracchi legatio Asiatica.* U. c. 588. A. C. 164. A. Manlio, Q. Cassio Coſſ.

XIV. Acerrimi viri diligentiam Eumenes prudentia eluserat, qua nemine tum regum inferior fuit; vicinia potentiorum ad consilia sua sollicite tegenda tam *Is ut excetus ab Eumene et Antiocho.*

Cap. XIII. Liv. Epit. Polyb. Polyb. legat. 105. Cap. XIV. Polyb. apud Vales.

U. c. 588. A. C. 164. longa aetate exercitus. Antiocho loco sapientiae temeritas fuit, qua omnibus in negotiis usus, vix ullum animi sui certum firmumque vestigium sinebat animadverti. Quum enim alii reges potentiam divitiasque suas pari sollicitudine augerent tegerentque, gnari magnarum opum famam suspicionibus obnoxiam esse; hic quasi data opera produxit thesauros suos et ostentavit. Magnificentissimos enim ludos instruxit, ex universo fere terrarum orbe per ambitiosa praemia coactis artificibus: quo tempore quidquid regiae supellectilis, ceteraeque opulentiae fuerat reconditum, id omne publice spectandum proposuit. Vix peracta hac solennitate supervenit Ti. Gracchus, quem omni comitate ac liberalitate sic obruit, ut animum regis ob ereptam Aegyptum a populo Romano alienissimi nullo indicio posset deprehendere. Quum enim natura largitor animosus esset; tunc enim studio honoris cultusque omnia argumenta sic intendit, ut toto eo tempore aliis in aedibus diversaretur, quo vacuam legatis Romanis regiam relinqueret. Ea res, et quoniam paulo ante inter ludos animum usque ad pudendas ineptias effusissima hilaritate laxaverat, Romano facile persuasit, nihil in tali mente magnae seriaeque cogitationis agitari.

Achaeorum legatio irrita.

XV. Ceterum, ut ad institutum redeamus, non eadem humanitate, qua priores, Achaïci oratores excepti sunt ab senatu. Negabant illi, *principes Achaeorum, tamquam damnatos, sed uti caussam dicerent, missos Romam fuisse. rogare igitur nunc quoque, ut ita fiat, si Patribus videatur. Quod si isthoc nolint, at saltem remittant illos domum. Spondere concilium Achaïcum enixe daturum operam, ne judicium suum levius, quam pro cujusque merito, fuisse dicatur.* Nihil impetratum. literae quin etiam ad principes Graecarum civitatum, qui Romanae factionis erant, et in Achajam ad Callicratem missae; *Neque civitatibus publice, neque ipsis privatim profuturum videri, si homines isti suam quisque in patriam revertantur.* Hoc per Graeciam vulgato responso, passim metus erat et trepidatio, non eorum modo, qui Macedonum rebus studuerant, sed omnium, quibus erat patriae caritas externa dominatione potior. At Charopus, et Callicrates, et ceteri ejusdem consilii, quan-

Cap. XIV. Diodor. apud Vales. Polyb. legat. 101. Diodor. Joseph. 12, 11. Polyb. Diodor. Cap. XV. Polyb. legat. 105.

to humiliores videbant alios redigi, tanto ipsi majores spiritus sumebant. U. c. 588. A. C. 164.

XVI. Dum iſta diversis locis sic aguntur, Perseo, qui rerum iſtarum omnium cauſſa fuerat, dubium an voluntarius exitus calamitatis vitaeque finem attulit. Poſt L. Aemilii triumphum in carcerem Albanum conditus, et inde, eodem L. Aemilio senatusque principe M. Lepido adjuvante, exemptus, in libera cuſtodia biennium extraxit. tum vero, miserias certas, spem incertam reputans, inedia sibi conscivit necem. Quidam a cuſtodibus, quos forte offenderat, somno prohibitum exspiraſſe tradiderunt. Defunctum publico funere in honorem priſtinae fortunae senatus efferri juſſit, miſſo ad hoc quaeſtore Albam, ubi deceſſerat. Nec omittendum eſt in casu tanti modo regis aliud fortunae ludibrium, etiam ipsa, ut mihi videtur, captivitate ac morte miserabilius. Alexander, solus liberorum patri superſtes, fabriles artes didicit, quibus se toleraret: deinde scriptum fecit, operamque eam magiſtratibus Albanis locavit. *Perseus moritur.*

XVII. Hoc anno Romae census actus eſt, luſtrumque conditum. L. Aemilius Paullus, Q. Marcius Philippus condidere. Censa sunt civium capita trecenta triginta septem millia, quadringenta quinquaginta duo. Mitis ea censura fuit, moribusque et mansuetudini Paulli conveniens. tres tantum senatu moti, nemo ex insignibus. eadem in equitibus Romanis recensendis moderatio fuit. Principem senatus, quem et antecedentes quidam censores, legere M. Aemilium Lepidum. operum, quae locavere, quod mireris, splendidiora nesciuntur: memoratur horologium, quod diligentius ordinatum Q. Marcius in publico posuit, grato in populum Romanum munere, quia vetus, quod ibidem centesimum ferme ante annum M. Valerius Meſſalla ſtatuerat, ad horas Romanas parum conveniebat. Publicavit idem et Concordiae signum, quod deinceps in curia collocavit C. Caſſius. At L. Aemilius Minervam, Phidiae praeclarum opus, in aede Fortunae posuit. Hoc primum anno in Italiam ve- *Censura Paulli et Philippi.*

Cap. XVI. Diod. Eclog. l. 30. Plut. Aemil. Sall. Hiſt. 4. in Ep. Mithrid. Val. Max. 5, 1, 1. Plut. Zonaras. Marcellin. 14, 40. Cap. XVII. Oros. 4, 20. Liv. Epit. Faſt. Capit. Plut. Liv. 43, 15. Diod. Eclog. l. 31. Censorin. c. 19. Plin. 7, 60. Cic. pro domo, c. 50. Plin. 34, 8.

U. c. 589. A. C. 163. niſſe morbum, qui carbunculus appellatur, in annalibus annotatum eſt.

XVIII. Comitia deinde conſularia habente A. Manlio, nam collega ejus Q. Caſſius in magiſtratu deceſſerat, Ti. Sempronius P. F. Ti. N. Gracchus iterum, M? Juventius, T. F. T. N. Thalna facti sunt. Ii quum magiſtratum iniviſſent, Ti. Gracchus Galliam, M? Juventius Corsos provincias accepere. sed in urbe ludi Megalenses a L. Cornelio Lentulo, L. Valerio Flacco aedilibus curulibus acti sunt. In Corsis feliciter bellatum cauſſa fuiſſe putatur consuli, ut rariſſimo fati genere interiret. Quum enim sacrificanti forte literae senatus allatae eſſent, quae *ob res ab eo geſtas supplicationem decretam* nunciabant; eas attentiſſime legens ante foculum subito concidit, exſtinctus, ut putatur, gaudio, cujus in translatitia felicitate intemperiem anguſtus animus non ferebat.

Ti. Sempronio II. M? Juventio Coſſ.

Consul Juventius prae laetitia moritur.

XIX. Circum haec tempora, quum jam mirifice amplificata res Romana eſſet, motibus omnium ferme regnorum se permiscuit. quare deinceps domeſtica externaque geſta, sicuti cauſſis eventibusque sunt connexa, sic etiam narratione conjungentur. Prusias, numquam aequus Eumeni, et jam apud senatum criminationes adversus illum pronis auribus accipi doctus, non desinebat intendere suspiciones, etiam Gallograecis et Selgensibus aliisque per Asiam populis ad idem faciundum excitatis. Igitur Eumenes, quoniam ipse Roma excludebatur, fratres Attalum et Athenaeum misit, querelis omnium responsuros. Quod illi quum haud incommode perfeciſſe viderentur, magnis honoribus donisque affecti discessere. Neque tamen omnis cura deceſſit Patribus, numquam satis credito, conspirationis adversus populum Romanum cum Antiocho initae vanam delationem fuiſſe.

Prusias Eumenem criminatur.

XX. Placuit igitur C. Sulpicium Gallum, M. Sergium specie legationis ad consilia regum exploranda proficisci. Obtendebantur res Graeciae, paſſim interna discordia diſſidentis, et controversia Megalopolitanorum, qui cum Lacedaemoniis de agri parte disceptabant. In ea legatione C. Sulpicium multa in-

C. Sulpicii legatio in Graeciam et Asiam insolenter acta.

Cap. XVIII. Plin. 26, 1. Faſt. Capit. Titulus Heautontim. Terent. Val. Max. 9, 12. et Plin. 7, 53. Cap. XIX. Polyb. legat. 106. Diod. apud Fulv. Urſin. Polyb.

solenter feciſſe, Graeci scriptores arguunt. *Nam et cognitionem de finibus inter Argivos Spartanosque, Philippo quondam, qui Alexandrum genuit, disceptatam, ad Calliciratem impurum invisumque toti Graeciae hominem rejeciſſe: et Aetolis a Pleurone, qui sejungi a concilio Achaïco cupiebant, indulsiſſe, et suo nomine legatos Romam mitterent.* Sane senatui placebat imminui potentiam Achaeorum, spiritusque frangi. quapropter et Aetolis, quod petierunt, conceſſum eſt: et C. Sulpicius, occulto Patrum mandato morem gerens, alias quoque civitates, quae Achaïcae formulae erant, ab eo foedere diſſociare inſtituit. Neque minore deinceps acerbitate tractatus eſt Eumenes, quum idem ille C. Sulpicius in Asiam transjeciſſet. Per celeberrimas enim Asiae urbes edicta legatus proposuit, *ut, quibus de Eumene queri decretum eſſet, dicto die Sardis occurrerent.* Quo ubi veniſſet, posito apud gymnasium tribunali, decendium solidum audiendis adversus regem querelis vacavit: convicia in illum probraque tam avide suscipiens, ut invitare accusatores, et desiderio reum faciundi quidlibet in crimen trahere videretur: vanus ingenio, et ex claris inimicitiis conſtantis animi famam appetens. U. c. 589. A. C. 163.

XXI. Quum hic Asiaticarum rerum ſtatus eſſet, in Aegypto Ptolemaei fratres iterum aemulatione et discordiis exarsere. validior tum junioris factio Philometorem, cognomen id majori fuit, regno pulsum, ad petendam ab senatu opem Romam compulerat. Paucis comitatus servis, ex praesentis fortunae squalore pedes ad urbem faciebat iter; quum Demetrius Seleuci F. qui obses Syriae regum Romae haerebat, re cognita obviam profectus eſt, familiamque suam et cum diademate ac veſte regia equum eximie ornatum obtulit, ne, loci sui majeſtatem sordido cultu prodidiſſe visus, a Romanis despectui haberetur. At ille, Demetrii comitate prolixe laudata, illorum accepit nihil: rogavitque Demetrium, ut, alicubi subsiſtens in via, se, quo inſtituiſſet modo, ingredi urbem pateretur. Id sive misericordiae movendae cauſſa fecerit, sive metu, ne, tanto cum faſtu accedens, legem, qua reges urbis aditu prohibebantur, adversam haberet, parum mihi compertum eſt. *Aegyptiorum regum discordia.*

Cap. XX. Pausan. l. 7. l. 2. l. 7. Polyb. apud Vales. Cap. XXI. Liv. Epit. Trogi Pomp. Prol. 34. Val. Max. 5, 1. 1. Diod. apud Vales.

U. c. 589. A. C. 163. *Ptolemaeus Philometor in urbem venit.*

XXII. Ceterum, tacite ingressus urbem, in hospitium pictoris cujusdam Alexandrini se contulit. Quod ubi rescivere Patres, advocatum humanissime sunt alloquuti, excusaruntque diligenter, *quod ei quaestorem non misissent obviam, neque publicum hospitium praebuissent: id enim non sua negligentia, sed ipsius improviso adventu commissum esse. ceterum posse illum senatus adeundi diem petere, et ab eo, quidquid amicis sociisque regibus tribui par esset, exspectare.* Statim deinde e curia deductus est in publicam domum, decretaque pecunia quaestori, ex qua ei quotidie munera mitteret. Sic erectus ad spem pristinae fortunae, non deteriorem his initiis eventum habuit. Missi enim deinde ab senatu legati, concordiam inter fratres, et pulso reditum confecerunt.

Ariarathes patri succedit in Cappadociae regno.

XXIII. Inter haec mortuum Cappadociae regem Ariarathen cognominis patri filius excepit. Qui statim inter initia regni legatos in urbem ad amicitiam cum populo Romano renovandam misit, maxima cum demonstratione benevolentiae studiorumque. Neque fides orationi defuit, quod Ti. Gracchus, *quo tempore legationem Asiaticam obiverit, quum hujus, tum defuncti regis animum abunde inspexisse* testabatur. Sed etiam postea M. Junium, qui ad bellum inter eos reges et Gallograecos componendum venerat, perhonorifice habuerant. Neque minoribus officiis coluerant Cn. Octavium et Sp. Lucretium, post paulo ab urbe missos. Nam et cetera omnia prompte copioseque praestiterant: et, quum in Syriam ituros comperissent, suas regnique vires obtulerunt, si iis ad res Syriae constituendas eguissent. Pertinere enim magnopere ad se negotia Syriae judicabant, non magis ob terrarum, quam ob sanguinis conjunctionem: quia senior Ariarathes filium istum ex Antiochide susceperat, Magni Antiochi nata. Sed recusaverunt id auxilium legati, majestate nominis Romani tutos se rati fore: quod longe secus evenit. Nam apud tranquillos et modestos auctoritas ac reverentia plurimum valet: ubi turbari res coepere, adversus improbitatem armatam debile munimentum pudor est.

Syria turbata.

XXIV. Quibus autem initiis concuti regiones istae coeperint, operae pretium est exponere. Puerum Antiochum pater Epiphanes Philippo cuidam amico-

Cap. XXII. Val. Max. Liv. Epit. Cap. XXIII. Diod. 31, 3. Polyb. leg. 109. Polyb. leg. 108. Diodor. Polyb. Cap. XXIV. Machab. 1, 6.

rum commendaverat, expeditionis Elymaïcae comiti. Sed, audita morte regis, Lysias, qui relictus in custodia regni fuerat, tutelam pueri novennis occupavit. Quod ubi Romae Demetrius comperit, adito senatu ostendit, *patris Seleuci nomine obsidem se in urbem venisse: sub Antiochi deinde regno, magis quia per aetatem jus suum nesciverit, quam legitima ex caussa, eadem in conditione permansisse: nunc, etiam hoc exstincto, se obligatione omni liberatum videri, aequumque putare dimitti ab senatu, atque etiam in regno recuperando adjuvari. Non enim modo jure potior sum*, inquit, *Antiochi filio, cujus pater aetatem et absentiam meam occasionem suam ratus est; sed non minus etiam favori vestro confido. Puer in hanc urbem veni: nunc tertio et vicesimo aetatis anno, tanto tempore inter vos educatus, civis potius vester, quam externus, videri debeo. Vos ego patres mihi, vestros liberos, aequales meos, fratres esse reor: neque alia aut vos reverentia, aut illos caritate amplector.* U. c. 589. A. C. 163.

XXV. Non erat equidem vel injusta Demetrii causa, vel ingrata oratio. Sed vicit utilitas, ut potius immaturum puerum, quam aetate florenti adolescentem opulentissimo regno praeesse vellent. Itaque non retentus modo ille, sed etiam paulo post tres legati Cn. Octavius, Sp. Lucretius, L. Aurelius delecti, qui in Syriam proficiscerentur, ex voluntate senatus regnum ordinaturi. Facile passuros hoc Syros rebantur, rege per aetatem invalido, et tutoribus satis habituris, si, Demetrio Romae retento, ipsi in administratione rerum relinquerentur. Neque species honesti consilio aberat: *cura socii et amici regni* praetendebatur, *ne quietem ejus mors regis et ex ea timendi tumultus turbarent: maxime quum procurationem regni Lysias invasisset; jus ex mandato morientis regis, cum reliquiis exercitus rediens, Philippus vindicaret.* *Romani puerum Syris praeesse, quam adolescentem, maluit.*

XXVI. Ceterum occasio nata videbatur ad opes regni minuendas, mandataque in hoc legati acceperant, et nominatim, *ut naves tectas incenderent, elephantos occiderent, quae contra foederis leges habere Antiochus dicebatur.* Iisdem etiam commissa Macedoniae pacandae cura, quam ex regio imperio insolita libertas, et pu- *Regnorum opes minuere studunt.*

Cap. XXIV. Joseph. 12, 14. Hieron. in Daniel. c. 11. Joseph. Appian. Syr. Polyb. leg. 107. Just. 34, 3. Zonar. Polyb. Appian. Polyb. Cap. XXV. Justin. Appian. Polyb. Zonaras. Machab. 1, 6. Joseph. 12, 14. Cap. XXVI. Polyb. Cic. Phil. 9, 2. Polyb.

U. c. 589. A. C. 163. blicorum conciliorum nondum bene composita forma in seditiones egerat. *Gallograecos etiam et Cappadociae regnum diligenter inspicere* jussi sunt: et jam digressis advenere literae, quibus negotium dabatur, *ut ad conciliandos Aegypti reges nihil laboris industriaeque praetermitterent.*

De comitiis consularibus altercatio.

XXVII. Interea Ti. Gracchus consul, subacta Cammanorum gente, Romam ad triumphum regressus, comitia consularia in annum sequentem habuit: quibus P. Cornelius P. F. Cn. N. Scipio Nasica, C. Marcius C. F. Q. N. Figulus designati. Notabilis tum res accidisse traditur. inter creandos consules, quum primus rogatorum eos retulisset, illico exspiravit, neque segnius peracta sunt comitia. Id in omen versum sermonibusque populi agitatum est, timentis, ne quid in religiones peccatum esset, publicis malis expiandum. Gracchus rem ad senatum retulit: senatus consulendos censuit aruspices. Hi ubi, *rogatorem comitiorum non fuisse justum*, responderunt, incensus ira Gracchus, *Itane*, inquit, *ego non justus, qui et consul rogavi, et augur, et auspicato: vos justi comitiorum Romanique juris interpretes, Tusci homines, et barbari?* Sic in praesentia nihil mutatum. Consul, peractis comitiis, in Corsos profectus videtur, ut morte collegae tumultuantes coërceret: inde, forte quod ibi quoque novarum rerum semina erant, in Sardiniam transjecisse. Neque enim de gestis hujus et proximorum annorum certa satis memoria supersit: sed leviter annotatum, circum haec tempora contra Ligures, Corsos, et Lusitanos vario successu bellatum esse.

U. c. 590. A. C. 162. P. Cornelio, C. Marcio Coss.

XXVIII. Jam Scipio Figulusque non magistratum inierant modo, sed etiam in provincias fuerant profecti, quum Ti. Gracchi literas ad senatum augures detulere, ad collegium suum ex Sardinia missas, quibus significabat, *comitiis consularibus, quum ad auspicium repetendum urbe in Campum rediisset, eodem se tabernaculo, quo antea de coelo servaverat, usum: id jam libros augurales legenti apparere rectum non fuisse: eamque rem, licet cum suo pudore conjuncta esset, quia pertinere ad religiones populi Romani videretur, perscribere voluisse.* Tanta res senatui visa,

Cap. XXVII. Polyb. leg. 106. Cic. de Nat. Deor. 2, 4. Liv. Epit. Cap. XXVIII. Val. Max. 1, 1. Plut. Marcello. Cic. ad Q. Fratr. 2, 2. et de Nat. Deor. 2, 4.

visa, ut a praetore urbano literas ad consules scribendas censeret, quibus certiores de eo negotio fierent, provinciisque decedere juberentur. Atque illi vitio creatos rati, et antiquiorem reipublicae, quam suae dignitatis, curam esse oportere, Scipio e Corsica, Figulus e Gallia maturato reditu, magistratum abdicarunt. Nam et ingenio probo modestoque erant, (Scipio etiam sapientiae fama celebris) et recordabantur, quale C. Flaminius, in causa simili senatus auctoritate spreta, certamen cum Patribus, et postremo fatum habuisset. Per interregem deinde suffecti consules. P. Cornelius L. F. L. N. Lentulus, Cn. Domitius L. F. Cn. N. Ahenobarbus fuerunt. U. c. 590. A. C. 162. *Coss. abdicant.*

XXIX. Quum inter haec in Syriam legati ab senatu perveniissent, et multa passim a regibus contra foedus facta arguerent, mutarentque; in odium gentis, atque ex odio in periculum inciderunt. Maxime movebant naves pulcherrimae, sumptuque ingenti fabricatae, quas incendi Cn. Octavius jusserat: etiam elephantorum incendebat miseratio, quod egregiae belluae raraeque possessionis, domitae insuper mansuetaeque, nulla, ut putabant, de causa concidebantur. Itaque non difficulter inducti Syri, gens laeta seditionibus, ut Romanos ejicerent, Cn. Octavium etiam interficerent, cui Laodiceae, dum in gymnasio ungitur, Leptines quidam manus attulit. Lysias, ad dissimulandam facinoris, cujus ipse praecipuus auctor ferebatur, conscientiam, et Octavium magnifico funere extulit, et ad purgandum crimen nomine regis legatos e vestigio misit Romam. Ii quum multis verbis, *nihil publico consilio gestum esse*, contendissent, sine responso dimissi sunt. Cn. Octavio, *quod pro republica mortem oppetisse videretur*, statuam in Rostris, loco celeberrimo, senatus decrevit. *Cn. Octavius legatus Rom. in Syria interficitur.*

XXX. Nec Romani tantum succensebant Syris, sed in exterorum quoque mentibus immanitas rei conciverat indignationem. Inter quos praecipuus Ariarathes Cappadox, praeter insitum virtutis amorem, studiumque in populum Romanum, etiam amicitia privata movebatur, quam cum Octavio in regia sua contraxerat. Quia tamen, legatis ad puerum Antiochum *Ariarathis laudes.*

Cap. XXVIII. Val. Max. Auctor de viris illustr. c. 44. Fasti Capit. Cap. XXIX. Appian. Syr. Zonaras. Jul. Obseq. Appian. Zonaras. Polyb. leg. 114. Cic. Phil. 9, 2. Cap. XXX. Plin. 34, 6. Diod. l. 31. Polyb. leg. 108. et 112.

U. c. 590. A. C. 162. missis, matris suae sororisque reliquias repetebat, alieno tempore Lysiam offendere timens, earum rerum mentionem a suis fieri vetuit. Ceterum haud obscurum ejus judicium erat, quum populi Romani amicitiam plurimi faceret: ita quidem, ut sub idem fere tempus reversis, quos Romam miserat, legatis, promptamque Patrum erga regem voluntatem referentibus, honorem habuerit Diis, sacrificioque magno peracto, cum ducibus suis hilariter fuerit epulatus.

XXXI. Dum haec in istis locis fiunt, alibi quoque parum tranquillae res fuerunt. Calyndenses obsidione Cauniorum, a quibus defecerant, pressi, a Cnidiis auxilio impetrato, aliquamdiu restiterunt: deinde, timentes de exitu belli, ni majoribus opibus defenderentur, Rhodios imploravere, se suaque dedere polliciti. Rhodii receperant quidem parumper ex priori consternatione animos: sed tamen iram senatus verebantur, si inconsulto eo quidquam majoris negotii aggrederentur. Adlegatis igitur Cleagora et Lygdami petiverunt, *ut sibi recipere Calyndenses liceret; utique possessiones, quas in Caria Lyciaque privatim Rhodii haberent, eodem essent jure, quo ante fuissent.* Donum praeterea decreverant in aede Minervae, colossum cubitorum triginta, populo Romano ponere. Cessitque res iis feliciter. nam et, subsidiis terra marique missis, Calyndensium oppidum hoste submoto receperunt: et Romae accepta facti ratio est, jusque novae ditionis auctoritate senatus stabilitum.

Ptolemaeus Physcon Romam venit.

XXXII. Major deinde res occasionem praebuit Patribus ex aliena discordia suam potentiam augendi. Quippe minor Ptolemaeus, cui Physcon cognomentum erat, Romam profectus, institutam cum fratre divisionem retractari orabat. *Neque enim se sponte adsensum, sed iniquitati temporum cessisse.* Petebat igitur, *ut Cyprus adjiceretur sorti suae, sic quoque fraternam non adaequaturae.* Contradicebat his Menithyllus Alabandensis, princeps legationis, quam ob id ipsum Ptolemaeus major miserat, ut senatum edoceret, *suo beneficio fratrem non modo Cyrenaïcum regnum, sed etiam vitam ipsam habere: quam citra ipsius operam, contracto tam acri omnium odio, tueri non potuisset. Praeterea religionibus, quae*

Cap. XXXI. Polyb. leg. 111. Polyb. leg. 110. Polyb. leg. 111. Cap. XXXII. Polyb. leg. 113. Polyb. leg. 114. Diodor. apud Vales. Polyb. leg. 113.

apud Aegyptios sanctissimae censeantur, mutuoque jurejurando firmata pacta violari non debere. Isthaec differentes etiam Canuleji et ceterorum, qui rebus omnibus interfuerant, testimonio juvabantur. At Patres, quibus potentissimi regni vires dividi opportunum videbatur, refellenti isthaec Physconi credere maluerunt: et, legatione, quae illi Cyprum a fratre impetraret, decreta, *T. Manlium Torquatum, Cn. Merulam proficisci jusserunt*, cum mandatis, *ut, conciliatis inter se fratribus, minori Ptolemaeo Cypri regnum citra vim et arma traderetur.* U. c. 590. A. C. 162.

XXXIII. Quum in eo statu res regnorum essent, Demetrius Seleuci F. ad Syriae recuperandum regnum apertam sibi occasionem judicabat, infensis Lysiae Romanis, et ob facinus contra gentium jura patratum totam istam aulam aversantibus. Igitur, Apollonio Apollonii F. consultore, (quippe Polybius, ingenio et usu excellenti praeditus, communi proverbio usus, *caveret bis ad eumdem lapidem impingere*, dissuaserat) senatum adire statuit, ut, *si regnare Patres Antiochum mallent, ipse saltem necessitate pro obside manendi solveretur. Nec enim jure se attineri, mortuo Epiphane, cujus in locum obses ipse factus esset.* *Demetrius ad Syriae recuperandum regnum se accingit.*

XXXIV. Haec quum ita nequidquam postulasset, (nihil enim acciderat, cur priorem sententiam senatus mutaret) ad alia consilia conversus, Diodorum ad se vocat, educatorem suum, qui nuper ex Syria Romam advenerat. Is, ut erat homo callidus, et qui praesentem regni statum accurate teneret, ostendit, *nulla re alia, praeterquam praesentia Demetrii, fore opus: ei, ubi conspectus primum esset, protinus omnes adhaesuros. Nam et Lysiam invisum popularibus, et populum Lysiae suspectum esse. Neque a Romanis timendum: numquam enim iis, quorum opera Cn. Octavium occisum esse crederent, auxilium laturos. Nihil igitur aliud in praesentia meditandum, nisi qua ratione fugae consilium solertissime nunc tegere, mox exsequi possit.* Adolescens, probata Diodori sententia, rem cum Polybio communicat: per hunc Menithyllus, Philometoris Aegyptii legatus, Demetrio conciliatur. Is, navem Punicam nactus, quae primitias Carthagine Tyrum ex veteri religione vehebat, quasi usurus ea ad reditum suum, palam cum nautis paciscitur: convenit de mercede; comparatur ac infertur commeatus; tempus profectionis constituitur. *Instigatur a Diodoro.*

Cap. XXXIII. Polyb. leg. 114. Appian. Syr. Polyb.

U. c. 590. A. C. 162. *Ex urbe profugit.*

XXXV. His ita praeparatis, praemittitur in Syriam Diodorus. Demetrius, in eam diem, qua erat abiturus, paucis domesticorum secum retentis, ceteram turbam praecedere Anagniam jubet; et cum canibus apparatuque venatico ad Circaeum sibi occurrere. nam ibi saepe antea venationi operam dare consueverat. Idem fit a ceteris, quos consilii participes, viaeque comites legerat: in quibus et Nicanor fuit, mox praecipuus amicorum. Ii cum singulis pueris ad navem, quae ad Ostiam stabat, sese conferunt. venit eodem Demetrius, reperitque Menithyllum, qui nautis obtentu novi a rege mandati excusat, quod ipse nequeat discedere: *ceterum se juvenes ipsos probatae fidei ad illum mittere.* Non interfuit nautarum, quos vectores tollerent, quandoquidem de mercede nihil ipsis decedebat. Itaque, prima luce sublatis ancoris, vela fecerunt, de comitibus suis, praeter id, quod a Menithyllo acceperant, nihil suspicati. Hac fraude quatriduum abiit, priusquam de fuga Demetrii dubitatum est.

XXXVI. Quinto demum die coactus ob eam rem senatus, quia multum itineris ille jam praeceperat, minime prosequendum esse censuit. Sed haud multo post tempore Ti. Gracchum, L. Lentulum, et Servilium Glauciam ad res Graeciae inspiciundas miserunt. iis mandatum, *ut ex Graecia in Asiam transjicientes, quum aliorum regum, tum praecipue Demetrii consilia specularentur.* Datum etiam negotium est, *ut regum cum Gallograecis controversias judicarent.* Praesertim Graccho injunctum, *ut his rebus omnibus praesens superesset.* M. deinde Valerius M. F. M. N. Messalla, C. Fannius C. F. C. N. Strabo consulatum acceperunt. In horum magistratu conviviorum luxui obviam itum: qui tum, ut rebus prosperis solenne est, in dies sumptuosiore intemperantia valescebat. Neque lex Orcia, quam vicesimo ante anno C. Orcius de senatus sententia in tribunatu tulerat, ruentes mores satis sustinebat, etiamsi servaretur: quia, numero tantum convivarum coërcito, ceteram epularum luxuriem sine freno reliquerat.

U. c. 591. A. C. 161. M. Valerio, C. Fannio Coss. *Conviviorum luxus.*

XXXVII. Crevit igitur, ut saepe fit, irritatum remedio malum, passimque jam in pauciores convivas major impensa, quam in plures antea, fiebat. Adeo-

Cap. XXXV. Joseph. 12, 17. Justin. 34, 3. Polyb. Cap. XXXVI. Fasti Capit. Macrob. Saturn. 2, 13.

que in publicum damnum et dedecus vesana ingluvies iverat, ut vulgo jam in Comitium ad consultationes de republica homines ebrii ventitarent: multique, bonis suis evoluti, per foedam et abominandam turpitudinem prostituto corpore quaererent, quod mox haud multo minore infamia per gulam erant perditurі. Quum igitur hanc intemperiem aegerrime ferret, quidquid in urbe sanum erat, consensu bonorum sumptuariae leges expeti coepere. Consulibus ea de re ad senatum referentibus, senatus in haec verba censuit: *uti principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, jurarent apud consules verbis conceptis, non amplius in singulas coenas sumptus esse facturos, quam centenos vicenosque aeris, praeter olus et far et vinum; neque vino alienigena, sed patrio, usuros; neque argenti in convivio plus pondo, quam libras centum, illaturos.* U. c. 591. A. C. 161. *Sumptuariae leges.*

XXXVIII. *Ferre deinde consules ad populum* placuit *de modo sumptuum, qui in unumquemque diem fierent.* ab altero consulum *Fannia lex* est appellata. Haec *ludis Romanis, item ludis plebejis, et Saturnalibus, et aliis quibusdam diebus centenos aeris insumi* concessit, *decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos: ceteris autem omnibus diebus non amplius denos. Invitari vero praeter domesticos convivas ceteris diebus ternos, nundinis quinos.* Eorum, qui legem suaserunt, C. Titii oratio exstat. qui, acriter invectus in vitia civitatis, *stare istam posse* negavit, *nisi illa tollerentur.* Ludos Megalenses Romanosque hoc anno L. Postumius Albinus, L. Cornelius Merula aediles curules fecerunt. *Lex Fannia.*

XXXIX. Ita constitutis domi rebus, nihil aeque, ac Syriaci motus, curam Patrum exercuit. Demetrius enim, postquam Lyciam fuga attigisset, scripserat senatui, *se ad poenas ob Octavii necem a Lysia repetendas in Syriam festinare: Antiocho, quem populus Romanus regem appellasset, nihil nociturum.* Neque segnius, quam ostenderat, Tripolin pervectus, urbem voluntate oppidanorum recepit. Ibi, quum magnus hominum ad eum concursus fieret diademate sumpto, Roma se ad repetendum senatus auctoritate regnum venire mentiebatur. nihil enim aut sciebant, aut suspicabantur de *Demetrius Syriae regnum occupat.*

Cap. XXXVII. Sammonicus Seren. apud Macrob. Atejus Capito apud A. Gell. 2, 24. Cap. XXXVIII. Athen. l. 6. f. Macrob. Saturn. 2, 12. Titulus Eunuchi et Phormionis Terent. Cap. XXXIX. Zonaras. Joseph. 12, 16. Appian. Syr. Zonaras.

U. c. 591. A. C. 161. fuga ejus homines, cujus famam celeritate praevenerat. Igitur paulo poſt, Apamea quoque potitus, cum valido jam exercitu contendit Antiochiam, regni caput. Lysias, metu Romanorum opponere arma non ausus, in faciem pacis cum Antiocho procedit obviam: nec admiſſus in conspectum, cum pupillo a suis militibus interficitur. ita Demetrius regnum paternum citra laborem recuperat.

Philosophi et rhetores urbe pulsi.

XL. Eodem anno senatum M. Pomponius praetor de philosophis atque rhetoribus consuluit, quod sub his nominibus multi mercenarii sapientiae facundiaeque profeſſores, juventutem Romanam contemptu patriorum inſtitutorum religionumque imbuere dicebantur. De his senatusconsultum factum eſt, *ut M. Pomponius praetor animadverteret, curaretque, (ſi ei e republica fideque ſua videretur) uti Romae ne eſſent.* L. deinde Anicius L. F. L. N. Gallus, M. Cornelius C. F. C. N. Cethegus ineunt. His consulibus egregiae vitae L. Aemilius Paullus extremum diem clausit. Maximae hominibus admirationi continentia viri fuit, quod, quum liberaliter quidem, sed tamen citra luxuriam vixiſſet, unde dos uxori solverctur, vix reliquerat: vendendisque mancipiis et supellectile et praediis adhuc nonnullis fuit opus, ut sexcenta nummorum millia conficerentur. Quibus detractis, in haereditate non amplius quindecies seſtertium remanebat. Nempe cum ditiſſimis populis regibusque bello congreſſus, et incredibili opum vi potitus, aerarium populi Romani pecunia, suam domum laude locupletare ſtuduit. Plus auri ex Hispania, quam quisquam ante illum alius, advexerat in urbem: Macedonico triumpho bis millies centies in aerarium intulerat, tanto in populum Romanum beneficio, ut exinde tributum pendere desineret. Neque male respondit ei benevolentia et honoribus civitas. quippe maximis condecoratum magiſtratibus, plus etiam impensi amoris teſtificatione ornavit. Sed et alia omnia, quae homines faventi fortunae accepta ferunt, cumulatim ei obvenere.

U. c. 592. A. C. 160. L. Anicio, M. Cornelio Coſſ.

L. Aemilii Paulli mors et elogium.

Amor apud cives.

XLI. Sub finem vitae, poſtquam Veliae, quo se ex consilio medicorum contulerat, in seceſſu et otio

Cap. XXXIX. Machab. 1, 7. Liv. Epit. Euseb. Chron. Cap. XL. A. Gell. 15, 11. Tit. Adelph. Terent. Liv. Epit. Plut. Aemil. c. 5. Auctor. de viris illuſtr. Polyb. et Diod. apud Vales. Vell. 1, 9. Cic. de Off. 2, 22. Plin. 33, 3. Plut. Aemil. c. 47. Val. Max. 4, 3. 8. Cap. XLI. Plut.

diu fuerat versatus; desiderium non ferens populus, quum alias, tum in theatro crebras edebat significationes, *ut se conspectui civium redderet*. His acclamationibus, et sacrificio quodam solenni instante inductus est, ut Romam reverteretur; idque sacrum cum collegis suis inter maximam gratulantis populi frequentiam peregit. Postridie rursus ipse pro sua incolumitate fecit: statimque, ut reversus est domum, delirio correptus, per quod ne sentire quidem morbum posset, tertia deinde luce exspiravit. U. c. 591. A. C. 160.

XLII. Tum vero patuit, quantus apud omnes amor ejus viri, quantaque veneratio esset. Nam ad deductionem funeris, non modo manuarii artifices, ceteraque vilis turba, suo quisque relicto opere, certatim concurrerunt; sed etiam magistratus atque senatus justitio sumpto res protulere. Quin et ex circumjacentibus municipiis, quotquot occurrere in tempore potuerant, visendi simul honorandique funeris causa confluebant. Unde raro splendidiores cujusquam exsequiae fuere, non tam auro aut ebore, ceterique apparatus nitore, quam insigni omnium benevolentia studioque defunctum decorantibus. Praeferebantur quidem, ut in funere nobilissimi viri, longa serie majorum imagines: sed majus ornamentum erat in ipsa hominum frequentia, quum non cives modo, sed ex infensissimis modo hostibus quotquot aderant, erga memoriam tanti viri certarent studiis. Videres ex Liguribus, ex Hispanis, ex Macedonibus validiores quosque circa lectum funebrem ambitiose diligentes: sequebatur turba seniorum, et magno cum affectu servatorem suae quisque patriae patronumque appellabat. Quem enim armatum pugnantemque hostes ob virtutem timuerant, eumdem in pace victi ob justitiam gravitatemque haud minus amabant. *Funus.*

XLIII. Funebres parenti ludos Q. et P. Aemiliani fecere: quorum alterum in Fabiam, alterum in Corneliam gentem adoptandos dederat. Haeredem utrumque reliquerat pater. sed P. Scipio, jam tum in ea aetate generosum monstrans animum, cujus mox gloria praecelluit, semissem suum fratri Q. Fabio adjecit; quod ipse, in ditiorem domum adscitus, cupie- *Funebres ludi.* *P. Scipionis Aemiliani liberalitas.*

Cap. XLII. Diod. apud Vales. Plut. Diod. 31, 4. Plut. Cap. XLIII. Tit. Adelph. Ter. Plut. Polyb. et Diod. apud Vales.

U. c. 592. A. C. 160. bat illum familiaris rei copiis sibi exaequari. Nec ideo minus in edendis gladiatoribus, ne sumptu frater obrueretur, dimidiam ejus partem, ad millia nummùm quadringenta, ex sua pecunia contulit. Haec et alia liberalitatis specimina, quae in affinibus et matre ediderat in urbe, ubi, si nondum avaritia, jam parcimonia magna erat, laudibus et admiratione adolescentis omnia repleverunt. Qui constanter inhaerens proposito suo, paulo post novis rumoribus priorem famam auxit, quum, defuncta matre Papiria, non modo ex universo, quo eam donaverat, cultu recepit nihil; sed, quamquam ipse solus haeres erat, omnia bona materna concessit sororibus, ad quas nulla pars haereditatis recepto jure pertinebat.

XLIV. Sub ea tempora magni laboris magnaeque famae opus consul M. Cethegus perfecit, paludes Pomptinas exsiccando. Locus ille olim trium et viginti urbium fuisse creditur: ubi tum animoso conatu consulis factus est ager, laeto magis praesentibus, quam in longam posteritatem durabili beneficio.

Cap. XLIV. Liv. Epit. Mucian. apud Plin. 3, 5.

EPITOME

LIBRI QUADRAGESIMI SEPTIMI.

Cn. Tremellio tribuno plebis multa dicta est, quod cum M. Aemilio Lepido pontifice maximo injuriose contenderat: sacrorumque, quam magistra-

Cn. Tremellio tribuno plebis] Hoc Pighius ad A. V. 10XCIII. quo Cethegus consul fuit, non scio qua ratione, refert. Quum alio libro a Livio relatum fuisse appareat, non dissimile vero est, post illum annum factum fuisse. DUKER. *Cn. Cornelio* Berg. *Cn. Tervilio* Boend. et ed. Camp. *Cn. Trevilio* Leid. *Cn. Tremelio* Lov. 2. Norv. et edd. principes. Tum *pr.* Exc. Pithoei. *praetori* Leid. et Lov. 2. in contextu. *procons.* vel *proconsuli* Voss. Lov. 2. in margine, Boend. et ed. Camp. *a po. Ro.* Berg.

Multa dicta est] Ab ipso pontifice maximo, credo, ut Q. Fabio Pictori praetori a P. Licinio apud Livium 37, 51. et Cn. Cornelio Dolabellae, duumviro navali, a C. Servilio, pontificibus maximis, 40, 42. et quum de multa ad populum, ut solebat, certatum fuisset, tribunum damnatum fuisse. *Jus magistratuum* autem accipio jus tribunorum plebis, quibus, quod sacrosancti erant, vel Trebellius solus, vel cum eo etiam ceteri tribuni plebis, videtur contendisse, non esse jus pontifici maximo multam dicere: de quo non dubitatum fuerat, quum pontifices maximi in alios magistratus jure illo usi fuissent. DUKER.

Cum M. Aemilio Lepido] Aemilii praenomen deest in Voss. quod interceptum videtur a litera finali vocabulae praecedentis. Vide ad 39, 5, 11. Cognomen ejus exsulat ab Boend. et ed. Camp. Mox *contenderet* legit Voss.

Sacrorum quoque magistratuum jus potentius fuit] Vet. lib. *sacrorumque magistratuum*. SIGON. Sic quidem Sigonius ex vet. libro, quum antea legeretur, *sacrorum quoque magistratuum*. Non video, quid inter hanc et illam lectionem intersit. Nemo enim pontificatum dixit *magistratum sacrum*. Aut ex priori faciendum: *sacrorumque, quam magistratuum, jus potentius fuit;* aut ex scripta, duabus literis deletis, *sacrorumque magistratu jus potentius fuit*. Huc etiam magis inclinabam: et, ne quis offenderetur, ab altera parte poni *magistratum*, ab altera parte *jus sacrorum*, quum aut *magistratus* et *sacra*, aut *jus sacrorum* et *magistratuum jus* comparari debeant, observaveram similia. Lib. 34, [44, 5.] *Quod ludis Romanis aedilibus curulibus imperarent, ut loca senatoria secernerent a populo*. Non aït *a locis populi*. Quintilianus 12. Inst. 7. *Ut accusatoriam vitam vivere, et ad deferendos reos praemio du-*

tuum, jus potentius fuit. Lex de ambitu lata. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta triginta octo millia, trecenta quatuordecim. Princeps senatus lectus Aemilius Lepidus. Inter Ptolemaeos fratres, qui dissidebant, foedus ictum, ut alter in Aegypto, alter Cyrenis re-

ei proximum latrocinio est; ita pestem intestinam propulsare cum propugnatoribus patriae comparandum. Hoc maluit, quam *defensione.* Justinus lib. 4, 3. *Ausi facinus, nulli tyranno comparandum:* alii *nulli tyranni comparandum.* Nequidquam. Juvat, quod apud nostrum est lib. 7, (26, 15.) *Cujus populi ea cujusque gentis classis fuerit, nihil certi est: maxime Siciliae fuisse tyrannos crediderim.* Seneca lib. 1. de Ira cap. 4. *Rabiosum, clamosum, difficilem, asperum, quae omnia irarum differentiae sunt.* J. FR. GRON. Planissima sententia est in conjectura *sacrorumque, quam magistratuum, jus potentius fuit.* id est, jus sacrorum plus valuit, quam sacrosanctorum magistratuum. Livius 7, 22, 11. *Nec tamen dictatura potentiorem eum consensum Patrum consularibus comitiis fecit, quam censoriis fuerat.* Et 25, 1, 11. *Ubi potentius jam esse id malum apparuit, quam ut minores per magistratus sedaretur.* DUK. *sacrorum quoque magistratuum*, ut ante Sigonium edebatur, Boend. et Norv. Hearnii. *sacrorumque ob magistratuum jus potentior fuit* Berg. *sacrorum quemquam magistratuum* Voss. *sacrorumque quam magistratuum jus*, ut Gronovius primo loco conjecit, et edendum curavit, praeferunt Lecid. et Lov. 2. Ita satisfactum est, spero, Crevierii scrupulo; cui, probabilis licet conjectura, non ideo tamen in contextum admittenda videbatur. Eam enim nunc duo meorum codicum verissimam praestant. Eamdem Gronovii emendationem probat etiam Bosius de Pontif. Max. Rom. Vet. cap. 6. At posteriorem aliis exemplis inlustrat Gronov. 4. Obs. 8. pag. 121.

Lex de ambitu lata] A. V. 19XCIV. Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore consulibus, ut putant Manutius de Legibus Rom. cap. 28. et Sigonius 2. de Judic. 30. idemque ad Fastos, et Pighius in Annal. ad h. ann. Sed de anno nihil certi ex Epitoma statui potest. DUK. *lata est* Berg.

Capita trecenta viginti octo millia, trecenta quatuordecim] MSS. habent *CCCXXXIIXM.* DELR. *trecenta quatuordecim* vetus liber manuscriptus Jac. Susii non habet. Qui numerus an temere negligentia scriptoris alicujus in contextum irrepserit, videndum. Prioris enim et sequentis lustri summae quid tale videntur insinuare. PIGHIUS in Annal. ad A. V. 19XCIV. p. 515. *trecenta triginta octo millia* Voss. Berg Lov. 2. Boend. Norv. Hearnii, et edd. omnes usque ad Ascens. qui *CCCXXVIII millia* anno 1513. substituit: quod recentiores edd. servarunt. Sed ejus loco nunc priscam lectionem reduxi Numerum posteriorem nullus meorum omittit; plerique tamen in eo variant. Nam *et CCCXIIII* legit Boend. *tre-*

gnaret. Ariarathes, Cappadociae rex, consilio Demetrii, regis Syriae, et viribus pulsus regno, a senatu restitutus est. Missi a senatu, qui inter Masinissam et Karthaginienses de agro judicarent. C. Marcius consul adversus Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit; cum quibus bello

centa sexdecim Leid. *CCCXVI* Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Ob eorum itaque in posteriori numero servando consensum Susii codicem non audio.

Princeps senatus lectus Aemilius Lepidus] *princeps Sex. Aemilius* Exc Pithoei. *princeps Sextus Aemilius* Leid. Berg. et Lov. 2. *princeps Aemilius* Voss. Boend. et ed. Campani. Nihil mutandum esse, quilibet videt. Puto, olim per compendium datum fuisse *princeps sc. lectus*, vel *princeps S. lectus*, unde facile ab iis, qui compendium scribendi non adsequebantur, factum est *princeps Sextus*, et mox *princeps Sex.* a nasutiore deinde, qui Aemilium in initio hujus, et praecedenti Epitome alio praenomine usum observarat, illud *Sex.* vel *Sextus* omissum est.

Ut alter in Aegypto, alter Cyrenis regnaret] Voss. et duo Gud. Palf. sine praepositione *Aegypto*. Lege: *ut alter Aegypti, alter Cyrenis regnaret*. Sic enim amant loqui. J. FR. GRON. *alter Aegypto* etiam Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Ex ea lectione, quae constanter in tot numero codicibus supereft, nata Gronovii conjectura *alter Aegypti* admodum verisimilis fit; quam etiam probasse videtur Perizon. ad Sanctii Min. 4, 6, 371. Similes autem locutiones auctori Epitomarum usitatas fuisse, videbimus ad Epit. 59. Eae autem ipsi adhaerere potuerunt ex frequentiori lectione Livii, quem iis usum vidimus ad 33, 41, 6. Similiter etiam alios locutos fuisse, docuit Clariff. Oudend. ad Caes. 3. B. G. 7. Mox *Demetrii Syriae regis* Berg. Lov. 2. et Boend. Tum *a senatu restitutus*, omisso verbo *est*, Leid.

Missi a senatu, qui] Ita demum ultima Gruteri ed. neque aliter omnes scripti noftri, et ed. Camp. reliqui typis inpreffi praeferunt *missi a senatu legati, qui*; quod sibi in Norv. obvium fuisse Hearne teftatur. Sed vox *legati* emblema glossatoris videtur. *Mittere* simpliciter pro mittere legatos poni, supra vidimus ad 37, 26, 9.

C. Marcius consul adversum Dalmatas parum prospere primum] Vox *consul* abeft a Leid. Tum *et adversus Dalmatas* Boend. *adversus Dalmatas* Voss. et Berg. Et ita passim plerique codd. exhibent in his epitomis, ubi vulgo *adversum* editur. Exempla vide ad Epit. 2. 4. 11. 18. 26. 37. 39. 48. 49. 53. 65. 70. 76. 77. 83. 86. 98. 107. 110. 117. Similis varietas in Mftis ipsius Livii obcurrit. Vide ad 1, 59, 12. 3, 28, 8. 67, 11. 4, 37, 6. 5, 4, 14. 27, 7. 6, 6, 12. 38, 4. 7, 28, 2. 9, 18, 7. 21, 59, 1. 22, 39, 5. 34, 31, 15. 32, 18. Vide Corte ad Plinii 2. Ep. 17, 4. Tum *primum parum prospere* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Illyricos, populi Romani socios, vastaverant] *Illyrios* ex Graecis et Lapidibus Capitol. SIG. Ita etiam Berg. et Lov. 2.

confligendi caussa fuit, quod Illyrios, populi Romani socios, vastaverant; eamdemque gentem Cornelius Nasica consul domuit. Q. Opimius consul Transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida, Antipolim et Nicaeam, vastabant, subegit. Praeterea res in Hispania a compluribus parum prospere ge-

Vide ad Epit. 20. Tum *socios populi Romani* Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Dein *vastaverunt* Leid. *vastarent* Boend. et ed. Camp. An voluerunt *vastarant?* Paullo ante *bello* deeſt in Voſſ. *confligendi* in Leid. *belli confligendi caussa* legit Boend.

Massiliensium oppida, Antipolim et Nicaeam] *oppidum* omnes scripti noſtri, Exc. Pithoei, Norv. Hearnii, et edd. vett. quasi tria loca, oppidum Massiliensium, Antipolis, et Nicaea vaſtata intelligerentur. Sed recte *oppida* poſtea vulgatum eſt, quod primum obcurrit in ed. Frob. anni 1535. ut Ligures vaſtasse dicantur Antipolim et Nicaeam, quae Massiliensium oppida regioni suae vicina erant. Antipolim et Nicaeam colonias Massiliensium fuisse, docet Strabo 4, 180. unde etiam *τὰς τῶν Μασσαλιωτῶν πόλεις* vocat pag. 184. Similiter Polyb. in Exc. Legat. num. 131. *Τὸ τε δὲ* [*Μασσαλιῶται*] *συγκλειόμενοι τελέως, καὶ πρὸς τούτοις καὶ πολιορκουμένων τῶν πόλεων Ἀντιπόλεως καὶ Νικαίας, ἐξαπέστειλαν πρεσβευτὰς εἰς τὴν Ῥώμην.*

Praeterea res in Hispania a complurimis parum prospere gestas continet] Ita primus Gronov. anno 1665. edidit, quod plerique eum secuti servarunt, sed contra omnium codd. et edd. auctoritatem. *a quampluribus* Voſſ. et Berg. V. ad 4, 31, 2. Reliqui *a compluribus*, ut ante Gronov. edebatur, quod quidam recentiorum recte revocarunt. Vide ipsum Gronov. ad Epit. 49. Tum *parumper prospere* Voſſ. Male. Romanis vellificatus *parum prospere* dixit pro infeliciter. Ita modo hac Ep. *Adversus Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit.* Epit. 48. *Hispaniense bellum quum parum prospere aliquoties gestum ita confudisset civitatem Romanam.* et alibi. Infeliciter autem Romanos circa haec tempora cum Lusitanis bellum in Hispania gessisse, colligitur ex App. Alex. Hispan. pag. 286. Insuper, ordine vocum inverso, *Praeterea in Hispania a compluribus parum prospere res gestas continet* Boend. Norv. Hearnii, et edd. ante Gruterum; qui dictiones, ut nunc eduntur, transposuit, consentientibus reliquis scriptis meis. Vide ad Epit. 104.

Consules anno quingentesimo nonagesimo octavo ab urbe condita magistratum] *Consules annos quingentos nonaginta octo ab urbe condita magistratus* Boend. et ed. Camp. nec aliter Berg. nisi quod servet *magistratum.*

Peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis] Periodus haec verborum obscura eſt, quia manca corruptaque in exemplaribus exſtat. Quid enim asserit aliud, quam quod consules anni superioris, successoribus creatis, magiſtratum inire coeperint? Quod plane falsum eſt. Verum deeſt ibidem verbum unum,

stas continet. Consules anno quingentesimo nonagesimo octavo ab urbe condita magistratum, peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis, inire coeperunt. Mutandi comitia caussa fuit, quod Hispani rebellabant. Legati, ad disceptandum inter Masinissam et Karthaginienses missi, renuncia-

oscitanter olim a librariis exscriptoribus praetermissum, et una litera, ab aliis postea addita, superflua est. Itaque lucem haud vulgarem, ni fallor, sententia accipiet, si verbum amissum loco restituere, et ita legere visum erit: *magistratum, peractis comitiis deposuere, insequentisque anni consules creati inire coeperunt.* Quum igitur hi consules Q. Fulvius et T. Annius primi Kal. Januariis inierint magistratum suum, ut Cassiodorus testatur, qui dies deinceps, stante imperio Romano, solemnis incundis consulatibus ordinariis permansit, necesse est, quod Q. Opimius et M. Glabrio, consules anni superioris, (qui a Livio DXCVIII. urbis dicitur) ante tempus in fine Decembris consulatu abierint, quem ad Idus usque Martias gerere prius solebant. PIGHIUS in Annal. ad A. V. 19c. pag. 432. Tria priora vocabula desunt in Exc. Pithoei; sed omnia sex in Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Supplementum Pighii ad marginem Livii probavit Jac. Perizonius. Verum primo in eo non memorantur Kalendae Januariae, quibus novi consules, et deinde eorum successores omnes, honorem inierunt; quod etiam Clariss. Dukerus observavit. Deinde, quamvis in auctore Epitomarum vix elegantias linguae quaerendas existimem, admisso illo supplemento vix tamen admitti posse videtur vocabulum *creati*, quod plane supervacuum ac putidum etiam existimo. Dodwell. in Chron. Graeco-Rom. quae Dionysio Halic. subjungitur, pag. 54. supplet *magistratum, peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis,* [abdicarunt: novi autem consules] *inire coeperunt.* Verum neque ibi Kalendae Januariae memorantur. An igitur potius legendum *creatis,* [abdicarunt, et novi consules Kalendis Januariis] *inire coeperunt?* Quid si, loco sex vocum, quae ab omnibus Mstis nostris et vetustissima ed. exsulant, duarum aliarum compendiis receptis, legamus *magistratum K. Jan. inire coeperunt?* Videant acutiores. Certe novos consules eo die magistratum hoc anno iniisse, praeter Cassiodori Chronicon, notat etiam Marianus Scotus in Chronico. *jure,* pro *inire,* legit Boend. et mox *Movendi comitia* idem Boend. cum ed. Camp.

Inter Masinissam et Karthaginienses missi, nunciaverunt] *inter Karthaginienses et Masinissam* Voss. Berg. Boend. et ed. Camp. Tum *renunciaverunt* Leid. quod non videtur spernendum. Proprie enim *renunciare* dicuntur legati, quum ad eos, a quibus missi sunt, de legatione referunt. Ita Livius 9, 4. *Haec quum legatio renunciaretur.* 23, 20, 7. *Haec postquam renunciata legatio Petelinis est.* 31, 17, 5. *Renunciata haec legatio ab indignatione simul ac desperatione iram accendit.* 35, 6, 7. *Missi legati renunciarunt, L.*

verunt, vim navalis materiae se Karthagine deprehendisse. Aliquot praetores, a provinciis avaritiae nomine accusati, damnati sunt.

Cornelium ad magistratus subrogandos Romam venturum. 36, 9, 8. *Haec renunciata Pheras legatio quum esset.* Alia exempla vide apud Celeberr. Burm. ad Quinctil. 7. Inſtit. Orat. 4. p. 634. Pari modo inferioris ordinis duces, ad imperatorem suum de iis, quae peragere jussi erant, referentes, dicuntur *renunciare.* Liv. 4, 14, 6. *Dictatori renunciat, vocatum ad eum Maelium, repulso adparitore concitantem multitudinem, poenam meritam habere.* Et forte hoc verbum reſtituendum Tacito 1. Ann. 6. *Renuncianti centurioni, ut mos militiae, factum esse, quod imperasset,* etc. ubi nunc editur *nuncianti.* Vide loca Suetonii, quae Lipsius ibidem laudavit.

Vim navalis materiae] Vide ad Livii 26, 21, 8. DUKER.

Se Karthagine deprehendisse] *deprendisse*, vel *depraendisse* Voſſ. et Norv. Hearnii. V. ad 2, 29, 4.

Quidam praetores a provinciis] Vet. lib. *Aliquot praetores.* SIG. Pariter omnes codd. mei, et ed. Camp. At Norv. Hearnii *Quidam* servat. Optime autem *avaritiae nomine accusati.* Vide Periz. ad Sanctii Minerv. 2, 3. pag. 164.

Accusati et damnati sunt] Vet. libri *accusati, damnati sunt.* SIG. Judicio extraordinario ex senatusconsulto conſtituto, ut in Livio 43, 2. Nam prima lex de pecuniis repetundis, qua quaeſtio illa ordinaria facta eſt, demum anno 1oc1v. a L. Calpurnio Pisone lata eſt, quum antea nulla fuisset, ut auctor eſt Cicero 2. de Offic. 21. et in Bruto cap. 27. Haec autem ante annum illum geſta sunt. DUKER. Veteribus libris Sigonii consentiunt omnes, quos consului, codd. et ed. Camp.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XII.

IN LOCUM LIBRI XLVII. T. LIVII.

I. Memorabilis hoc anno contentio fuit inter Cn. Tremellium tribunum plebis et Aemilium Lepidum, qui pontifex maximus erat. Itaque tribuno plebis, qui cum Lepido injuriose jurgatus fuerat, multa dicta; sacrosancti magistratus majestatem sacrorum vincente reverentia. Ludi hoc tempore Romani a Q. Fulvio, L. Marcio aedilibus curulibus editi sunt. Legem de ambitu, quae circa hunc annum lata fertur, quis tulerit, adhuc quaero. Cn. Cornelium Cn. F. Cn. N. Dolabellam, aut M. Fulvium M. F. M. N. Nobiliorem legis auctorem exstitisse, non absurdum est; qui proximi consules fuere. Sed, quia postmodum, credo, de eodem crimine plenius diligentiusque cautum est, memoria vetustioris legis exolevit.

U. c. 592. A. C. 160.

Sacrorum reverentia magistratus majestate potior.

U. c. 593. A. C. 159. Cn. Cornelio, M. Fulvio Coss.

II. Celebrior multo censura est, quam his consulibus gessere duo clarissimi viri P. Cornelius P. F. Cn. N. Scipio Nasica, M. Popillius P. F. P. N. Laenas. Ii lustrum fecerunt quartum atque quinquagesimum. Censa sunt civium capita trecenta viginti octo millia, trecenta quatuordecim. Ab his quoque princeps senatus M. Aemilius pontifex maximus lectus est quintum. Censurae severiter actae hoc quoque monumentum est, quod sequitur. Eques Romanus, quum equum strigosum et male habitum ipse pinguis et bene curata cute adduxisset, interrogatus est a censoribus, qui fieret, ut dominus equo tantum esset habitior? Atque ille, *Quoniam*, inquit, *ego me curo, equum Status meus.* Id responsum quum parum reverens videretur, notatus ille est a censoribus, aerariusque factus.

Censura egregia P. Cornelii Nasicae, M. Popillii Laenatis.

Cap. I. Liv. Epit. 47. Tit. Hecyr. Ter. Liv. Epit. Cap. II. Fasti Capit. Liv. Epit. Masur. Sabinus apud Gell. 4, 20. et Nonium, voce *Strigosus.*

U. c. 593. A. C. 159. *Horologium et alia opera censoria.*

III. Horologium novum in superiore censura locatum fuerat: id quoniam usui non erat tempore nubilo, P. Scipio, divisis aequaliter noctis ac diei horis, horologium sub tecto dedicavit, quod fluentis aquae indicio temporum intervalla metiretur. Graeci clepsydram appellarunt. Res, in speciem haud magnifica, ob ingentem utilitatem laetis animis accepta est. Nam apud prudentes pleraque vitae officia temporibus distribuuntur: quorum negligi rationem qui parum referre putant, utilissimae rei pretium non intelligunt. Iidem censores, ut ambitioni, vires quotidie sumenti, sic quoque iretur obviam, quum multae passim circa forum statuae essent positae, sustulerunt omnes, exceptis, quae de senatus aut populi sententia statutae essent: in his, quam apud aedem Telluris Sp. Cassius, qui regnum affectavit, posuerat, etiam conflavere. Operum, quae in censura hac locata sunt, nobilissimum porticus in Capitolio fuere.

U. c. 594. A. C. 158. M. Aemilio, C. Popillio II. Coss.

locavit P. Cornelius. Lustrum hi fecerunt sub exitum magistratus sui, consulatum jam gerentibus M. Aemilio M. F. M. N. Lepido, C. Popillio P. F. P. N. Laenate iterum.

Ptolemaeus Physcon mittes in Graecia conducit.

IV. Hic etiam annus pluribus regum negotiis, quam propriis, occupatos Patres habuit. Ptolemaeus enim Physcon, magno cum favore dimissus ab senatu, in Graecia validas mercenariorum copias conduxit. Recepit et Damasippum genere Macedonem, qui proximas inter turbas publico consilio, quod Phaci fuerat, interempto, cum uxore liberisque ex Macedonia profugerat. Cum his in oppositam Rhodo continentem transgressus, et hospitaliter exceptus a Rhodiis, navigare Cyprum statuerat: nisi T. Manlius Torquatus, qui legatione ab senatu fungebatur, monuisset, *contra sententiam Patrum facturum videri, qui eum citra vim jussissent reduci.* Unde postremo consensit, ut, dimisso circa Sidam milite, Cypro abstineret, et in finibus Cyrenes Torquatum opperiretur, qui *se recta profecturum Alexandriam* dicebat, *ut, adducto in suam sententiam rege, una cum ipso eosdem ad fines occurreret.*

In Lybiam Aegypto vicinam venit.

V. Ita cum altero legatorum Cn. Merula et Damasippo Macedone in Cretam se contulit, conductisque mille

Cap. III. Plin. 7, 60. Censorin. de die Natali, c. 23. L. Piso apud Plin. 36, 6. Auctor. de Vir. Illust. c. 44. L. Piso. Vell. 2, 1. et 3. Cap. IV. Polyb. leg. 115.

mille ferme Cretensibus, navigavit in Lybiam Aegypto conterminam, ibique, exscensione facta, castra ad Apin posuit. Hic quum ad aliquot dies Torquatum frustra exspectasset, Cn. quoque Merulae persuasit, ut Alexandriam pergeret, animum fratris citius expugnari posse auctoritate duorum arbitratus. Sed hoc quoque consilium frustra fuit, retentis Alexandriae legatis, quos major Ptolemaeus omni arte versabat, ne vel perficere, quod instituerant, vel prius regredi, quam ex utilitate regis, possent. Ita quum Physcon ad Apin diebus quadraginta nequidquam haesisset, alio praeterea majoris taedii nuncio perculsus est. U. c. 594. A. C. 158.

A Cyrenensibus vinciatur.

VI. Quippe deficientes Cyrenae alias quoque civitates ad consensum traxerant, aderatque iis socius consiliorum et adjutor Ptolemaeus, cui rex Romam proficiscens summam rerum mandaverat. Hoc nuncio vix peracto, supervenit aliud, *jam in armis defectores esse, coactoque exercitu castra locis apertis metari.* Quapropter, amittere Cyrenen timens, dum Cyprum studet adjicere, dilato hoc consilio, Cyrenen versus iter instituit. Ceterum neque minis, neque precibus adduci potuere Cyrenenses, ut arma ponerent, et immitis domini jugum sponte subirent, cujus crudelitatem, Alexandriae malis abunde testatam, noverant horrebantque. Itaque post leves aliquot velitationes signis collatis certatum est: victumque regem Cyrenenses repulerunt.

Legatos Romam mittit de fratre questum.

VII. Rediit tum ad eum Cn. Merula, negans *a Philometore quidquam impetrari potuisse, asseverante pacta inter fratres olim inita; neque esse, cur mutari ea, vel aboleri oporteat.* Igitur ex suis Comanum et Ptolemaeum fratres adjungit Merulae, ut de regis Alexandrini iniquitate apud senatum querantur. Introductorum in curiam haec oratio fuit. *Gratias senatui populoque Romano regem, gratias legatis agere: neque enim per hos stetisse, quo minus alterorum auctoritate curaque, alterorum labore ac opera finem votorum suorum obtinuisset; nisi fratris iniqui dolo circumventi omnes forent. Neque mirandum, si senatum contemptui, si legatos ludibrio habuisset, homo praeter profundam dominandi cupiditatem non rationi ulli, non affectui penetrabilis; apud quem jam olim et arctissimae necessitudinis jura, et foederum pactorumque fides, quo uno firmissimo vinculo generis humani societas continetur, eviluerunt.*

Cap. VII. Polyb. leg. 116.

U. c. 594. A. C. 158.

VIII. *Sed antiqua non repetimus: utinam tam facile novis injuriis ille abſtineret, quam nos priorum obliviſcimur! Quinquennio ante, quum juſta civium indignatione pulſus veſtram ad opem perfugiſſet, vos pro ſolita bonitate veſtra, et quia aequum eſſe putabatis, quos natura tam arcta cognatione junxiſſet, eos animis non diſſidere, veſtram auctoritatem interpoſuiſtis. ibi rex noſter, quamquam cauſſa viribusque ſuperior, tamen, quid vobis deberet, quam quid ille meruiſſet, cogitare maluit: in poteſtate legatorum veſtrorum fuit: illis agentibus eas conditiones victo dedit, quas in pari jure fortunaque petere non eſſet auſus, ſperare nequiviſſet. Annon igitur tantae ſociorum curae favorique, tantae fratris indulgentiae vicem referri oportuerat? Ille autem quid fecerit, videte. Modeſtas fratris querelas non ſine contumelia ejus inſuperhabuit, novis etiam additis injuriis cumulatisque.*

Sua in illum merita praedicat.

Impetratam ab senatu legationem commemorat.

IX. *Quas ubi ille ferre diutius non potuit, ad vos, tamquam Deorum vicem regibus populisque jura reddentes, ſe contulit: vobisque, ut in tam evidenti negotio facillimum factu fuit, cauſſam ita probavit, ut ex ampliſſimo ordine viros clariſſimos legatos Alexandriam mitteretis, qui voluntatem veſtram, de Cypro inſula fratri reſtituenda, ſignificarent. Te nunc, T. Torquate, appello, teque, Cn. Merula, veneritisne Alexandriam, mandata ſenatus expoſueritis, pro fide, pro prudentia veſtra praetermiſeritis nihil, quo animum intractabilem, docendo, monendo, hortando, ad meliora conſilia flecteretis? Ita certe a vobis abunde factum, neque quidquam, quod ab hominibus veſtri loci animique exſpectari fas eſt, defuit.*

Eam a fratre elusam esse.

X. *At quo ſucceſſu eventuque iſta factitata ſint, jam olim, opinor, Patres conſcripti, his ipſis referentibus cognoviſtis. Ita ſunt circumducti fraudibus, ut conſtaret, eludendi eos conſilium captum eſſe: ita, quum eludi non poſſent, per varias et abſurdas cauſſas retenti, ut appareret, ſi manere decepti nollent, manendum coactis fore. Poſt multas demum dilationes re infecta dimiſſi ſunt. dimiſſi ſunt, inquam, vacui irritique legati: neque apud eum regem majeſtas populi Romani valuit, pro quo apud hoſtem Antiochum, totam Aegyptum armis obtinentem, valuerat. Neque hic finis impietatis et contumaciae fuit: ſed Cyrenaïca ſeditio quibus aliis facibus, quam regis Alexandrini nunciis atque conſiliis, exarſit? Neque enim ſatis aut in fratrem acerbus, aut adverſum vos contumelioſus ſibi videbatur, niſi, Cypro, quam reſtitui jubebatis, retenta, etiam Cyrenen extorqueret.*

XI. *Verum enimvero fructu improbitatis ſuae haudquaquam diu gloriabitur, ſat ſcio, Romani: neque enim animos viresque veſtras eodem, quo ille, judicio atque aeſtimatione meti-*

mur. Ille, ut hominibus improbis mentem vitia hebetant, neque consilia vestra supra artes suas, neque arma supra potentiam aestimat: nos neque senatui huic ullum in orbe terrarum par sapientia consilium esse novimus; neque legionibus Romanis aliud militum genus fortitudine conferendum. Itaque magna cum spe non irritarum precum vos rogamus obtestamurque, Patres conscripti, ne regem, quem ipsi foviistis, texistis, ornastis, quique invicem vos perpetua fide observavit atque coluit, eo maxime tempore, quo vestro munere florentissimus esse debuerat, inopem, extorrem, deceptum a fratre, proditum ab amicis, contemptum a popularibus, consilium auxiliumque vestrum frustra implorare sinatis: quandoquidem ita cum vestra gloria ac utilitate caussa illius conjuncta est, ut, quantum ille aut existimationis aut opum amiserit, tantumdem vestrae quoque famae vestrisque obsequiis decessurum esse videatur. U. c. 594. A. C. 158. *Commendat se senatui.*

XII. Adversus haec iterum Menithyllus a majore Ptolemaeo adfuit. Sed, in minoris caussam inclinatis Patrum animis, Torquatoque et Merula, qui a legatione interim redierant, eamdem enixe juvantibus, senatus *intra diem quintum Italia excedere Menithyllum* jussit, decreto, *uti foedus, quod populus Romanus cum majore Ptolemaeo habuerat, tolleretur: legatique mitterentur ad juniorem, hujus senatusconsulti ad eum perferendi gratia.* Missi P. Apustius, C. Lentulus Cyrenis jam receptum reperere. Quare, nova spe animatus, tota mente de Cypro recuperanda coepit cogitare, militemque et alia bello necessaria summa ope colligere. *Senatus in illum propensior.*

XIII. Novorum interea motuum caussae cum Dalmatis exortae. Populus iste sub Pleurato nuper fuerat: eo defuncto, deficiens a Gentio, non usurpabat modo libertatem, sed jam vicinos incipiebat ad servitium cogere: tributoque pecorum et frumenti nonnullis imposito, alii, qui id dedecus abnuebant, perpetuis illorum latrociniis vastabantur. Lissii praecipue Daorsique fiducia Romanae societatis resistebant: frequentesque ab ipsis querelae delatae erant, Lissiis agros et oppida sua (Tragyrium et Epetium habebant) infestari nunciantibus: nec absimilia Daorsi afferebant. Placuit igitur legationem ad Dalmatas mitti, eadem opera res Illyricas inspecturam. Ejus legationis princeps C. Fannius fuit. At Romae M. Ful- *Dalmaticum bellum.*

Cap. XII. Polyb. leg. 117. et Diod. apud Fulv. Ursin. Cap. XIII. Liv. Epit. Zonaras. Polyb. leg. 124.

U. c. 594. A. C. 158. vius Nobilior proconsule ex Liguria de Eleatum populo triumphavit A. D. XII. Kal. Septembres. De quo equidem, quas res, aut quomodo gesserit, nihil praeterea inveni. Certe per ea tempora, quum graviorum bellorum materia deficeret, non ideo deficiebat ambitio: sed, quia soli propemodum Ligures, magis loco, quam viribus, freti, arma retinebant, in horum expugnandis castellis captandae laudis occasio quaerebatur.

U. c. 595. A. C. 157. Sex. Julio, L. Aurelio Coss. *Ariarathes Cappadocia expulsus Romam venit.*

XIV. Sex. deinde Julio Sex. F. Sex. N. Caesare, L. Aurelio L. F. L. N. Oreste consulibus, Romam Ariarathes venit, vi Orophernis, qui se fratrem ejus ferebat, Cappadocia expulsus. Cujus rei originem paulo supra repetendam arbitror. Ariarathes, qui proxime regnaverat, Antiochidem in matrimonio habuit, Antiochi magni filiam. quae quum, prioribus aliquot conjugii annis sobole nulla genita, timeret, ne vilior viro et Cappadocum genti fieret, callidissima mulier, semel atque iterum foecunditatem mentita, primum sub Ariarathis nomine puerum, deinde alium, Orophernen, educavit. Postea vero, quum, ut fit, natura aut remediis vitium vincentibus, voti se compotem factam videret, duas filias unumque mox filium enixa, rem totam marito patefecit. Ille, ne subdititii liberi vero et naturali filio obstarent, alterum quidem Romam mediocri instructum censu, alterum in Ioniam ablegavit. Mithridatem autem (id nomen nato ex se fecerat) mutato vocabulo Ariarathen et ipsum appellavit: unice dilectum parenti, neque male respondentem in amore. Denique pulcherrimum certamen inter eos exortum est, ut, quo tempore alibi locorum regna parricidiis aut appeti, aut servari in morem venerat, in Cappadocia pater Ariarathes cedere filio contenderet, filius quidlibet passurum potius, quam ut patrem privatum videret, pervicacissime testaretur. Unde non immerito Philopatoris ei cognomen inditum est a Graecis, qui tum primum (nam et studiorum amore peritiaque adolescens iste celebratus est) in Cappadocia literarum et cultioris sapientiae sedem posuerunt.

Ariarathis initia regni et virtutes.

XV. Hic igitur Philopator, post obitum senis haereditate adita, nihil antiquius habuit, quam ut patrem

Cap. XIII. Fasti Capit. Cic. Bruto, c. 73. Cap. XIV. Polyb. leg. 126. Diod. 31, 3. Liv. 42, 19. Diod. Cap. XV. Diod. apud Val.

omni honoris et magnificentiae genere contumularet: deinde, amicos praefectosque et populum universum digna quemque cura prosequutus, maximam apud omnes benevolentiam sibi comparavit. Unde prospera ei regni initia fuerunt: magnusque jam vulgo et clarus ob amorem suorum, et justitiae fideique gloriam habebatur. Cujus egregium specimem in casu Mithrobuzanis Zariadre geniti demonstravit. Is, de Sophenes regno cum fratre certans, ab illo, qui viribus Artaxiae praevaluerat, fusus est. Pulso apud Cappadoces perfugium fuit, et mox auxilium ab Ariarathe, qui supplicem suum valido cum exercitu in regnum paternum reducebat. Sed Artaxias, moris sui tenax, quum Armeniae parum laudabiliter occupatae Sophenen adjicere cuperet, legatione missa conditionem Ariarathi obtulit, *ut ille Mithrobuzanen occideret; se pariter fratrem illius interfecturum: ita dividi inter ipsos regnum Sophenes posse.* Hoc scelus aversatus Cappadox, non modo legatis increpitis, Artaxiam monuit, ab ejusmodi cogitatione desisteret; verum etiam Mithrobuzanen non deseruit, priusquam in res amissas eum restituerat. U. c. 595. A. C. 157.

XVI. Hac fama et societate Romana conspicuus, sine metu regnabat, donec rex Syriae Demetrius adversarium ei Orophernen excitavit: offensus, quod in gratiam Romanorum, qui Demetrio succensebant, Ariarathes, foedere inter Syriae Cappadociaeque reges abolito, sorori quoque ejus nuncium remiserat. His incensus, et mille talentorum pretio, quae Orophernes ei promittebat, impetere consiliis et viribus Ariarathen non ante destitit, quam regno illum cogeret excedere. Neque pulsum et Cappadocia profugum segnius Romae per legatos urgebat, quorum princeps Miltiades fuit. Aderant et ab Oropherne legati Timotheus et Diogenes, donum populo Romano coronam auream ferentes, *amicitiamque renovari cum rege* petebant, *quae populo Romano cum patre ejus Ariarathe fuisset.* *Demetrii Syri dolo pellitur.*

XVII. Hi consensu oppugnabant Ariarathen, et, quoniam despectum et inopem ipsi florentes opibus et gratia premebant, apud plerosque divitum et largitorum calumniae plus poterant, quam unius miseri *Ab senatu non satis adjutas.*

Cap. XV. Strabo, l. 11. p. 531. Diodor. Cap. XVI. Diod. apud Fulv. Ursin. Justin. 35, 1. App. Syr. Liv. Epit. Polyb. 3, 5. Polyb. leg. 120.

U. c. 595. A. C. 157. vera defensio. Hactenus tamen causa ejus et meliorum ex senatu contentio profecit, ut *in regnum recipi* juberetur, *sed cum Oropherne fratre dividendum.* Neque enim eo tempore quidquam aut gratius Romanis, aut usitatius erat, quam dare operam, ut regnorum potentia, partitis in plures opibus, divideretur. Sed non diuturnum ob vitia novi regis incommodum prioris fuit. Orophernes enim, quum in recenti possessione firmare sibi favorem hominum prudentia beneficiisque deberet, pari intemperie in luxum et avaritiam provolutus est. Nam et vino deditissimus, praeter instituta patria Bacchicorum artificum introduxit insaniam; et, pecunia undiquaque corrasa, Timotheum quidem, quo praecipue auctore ad regnum pervenerat, talentis quadraginta, Demetrium regem septuaginta, coronavit: praeter sexcenta talenta, quae paulo post numeraturum eidem recepit, et alio die residua quadringenta. Quibus rebus quum alienatos a se popularium animos animadverteret, jam velut ab inimicis vindictae causa extorquebat pecunias, quando in suorum animis non posset, in his spem praesentium rerum collocaturus. Eo consilio et apud Prienenses pecuniam, talenta quadringenta, deposuit, ut subsidio hoc in omnem fortunam uteretur.

Sua virtute regnum recuperat.

XVIII. Nihil horum Ariarathen fallebat, qui, quum se plerisque Cappadocum gratum esse, contra Orophernem omnibus exosum sciret, colligere copias coepit, et regni partem, unde vi extrusus fuerat, vi repetere. Neque leve adjumentum erat Attalus, qui, nuper defuncto Eumene, pro filio ejus Philometore Attalo regnum administrans, enixe ferebat auxilium: plus tamen ipse sibi contulit, prudentia et labore dignum se loco, quem reposcebat, ostendens. Unde res suas quotidie deteriores fieri videns Orophernes, et hoc quoque metu, ne ad hostem deficeret ob stipendiorum solvendorum moram exercitus, quem per injustitiam occupaverat statum, sacrilegio tueri instituit. Celebre gentibus illis sub monte, quem Ariadnes vocant, templum est, Jovi sacrum: id veteri opulentia dives spoliavit ille, militibusque stipendium ex ea pecunia dissolvit. Neque tamen (ut breve plerum-

Cap. XVII. Liv. Epit. Appian. Zonar. Diod. apud Val. Aelian. Var. Hist. 2, 41. Polyb. apud Athen. 10, 11. Diod. Cap. XVIII. Polyb. apud Val. Strabo, l. 13. p. 624. Polyb. 3, 5. Diod.

que aevum eſt potentiae pravis artibus fultae) diu reſiſtere vel hoſtium viribus, vel civium odiis potuit: relictoque regno, ad Demetrium, unde venerat, Antiochiam se recepit. Hic eo tempore finis motuum in Cappadocia fuit. U. c. 595. A. C. 157.

Carthaginiensium cum Masiniſſa contentio.

XIX. At in Africa perpetuis Masiniſſae adversus Poenos odiis injuriisque res inquietae erant. Circa minorem Syrtin ager amplus colitur, quem uberem gleba, oppidis quinquaginta frequentatum, et per haec locuplete reditu, Carthaginienses obtinebant: ipsi Tyscam vocant regionem; Graeci dixerunt Emporia. Eum quum coepiſſet concupiscere Masiniſſa, ob potentiam suam et favorem apud Romanos, seu vi, seu jure agendum foret, potiorem se futurum ratus, armata manu occupare non distulit. Et agrum quidem facile receperat, Poenis quum alias ad terreſtria bella minus aptis, et tum ex diuturna pace languidioribus: oppida tamen illi retinebant. Hic rerum ſtatus utrosque impulit, ut iis de litibus frequenter legatos mitterent Romam, deteriori semper Poenorum conditione. Neque dubium erat, quin cauſſa vincerent. nam et Masiniſſa, quum annis aliquot antea persequeretur Aphthearatum quemdam, qui a rege desciverat, transitu per regionem iſtam, ut alienam, precario poſtulato, deinde, quia negabatur, omiſſo, Carthaginiensium jus affirmaverat.

Romani Masiniſſae favent.

XX. Sed senatorum plerique, magis ad utilia, quam ad juſta, respicientes, regi gratificabantur, adeo cum aperta Poenorum injuria, ut non modo urbibus, de quibus controversiam Masiniſſa moverat, exigi, sed et quingenta insuper talenta, fructuum perceptorum nomine, quasi malae fidei poſſeſſores, pendere paterentur. Quippe decretam a se legationem tamdiu distulerant, donec adigi a rege ad iniquas pactiones possent: tum demum a Roma legati, et in his M. Cato, venerunt. His Masiniſſa quidem arbitrium totius negotii facile permittere: Poeni, quod desperabant aequo se jure usuros, negare, *ullo novo arbitrio opus eſſe: foedus ſibi cum rege multos ante annos auctore Scipione percuſſum: id potius pudore et fide contrahentium, quam correctione ulla, indigere.* Legati, quod *altera partium invita nihil ſe ſtatuere poſſe* cauſſabantur, rebus uti erant reli-

Cap. XVIII. Juſtin. 35, 1. Cap. XIX. Polyb. leg. 118. Appian. Iber. Polyb. Liv. 34, 62. Polyb. Cap. XX. Appian.

U. c. 595. A. C. 157. ctis, redierunt. Neque in praesens modo iniqua haec legatio Poenis, sed etiam paulo post exitiosa fuit; hinc orto Catonis metu, ob quem deinceps continuo ad Carthaginis delendae consilia Patres stimulabat.

Dalmatarum insolentia contra legatos Romanos.

XXI. Sed prior bellandi cum Dalmatis occasio venit. C. Fannius ex ista legatione reversus renunciaverat, *ne proferri quidem apud Dalmatas mandata potuisse, sibi nihil cum Romanis esse negotii ferentes. Sed neque quidquam in se hospitaliter, aut etiam humaniter Dalmatis factum: neque locum et lautia data. Quin equos, aliunde ab se adductos, praedae barbaris fuisse, adeo procaciter invectis, ut haud procul exitio abfuerint legati, nisi contumelias istas injuriasque patientia et silentio pertulissent.* Movit hominum arrogantia Patres, eamque gentem bello persequendam haud dubitabant: sed plus adhuc stimulorum subjiciebant aliae causae, quod bellum sibi necessarium iis locis putabant, tum quia multo jam tempore, ex quo Demetrius Pharius debellatus fuerat, partem illam Illyrici, quae ad mare Adriaticum vergit, non inspexerant; tum quia nolebant Italicorum populorum animos diuturniori otio marcescere. Annum enim jam duodecimum, redacta in potestatem Macedonia, quieverant. Haec eo ferme anno gesta, et in Piceno agro Auximum coloniam deductam reperio.

U. c. 596. A. C. 156. L. Cornelio, C. Marcio II. Coss.

XXII. Sed ubi L. Cornelius Cn. F. L. N. Lentulus Lupus, C. Marcius C. F. Q. N. Figulus iterum, magistratum inierunt, prodigia quaedam nunciata. Quibus rite procuratis, in provincias profecti sunt consules. Bellum Dalmaticum C. Marcio evenerat. cum eo jussi proficisci legati ad res Epiri ordinandas. Nuper enim a Phoenica, quae maxima Epiroticarum urbium est, legati venerant, postulantes ne recipere exsules cogerentur, qui, Charopo auctore, pulsi urbe fuerant, et tum, missis ex suo ordine nonnullis, a senatu restitui orabant. Ceterum C. Marcius consul cum exercitu in fines Dalmatarum irruptionem fecit. Sed, occurrentibus strenue Dalmatis, ignominia et pene clades accepta est, turbato Romanorum agmine, et ad fluvium usque Naronem retroacto. Quapropter emendaturus, quod acciderat, consul hostem, hieme jam appetente, recedentem insequutus est. spes

C. Marcius in Dalmatiam mittitur.

Cap. XXI. Appian. Illyr. Polyb. leg. 125. Vellejus, 1, 15. Cap. XXII. Jul. Obseq. Polyb. leg. 127. et apud Vales. Appian. Illyr. Liv. Epit. Appian.

erat, quod evenit, ex anni tempore et re commode gesta negligentiores ad custodiam regionis Dalmatas fore. U. c. 596. A. C. 156.

XXIII. Illi, jam in sua oppida dilapsi, ad famam venientis exercitus Romani propere congregantur. Sed prius ab intento hoste disjecti sunt, quam contrahere vires suas et ordinare possent. Delminium plerique fuga contenderunt, robustissimum illis locis oppidum, et genti caput. Id ex itinere oppugnare aggressus, quum primo impetu nihil egisset, admoverique machinas loci, ubi sita urbs erat, altitudo vetaret, ad alia minora oppida exercitum circumduxit. Quae ubi metu hostium deserta et vacua videt, Delminium revertitur. Urbs erat loco et opere munita, sed inerant aedificia multa ex arida materie. id postquam animadversum est, sudes bicubitales parari consul jubet, quas pice ac sulphure illitas, stuppaque multa obligatas, catapultis in urbem mitterent. Et successit dolus: leviter incensae, dum per aërem feruntur, ingentem vim concipiebant flammarum; quae, ubi aedificiis incidissent, vicinis quibusque facile comprehensis, tantum excitarunt incendium, ut, eo multis hostium consumptis, ceteri venire in potestatem cogerentur. Nescio an hoc anno, circa hoc tempus certe, Aelia et Fusia leges, a duobus tribunis plebis perlatae, comitiorum vitia, quoad occurri potuit, pleramque partem sustulerunt. Aelia cavebatur, *uti comitiis legum, haud minus quam magistratuum, de coelo servandi, obnunciandi, intercedendique jus esset.* Fusia *fastis diebus legum ferendarum causa cum populo agi* vetabat.

Delminium incendit capitque.

Lex Aelia et Fusia contra ambitum comitiorum.

XXIV. Exceperunt deinde P. Cornelius P. F. Cn. N. Scipio Nasica, M. Claudius M. F. M. N. Marcellus, uterque iterum consules. Horum Scipioni Dalmatae, Marcello Ligures provinciae evenerunt. Ex praetoribus unius A. Postumii Albini maxime nota sors est; quem ex legationibus in senatum introductis praetorem urbanum fuisse, indubitatum est. Nam et ille annus celebres Graecorum legationes habuit. Athenienses delectos studiorum et philosophiae fama Carneadem Academicum, et Diogenem Stoïcum, et Critolaum Peripateticum misere: qui judicium rescindi postularent, quo ad mulctam Oropiis luen- U. c. 597. A. C. 155. P. Cornelio II. M. Claudio II. Coss.

Philosophi oratores in legatione Attica.

Cap. XXIII. Flor. 4, 12. Appian. Pighii Annal. Manut. de leg. Romanis. Cap. XXIV. Pigh. Ann. A. Gell. 7, 14. Petav. Rationar. Partis 1. l. 4.

U. c. 597. A. C. 155. dam, talenta quingenta, erant condemnati. Namque populus Atheniensis, neceſſitate potius, ut creditur, ſtimulante, quam avaritia, sociam atque foederatam urbem Oropum diripuerat. Oropii, apud senatum queſti, obtinuerunt, *ut de ſuis injuriis Sicyonii cognoſcere juberentur, et, quanti eas feciſſent illi, tanti Atheniensibus lis aeſtimaretur.* Sicyonii talentis quingentis aeſtimarunt.

XXV. Sparsa per urbem fama, viros sapientia et eloquentia celebratiſſimos veniſſe, ſtatim accendit juventutem, ut ad visendos audiendosque concurrerent: praecipua Carneadis admiratione, cujus ad persuadendum quidlibet incredibiliter apta erat oratio. Is enim violenta et rapida dicebat, scita et teretia Critolaus, modeſta Diogenes et sobria: tamquam omnia facundiae genera, diversis formis, pari excellentiae laude complexi. Quibus rebus tantum aeſtimationis peperierunt, ut C. Acilius senator pro magno munere petierit, *mandari ſibi ad orationes illorum exponendas interpretis vices.* Haec equidem ceteris Patrum non aegre ferentibus, (neque enim absurdum videbatur, Romana ingenia etiam ſtudiorum cultu nitescere) M. Cato severitate solita ſtomachabatur, veritus, ne, guſtata harum artium dulcedine, ſtudium armorum Romana juventus amitteret. Igitur quum primum in senatu verba fecissent, omnes philosophos per honeſtam aliquam caussam ex urbe ablegandos censuit: atque alio tempore, in senatum ingreſſus, objurgavit magiſtratus, *quod homines perſuadendi quaelibet artifices tam diu non abſolverent: quo ad Graeculos ſuos regreſſi Romanam pubem, nullis argutationibus corruptam, ad majorum exemplar legibus atque magiſtratibus obedire ſinerent.* Itaque dimiſſi deinde sunt, mulctae maxima parte remiſſa, *ut de quingentis talentis centum tantummodo talenta penderent.*

Carneadis mira facundia.

Attalus de Prusia queritur.

XXVI. Interim in Asia bellum inter Attalum et Prusiam reges exarserat. quo inferior Attalus, quum ab hoſte urgeretur, P. Lentulo, qui tum ex Asia revertebatur, Athenaeum fratrem adjunxit, *ut senatum de rebus omnibus certiorem faceret, ac ad opem ſibi ſerio ferendam hortaretur.* Miserat antea quidem Andronicum, qui doceret Patres, a Prusia se infeſtari: sed hi, po-

Cap. XXIV. Cic. de Orat. 2, 37. et Acad. 4, 45. Pausan. Achaic. Cap. XXV. Plut. Cat. Maj. c. 44. Cic. de Or. 2, 38. Rutil. et Polyb. apud Gellium. Macrob. Sat. 1, 5. Plut. Aelian. Hiſt. Var. 3, 17. Pausan. Cap. XXVI. Polyb. leg. 128.

tius arbitrati, Attalum Bithyno imminentem parare sibi probabilem cauſſae ſpeciem, rem insuperhabuerunt: eo magis, quod et Nicomedes filius Prusiae, et legatus Antiphilus negabant, quidquam eorum factum, quae Andronicus diceret. Paulo autem poſt, quum, ipso rumore res perferente, viderent Patres, non eſſe nihili, quod accidiſſet; neque tamen, quale eſſet, liquido poſſent intelligere, juſſerunt L. Apulejum et C. Petronium ad res regum introspiciundas proficisci. Venerunt deinde P. Lentulus, et regis frater Athenaeus. Lentulus quum Asiaticarum rerum ſtatum, qualem ipse viderat, exposuiſſet Patribus, confeſtim vocari Athenaeum in curiam placuit, et pro benevolentia senatus in regem Attalum legatio decreta, quae Prusiam bello juberet abſtinere. Profecti sunt cum Athenaeo C. Claudius Centho, L. Hortensius, L. Aurunculejus legati. U. c. 597. A. C. 155.

XXVII. Tum iterum cauſſa Achaïcorum exsulum tractata eſt in senatu, quum de iis Xexon Aegiensis et Telecles Tegeates verba feciſſent, nihilque propius factum, quam ut dimitterentur: nisi A. Poſtumius praetor (is per absentiam consulum senatum habebat) aliu rem intervertiſſet. Quum enim tres eſſent sententiae; una, *abſolvi homines placere, dimittique*: altera, *non abſolvi, et retineri*: tertia, *retineri quidem adhuc, ſed abſolvi tamen*; praetor, rogatione sua duas complexus, tertiam diſſimulavit, *discedere in unam partem* jubens, *qui dimittendos censerent; in diverſam, qui alia omnia.* Sic ad eos, qui absolvendos negaverant, iis quoque se adjungentibus, qui dixerant in praesentia retinendos, illa sententia numero vincere visa eſt. Judicium eo tempore L. Lentuli actum, qui consul anno superiore fuerat. Isque, damnatus repetundarum lege Caecilia, poſtmodum tamen ad supremos in republica honores admiſſus eſt. *Cauſſa Achaïcorum exsulum iterum tractata in senatu.*

XXVIII. Dum haec Romae aguntur, in Hispania cum Lusitanis, duce Punico quodam agros sociorum noſtrorum incursantibus, improspere dimicatum eſt. Manilius, qui Romanum exercitum ducebat, multis amiſſis retroceſſit. Melioribus auspiciis, consules, in Liguribus et Dalmatis geſto bello, triumphum meruerunt. Clariora tamen P. Scipionis acta sunt; qui, confecto bello Dalmatico, provinciam novam adjecit *Bella cum Lusitanis, Liguribus, Dalmatis.*

Cap. XXVI. Polyb. leg. 129. Cap. XXVII. Val. Max. 6, 9. 10. Cap. XXVIII. Appian. Iber. Faſti Capit. Liv. Epit.

U. c. 597. A. C. 155. imperio. Maximus haec agenti labor circa Delminium fuit, quam relictam a C. Marcio gens Dalmatarum instauraverat, contractoque ex omni regione flore juventutis, accerrime pro ea propugnabat. Unde consul, difficultate rei percepta, exercitum aliis eorum oppidis admovere coepit. at ii, quorum ea oppida erant, omisso Delminii praesidio, ad sua quisque tutanda accurrerunt. Ibi tum Romanus, protinus ad Delminium raptis copiis, urbem, inopia propugnatorum laborantem, facili negotio redegit in potestatem. Imperatoris nomen, quum de more a militibus acclamatum esset, recusavit: pariqùe deinde modestia triumphum a senatu oblatum vix accepit. Multi eo bello Dalmatarum capti sunt, quos in servitutem consul vendidit. Delminium, quae prius urbs ampla fuerat, exiguam, solumque pecori pascuum redegit.

Alii legati ab Achaeis, et ipsi irriti.

XXIX. Venerunt deinde rursus ab Achaeis legati, animatis priorum relatione, qui proxime optatum finem adductum fuisse negotium narrabant. Telecles Megalopolitanus et Anaxidamus missi. Sed et istorum diligentia nihilo felicior, quam superiorum omnium, fuit. Massiliensium vero preces benigne sunt auditae, auxilium adversus Ligures petentium, qui, obsessis Nicaea et Antipoli Massiliensium oppidis, urbem ipsam magnas in angustias coëgerant. Decretum est, *uti legati ad res Massilienstum inspiciundas mitterentur; iique darent operam, uti Massilienstbus satisfieret, ne quod bellum ea de causa suscipi opus esset.* Neque tamen declinari necessitatem eam barbarorum feritas passa est, quin sequenti anno, quo Q. Opimius Q. F. Q. N. L. Postumius Sp. F. L. N. Albinus consules fuere, cum Oxybiis atque Deccatibus Liguriae populis bellaretur. At L. Postumius quum iturus in provinciam immolasset, in plurimis victimis caput jocinori defuit. Profectus nihilominus, post diem septimum aeger relatus est Romam, ibique exspiravit. Ista res perculit hominum animos: maxime quia et Consae arma in coelo volare visa nunciatum, et multa illustria loca fulminibus tacta fuerant. In mortui locum consul factus est M. Acilius M. F. C. N. Glabrio.

U. c. 598. A. C. 154. Q. Opimio, L. Postumio Coss.

Cap. XXVIII. Frontin. Strat. 3, 6. Auctor. de viris illust. c. 44. Zonaras. Strabo, l. 7. p. 315. Cap. XXIX. Polyb. leg. 130. Polyb. leg. 131. Liv. Epit. Polyb. Polyb. leg. 132. Jul. Obseq. Fasti Capit.

XXX. Quum interea novi a Massilia legati, *nihil pro se populi Romani auctoritatem valuisse*, afferrent, statim a senatu missi sunt Flaminius, Popillius Laenas, L. Pupius, qui, conscenso navigio, Aegitnam, quod Oxybiorum oppidum est, appulerunt. At Ligures, audito venire Roma legatos, qui solvi obsidionem imperarent, procurrunt in portum: alios, qui adhuc in navi erant, exscensionem facere vetant, Flaminium jam egressum agro suo jubent excedere. quod quum ille facere recusaret, manus injiciunt sarcinis, vim prohibentes servulos, duobus occisis, repellunt, ipsumque adeo legatum convulnerant, haud dubie interfecturi, ni subito receptus in navim, praecisis funibus, imminenti exitio se eripuisset, Massiliam ad curanda vulnera contendens. His rebus Romae auditis, maturare profectionem Q. Opimius consul jussus, in agro Placentino diem edicit militibus. inde per Apenninum ducit in Oxybios, castrisque ad amnem Apronem positis, adventum hostium exspectat. Concurrere enim illos, et obviam Romanis ituros, fama tulerat. Deinde, ubi rem diutius trahi videt, motis ab Aprone castris, Aegitnam contendit: et, urbe per vim potitus, homines in servitutem redigit, auctores violandae legationis vinctos duci Romam jubet. U. c. 598. A. C. 154. *Legati Romani a Liguribus violantur.*

XXXI. His ita gestis, hosti procedit obviam, ubi Oxybiorum juventutem consedisse acceperat. Illi jam ad hominum millia quatuor convenerant, nondum adjunctis Deceatibus, numerus ad sustinendum consularem exercitum perquam exiguus. sed desperatio, placari Romanos post commissum in legatos facinus posse, in eam amentiam adegerat efferatos, ut, non exspectato sociorum auxilio, ad pugnam contra Romanos egrederentur. Commovebat consulem hostium audacia: sed, nulla omnino ratione temeritatem istam niti videns, ut erat vir militaris rei peritus, et ingenio mirifice sagax, certa cum spe victoriae contra educit aciem: cohortatusque pro tempore militem, lento passu in hostem iri, deinde, ubi cominus ventum esset, acerrima impressione turbari hostium antesignanos jubet. Salutaris haec admonitio fuit. vix primum impetum tulere hostes; inde effusa fuga cesserunt. Jamque Deceates, ut serum post cladem auxilium, ita fugientibus non inutile praesidium aderant. Cum his quoque proelium aliquanto pertinacius, sed eventu *Opimius Ligures vincit.*

Cap. XXX. Polyb. leg. 134.

U. c. 598. A. C. 154. simile fuit. Victi seque et civitatem fidei Romanorum permisere. Consul ex agro capto deditoque, quam potuit plurimum, Massiliensi populo dedit: utque securitati eorum etiam in posterum consuleret, obsides Ligurum ire Massiliam, statisque temporibus permutari a suis imperavit. Jussis deinde tradi armis omnibus, et sic confecto bello, exercitum hibernandi causa per oppida Oxybiorum Deceatumque divisit.

Ptolemaeorum bellum et pax.

XXXII. Q. Opimio ad bellum profecto, Romam iterum Ptolemaeus Philometoris frater venit: ostensisque cicatricibus, dolo fratris se petitum arguit, multa arte Patres ad commiserationem suae sortis et odium fraternae crudelitatis illiciens. Neque apud occupatos animos Neolaïdae et Andromachi (hi ab majore Ptolemaeo legati aderant) defensio valebat: quorum senatus ne verba quidem ad aures sustinebat admittere. His igitur continuo ex urbe jussis discedere, legati quinque decreti sunt, quorum principes Cn. Merula, L. Thermus fuere: totidem iis decretae quinqueremes, dataque mandata, uti Ptolemaeum in Cypri regnum deducerent. Scriptum etiam Graecis et Asiaticis sociis, *nihil contra voluntatem senatus facturos, si eo in negotio minorem Ptolemaeum adjuvissent.* Ceterum eventus belli pro majore Ptolemaeo fuit. qui, in Cyprum magno cum exercitu veniens, primo Archiam praefectum suum, qui Demetrio insulam prodere voluerat, honores apud ipsum eximios et quingenta insuper talenta pactus, amovit. deinde cum fratre, qui multorum instructus auxiliis occurrerat, proelio congressus, victum in urbem Lapithum compulit: necessitate deinde ad deditionem coactum non modo dimisit incolumem, sed etiam Libyen Cyrenesque regnum reddidit ei: pro Cypro urbes quasdam et frumenti annui certum assignavit modum, etiam filiae suae matrimonium pollicitus. Quae partim ingenii mansuetudine feciſſe creditus, laudem invenit apud scriptores; partim, ut putant, quia Romanos metuebat, si quid in fratrem, quem protegebant illi, severius statueret.

Prusias Attalo insidias tendit.

XXXIII. Ita compositis Aegyptiacorum regum controversiis, Asiam adhuc ardere bello, Prusiaeque in-

Cap. XXXI. Liv. Epit. Polyb. Cap. XXXII. Polyb. leg. 132. Polyb. apud Vales. et Suidam in *Προτείνειν*, et *Προσαγγελία*. Euseb. Chron. Gr. p. 54. Polyb. apud Vales. f. Diodor. apud Vales. Liv. Epit. Zonar. Polyb. Diod. Euseb.

juriis Attali regnum devaſtari, reversi Pergamo legati renunciabant. Quippe Prusias parum eo territus, quod res Attali senatui populoque Romano cordi esse audiebat, nihil ad evertendum eum violentiae fraudisque, nihil ad despiciendam senatus auctoritatem contumeliarum reliqui fecerat. Quum enim a L. Hortensio ceterisque legatis noſtris bellum cum Attalo, populi Romani socio atque amico, gerere vetaretur, parere gravatus, ad disceptationem controversiarum vocantibus obsequuturum simulavit. Conſtitutum erat, ut ad fines regnorum cum millenis equitibus invicem occurrerent. Id Prusias opportunum perfidiae tempus esse judicans, legatos praemittit ad Attalum, qui adfuturum paulo poſt cum numero definito nuncient. Ipse interea ad opprimendum inimicum universas copias concitat: parumque abfuit, quin sceleris praemio potiretur, nisi Attalus legatique Romani, qui cum illo erant, de dolo admoniti, celerrima fuga praeparatum discrimen evasiſſent. Prusias, direptis etiam legatorum impedimentis, Pergamum, quo illi cum Attalo confugerant, adducit exercitum. Erat ante urbem Aesculapii celebre fanum, ubi, re divina facta, quum litaviſſet, honore ad superſtitionem usque profuso numen veneratus, in caſtra rediit. Poſtridie vero, admotis ad Nicephorium copiis, quem lucum rex Eumenes fanis et omni donariorum genere perornaverat, cuncta foeda ruina pervaſtat, delubra incendit, ſtatuas sedibus suis avellit, ne Deorum quidem simulacris parcens. inter quae sustulit et Aesculapii signum, Phyromachi nobilis artificis opus, id ipsum, quod pridie tanta cum religione adoraverat. Is turbatae menti error inerat, quam nulla veri juſtique scientia ſtabilitam abripiebant affectus: modo ad muliebris superſtitionis ineptias cogente metu, modo ira ſtimulante ad violanda per contumeliam, quae paulo ante supra modum decorumque coluerat. U. c. 598. A. C. 154.

XXXIV. Neque melior ipsi deinde rerum eventus, quam pro tanta protervia, fuit. Nullo apud Pergamum virili opere edito, Elaeam, quod Attali regis emporium et navale erat, a Pergamo quindecim diſſans pas- *Rem infeliciter gerit.*

Cap. XXXIII. Polyb. leg. 133. Appian. Mithrid. Polyb. Diodor. Suidas in *Προυσίας*. Strabo l. 13. p. 624. Appian. Polyb. apud Vales. Plin. 34, 8. Polyb. Cap. XXXIV. Polyb. apud Stephan. in *Ελαία*. Strabo, l. 13.

U. c. 598. A. C. 154. suum millia, obsedit. Qua nequidquam tentata, (nam Sosander collactaneus regis cum praesidio ingressus oppidum fuerat) exercitu cetero terrestri itinere domum reverti jusso, ipse navibus contendit Thyatira, ne in reditu quidem ad violanda Deorum templa segnior. Nam ad Hieran Comen Dianae spoliavit fanum: Apollinis autem Cynei aedem, quae in Temno fuit, non spoliavit modo, verum etiam incendio consumpsit. Atque huc deinde relatum est, quod et pedestres copiae profluvio alvi pleramque partem interierunt, et classis partem subita tempestas in Propontide cum ipsis hominibus mersit, aliam, in loca importuosa compulsam, tabulis armamentisque confractis reddidit inutilem. Haec ubi Patres acceperunt, ob absurdum et infestum Prusiae facinus ira accensi, continuo legatos decem decrevere, qui finire bellum, et Attalo pro illatis injuriis satisfacere eum cogerent. In his L. Anicius, et C. Fannius, et Q. Fabius Maximus fuerunt.

Censura M. Messallae, C. Cassii. XXXV. Censores hoc anno creati sunt M. Valerius M. F. M. N. Messalla, C. Cassius C. F. C. N. Longinus: quorum Valerius ipse aliquando censoria nota perstrictus fuerat. Atque ut hic priorem ignominiam novis honoribus delevit, ita L. Cotta tribunus plebis magistratus sacrosancti dignitatem vili animo factoque polluit; ne creditoribus suis satisfaceret, tribunatus praescriptione turpiter abusus. Sed non mens eadem reliquo collegio fuit: decreveruntque consensu, *ni L. Cotta aes alienum dissolveret, aut sponsores daret, appellantibus se creditoribus auxilio futuros.* Haec Romae gesta. Ceterum in Hispania res parum prosperae fuerunt. Calpurnius Piso praetor, a Lusitanis duce Punico victus, aliquot millia militum cum Terentio Varrone quaestore amisit. Victor Punicus ad Oceanum usque promovit signa, concitatisque in arma Vettonibus, agrum Blastophoenicum (sic appellant progeniem ex Africa per Hannibalem transductorum) omni clade belli vastavit, quod ii fidem Romanis datam constanter tuebantur. Successus iste multis et aliis Hispaniae populis animos ad rebellandum fecit.

XXXVI.

Cap. XXXIV. Polyb. apud Vales. Diodor. apud Vales. Polyb. legat. 133. Cap. XXXV. Fasti Capit. Val. Max. 2, 9. Val. Max. 6, 5. Liv. Epit. Jul. Obseq. Appian. Iber.

XXXVI. Unde, quia majores jam motus timebantur, comitia consularia citius haberi, consulesque designatos (Q. Fulvius M. F. M. N. Nobilior, T. Annius T. F. T. N. Luscus erant) ante diem Kalendas Januarias inire magistratum placuit: quum eatenus Idus Martiae solennis ei negotio dies fuissent. T. Annius Gallos, nam et ii in armis erant, provinciam habuisse videtur: Nobilior in Celtiberos, qui Belli cognominantur, est profectus. Illi, tumultuum per Hispaniam auctores, Segedam incolebant, urbem magnam et opulentam, quam foederi suo Ti. Gracchus, quum Hispaniam ordinaret, adscripserat. Eam tum, coactis deserere minora oppida incolis, augebant barbari, murumque stadiorum quadraginta circum exstruebant; etiam Titthis, vicina gente, in eadem compulsis. Neque parere senatui voluerant, vetanti novari quidquam, tributaque et auxiliares copias imperanti. Quippe *foedere Gracchano perscriptum quidem* afferebant, *ne urbes novas conderent; veteres quin instaurarent munirentque, nihil exceptum: tributorum vero et militiae vacationem ab ipso senatu post Gracchi foedus datam.* Neque aberat hoc a vero: sed immunitas ista quum a senatu conceditur, addi semper solet, *manjuram, donec senatui populoque Romano videatur.*

U. c. 599. A. C. 153. Q Fulvio, T. Annio Coss.

Ineundi consulatus tempus mutatum ob Hispania bella.

XXXVII. Et Segedenses quidem, cognito consulis adventu copiisque, nam ad triginta hominum millia edducebat, quia nondum permunita urbs erat, ad Arvaccos cum uxoribus et liberis perfugerunt. Arvacci, protinus consociatis viribus, Caro Segedensi summam rerum deferunt, viro bellicis certaminibus exercitato: qui proximo statim triduo, quum iter facere praeter loca insidiis opportuna Romanos comperisset, captata occasione, cum peditum viginti millibus, equitum quinque, impetum fecit. Post acrem et diuturnam pugnam vertuntur in fugam Romani: deletusque foret occidione exercitus, ni equites, ad custodiam impedimentorum relicti, pugnam redintegrassent, postquam inter insequendum Celtiberorum quoque turbatos esse ordines animadverterunt. Nocte demum incumbente, proelium diremptum est, haud levi utrimque damno. Quippe Carus imperator hostium et cum eo sex millia ceciderunt, et par numerus civium Romanorum desideratus est. Dies etiam ipsa (Vulcanalibus pugnatum

Q. Fulvius improspere cum Segedensibus pugnat.

Cap. XXXVI. Liv. Epit. Cassiod. Chron. Marianus Scot. Appian. Iber. Cap. XXXVII. Flor. 2, 18. Appian.

U. c. 599. A. C. 153. fuerat) ex eo tempore inter atras habetur. Arvacci, Numantiam ea nocte digressi, novos imperatores Ambonem et Leuconem constituunt.

Alia pugna cum iisdem dubii eventus.

XXXVIII. Consul, refectis suorum animis, tertio post die iterum ad hostem ducit, et ad tria millia passuum ab urbe ponit castra. Quo quum opportune auxilia Masiniſſae regis, Numidae trecenti cum decem elephantis, advenissent, copiam pugnandi hostibus facit. Qui quum et ipsi ferociter procurriſſent, subito diductis suorum ordinibus, collocatas ad hoc a tergo belluas ostendit nec opinantibus. Hostes equi virique, novo spectaculo conterriti, effusa fuga urbem repetunt. instat fugientibus consul: jamque sub ipsos muros pertinaciter certabatur, quum unus ex elephantis, saxo caput saucius, ingenti barritu, et mox tumultu ac strage, complevit omnia. nam et ceteri, voce hujus excitati, eodem furore suorum perrumpebant sternebantque manipulos. Numantini, contuiti haec ex moenibus, ubi Romanos impetum belluarum solutis ordinibus declinare vident, erumpunt portis, palatosque assequuti, ad quatuor hominum millia, et elephantos tres interficiunt, multisque armis signisque militaribus potiti, cum tripudio sui moris in oppidum revertuntur: quum ipsorum quoque duo ferme millia periiſſent. Hac fortuna non insolenter usi hostes, misere legatos ad pacem aequis conditionibus petendam: responsum est ex dignitate Romani nominis, *pacem nisi deditis dari non posse.*

Plura deinde detrimenta iisdem locis.

XXXIX. At consul, ut primum confirmare suos ex adverso casu potuit, Axenium urbem petivit, ubi Celtiberi commeatuum vim magnam comportaverant. Ne hujus quidem loci felix oppugnatio fuit, desideratisque haud paucis, ceteri noctu se in castra receperunt. Ex castris deinde praefectum equitum Biesium misit, ut a vicina quadam gente auxiliarios equites adduceret. Excepere Celtiberi redeuntem: insidiisque eorum conspectis, sociorum equitatus fugit, Biesius multique cum eo Romani fortiter pugnantes occubuere. Tam crebris bellorum offensionibus sollicitati sociorum sunt animi: et Ocilis urbs, gentibus illis clara, ubi annona et pecuniae Romanorum servabantur, ad Celtiberos defecit. Consul, etiam ceteris idem animi esse suspicatus, sub pellibus hiemavit. ibi multi mili-

Cap. XXXVIII. Diodor. apud Fulv. Ursin. Cap. XXXIX. Appian.

tum penuria aut frigore, saeviebat enim acris hiems, exstincti sunt. Hoc initium fuit Numantini belli, quod magna cum clade ac ignominia populi Romani vicesimum ad annum productum est: tanta plerumque violentia, ut non tam de eo, uter populus imperaret, quam uter esset, susceptum videretur. U. c. 599. A. C. 159.

XL. At in ulteriore Hispania L. Mummius praetor cum Caesara, quem in occisi ducis Punici locum sufecerant hostes, collatis signis dimicavit. Pulsus cum clade Hispanus, ubi victorem exercitum temere insequi, neglectis ordinibus, videt, cohortatur suos, convertit agmen, occisisque de Mummii exercitu novem millibus, praedam castraque jam amissa non modo recuperat, verum etiam castris Romanis potitur. Mummius, cui quinque circiter millia militum supererant, non ausus praeterea copiam pugnandi facere, tutis locis castra ponens, intra vallum studiose exercebat suos, donec parumper animos territorum confirmaret. Tum, in praetervehentes praedae partem barbaros eruptione facta, disjecit hostem, praedamque et signa, quae amiserat, militaria recuperavit. Iisdem diebus colentes cis Tagum amnem Lusitanorum civitates, Caucono duce, Cuneos invasere, socios populi Romani, urbeque ampla ac potenti (Conistorgin vocabant) expugnata, trajecerunt oceanum: inde, divisis copiis, pars adversam continentem populabatur: alii urbem Ocilen obsidione cinxerant. Ibi vero L. Mummii par industria et felicitas fuit. Contractis suis et sociorum viribus, in universum equites quingenti cum novem peditum millibus erant, primo populatores aggressus, quindecim eorum millia interfecit: inde ad Ocilen transduxit exercitum, magnaque et ibi strage Lusitanorum edita, obsidionem solvit. Postremo agmen adortus, quod praedam ex agris raptam avehebat, occidione occidit, ut ne nuncius quidem cladis supereffet. Ex praeda, quantum ferri poterat, militibus datum; cetera omnia praesidibus bellorum Diis incendi praetor exurique jussit. *L. Mummius in ulteriore Hispania male pugnat.* *Deinde egregie.*

XLI. Interim in Asia rex Attalus, magno per hiemem exercitu coacto, ad bellum Prusiae inferendum se parabat, adjutus etiam auxiliaribus Cappadociae Pontique regum copiis, quas Demetrius Ariarathis *Attali bellum cum Prusia.*

Cap. XXXIX. Strabo, l. 3 p. 162. Cic. de Off. 1, 12. Cap. XL. Appian. Diod. 31, 5. Appian. Eutrop. Appian. Cap. XLI. Polyb. leg. 135.

U. c. 599. A. C. 153. F. adduxerat. Cadis tum erat, ita sito oppido, ut inter Phrygas Mysosque ambigui soli habeatur, quum decem, quos senatus miserat, legati ad eum venere. Ii deinde, colloquio cum rege de communibus rebus habito, recta perrexerunt ad Prusiam. Prusias, auditis senatus mandatis, cavillando tempus trahere nixus est, alia quidem se facturum afferens, alia minime. Unde offensi decem legati, renunciata illi societate, continuo ad Attalum se receperunt. quos aliquantisper prosequutus Prusias, multisque blanditiis placare conatus, postquam frustra se esse videt, anxius jam et magnitudinem periculi serio reputans, in regnum rediit. Legati, monito Attalo, ut, sua defendere contentus, bello sponte inferendo abstineret, inter se constituerunt, ut pars ad haec omnia renunciánda senatui Romam reverteretur, ceteri, per loniam Hellespontumque et vicinos Byzantio populos discurrentes, abstraherent a Prusia hominum animos, Attaloque conciliarent.

Prusias in angustias redactus pacem accipit.

XLII. Ita non multo post tempore frater regis Athenaeus cum classe navium tectarum octoginta navigare in Hellespontum potuit. Ex his quinque triremes Rhodiorum erant, Cyzicenorum viginti, quibus suarum septem et viginti Attalus addiderat: reliquae ab aliis sociis submissae fuerant. Cum his Athenaeus, ut quamque urbium Prusiae praetervehebatur, excensione facta, magnam ubique vastitatem terroremque faciebat. Unde summas in angustias redactus Prusias gratanter accepit, quod Ap. Claudius, L. Oppius, A. Postumius legati ab senatu ad finem bello imponendum venerunt. Patres enim, edocti a prioribus, quo loco res Asiae essent, confestim hos jusserant proficisci. Horum opera convenit, *ut Prusias Attalo regi naves tectas viginti statim; deinde, intra proximos annos viginti, talenta quingenta daret: ager utriusque iis finibus esset, quibus ante bellum fuisset: Mesbymnaeis, Aegiensibus, Cumaeis, Heracleotis damni, quod a Prusia passi essent, nomine talenta centum penderentur.* Hoc foedere perfecto, Attalus cum pedestribus simul equestribusque copiis domum est regressus.

Achaeorum legati de ex-

XLIII. At in urbe quum iterum de iis, qui ex Graecia fuerant evocati, verba a legatis Achaeorum

Cap. XLI. Strabo, l. 12. Polyb. Cap. XLII. Polyb. leg. 136. Appian. Mithrid. Polyb. Cap. XLIII. Polyb. leg. 137.

in senatu facta essent, senatus nihil mutandum censuit. Quo quidem tempore, quum multi de ea re sermones fierent, M. Cato, perpetuus Carthaginis hostis, dixisse fertur: *tamquam deesset, quod ageremus, sedemus hic de scenibus Graeculis deliberantes, a nostrisne an ipsorum scandapilariis sint efferendi.* Solebat enim omnibus sententiis, quas dicebat in senatu, subjungere: *hoc censeo, et Carthaginem delendam.* Tunc autem recenti metu providentiam viri simulabat reversa ex Africa legatio, quae nuper specie disceptandarum cum Masinissa controversiarum magnam vim navalis materiae Carthagine deprehenderat. Inter haec, durantibus Hispaniae bellis, et a Poenis impendente metu, necessarium visum indulgeri justis provinciarum querelis, quas de magistratuum Romanorum avaritia ad senatum detulerant. Itaque severe exercitae sunt leges, damnatique aliquot praetores, qui in extorquenda capiendaque pecunia egressi modum fuerant.

U. c. 559. A. C. 153. *sulibus suis iterum interpellant frustra.*

Cap. XLIII. Plut. Apophth. Rom. Appian. Libyc. Flor. 2, 15. Diod. apud Vales. p. 382. Plin. 15, 18. Plut. Cat. Maj. Liv. Epit.

EPITOME
LIBRI QUADRAGESIMI OCTAVI.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia. Semina tertii belli Punici referuntur. Quum in finibus Harthaginiensium ingens Numidarum exercitus, duce Ariobarzane, Syphacis nepote, diceretur esse, M. Porcius Cato suasit, ut Harthaginiensibus, quum Ariobarzanem, specie contra Masinissam regem, sed

Lustrum a censoribus conditum est] Ultima vox non adparet in Leid. Tum *CCCXXIII. millia* Voss. Praeterea *Semina belli tertii Punici* Norv. Hearnii, et edd. vett. praeter eam Campani, quae cum omnibus scriptis meis vulgatum verborum ordinem, a Frob. anno 1531. restitutum, servat.

Maximus Numidarum exercitus, Archobarzane duce] Membranae continent *Ariobarzane*. DELR. MSS. *ingens Numidarum exercitus, duce Ariobarzane*. J. FR. GRON. *ingens Numidarum exercitus* etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Pariter *maximus*, pro *ingens*, primi editores dederunt infra Epit. 60. Vide ad Epit. 51. Tum *Ariobargene duce* Lov. 2. *duce Ariobolarane* Boend. *duce Arthobarzane* ed. Camp. *duce Archobarzane* Berg. *duce Ariobarzane* Leid.

Ut Karthaginiensibus, qui exercitum specie contra Masinissam regem, sed re vera contra Romanos] Membr. Barber. et Gud. minores *Carthaginiensibus, cum Ariobarzanem contra Masinissam*. Quae probo: modo addat omissum per errorem *τὸ specie*. Particulam *cum* sic accipi notavimus ad lib. 39, 12. J. FR. GRON. *ut Karthaginiensibus cum Ariobarzanem contra Masinissam regem, contra Romanos* Leid. Vox *specie* etiam abest a Voss. *sed re vera* absunt a Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei; quorum loco *sed vere* praeferunt Boend. et ed. Camp. Verum illa *specie* et *re vera*, haud facile mutanda. Livius enim, quem hic auctor Epitom. imitatur, *speciem* et *rem* obponere solet. Vide ad 39, 35, 4. Paullo ante *Cato suaserat* Berg. In sequentibus *contra Romanos acceptum* idem Berg. Vide ad 23, 17, 7.

P. Cornelio Nasica, placuit legatos mitti Karthaginem] Vox *Nasica* deest in Voss. *P. Scipione Nascica* praefert Boend. Sed infra hac Epitome *Cornelius Nasica* memoratur. Tum *mitti*

re vera contra Romanos, adcitum in finibus haberent, bellum indiceretur. Contradicente P. Cornelio Nasica, placuit, legatos mitti Karthaginem, qui specularentur, quid ageretur. Castigato senatu Karthaginiensium, quod contra foedus et exercitum et navales materias haberent, pacem inter eos et Masinissam facere voluerunt, Masinissa agro, de quo lis erat, cedente. sed Gisgo, Hamilcaris filius, homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, quum senatus pariturum se judicio legatis dixisset, ita bellum adversus Romanos suadendo concitavit, ut legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit. Id nunciantes, infestum jam senatum Karthaginiensibus,

ad Karthaginem Boend. Deinde *quibus specularentur* Pithoeus in cod. invenit; unde scribendum conjecit *qui ibi specularentur*. Verum noſtri codices hic nihil mutant.

Contra foedus exercitum et navales materias haberent, pacem inter eos et Masinissam facere voluerunt] *et exercitum, et navales materias* Voſſ. Leid. Berg. et Lov. 2. Infra h. Epit. *Dicerentque, et exercitum se et classem Karthagine deprehendisse*. Vide ad 2, 44, 3. Tum *inter Masinissam et eos* Norv. Hearnii, et edd. vett. praeter illam Campani, quae vulgatum a Grutero reſtitutum praefert. Neque aliter scripti noſtri. Praeterea *facere noluerunt* errore librarii Voſſ. Vide ad 30, 15, 11. Paullo ante *Castigato Karthaginiensium senatu* ed. Camp.

Qui tunc in magistratu erat] *qui tum* Leid. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad 2, 12, 12. *qui tamen* Voſſ. Vide ad 22, 17, 5. Mox *pariturum se judicio legatis dixisset*, pro *legatorum*, Voſſ. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. quod tot codicum fide recepi. Hinc *bellum concitavit adversus Romanos, suadendo*, alio ordine, Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Ut legatis, quo minus violarentur, fugam explicuerit] Emenda ad fidem antiqui libri: *ut legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit*. SIGON. Eaedem *expedierit*. Parum refert. Libro sequente: *a Scipione expliciti sunt*. Florus 4, 2. *Duas tamen aestus explicuit*. J. FR. GRON. *ut legatis, quo minus violarentur*, (*violaretur* Voſſ.) *fuga explicuerit* Voſſ. Berg. et Lov. 2. *ut legati violarentur, fugam expedierit* Boend. nec aliter ed. Camp. nisi quod *expedierint* servarit. Quod ante Sigonium legebatur, exſtitit in Norv. Hearnii. *ut legatis, quo minus violarentur, fuga expedierit* Leid. Sed *expedierit* ex glossa τοῦ *explicue-*

infestiorem fecerunt. M. Porcius Cato filii, in praetura mortui, funus tenuissimo, ut valuit, (nam pauper erat) sumtu fecit. Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniae, ingenti adseveratione mentiretur, Romam missus. M. Aemilius Lepidus, qui princeps senatus ab sextis jam censoribus erat lectus, antequam exspiraret, praece-

rit natum puto. Infra Epit. 68. *Quum virtute sua expliciti fugientem proconsulem exercitumque secuti in Italiam trajecissent.*

M. Porcius Cato filii in praetura mortui funus tenuissimo, ut valuit, (nam pauper erat) sumtu fecit; M. Porcii Catonis filii Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei, quae lectio proba ri nequit, nisi conjiciamus, vocem *pater* post *τὸ funus* excidisse. Sed vulgatum servo. Tum *funus mortui filii in praetura* Hearnii Norv. omnesque edd. ante Gronov. qui anno 1665. voces in ordinem nunc receptum digessit, consentientibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Praeterea *tenuissime, ut potuit, nam et pauper erat, sumtum fecit* Voss. *tenuissimo, ut potuit, nam pauper erat, fecit* Leid. *tenuissime, ut potuit, celebravit, nam pauper erat, sumtum fecit* Boend. et ita etiam ed. Camp. nisi quod *tenuissimo sumtu* servet. *ut potuit* etiam Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Verum id alterius glossema esse videtur. Certe ita codd. variasse apud Suet. in Calig. 34. viri docti ad eum locum observarunt. *nam et pauper erat* etiam Lov. 2. Quod autem ad paupertatem adtinet, observat Clariss. Crevierius ex Plutarcho in Cat. Maj. Catonem pecuniae colligendae studiosissimum fuisse, nec male ei rem cessisse. Ceterum Gellius testatur, 13. Noct. Att. 19. majorem Catonis filium *praetorem designatum mortuum fuisse.* Sed auctori Epitomes consentit Plut. in Cat. Maj. pag. 251. *ὁ δὲ πρεσβύτερος υἱὸς ἐτελεύτησε ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ.* Cui propterea adhaerere maluit Pighius in Ann. ad A. V. 1301. pag. 435.

Andriscus, qui se Persei filium] *quod se Persei filium* Berg. V. ad 37, 35, 4. Tum *mentiebatur* Leid.

Qui princeps senatus sextis jam censoribus erat lectus] Lege *ab sextis.* Sic Liv. lib. 43, [15, 6.] *M. Aemilius Lepidus princeps senatus ab tertiis jam censoribus erat lectus.* SIG. Sic Sigonius: at nobis in Voss. et Gud. nec *τὸ ab*, nec *τὸ erat* occurrit. Dele igitur et *τὸ qui.* Ut sit: *Lepidus, princeps senatus sextis jam censoribus lectus, antequam.* J. FR. GRON. *qui princeps senatus sextus jam censoribus lectus fuerat* Voss. *qui princeps senatus et sextus jam censoribus lectus* Leid. *qui princeps senatus sextis* (*sextus* Berg. et Lov. 2.) *jam censoribus lectus* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. nisi quod *electus* sit in Berg. *sextus*, pro *ab sextis*, Exc. Pithoei. Lectio, quae ante Sigonium obtinuit, superest in Norv. Hearnii.

Lecto se strato sine lintcis,

pit filiis, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent; in reliquum funus ne plus, quam aeris denos, consumerent: imaginum specie, non sumtibus, nobilitari magnorum virorum funera solere. De veneficiis quaesitum. Publicia et Licinia, nobiles feminae, quae viros suos consulares necasse insimulabantur, cognita caussa, quum praetori pro se va-

sine purpura efferrent] *se* vet. lib. deeſt. DELR. *sine linteis* Vlitius intelligit sine lineis, ad Gratii Cyneg. vers. 87. Perizonius ad marginem Livii emendavit *strato linteis sine purpura*. quod verius videri poteſt. Vix enim *lintea* tanti pretii fuiſſe videntur, ut se illis efferri Lepidus prohiberet.

In reliquum funus ne plus, quam aeris denos, consumerent] Barb. et Gud. minor: *ne plus deunce*. Suspicabar *decusse*, vel *decussis*. Voſſ. *ne plus quam aeris decas*. Gud. major: *ne plus, quam aeris decus, consumerent*. Recte: sic enim loquebantur breviter: *quatrus, septus, octus, nonus, decus*, pro *quatrussis, septussis, octussis, nonussis, decussis*. Vide Volusium Maecianum. J. FR. GRONOV. *in reliquum funeris* Leid. Deinde *ne plus, quam aeris decies* Berg. Boend. et ed. Camp. quomodo etiam Pithoeum conjecisse, Hearne teſtatur. *ne plus, quam aeris deuncem* Lov. 2. *ne plus deunce* Leid. Locus omnino corruptus eſt. Mihi enim persuadere nequeo, auctorem vel scripsiſſe *quam aeris denos*, ut olim edebatur, vel *quam aeris decus*, ut Gronov. legendum conjecit, et in contextum recepit. Haec enim pecuniae summa minor erat, quam ut ea cujusquam cadaver, etiam frugalissimo populi Romani tempore, sepeliri posset. Neque placet etiam *quam aeris decies*, id eſt decies centena millia assium, ut Pithoeus malebat; illa enim pecuniae summa major videtur, quam ut convenire possit. Exemplo igitur Crevierii, Freinshemium imitati, qui in supplemento hujus lib. cap. 9. in genere *modicam pecuniam* memorat, ἐπέχω.

Nobilitari magnorum virorum funera solere] Ita se in Jac. Susii cod. reperisse, teſtatur Pighius in Annal. ad A. V. 1011. pag 437. idque praeſtare judicat; quod Gruteri ed. ultima recepit. Neque aliter Leid. Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Reliqui typis descripti praeferunt *maximorum virorum*, quod servant Exc. Pithoei, et Norv. Hearnii. Vide ad Epit. 51.

De veneficiis quaesitum. Publilia et Licinia, nobiles feminae] Vet. lib. *Poblicia*. SIGON. *De veneficis quaesitum* Lov. 2. Vide ad 31, 6, 6. *De veneficiis questum* Boend. et ed. Camp. Vide ad 2, 38, 1. *De veneficio quaesitum* Leid. *De veneficio quaesitum Publiae et Liciniae. Nobiles* Voſſ. et Lov. 2. *De veneficio quaesitum Pub^ae ac Licinie. nobiles* Berg. *Publia et Licinia* Boend. et edd. principes. *Publica et Licinia* Norv. Hearnii. Recte *Publicia*, sive *Poblicia* Sigonius emendavit. Utriusque hujus feminae meminit etiam Valer. Max. 6, 3, 8.

des dedissent, cognatorum decreto necatae sunt. Gulussa, Masinissae filius, denunciavit, Harthagine delectus agi, classem comparari, et haud dubium bellum strui. Quum Cato suaderet, ut iis bellum indiceretur, P. Cornelio Nasica dicente, ni-

Quae viros suos necasse insimulabantur] MS. *quae viros suos singulares necasse*. An *consulares*? nam idem codex lib. 2. [Epit. Liv.] ubi vulgo, et recte, *Sp. Cassius consularis*, habet *Sp. Cassius vir singularis*. Fuit certe consularis alter L. Postumius. Vide Valer. Max. lib. 6, 3. Sic conjeceram: nunc *viros suos consulares* plane scriptum in Vossiano et duobus Gud. reperi. J. FR. GRON. Val. Max. 6, 3, 8. scribit, a Publicia Postumium Albinum *consulem*, a Licinia Claudium Asellum, maritos, veneno necatos esse. Postumius potuit esse, quod Pighius putat, L. Postumius Albinus, quem consulem A. V. 1xcix. in magistratu mortuum Fasti Capitolini produnt. Claudiorum, qui circa haec tempora consules fuerunt, nulli cognomen fuit *Asellus*. Itaque Auctor Epit. fortassis non recte dixit *viros suos consulares* Valerius Max. Postumium *consulem* vocat, Claudium neque *consulem*, neque *consularem* DUK. *quae viros suos necis insimulabant* Boend. *quae viros suos consulares necasse insimulabantur* Leidens. Berg. et Lov. 2. Cum vulgatis edd. faciunt Norv. Hearnii, et Exc. Pithoei.

Quum praetori pro se vades dedissent] Hanc hujus loci germanam esse scripturam, contendo. Nam, ut omittam, eam in vet. lib. inveniri, vulgata *cum praetori praedes vadesque* oppido, si Ausonio credimus, frivola est, quoniam *praedes* et *vades* diversa sunt, ac Publicia atque Licinia capitis arcessebantur. Versus Ausonii sunt [Idyll. 12.]

Quis subit in poenam capitali judicio? Vas.
Quod si lis fuerit nummaria, quis dabitur?
Praes.

Paullus quoque, ex Festo, ait *Vadem sponsorem significare datum in re capitali*. DELR. Hic rursum Susiani codicis lectionem praefero, in quo sic habetur: *cum praetori pro se vades dedissent. Vades* autem, teste Festo, proprie vocabantur sponsores dati pro reis in re capitali, ne in vinculis haberentur; *praedes* vero, qui populo se obligant ad satisdandum, quae vox hic otiosa plane videtur. PIGHIUS in Ann. ad A. V. 1cii. p. 437. *Praedes* nihil huc pertinent. Pighius ex cod. Susiano, *cum praetori pro se vades dedissent*. Voss. *pretes vades dedissent*. Gud. *cum praetore praedictos vates dedissent*. Minor *plures vades*. Forte igitur: *cum praetori praedictos vades dedissent*. id est, quos ille ab iis postulaverat. Nisi malis: *cum a praetore die dicta vades dedissent*. J. FR. GRON. *cum praetore praedes vades dedissent* Exc. Pithoei. *cum praetori praedes vades dedissent* Lov. 2. *cum praetori preces vates dedisset* Boend. *cum praetori preces vates dixissent* Berg. *cum praetori plures vades dedissent* Leid. Posteriorem Gronovii sententiam maxime perspicui sensus esse, sed longius a Mss abire, Crevierius putavit. At Delrii et Pighii conjecturam, codi-

hil temere faciundum, placuit, decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus consules, quum delectum severe agerent, nec quemquam gratia dimitterent, ab tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non pote-

cum auctoritate firmatam, donec integrior lectio adpareat, in contextum admisi.

Masinissae filius, denunciavit] Margo exemplaris Pithoei apud Hearnium *nunciavit*. Nihil muto. *denunciare* etiam est indicare, significare. Livius 45, 1, 8. *Consul ex auctoritate Patrum pro foris publicis denunciavit populo, L. Aemilium collegam signis collatis cum rege Perseo pugnasse.* DUK. *nunciavit* etiam Leid. Berg. et Lov. 2. quod Crevierius malebat. Ego Dukeri sententiae adhaereo. Liv. 42, 24. *Denuncietque Karthaginiensibus, ut ad disceptandum veniant.* 45, 32, 8. *Ludicrum* etc. *et in Asiae civitates et ad reges missis, qui denunciarent, indixerat principibus.* Solent autem et alibi ita variare librarii. Exemplum habuimus ad 28, 26, 15. Mox *Karthagini* Boend. Vide ibidem §. 1. Praeterea *delectus stet agi* Voss. quod non adsequor.

Haud dubium bellum strui] Margo exemplaris Pithoei apud Hearnium *haud dubie*. Et sic, incertum ex editis quibusdam, an e conjectura, citat Pighius ad A. V. 1011. J. Fr. Gronovio in Livio non uno loco displicuit *haud dubie*. intactum tamen reliquit 40, 54, 3. *Alter filius haud dubie et sua et aliorum opinione rex.* Non multum interesse puto, utrum legatur. Vide ad Liv. 30, 32. DUK. *haud dubie* etiam Lov. 2. Boend. et ed. Camp. V. ad 31, 43, 5. Praeterea *bellum strui* Boend. et ed. Camp. *bellum instrui* Berg. sed prima syllaba ultimae vocis nata videtur ex litera finali dictionis praecedentis. Vide ad 23, 34, 5.

P. Cornelio Nasica dicente, nihil temere faciundum] *P. Corn. Nascica dicendo, nihil temere faciendum* Boend. *P. Cornelius Nasica dicendo nihil temere faciendum*, vel *faciundum* Berg. et Exc. Pithoei. *P. Cornelius Nasica diceret, nihil temere faciendum* Leid. *P. Cornelio dicente, nil temere faciendum* Voss. *faciendum* etiam Lov. 2. et ed. Camp. Mox *decem legatos mitti* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Ab tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non poterant, in carcerem conjecti sunt] *ab caetu plebis* Boend. Tum *suis* deest in Lov. 2. Hinc *impetrare non potuerat* Voss. *impetrare non potuerant* Boend. et edd. Camp. Rom. anni 1472. ac Parm. *impetrare non potuerunt* Norv. et prioribus editionibus proximae usque ad Gruterum, qui substituit *poterant*, concinentibus Leid. Berg. et Lov. 2. Paullo ante *consules* exsulat a Lov. 2. Praeterea *nec quem qua gratia* legunt Exc. Pithoei. *nec quicquam gratia* Lov. 2. *nequaquam gratia* Voss. Ceterum quum auctor Epit. dicat, Lucullum et Albinum consules a tribunis plebis in carcerem conjectos esse, hinc Manutius verba Cic. 3. de Legib. 9. negantis id ante D. Brutum et P. Scipionem consules factum fuisse, oratorie accipit; eumque,

rant, in carcerem conjecti sunt. Quum Hispaniense bellum, parum prospere aliquoties gestum, ita confudisset civitatem Romanam, ut ne ii quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Aemilianus processit, et excepturum se militiae genus, quodcumque imperatum

quod ante perquam raro, vel fortasse etiam semel dumtaxat factum erat, numquam factum dixisse.

Quum Hispaniense bellum parum prospere] *Hispaniense bellum quum parum prospere* Leid. Voss. Norvic. et priscae edd. tantum non omnes usque ad Gronovium, qui anno 1665. voces in eum ordinem, qui nunc obtinet, trajecit, concinentibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Mox *ita* deest in Voss. et Berg. Insuper *confudisset levitatem Romanam* legunt Leid. et Exc. Pithoei. *confudisset lenitatem Romanam* Berg. Tandem *quia aut tribunatum* Norv. Hearnii. Sed ultima litera voci *quia* perperam adhaesit ex initio seq. V. ad 40, 7, 8. Alibi etiam, ubi eadem erroris caussa dari nequit, voces *qui* et *quia* a librariis confunduntur. V. ad 36, 33, 5.

Et excepturum militiae genus] Vet. lib. *et excepturum se*. SIGON. Pariter legunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. adversante Hearnii Norv. Tum *quidquid imperatum esset* ed. Camp.

Ad militandi studium omnes incitavit] Voss. et Gudiani: *quo exemplo omnes ad studium militandi concitavit*. J. FR. GRON. *ad militare studium* Voss. Gronovius edidit *omnes ad militandi studium concitavit*. Verum, ut se in Mstis invenisse testatus est, praeferunt Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. quod recepi.

L. Lucullus consul, cui Claudius Marcellus successerat, pacasse omnes Celtiberiae populos quum videretur] Quemadmodum scriptum est apud Appianum in Iberico, non Lucullo Marcellus, sed Marcello Lucullus successit, quippe qui post Marcellum consul fuerit. Itaque ex Appiani historia sic legendum: *L. Lucullus consul, quum Claudius Marcellus, cui successerat, pacasse omnes Celtiberiae populos videretur, Vaccaeos* etc. SIG. Hoc de conjectura Sigonii receptum est, quum legeretur, *cui Claudius Marcellus successerat*: constat autem, Lucullum successisse Claudio, quem tertium cum L. Valerio Flacco consulem ille, A. Postumio Albino collega, proximo anno secutus est. Barb. et Gud. minor: *successerat, cum lacessère omnes Celtiberiae populi viderentur*. Fortasse, *L. Lucullus consul cum Claudio Marcello, cui successerat, quum lacessere omnes Celtiberiae populi viderentur, Vaccaeos, et Cantabros, et alias*. Nam is Marcellus in provincia legatus Luculli mansit. Suetonius in Vitellio [cap. 5.] *In provincia singularem innocentiam praestitit biennio continuato, quum succedenti fratri legatus substitisset*. J. FR. GRON. Quod ante Sigonium vulgo edebatur, supereſt in Boend. et Norv. nisi quod eorum prior legat *placasse*. Reliqui codd. magis variant. Luculli praenomen

esset, professus est. quo exemplo omnes ad studium militandi concitavit. L. Lucullus consul, qui M. Claudio Marcello successerat, quum lacessere omnes Celtiberiae populi viderentur, Vaccaeos, et Cantabros, et alias adhuc incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Ae-

L. omittunt Voff. Leid. et Berg. quod a proximae vocis litera initiali interceptum videtur. Vide ad 5, 29, 2. Deinde *consul, cui Claudius Marcellus successerat, placasse omnes Celtiberos populos videretur* Voff. *consul, cui M. Claudius Marcellus successerat, quum placasse omnes Celtiberos videretur* Berg. nec aliter Lov. 2. nisi quod *omnes Celtiberiae populos* servet. *consul, cui M. Claudius Marcellus successerat, quum lacessere omnes Celtiberiae populi viderentur* Leid. Ex ejus vestigiis legendum videtur, *L. Lucullus consul, qui M. Claudio Marcello successerat, quum lacessere omnes Celtiberiae populi viderentur.* Conjecturae nihil dedi, nisi quod *qui M. Claudio Marcello* legerim, pro *cui M. Claudius Marcellus.* Prono scribarum lapsu *qui* et *cui* saepius commutantur. Vide ad 9, 34, 14. Quum autem *cui*, pro *qui*, scriptum foret, sponte *M. Claudio Marcello* in *M. Claudius Marcellus* mutari debuit. Gronovii conjecturam probare nequeo, partim quod nimis a codicum lectione abeat, partim quod ex nullo auctore constet, Marcellum Luculli legatum in provincia mansisse. Certe App. Alexandr. in Iber. pag. 282. et 283. refert quidem, Marcellum, anno consulatus finito, in provincia substitisse, et, antequam successor adveniret, bellum, quod cum Celtiberiae populis Bellis, Titthis, et Arvaccis gerebatur, confecisse: post adventum vero Luculli nullam ejus mentionem fecit. Clariff. Crevierius vulgatum unius vocis transpositione et interpunctionis mutatione hoc modo emendat: *L. Lucullus consul, (Claudius Marcellus, cui successerat, pacasse omnes Celtiberiae populos quum videretur) Vaccaeos,* etc.

Vaccaeos, Cantabros, et alias regiones, et iterum alias incognitas nationes in Hispania subegit] Vet. lib. longe melius, *Cantabros, et alias adhuc incognitas nationes.* SIG. Gronovius anno 1665. edidit *Vaccaeos, et Cantabros, et alias.* Cui quum Leid. Voff. Berg. et Lov. 2. consentiant, eam lectionem, quam Doujatius, Clericus, et Crevierius repudiarunt, servavi. Vide ad Epit. 4. in fine. In reliqua parte verborum priscam lectionem probat Norv. Hearnii. At cum vet. lib. Sigonii faciunt Leid. Voff. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Editores Sigonio posteriores recte emendanti obedire recusarunt usque ad Gruterum, qui mutato ordine restituit *alias incognitas adhuc nationes;* quod festinationi, quam innovandi studio, adscribere malo; licet tamen recentiores lectionem a Grutero invectam retinuerint. Praeterea *incognitas in Hispania gentes* Exc. Pithoei.

P. Cornelius Africanus Scipio Aemilianus] *Africanus*, sine du-

milianus, L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum tribunus militum

bio recte, viri docti apud Hearnium delendum censent. Sed et alia quaedam adsuta esse suspicor: nam sufficiebat *P. Cornelius Aemilianus*, ut paulo ante; vel *P. Scipio Aemilianus*, ut Epit. 50. DUK. Vocem *Africanus* delendam censet Gronov. ad Epit. 49. quia nondum id cognomen habebat. Ne tamen, ut viri docti censuerunt, id per prolepsin excusetur, ordo, quem in oratione obtinet, vocem insiticiam esse indicare videtur. Si enim ab auctoris noſtri manu profecta foret, scripsisset *Scipio Africanus Aemilianus*. Ita avus ejus adoptivus in Faſtis Capit. ad A. V. ɔɔlɪv. ubi censura, et ad A. V. ɔɔlɪx. ubi cousulatus secundus memorantur, dicitur *P. CORNELIVS. P. F. L. N. SCIPIO AFRICAN.* At ipse hic Scipio ibid. ad A. V. ɔɔcvɪ. *AFRICAN. AIMIL.* et ad A. V. ɔɔcxɪ. *AFRICANVS. AIMILIAN.* vocatur, prioribus nominibus temporis injuria deperditis.

L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus] Paulli praenomen *L.* exsulat a Leid. *L. Cornelii Paulli* scribarum ignorantia legunt Voſſ. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Praeterea *et adoptivus* Leid. Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. Hearnii, et typis excusi ante Frob. qui anno 1531. recte *sed adoptivus* subſtituit. Alibi saepe particulae *et* atque *set*, vel *sed*, a librariis commutantur. Vide ad 21, 26, 6. Id autem hic tanto facilius accidisse potuit, quod prima litera τοῦ *set*, intercepta sit ab ultima vocis praecedentis. Ita 33, 38, 9. 34, 4, 5. et alibi. Si codices adiscerent, sic apud Virg. emendandum censerem Ecl. 3, 65.

Et fugit ad salices, sed se cupit ante videri.

ubi nunc *et se* editur.

Provocatorem barbarum tribunus militum occidit] *legatus* fortasse melius. Nam in Africa poſtea, ut Appian. in Libyc. [pag. 58.] et Cicero in Somnio [cap. 1.] affirmant, tribunus fuit. quod etiam confirmat Corn. Nepos [Aur. Vict. in Vir. Ill. 58.] Huc accedit, quod ex Hispania in Africam a Lucullo ad Masinissam missus fuit. Quod munus legatorum eſt proprium. ANT. BENDINELLUS Locor. Hiſtor. Annot. cap. 6. Non procedit argumentum Bendinelli, Scipionem ideo potius legatum in Hispania fuisse, quia poſtea in Africa tribunus fuit: quasi vero haec ordinaria militiae promotio foret, ut quis poſt munus legati tribunatum acciperet; quum potius legati summo imperatori in exercitu proximi fuerint. Quin contra ex eo solo, quod in Africa tribunus fuerit, eum antea in Hispania legati munere functum non esse, efficiendum videretur. Nihilominus tamen Appian. in Iber. p. 282. Aur. Vict. in Vir. Illuſtr. cap. 58. et, quem locum Clariſſ. Dukerus indicavit, Ampelius cap. 22. teſtantur, Lucullum Scipione Aemiliano legato in Hispania usum esse: qui alios, quam Livius, annales secuti sunt. Idem App. in Libyc. pag. 32. in genere de hoc Scipione inquit: *ὑποστρατευόμενος Λουκούλλῳ Κελτίβηρσι πολεμοῦντι*, *sub Lucullo adversus Celtiberos bellum gerente militans.* Alibi etiam scriptores tribunos militum et legatos confuderunt. Certe Catonem M? Acilio Glabrioni consuli ad Thermopylas depugnanti alii tribunum, alii

occidit: et in obpugnatione Intercatiae urbis, majus etiam periculum adiit. nam murum primus transcen-

legatum fuisse tradiderunt. Vide ad Livii 36, 17, 1.

Et in expugnatione captae urbis majus multo etiam periculum adiit) Vet. lib. *et in expugnatione interceptae urbis majus etiam.* Unde ego lego *Intercatiae*, testibus historicis omnibus. SIG. Perperam in exemplaribus *in expugnatione captae urbis* habetur: cum rectius legi debeat *in oppugnatione Intercatiae urbis:* non enim expugnata fuit; sed, post oppugnationem repulsam, intercedente Scipione, conditionibus reconciliata Romanis fuit, ut Appianus diserte scribit in Iberica. Paulus Manutius ex vetusto codice correxit *interceptae urbis*, pro *captae.* Verum placet magis ipsum urbis nomen edere, et *Intercatiae urbis* legere. Valer. Max. lib. 3. cap. 2. et Auctor de Vir. Illustr. in Aemiliano [c. 58.] sic nominant oppidum, in cujus obsidione Scipio provocatorem barbarum duello vicit, et in oppugnatione primus moenia conscendit. Nominat item Appianus, qui Luculli consulis has expeditiones latius describit. Recensetur etiam inter Vaccaeorum civitates 18. *Intercatia* a Polybio, Strabone, et Plinio. PIGHIUS in Annal. ad A. V. 1011. pag. 437. Voss. Gud. *expugnatione.* Quod admittendum videtur, cum expugnata sit. JAC. GRON. Pro *Intercatiae* antea legebatur *interceptae* et *captae.* Hoc Sigonius 2. Emend. in cap. 46. emendation. Robortelli, ac deinde Pighius ad A. V. 1011. recte emendarunt *Intercatiae* ex Auct. de Vir. Ill. et Val. Max. 3, 2, 6. quibus adde Ampelium cap. 22. Et ita quoque in libris vetustis Epitomarum Livianarum legi, testatur Surita ad Itin. Anton. p. 440. ed. nuperae. *oppugnatione* mihi non mutandum videtur. *oppugnare* et *expugnare*, *oppugnatio* et *expugnatio* saepe permutantur. Quid quoque loco praeferendum sit, magis ex re ipsa, quam ex librariorum levitate judicandum est. Appianus l. d. auctor est, bellum cum Intercatiensibus opera Scipionis conditionibus diremtum fuisse, quum Romani ab oppidanis urbe, in quam irruperant, expulsi fuissent. Si haec est expugnatio, Cl. Gronovius non male probat *expugnatione.* Sed aliter judicavit, et ex Appiano *oppugnatione* defendit Pighius, cujus judicium sequor. DUK. *et in expugnatione captae urbis,* ut praeferunt edd. antiquae, legunt etiam codd. Leid. et Norv. Hearnii. *et in expugnationem captae urbis* Boend. *et expugnatione interceptae urbis* Berg. *et in expugnatione intercaptae urbis* Voss. et Lov. 2. *et in oppugnatione*, cujus lectionis quis auctor fuerit, incertum esse credit Crevierius, ex Pighii conjectura primum recepit posuma Gruteri editio. Quamvis autem nullus codicum huic emendationi faveat, eam tamen cum eodem Crevierio et Dukero probo propter illa, quae Pighius notavit. Passim autem voces *oppugnare* et *expugnare* in Mstis confundi, vidimus ad 21, 57, 6. Certissima autem Sigonii conjectura primum proposita est in ed. ejus anni 1572. in prima enim non adparuit. Praeterea *majus sibi periculum dedit* Voss. *majus et periculum addidit* Boend. *majus etiam periculum addidit* ed. Camp *majus etiam periculum adit* Leid. *majus et-*

dit. Ser. Sulpicius Galba praetor male adversus Lusitanos pugnavit. Quum legati ex Africa cum oratoribus Karthaginiensium, et Gulussa Masinissae filio, redissent, dicerentque, et exercitum se et clas-

iam periculum adiit Berg. et Lov. 2. *majus etiamnum periculum adiit* Exc Pithoei. Tot itaque codd. consensu damnatum *multo* expunxi.

Murum primus omnium transcendit] Voss. Gud. *murum primus transcendit*, omissa voce *omnium*. Nec aliter Epit. 60. *Flaccus primus Transalpinos Ligures bello domuit.* Epit. 68. *Malleolus matre interempta, primus insutus culeo, in mare praecipitatus est.* Ubi quam confidenter ab editis recepta est vox eadem, tam constanter ab Mstis relegatur. JAC. GRON. *primus*, vel *primum omnium* formulam esse loquendi ipsi Livio usitatissimam, constat ex illis, quae notantur ad 5, 51, 6. et 31, 5, 2. Quibus adde alia lib. 5, 19, 4. 8, 8, 9. 24, 15, 1. 26, 2, 12. 31, 31, 12. 32, 10, 7. 41, 4, 2. et pluribus locis. Nihilominus recte vocem *omnium* Gronov. hic delevisse existimo. Praeter codices enim, quos laudat, eamdem ignorant Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Insuper alibi primi editores, vel librarii codicum, quos secuti sunt, vocem illam *omnium* contextui harum epitomarum post *τὸ primus* inserere soliti sunt, non tantum locis a Gronovio laudatis, sed etiam Epit. 1. 6. et 23. Ita, *praecipuam omnium* primam ed. Sueton. in Aug. cap. 1. praeferre, Casaub. monuit; ubi vocem *omnium* a glossatoris manu esse Celeb. Burm. docet. Passim librarii primive editores epitomis his varias voces ac particulas addiderunt. Ita *multo*. Vide ad verba praecedentia. *quidem*. Vide ad Epit. 55. *omnino*. Vide ad Epit. 58. *maxime*, vel *quam maxime*. V. ad Epit. 59. *multum*. V. ad Epit. 60. *plurimum*, vel *quam plurimum* V. ad Epit. 69. *umquam*. V. ad Epit. 88. *maximus*. V. ad Epit. 106. Insuper *ascendit*, pro *transcendit*, legunt Boend. et ed. Camp. Ita ipse Livius 26, 48, 5. *Praecipuum tamen muralis coronae decus ejus esse, qui primus murum adscendisset.* Sed et vulgatum probum est. V. supra ad 5, 34, 8. Paullo post vox *praetor* abest a Leid.

Dicerentque, et exercitum et classem Karthagine deprehendisse] Vet. lib. *dicerentque, se et exercitum*. SIGON. Similiter Lov. 2. Sed *dicerentque, et exercitum se et classem*, quod nunc vulgo exstat, demum exhibuit ultima Gruteri editio. Id vero probat Leid. *dicerentque, exercitum se et classem* legit Berg. *dicerentque et exercitas-se et classem* Voss. Sed pronomen *se* non adparet in Boend. et Norv. Tum *deprendisse* Voss. et Lov. 2. V. ad 2, 29, 4. Paullo ante *cum Karthaginiensium oratoribus* Norv. et edd. antt. Sed voces Gronovius anno 1665. transposuit, cui favent Berg. Lov. 2. Boend et ed. Camp.

Prorogari sententiam placuit; Catone et aliis principibus senatus suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus. Quia vero Cornelius Nasica dicebat] Emendo,

classem Karthagine deprehendisse, perrogari sententias placuit. Catone et aliis principibus senatui suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus, quod P. Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi justam caussam belli videri, placuit, ut

admonente ita sensu: *perrogari sententias placuit.* Sic lib. 32, [22, 5.] *Decretum recitari, perrogarique sententias prohibuerunt.* Et lib. 29, [19, 10.] *Perrogari eo die sententiae accensis studiis non potuere.* Deinde caetera sic lege, et interpunge. *Catone et aliis principibus senatus suadente, ut in Africam confestim transportaretur exercitus, quod Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi justam caussam bellandi videri, placuit, ut bello abstinerent.* SIG. Forte, *perrogatis sententiis, Catone et aliis principibus senatus suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus; quia Cornelius Nasica dicebat.* Nam τὸ *placuit* paullo post sufficit positum. Vossianus autem *quia Cornelius.* Gud. minor *qui Cornelius*, sine τῷ *vero.* Major quoque *transponeretur.* Justinus de Pyrrho [25, 4, 4.] *Cum copias Chersonesum transposuisset.* J. FR. GRON. *rogari sententias placuit* Lov. 2. *prorogari snta placuit* Berg. *prorogari sententiam placuit* Leid. Boend. et Berg. *perrogari sententiam placuit* Voss. V. ad 32, 22, 5. Dein *ut in Africam statim transportaretur exercitus* Leid. quod est ex glossa. *ut in Africam confestim exercitus transportaretur* Lov. 2. *ut Africam confestim transportaretur exercitus* Voss. omissa praepositione. V. ad 33, 40, 6. Tum *quo Cornelius Nasica* Voss. Berg. et Exc. Pithoei. *quem Cornelius Nasica* Leid. *contra Cornelius Nasica* Lov. 2. *cum Po. Cor. Nascica* Boend. Si codices conjecturae Gronovianae, quam Clericus in contextum recepit, faverent, eam praeferendam censerem. Nunc vero verbi *placuit* repetitio non satis justa caussa videtur, ut, omnibus scriptis invitis, vulgatum mutarem. Sigonii itaque emendationem et interpunctionem recepi: nisi quod ex vestigiis Boend. addito praenomine dederim *quod P. Cornelius Nasica.* Ceterum *transportaretur* omnes nostri constanter. *transponere* quidem in ea re adhibet Justin. 23, 3. Sed Livius potius utitur *transportare.* Ita 26, 17, 2. *Exercitum Puteolis in naves inpositum Nero in Hispaniam transportavit.* 34, 52, 2. *Ab Orico copiae omnes Brundisium transportatae.* 38, 36, 3. *Ut terna millia peditum, ducenos equites secum transportarent.* 42, 34, 5. *In eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus.* cap 36, 2. *Quid in Macedoniam exercitus transportati essent?* 45, 41, 7. *Maris pericula timere coepi in victore exercitu transportando.* Id auctori nostro adhaesit. Mox *justam caussam videri belli* Berg.

Ut bello desisteretur] Voss. et Gudiani *abstinerent.* J. FR. GRONOV. *desisteretur* demum inveni in Frob. ed. anni 1531. priores *abstineretur;* quod servant Lov. 2. et Norv. Sed *abstinerent* Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. quod recepi. *desisteretur* repudiavit etiam Crevier. tamquam hic minus proprium, quia non-

bello abstinerent, si Karthaginienses classem exussissent, et exercitum dimisissent: sin minus, proximi consules de Punico bello referrent. Quum locatum a censoribus theatrum exstrueretur; P. Cornelio Nasica auctore, tamquam inutile et nociturum publicis moribus, ex senatusconsulto destructum est,

dum bellum coeperat. Probavit autem *abstineretur;* sed *abstinerent* auctoritate codd. praetuli. Mox vox *classem* non adparet in Voss. Tum *exusissent* Norv. *exuissent* Berg. et Boend.

Sin minus, proximi consules de Punico bello referrent] *si minus* Berg. Exc. Pithoei, Norv. omnesque typis excusi ante Gronov. qui anno 1665. *sin minus* vulgavit, consentientibus Leid. Voss. et Lov. 2. V. supra ad 4, 5, 6. Tum *proxime* Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Insuper *de bello Punico* Voss. Leid. Exc. Pithoei, Norv. et omnes editi usque ad Gron. qui eodem anno voces transposuit, adstipulantibus Berg. et Lov. 2. Octo haec vocabula deerant in Boend. Mox *populus aliquamdiu*, sine copula *que*, Boend. idem.

Karthaginienses tum adversum foedus bellum Masinissae intulerunt. victi ab eo] Et haec oratio uno conclusa circuitu in veteribus libris sic legitur: *Carthaginienses cum adversum foedus bellum Massinisae intulissent, victi ab eo* etc. SIG. Libri nostri Leid. Voss. Berg. Lov. 2 Boend. et ed. Camp. Sigonii libris adstipulantes, omnia unico orationis ambitu concludunt, et *cum intulissent*, pro *tum intulerunt* praeferunt. At Norv. pro more editis adhaeret. Innumeris locis *quum* sive *cum* et *tum* in Mstis commutantur. Vide ad 1, 14, 5. cap. 50, 1. cap. 56, 9. 2, 12, 12. cap. 23, 13. cap. 27, 1. cap. 51, 2 cap. 52. 7. cap. 65, 5. et saepissime. Praeterea *adversus foedus* Voss. Berg. et Boend. Vide ad Epit. 47. Tum *Masinissae bellum intulissent* Lov. 2. *bellum intulissent Masinissae* ed. Camp.

Annos habente nonaginta duos] In uno Lov. 2. *habente annos LXXXIII.* Norv. et editi ante ultimam Gruteri *nonagesimum secundum annum habente.* Sed locum corruptum, et *annos habente duodenonaginta* legendum esse, docuit Crevierius ad h. loc. et ante eum Clariss. Wesseling. 1. Observ. 24. Id etiam deprehendisse videtur Freinshemius, qui eumdem annum in supplemento h. lib. cap. 32. edidit.

Et sine pulpamine mandere, et gustare cibum tantummodo solito] Vet. lib. *gustare panem.* SIG. *pulpamine* et *pulpamentum* frequenter, nunquam vero *pulpamen* legi. DELR. Vocabuli *pulpamine* alium auctorem non habeo. Nec tamen ratio linguae Latinae obstat, quo minus aeque dici possit *pulpamen* et *pulpamentum*, quam *stramen* et *stramentum*, *tentamen* et *tentamentum*, *purgamen* et *purgamentum*. DUR. *sine pulpamine manderet, cum pane tantum solito*, omisso *et* a capite, Lov. 2 *cum sine pulpamine manderet pane tantum solido* Leid. *sine pl' panuriae manda-*

populusque aliquamdiu stans ludos spectavit. Harthaginienses quum adversus foedus bellum Masinissae intulissent, victi ab eo, annos habente nonaginta duos, et sine pulpamine mandere et gustare panem tantum solito, insuper Romanum bellum meruerunt.

ret, si gustaret tantum solito Voss. *et sine pulpamine mandente, si gustaret pane tantum solito* Berg. *et sine pulpamine mandere, et gustare tantum solito* Boend. et ita ed. Camp. nisi quod vocem *panem* servet. *et sine pulpamine manderet, et gustaret pane tantum solito* Exc. Pithoei. Ex omnium horum codd. lectionibus patet, *tantum*, pro *tantummodo*, legendum esse; ut etiam edi curavit nisi quis insuper ex vestigiis Leid. malit *cum sine pulpamine manderet panem tantum solitum*. In fine hujus Epit addebant Exc. Pithoei, *Motus praeterea Syriae et bella inter reges gesta referuntur; inter quos motus Demetrius Syriae rex occisus erat.* At in nostris nihil simile obcurrit.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XIII.

IN LOCUM LIBRI XLVIII. T. LIVII.

U. c. 599. A. C. 153. *Luſtrum quintum et quinquagesimum.*

I. Luſtrum deinde quintum et quinquagesimum conditum eſt a M. Valerio, C. Caſſio censoribus. Censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia. Hoc luſtro quum in Capitolio, proſtrata tempeſtatibus palma, quae aliquot ante annis eodem in loco surrexerat, ficus enata eſſet; prodigii loco res eſt habita, et *ex eo tempore ſubverſam in urbe pudicitiam* L. Piso non spernendus auctor tradidit. Certe, moribus ad omnem turpitudinem ruentibus, legum auxilio fuit opus, ut deteſtabili flagitio iretur obviam. Lata eſt Scatinia, quae perversae Veneris foeditatem in eum, qui feciſſe, quive paſſus eſſe videretur, mulcta decem millium nummûm vindicaret. Ceterum, plerisque, ut assolet, morum dehoneſtamenta ſtrenue negligentibus, ea sola cura erat, ne bella et ab hoſtibus discrimen imperio portenderentur. Huc trahebant, quod et Ariciae lapidibus pluerat, et Romae multis locis vanae togatorum species, accedentium visentiumque manus et oculos eluserant.

Belli apparatus a Carthaginiensibus facti.

II. Senatui majus certiusque portentum videbatur, quod super omnes bellorum apparatus, qui contra foedus a Carthaginiensibus fieri dicebantur, exercitum illi grandem coëgerant. Igitur M. Claudius M. F. M. N. Marcellus, L. Valerius L. F. P. N. Flaccus, consulatu inito, ad Patres retulerunt, *magnas Numidarum copias, duce Archobarzane Syphacis nepote, in Carthaginienſium finibus eſſe. praetexi a Maſiniſſa metum: ſed conſideraudum, ne imperium populi Romani his apparatibus peti poſſit.* Plerisque ad hanc suspicionem inclinantibus, praecipuus

U. c. 600. A. C. 152. M. Claudio III. L. Valerio Coſſ.

Cap. I. Faſti Capit. Liv. Epit. Plin. 17, 25. Cic. Phil. 3, 6. Quinctil. Inſtit. Orat. 4, 2. et 7, 4. Jul. Obseq. Cap. II. Liv. Epit.

M. Catonis ardor fuit. Tum multa vi orationis bellum suadentem P. Scipio Nasica, contrariae sententiae auctor, excepit, movitque Patres, ut lenioribus remediis ageretur. Ita legatio Carthaginem missa, cujus princeps idem fuit, qui mittendam pervicerat, senatum Poenorum castigavit, *quod materiam navalem exercitumque contra foedus haberent*: illisque necessitatem, quae leges nesciret, et Masinissae injurias obtendentibus, obtulerunt legati, *cum rege acturos, ut aequissimis conditionibus arma poneret.* Tantumque industria eorum et auctoritas apud Masinissam valuit, ut agro controverso honoris Romanorum gratia cessurum polliceretur. U. c. 600. A. C. 152. *De ea re ad senatum refertur.*

III. Praeclare confectum negotium erat, senatu quoque Carthaginiensi legatorum judicio rem permittente, nisi fortuna urbis perituraе unius hominis temeritatem ad excitandum id incendium perpulisset, quo paulo post tantae antiquitatis potentiaeque respublica conflagravit. Agebat in magistratu Gisgo Hamilcaris filius, homo seditiosus. is, pro concione non in Romanos magis, quam senatum urbis suae, invectus, imbellem eumdem et ferocem populum adeo incitavit, ut *adversus Romanam versuturam, qua toties rebus Punicis amplius, quam bello, nocuissent, armis agendum* conclamaret, ac, velut inde rectissime inciperetur, legatos ipsos ad exitium quaereret. Sed illos quidem, licet aegre, tamen explicuit fuga. Principes civitatis, quia Romanorum et Masinissae rebus studere arguebantur, quadraginta ferme in exsilium pulsi; obstrictusque jurejurando populus, *ne aut reciperet exsules umquam, aut etiam de recipiendis verba fieri a quoquam pateretur.* Atque hi quidem, ad Masinissam pergentes, illum ad bellum patriae suae inferendum stimulabant. *Gisgo Poenos ad bellum concitat.*

IV. Neque minores iras excitabant reversi Romam legati: certumque jam habebatur, insolentiam Carthaginiensis populi severioribus minis retundi oportere. quo minus bellum statim juberetur, nihil tam obstitisse, atque Celtiberiae motus, credi potest, qui tum maximis cum terroribus effervescebant. Nam in Gallia prosperae res erant, et ea in provincia hoc anno bene pugnatum tradunt. At M. Marcello consuli et M. Atilio praetori, quorum ille citeriorem Hispaniam, hic ulteriorem obtinebat, ut ad extremum felix expeditio, *Celtiberiae motus.*

Cap. II. Zonaras. Liv. Epit. Cap. III. Appian. Libyc. Cap. IV. Liv. Epit. Jul. Obseq. Appian. Iber. Eutrop. Appian.

U. c. 600. A. C. 152. ita multis emenda periculis fuit. Jam primum Marcello, advenienti cum legionibus duabus, in quibus quaterna millia peditum, equites ducenti quinquagenfuere, ſtructae sunt ab Hispanis insidiae. quibus ille sapienter evitatis, ad Ocilin, quae nuper ab Romanis defecerat. penetravit: quam, ipso adventus sui terrore perculsam, extemplo accepit in fidem, obsidibus et argenti talentis triginta imperatis.

Nergobrigenses pacem a Marcello petunt.

V. Asperiorem adversum desertores futuram crediderant victoriam Celtiberi. ergo clementiam imperatoris Romani admirata Nergobrigum civitas misit quaesituros, *quo fidei et obſequii pignore in gratiam recipi poſſet.* Petiit consul equites auxiliares centum: et accepta eſt conditio. Verum, donec legati Nergobrigum pacis vias legesque cum Romano tractant, alia manus, partem exercitus iter facientem adorta, turbavit poſtremos, impedimentorumque nonnihil abripuit. Redierunt nihilominus cum promiſſis equitibus legati: veniamque delicti petentes, excusabant *ab ignaris initae pactionis commiſſum.* At Marcellus equites in vincula conjici, equos vendi juſſit: et mox, vaſtatis Nergobrigum agris, praedaque militibus divisa, oppidum obsidione cinxit. Conspicati periculum hoſtes (ſtrui enim Marcellus aggeres, admoverique machinas juſſerat) caduceatorem misere, pacem orantes. Amictus ille fuit pelle lupi, quod iis gentibus pro caduceo pacifici nuncii signum eſt. Consul, *nihil iis exſpectandum pacati*, respondit, *niſi Arvacci omnes, Bellorumque et Titthorum populi una rogarent.* Neque mora in illis fuit. venere trium civitatum legati, rogitantes, *ut, tolerabili mulcta imperata, reciperet omnes in Gracchani foederis leges.*

VI. Contradicebant his aliarum gentium oratores; qui, ab Arvaccis sociisque bello vexati, quod Romanarum partium eſſent, obteſtabantur consulem, *ut ſuae vindictae ſimul ſecuritatisque rationem ageret.* Consul, non minus belli adversus duram gentem finiendi cupidus, quam voluntatem suam callide tegens, utrosque rejecit ad senatum, induciasque cum hoſtibus, donec legati reverterentur, pactus, hibernatum abiit Cordubam: eumque locum abundantibus circa agris alendae hominum multitudini non incommodum videns, in urbis speciem atque magnitudinem exaedificavit. Sed in Lusitania, poſtquam L. Mummius ad triumphum de-

Marcellus Cordubam aedificat.

Cap. VI. Polyb. leg. 141. Strabo, l. 3. Appian.

ceſſiſſet, M. Atilius praetor provinciam accepit. ubi quum, septingentis hoſtium interfectis, urbem Oxthracas iis locis maximam occupaſſet, eoque metu vicina oppida Romanis adjunxiſſet, (inter quae pars aliqua Vettonum fuit, vicinae Lusitanis nationis) in hiberna abduxit exercitum. Tum vero subita defectione omnium de integro turbatae res, et quaedam urbium cum Romanis sentientium circumseſſae. U. c. 600. A. C. 152.

VII. Dum in eo ſtatu Hispaniense bellum eſt, Romae senatus Aſtymedi datur Rhodiorum legato, quem praefectum simul claſſis creaverant. Erat his bellum cum Cretensibus, adversus quos sociorum opes sollicitabant. Decrevit extemplo legatos senatus, qui bello finem imponerent. Idem negotium Achaeorum erga Romanos detexit obsequium, libertati gentis haud sane conveniens, sed pro tempore neceſſarium. Rhodiis auxilium petentibus, plerique mittendum censuerant. Sed Callicrates Leontesius negavit, *fas Achaeis eſſe vel indicendi cuiquam belli, vel ferendi auxilii, Romanis inconſultis.* Hac oratione tamquam fulmine percuſſi, qui diversum censuerant, quievere. Multae deinceps legationes Romam quum veniſſent, prae reliquis auditus Attalus eſt, Eumenis filius. Venerat is in urbem admodum puer, ut se commendaret Patribus, amicitiamque et hospitii paterni jus cum populo Romano recoleret. Hic igitur, perbenigne comiterque tum ab senatu, tum a paternis amicis exceptus, cum responso, quale optaverat, honoribus aetati convenientibus, domum rediit: insigni favore Graecarum urbium, per quas iter ipsi erat, profusae benevolentiae signis venientem abeuntemque prosequentium. Nam pater pueri Eumenes unus omnium sua aetate regum plurima in Graecos publice privatimque beneficia contulerat. Venit similiter discesſitque Roma Demetrius puer, mediocribus, ut anni ejus erant, affectus honoribus. *Rhodiorum legatio Romam, et bellum cum Cretensibus.*

VIII. Hoc digreſſo, Heraclides, qui cum Laodice et Alexandro dudum in urbe commorabatur, poſtquam ad cauſſam suam fulciendam nihil callididatis et praeſtigiarum praetermiſiſſet, quos facillimos fraudi putabat Patres ambiendo, tandem in curiam eſt introductus. Prior Alexander oravit senatum, ut *amici-* *Laodice et Alexander Syriae regnum ab senatu petunt.*

Cap. VII. Polyb. leg. 138. Polyb. leg. 139, Polyb. leg. 140. Polyb. apud Vales. l. 31. Polyb. leg. 140.

U. c. 600. A. C. 102. *tiae, quae cum patre suo Antiocho fuisset, memor, maxime quidem regnum Syriae sibi restitui juberet: sin vero, at certe permitteret eum suis fatis, neque aut abeuntem moraretur, aut volentibus juvare paternas opes repetentem impedimento esset.* Excipiens deinde Heraclides, multis collaudata regis Epiphanis memoria, multis incusato Demetrio, sermonem eo deduxit, ut, *quando res et tempus ita se daret, justum esse* diceret, *adolescentes, veram Antiochi stirpem, modis omnibus adjuvari.* Diversae super his sententiae senatorum fuere. Optimus quisque atque sapientissimus commentum improbum, et actorem fabulae Heraclidem abominabantur. at plures, quos aut mendaciis suis dementaverat, aut promissis corruperat, senatusconsulti in haec verba scribendi auctores fuerunt: *Quod Alexander et Laodice, regis socii amicique liberi, in senatu verba fecerunt; senatus censuit, dimittendos in paternum regnum, atque, uti petierunt, auxiliis adjuvandos videri.* Hoc armatus senatusconsulto Heraclides non distulit extemplo conducere militem, et, quos ex illustribus viris ei consilio opportunos noverat, arcessere. Quibuscum Ephesum delatus, totis viribus ad bellum, quod parabat, se coepit accingere. Demetrius, ut adversus hunc terrorem se Romanorum benevolentia tueretur, quum alia ipsis officia attente praestitit; tum Adramyttenum quemdam, Andrisco nomen erat, sub custodia Romam misit, quia Persei se filium is ferebat, qui postremo rex Macedoniae fuerat. Neque parvi aestimandum hoc officium Demetrii fuisse, mox eventus docuit, quum ille veterator, clam elapsus, Macedoniam Thraciamque ingenti motu concitaret, ut in loco referemus.

Demetrius Andriscum, qui se Perseo genitum ferebat, Romam mittit.

IX. Quum haec diversis terrarum partibus agerentur, Romae insignes aliquot viri obierunt: M. Aemilius Lepidus pontifex maximus, et M. Porcius praetor: alter quoque consulum L. Flaccus in magistratu mortuus est. M. Porcium Cato pater pro modo facultatum, quas habebat non amplissimas, honore ac affectu, quam impensa, majore extulit. Et eum quidem carissimum habuisse, ipse sibi testimonio est, qui tamquam praestantissimi animi virum passim in scriptis suis praedicat: mortem tamen ejus, quum pro cetera morum constantia fortiter tulit, tum quia, philoso-

Cap. VIII. Sulpic. Sever. Hist. sacr. l. 2. Polyb. Liv. Epit. 48. et 50. L. Ampelius. Cap. IX. Liv. Epit. Fasti Capit. Liv. Epit. Cic. Cat. c. 23. Plut. Cat. Maj.

phiae ſtudiis eruditus, negabat interire, qui mori dicantur; sperabatque, se filium meliore in vita coetibusque piorum eſſe reperturum. Memorabile etiam in M. Lepido fuit, quod, priusquam moreretur, praecepit filiis, lecto se ſtrato sine linteis, sine purpura efferrent: in reliquum funus etiam modicam consumi pecuniam juſſit, dictitans *imaginum ſpecie, non ſumptibus, nobilitari magnorum virorum funera ſolere.* Hujus in locum P. Cornelius Scipio Nasica pontifex maximus lectus eſt.

U. c. 600. A. C. 152.

M. Lepidus vetat se sumptuoso funere efferri.

X. Aliorum deinde complurium obitus admonebant homines, quod initio anni, quum ante aedem Jovis in campo columna cum signo aurato decuſſa eſſet, aruſpices *interitum magiſtratuum et ſacerdotum fore* responderant. Sed et in suspicionem veniſſe matronas crediderim, antiquum eas scelus retuliſſe. nam et olim fraude muliebri magnus principum Romanorum numerus eodem anno interceptus ferebatur. Certe Publicia et Licinia, nobiles feminae, quarum haec Claudium Aſellum, illa L. Poſtumium, qui tertio ante anno consul obiverat, viros suos veneno necaviſſe arguebantur, cognita cauſſa, quum vades praetori dediſſent, ad cognatorum judicium remiſſae, horumque decreto ſtrangulatae sunt. Ne sic quidem satis expiatae prodigiorum minae videbantur, nisi removerentur, in quos intentatae illae fuiſſent: ita monitis aruspicum magiſtratus omnes abdicarunt. Comitia per interregem habita: L. Licinius L. F. Lucullus, A. Poſtumius A. F. Sp. N. Albinus consules facti.

U. c. 601. A. C. 151. L. Licinio, A. Poſtumio Coſſ.

XI. Animos deinde his eventibus triſtes aliae aliaeque perturbationum cauſſae concuſſere. maxima fuit omnium, quod in Africa simul Hispaniaque res parum pro voluntate senatus succeſſerant. Ex Africa Guluſſa filius Masiniſſae nunciabat, *ſe per cauſſam deprecandi pro exſulibus cum fratre Micipſa parentis miſſu Carthaginem veniſſe. ceterum in urbem non eſſe admiſſos: et ſibi, quum reverteretur, ab Hannibale Samnite, qui caput factionis popularis eſſet, inſidias ſtructas, et ex comitatu ſuo quosdam interemptos, ſe fuga ſalutem quaeſiviſſe. Ceterum pro comperto ſe afferre, Carthagine delectus agi, parari claſſem, neque diſſimulanter jam aut obſcure bellum contra Romanos ſtrui.*

Filius Masinissae Poenos bellum ſtruere Patribus indicat.

Cap. IX. Cic. Liv. Epit. Cic. Cat. c. 14. Cap. X. Jul. Obseq. Liv. 8, 18. Liv. Ep. 48. Val. Max. 6, 38. Jul. Obseq. Cap. XI. Liv. Epit. Appian. Libyc. Liv. Epit.

U. c. 601. A. C. 151. Non erat ita proſtratus domeſtico vulnere Catonis animus, ut aut publicis conſultationibus abſtinendum, aut de ſolito rigore quidquam remittendum eſſe duceret. Itaque tum quoque, ut ſemper, *bellum indici Poenis oportere*, magna aſſeveratione tendebat: neque segnius opinionem ſuam P. Scipio Nasica tuebatur, *omnia prius experiunda*. Sic iterum in hanc ſententiam diſceſſum, facto senatusconſulto, *uti decem legati quamprimum mitterentur, ſpeculaturi quid Carthaginienſibus animi conſilive eſſet.*

Celtiberorum populi Rom. sociorum oratio in senatu.

XII. Interim Celtiberorum legati, quum Romam pervenirent, diversimode excepti sunt. nam qui a sociis civitatibus venerant, iis in urbe hospitium praebitum: reliqui trans Tiberim manere juſſi. Die senatus, priores vocati sociorum oratores, civitatis cujusque separatim, eamdem in sententiam verba fecerunt: *Eam eſſe conditionem Hiſpaniae, ut aliis nihil carius Romano imperio, aliis nihil intolerabilius videatur. has inter factiones neceſſario intuta inimicaque omnia eſſe: nec alteram poſſe ſtabili in fortuna conſiſtere, niſi depreſſis partis alterius viribus. Quod ſi igitur*, ajebant, *duces veſtros exercitusque bello nondum confecto revocatis, nihil futurum eſt certius, quam ut in nos, tamquam proditores patriae, omnis communium hoſtium cooriatur impetus. Nam ſi hoc conſtiterit, arma vobis impune inferri poſſe, neque aliud inde timendum, niſi ut vindictam minitemini, deinde omittatis, non erit tam imbecillis animi quisquam, ut vim Romanam ſibi magnopere formidandam eſſe putet. Eorum deinceps exemplo et ſucceſſu ſollicitabuntur ceterarum nationum animi: quando inter feroces et periculis laetos haud difficulter imitatores invenit felix temeritas. Nos igitur, ut in certo et propinquo timore, merito fidem veſtram invocamus, Patres Conſcripti, ne deſerti et proditi praeda noſtris veſtrisque inimicis relinquamur. Arvaccorum magna potentia et in nos inexpiabile odium eſt. neque nobis ullum ſollicitudine ac periculo vacuum tempus erit, niſi aut perpetuo conſularis exercitus in Hiſpania ſit; aut, priusquam decedat, ita caſtigentur hoſtes, ne aut ipſi poſſint ultra nocere ſociis Romanorum, aut alii audeant.*

Arvaccorum oratores audiuntur.

XIII. Secundum hos placuit Arvaccorum legatos audiri. his sermo, quam animus, modeſtior demiſſiorque fuiſſe dicitur. Pacem orabant; sed ut ne bellum quidem recusaturi viderentur, nisi, quod petebant,

Cap. XI. Plut. Cat. Maj. Flor. 2, 15. Liv. Epit. Cap. XII. Polyb. leg. 141. Appian. Iber. Polyb.

fieret. petebant autem, *ut certa sibi mulcta indiceretur: quam ubi luissent, iterum fruerentur foederis ejus legibus, quod olim cum iis Ti. Gracchus iciſſet.* Ad hoc ut reputatione sortis humanae inclinarent animos, inter loquendum saepe ambiguos fortunae lusus commemorabant, pugnarumque cum Romanis ducibus ita faciebant mentionem, ut, quamquam gloria belli cederent, plus tamen succeſſuum aliquanto habuisse intelligerentur. Poſt omnes introducti in senatum sunt, quos proconsul miserat. Ii literas M. Marcelli attulerunt, quibus pacem suadebat: et epiſtolis consentientia ipsi loquebantur. Patres, re expensa, sociis consulendum eſſe, spiritusque Arvaccorum deprimendos, non dubitabant: quibus id potiſſimum rationibus fieret, ambigebatur. Responderi tandem in praesentia placuit, *M. Marcellum proconſulem ſenatus voluntatem utrisque ſignificaturum eſſe.* Legatis Marcelli clam mandatum, ut ad bellum ex dignitate populi Romani gerendum proconsulem hortarentur. Metu enim contari illum plerique interpretabantur, dabantque operam, ut quamprimum succeſſor ei mitteretur. U. c. 601. A. C. 151.

XIV. Sed ſtudium senatus, haud quaquam pari ardore juventutis, aliquamdiu vanum et inefficax fuit. Quum enim Q. Fulvius, quique cum eo ex Hispania deceſſerant, Celtiberici belli difficultatem, continua cum hoſte certamina, numerum occisorum, virtutem hoſtium aſſiduis sermonibus ferrent, jamque etiam Marcellum detrectare id bellum formidine appareret: is pavor invasit civitatem, ut neque tribuni militum ad numerum reperirentur, neque legatus ire quisquam vellet, et, quod importuniſſimum erat, citati juniores vel ad nomina non responderent, vel eas cauſſas comminiscerentur, quas neque cognosci pudor sinebat, neque puniri delinquentium multitudo. Rem per se taedii ac difficultatis pleniſſimam difficiliorem reddebat tribunorum plebis intemperies, qui delectum recusantibus auxilio erant, consulumque conatum et induſtriam intempeſtiva contentione morabantur. Ergo ad praecidendam omnem non iniquae querelae speciem, inſtituerunt munia militaria non, ut semper moris fuerat, sui beneficii arbitriive facere, sed inter aequales sorte diſtinguere praefecturarum ac ordinum gradus. Quamquam ne sic quidem petulantia tribu- *Romana juventus detrectat militiam.*

Cap. XIII. Appian. Polyb. Cap. XIV. Suidas in *Πύρινοι.* Polyb. Liv. Epit. Polyb. Appian. Liv. Epit.

U. c. 601. A. C. 151. norum composita usque eo prorupit, ut consules ambos, quoniam gratiae nihil dabant, nec pro amicis suis deprecantibus militiam tribunis obsequebantur, in carcerem conjicerent. In hac rerum perturbatione, quum neque senatui, neque magistratibus quidquam consilii potestatisve reliquum esset, scirique nequiret, quem ad finem juniorum abitura esset impudentia, (nam hoc nomen inauditae antea consternationi senatus fecerat) P. Cornelius Scipio Aemilianus per-

Scipionis Aemiliani oratione arguitur.

opportunam orationem habuit, juvenis adhuc, nec nisi togatis virtutibus notus.

XV. Is, graviter increpita civium formidine, *Saepe*, inquit, *hoc loco interfui, Patres conscripti, quum de republica sententiae dicerentur: neque verba fum facere conatus, quod malebam eorum auscultare dictis, quibus venerationem aetas, et longus rerum usus prudentiam conciliasset. Nunc autem, quia praesens consultatio magis animos et exemplum, quam auctoritatem et consilium, desiderat, nihil aut annis meis alienum, aut proposito discors facturum arbitror, si praesentem ignaviamne dicam an consternationem nostrae juventutis juvenis ipse coarguam, aliorumque mentes ab hoc tanto dedecore ad pristinam virtutem verbis factisque, quantum quidem in me erit, revocem. Igitur, quod felix fausumque sit, jamprimum legationem Macedonicam abdico deponoque: deinde ad bellum Hispaniense operam meam, quacumque in re consul utendum ea judicabit, reipublicae offero. Constare autem puto, siquidem bellum defugerem, nemini meorum aequalium honestiorem et speciosiorem vacationis caussam esse. Nominatim a paternis clientibus postulatus, si nobilissimae provinciae dissidia, fortasis ad imperii nostri periculum eruptura, componerem, ex obtentum timor, et ambitio cupiditasque occasionem haberent. Sed ego, in domibus Aemiliorum atque Scipionum genitus ac educatus, neque metuere pericula, neque mirari pecuniam debeo: gloriam autem veram inde demum sperandam existimo, si rationes meas omnes ad patriae salutem retulero, idque potissimum quoquo tempore peragendum putaro, quod ipsius necessitates aut commoda praecipue postulaverint.*

Scipio avi exemplo operam suam offert Reipub.

XVI. *Neque vero domesticum mihi exemplum deest. nam et avus meus P. Africanus, quo tempore in Italia Hannibal erat, in eamdem istam Hispaniam, aliis itidem, ut nunc fit, provinciam istam metu detrectantibus, profectus est, atque, illa populo Romano asserta, sibi etiam in Africam iter ad belli om-*

Cap. XIV. Polyb. Liv. Epit. Polyb. Val. Max. 3, 2. 6.
Cap. XV. Oros. 4, 21. Polyb.

nium graviſſimi plenam victoriam patefecit. Quamquam profecto longe majoris tum periculi res fuit: non modo pluribus populis, rebusque ſuis multo floreutioribus, in odium Romani nominis accenſis; ſed etiam Carthagine ipſa, aliis ſuper alios mittendis ducibus exercitibusque, ad retinendam Hiſpaniam omnes opes effundente. Nunc vero, paucis neque maximis nationibus tumultuantibus, quum neque diuturnum aeque bellum, neque clade aliqua magna inſigne geramus, juventutis noſtrae animi ceciderunt, et priſtinus ille bellatoris populi ardor ſic emarcuit, ut vix mihi ipſi credam, ut eosdem nos eſſe, qui eſſe ſolebamus; aut iis prognatos, quorum virtutem et conſtantiam nulla vis laſſare potuit, nullum diſcrimen frangere. Verum enimvero pro ſe quisque viderit, quid vel ſibi, vel majoribus poſterisque ſuis approbet. Ego, quod unum poſſum, neque cuiquam exemplum inertiae ero, et primo quoque tempore ad exercitum proficiſcar. U. c. 601. A. C. 151.

XVII. Adolescentis orationem admirati Patres, quibus in tanto omnium timore nihil ab his annis speratum praesidii fuerat, certatim in complexum ejus ruebant: *dignum familia et in qua genitus, et in quam adoptatus eſſet*, praedicantes. *pergeret bonis avibus implere datam faſo ſortem, et clariſſimam majorum famam ſuis virtutibus gloriaque et felicitate renovaret.* Majores natu referebant *factum ſenioris Africani, qui, quum eamdem in Hiſpaniam ire auderet nemo, patriae ſuam operam ultro obtuliſſet. nunc ab alio P. Scipione idem prorſus exemplum relatum; in quo quum cetera eſſent omnia, qualia et avus habuiſſet, jam ſe eamdem in illo factorum nominisque amplitudinem* ajebant *augurari.* Productus deinde in concionem populi, quum eadem differuiſſet, pudore et aemulatione sic permovit non vulgus modo, sed etiam primarios cives, ut et legatorum tribunorumque numerus, sponte se multis offerentibus, expleretur; et legiones, agminatim jam nomina dantibus, qui antea tergiversati fuerant, citra longiorem moram conscribi possent. *Delectus procedit.*

XVIII. Dum his impedimentis delectus Romae trahitur, M. Marcellus proconsul, cupidus belli ante successoris adventum quoquo modo finiendi, ut pacatae Hispaniae titulum aucuparetur, quantum ipsis immineret periculi, admonere Celtiberos non deſtitit: et, ut humanitate quoque ad pacis amorem eos illiceret, obsides reddidit petentibus. Cum principe autem le- *Marcellus Celtiberiam pacat.*

Cap. XVII. Liv. 26, 18. Liv. Epit. Polyb. Cap. XVIII. Appian. Iber.

U. c. 601. A. C. 151. gationis, quae missa Romam fuerat, diu secreto colloquutus, suspicionem propositi ejus auxit: ceteris etiam, quae mox evenere, non obscura rei ejusdem indicia praeferentibus. Statim enim et Nergobrigas quinque Arvaccorum millia occuparunt: et proconsul, ad Numantiam exercitu ducto, ante urbem posuit castra, egressosque obviam levi certamine intra muros compulit. Ibi Litenno hostium ductor, pede firmato, exclamavit, se colloqui cum proconsule cupere. Accepta haud gravate petitio est: convenitque, *ut, obsidibus et pecunia data, Celtiberi jussa legibus facerent, fierique et amici populi Romani haberentur.* Summam pecuniae talenta sexcenta fuisse Posidonius, Hispanicarum rerum peritus auctor, tradidit.

XIX. Quum hoc modo pacati omnes Celtiberiae populi viderentur, novum subinde bellum L. Luculli consulis cupiditate excitatum est. Is quum Hispaniam sorte accepisset, idque sibi putaret agendum, ut locupletis provinciae copiis rei familiaris anhelantem inopiam resocillaret, occasionem manubiarum coepit quaerere. Novam pacem, quum re acta supervenisset, turbare periculosum rebatur. in Turdulos, Cantabros, aliasque nationes, Romanis adhuc armis incognitas, impressionem facere statuit. Ad hos iter per Vaccaeos erat. Huc igitur signa protinus infert, quum neque mandatum belli cum his gerundi ab senatu, neque cautam ab ipsis ullam accepisset. Cauca trans Tagum urbs erat; ad quam, transmisso amne, quum castra posuisset, mirantibus oppidanis, qua in Romanos offensa obsidionem meruissent, Carpetanorum injurias ultum se venire professus est. Caucaei, ad sua tuenda conversi, postquam hostem frumentari lignarique audacius animadvertunt, eruptione in palantes facta, multos interficiunt, reliquos ad ipsa usque castra repellunt. Primis conatibus quum ita successissent, facti animosiores, signis collatis dimicare sunt ausi: et, donec eminus certabatur, levibus affueto proeliis, et ad velitationem meliore Hispano, consulis exercitus laborabat. ubi, missilibus exhaustis, ad manus et gladios ventum, hostis, ut in nulla re pari, continuo terga vertit, urbem haud longe distantem concitato cursu petens. Aderat Lucullus, haud segniter perculsis instans. ita dum pro se quisque inter primos nititur

Lucullus Vaccaeis bellum infert.

Cap. XVIII. Apud Strab. l. 3. p. 162. Cap. XIX. Liv. Epit. Appian. Flor. 2, 17. Liv. Epit. Appian.

irrumpere, conſtipati in anguſtiis portarum impune se caedendos victori praebuere. tria millia eo casu desiderata. U. c. 601. A. C. 151.

XX. Quo quum cecidiſſent animi, poſtridie ejus pugnae cum coronis et supplicum velamentis seniores Lucullum adeunt, quibus obsequiis placari paterētur, rogitantes. Ille primum obsides et argenti talenta centum poſtulavit, equitibus etiam eorum inter sua auxilia militare juſſis. Hoc ubi prompte a barbaris factum, adjecit, praesidio in urbem introducto sibi opus eſſe. Annuentibus et hoc Caucaeis, delectorum ex toto exercitu duo millia per hanc speciem introïverunt. Sed foeda consulis avaritia, moenibus, hi, ut mandatum erat, occupatis, omni reliquo exercitui patefecerunt aditum: signoque tuba dato, omnes Caucaeorum puberes ad millia hominum viginti interficiuntur, imbellis aetas sexusque praemium perfidiae in captivitatem abſtrahitur: tantaque ex multitudine oppido pauci, per praerupta quaedam eoque neglecta cuſtodibus loca, jactis in praeceps corporibus, evasere. Urbe direpta, quum facinoris ejus fama omnes juxta populos velociter percurriſſet, qui apertis locis habitabant, in praecaltos montes, aut munita oppida se contulerunt, corruptis, quae avehi non potuerant, rebus suis, ne quid hoſti tam crudeli tamque perfidioso relinqueretur. *Luculli perfidia in Caucaeos.*

XXI. Sic aliquamdiu plus exercitui laboris per desertam regionem eunti, quam ab hoſtilibus armis periculi, fuit: donec Intercatiam perventum, Vaccaeorum et ipsam; ubi Hispanorum copiae, pedites viginti millia, duo equitum, consederant. Hi, quum a consule ad conditiones invitarentur, illudentes interrogarunt, *eidemne paci crediturī eſſent, cui Caucaei crediderint?* Erat omnino eorum hominum Lucullus, qui, quoties aliquid exprobrari sentiunt, aliorum potius libertati, quam suis delictis, irascuntur. Itaque, velut gravi injuria laesus, agrum pervaſtat. oppidum circumvallare aggreditur, et, saepe inſtructa acie progreſſus, poteſtatem aequis locis pugnandi hoſtium ducibus facit. Verum illi, levibus proeliis vires experiri contenti, ad periculum de summa rerum adduci non patiebantur. Ea quum saepe fierent, Intercatiensis quidam, splendidis armis ornatus, saepe Ro- *Lucullus Intercatiensibus bellum infert.*

Cap. XXI. Polyb. apud Strab. l. 3. p. 162. Appian.

U. c. 601. A. C. 151. manos provocabat, si quis singulari certamine vellet congredi: et, nemine contra exeunte, discedebat, irrisu et ludibriis ignaviam hostium exagitans. Non tulit indignitatem rei P. Scipio, qui tum sub Lucullo tribunus, cum ea magnitudine animi, quam haud multo post amplissimis gestis orbi testatissimam reddidit, corporis etiam insigne robur, rara felicitate, conjunxerat. Is igitur, pugna cum provocatore conserta, prostravit hostem, pari Romanorum laetitia, et hostium terrore, quod ingentis corporis virum modicus ipse staturae dejecisset.

Scipionis Aemiliani certamen singulare cum Intercatiensi.

XXII. Proxima nox vanam in castris trepidationem movit errore incerti clamoris, qui pariter ex urbe campisque accidebat. Equitatus enim Vaccaeorum, qui, sub adventum Luculli pabulatum egressus, deinde hostilium copiarum objectu exclusus urbe fuerat, passim obequitans altissimis vocibus strepebat. cui quum ex urbe par clamor redderetur, percellebatur Romanus incerta aestimatione, quidnam sibi periculi tumultu isto, et unde, portenderetur. Augebant metum invalidae stationes, quod ad obeunda militiae munia, praeter damna proeliorum, etiam morbis imminutus exercitus erat. Carnibus enim cervorum leporumque sine sale vescebantur: (sal omne vinumque cum aceto et oleo defecerat) et his alimentis coeperat tentari militum valetudo, multique passim profluvio alvi moriebantur. Ergo, postquam tumultus iste cessavit, tanto intentius operibus instituit consul, machinisque admotis muri perfregit partem.

Scipio primus adscendit in murum.

XXIII. Ibi denuo Scipionis Aemiliani magnifica virtus enituit. nam, irrumpentibus in urbem militibus ipse primus omnium, conscensis moenibus, aperuit viam: neque tamen obtineri urbs potuit, praevalidis numero hostibus, et pro salute sua suorumque fortissime propugnantibus: repulsique sunt cum aliquo detrimento Romani, quum super eos, quos hostile ferrum absumpserat, etiam multi locorum ignorantia in subterranea quaedam aquarum receptacula illapsi periissent. Nocte sublapsam muri partem refecit hostis: pluresque deinde per dies, expertis utrim-

Cap. XXI. Diod. apud Vales. Plin. 37, 1. Val. Max. 3, 2. 6. Cap. XXII. Liv. Epit. Flor. 2, 17. Vell. 1, 12. Appian. Cap. XXIII. Liv. Epit. Val. Max. 3, 2. 6. Auctor de viris illustr. Appian.

trimque cum damno viribus, segnis obsidio fuit. Ea res inopiam simul in castris, et in urbe auxit. quod quia neutris ignotum erat, inde colloquio initium, et mox deditioni fuit. Et, quando suspecta barbaris Luculli fides erat, Scipio spopondit, nihil contra pacta factum iri: moxque patuit, quanti sit usus etiam in bellis opinio justitiae, quae probitate constantiaque morum comparatur. Adolescentis privati dexterae inermi permisere barbari urbem, quam consul exercitusque Romanus armati, nec auctoritate sua, neque forte vi extorquere potuissent. Agnovit beneficium Lucullus, juvenemque, pro concione meritis cumulatum laudibus, murali corona donavit. Intercatienses consuli sex millia sagorum dedere, cum obsidibus quinquaginta (sic enim convenerat) et certo armentorum pecorumque numero. Hae solae divitiae fuere: auri et argenti, qua maxime gratia Lucullus eas regiones scrutatus fuerat, nihil repertum. U. c. 601. A. C. 151.

XXIV. Dum istae res in Hispania citeriore geruntur, ulterior infestis Lusitanorum armis luctuosa populo Romano fuit. Ser. Sulpicius Galba praetor, quum a M. Atilio provinciam eo in statu accepisset, ut ad eximendos obsidioni socios festinatione opus videretur, incredibili celeritate supra sexaginta millia passuum una die ac nocte permensus, ex itinere instruxit ad proelium copias, ut hostibus improvisus incumberet. Neque fefellerat fortuna consilium, nisi fortunam ipse alio consilio fefellisset. Prima impressione pepulit imparatum hostem: poteratque velocitatis suae fructu gaudere, si ad vires reparandas defatigato militi spatium concessisset. dum fugientes languide persequendo infirmitatis suae admonet, corrupta et prodita victoria est. Quum enim continuatus itineris et pugnandi labor ad recipiendum spiritum nunc hos, nunc illos interquiescere cogeret; in dissipatos et defessos impetu reversus hostis ad septem millia militum obtrivit. Praetor, assumptis, quos circum se habebat, equitibus, fugae beneficio evasit Carmelim: ubi collectis, qui eodem ex fuga convenerant, quum etiam de sociorum auxiliis hominum millia viginti effecisset, in Cuneorum gentem se recepit, nihilque praeterea tentare ausus, exercitum in hiberna distribuit, donec ex citeriore Hispania L. Lucullus adveniret. *Ser. Galba rem male gerit adversus Lusitanos.*

Cap. XXIII. Vellejus 1, 12. Appian. Cap. XXIV. Liv. Epit. Appian. Oros. 4, 20. Appian.

U. c. 601. A. C. 151. *Lucullus Pallantiam frustra tentat.*

XXV. Lucullo enim sicut fortuna prosperior, ita plus ad reliquos conatus audaciae fuit. Ab Intercatia digresso tentare Pallantiam placuit, Tarraconensis Hispaniae clarissimam civitatem: cujus, ob magnitudinem oppidi et virtutem civium, insignis fama plurimos accolentium barbarorum, ut ibi perfugium salutis suae quaererent, attraxerat. Quare neque deerant, qui suaderent in consilio, *potius omittendam firmissimae urbis oppugnationem, quam eo anni tempore cum evidenti periculo cladis et ignominiae suscipiendam esse.* Putant avaritiam obstitisse consulis, ne sententiam istam sequeretur: urbem enim opulentam esse audiverat. Non igitur prius abscessit, quam, in magnas redactus angustias, quod ob Pallantinorum equitum frequentes excursiones tenui re frumentaria utebatur, non modo spem capiendae urbis, sed etiam quieti reditus amisisset. Quadrato agmine abeuntem carpsere Pallantini, donec ad Durium amnem perventum est. inde digressis noctu Hispanis, consul in Turdetaniam hiematum abiit.

Carthaginienses suspecti Romanis.

XXVI. Interea Romae suspensi omnium animi rerum Africanarum exspectatione erant. Decem enim legati, quos ad speculanda Poenorum consilia senatus Carthaginem miserat, et exercitum et classem ibi se deprehendisse referebant. Reverterat una Masinissae filius Gulussa, paternis et propriis odiis infensus Carthagini: neque quidquam, quod ad exacerbandos Patrum animos pertineret, docendo, rogando, querendo praetermittebat. Miserant et Poeni suos oratores, sed apud aversas aures etiam vera et aequa pro fictis indignisque accipiebantur. Auditis omnium orationibus, perrogari sententias placuit: ibi plerique principes bellum indicendum esse fremebant, et ante omnes implacabilis Cato. Sed hujus violentiam, et illorum numerum, et ceteri senatus inclinationem unus maxime P. Cornelius Nasica facundia et auctoritate sustinuit; pervicitque, *ut nunc quoque, dilato ultimae indignationis impetu, tempus Carthaginiensibus ad poenitentiam daretur, intra quod si classem exussissent, dimississentque copias, amico populo Romano uterentur: ni facerent, futuri consules de bello iis inferendo referrent.* Neque sine causa temporibus istis tantum ei viro deferebatur. quippe sanctissimis moribus, et inviolabi-

Cap. XXV. Pomp. Mela, 2, 6. Appian. Cap. XXVI. Liv. Epit. Vell. 1, 12. Liv. Epit.

li mentis rectitudine praeditus, aetatem procul iis ineptiis habuerat, quibus vis ingenii animique inanium aut noxiarum rerum admiratione vilescit. Sapientiae artibus, publici privatique juris peritiam, et utrisque ſtudium eloquentiae conjunxerat: illis opus habere judicans, ut vir civisque bonus eſſe poſſet; hoc, ut alios efficere. Quibus de cauſſis in admiratione hominum quum eſſet, communi faventium usu *Corculum* eſt appellatus. U. c. 601. A. C. 151.

XXVII. Idem iisdem temporibus documentum illuſtre dedit cum efficaci facundia summae auctoritatis. Inter alia quaedam opera publica theatrum proximi censores, a Lupercali in Palatium versus, locaverant. id tum ſtruebatur, neque procul perfectione aberat; quum P. Cornelius, exitiosum civitatis moribus inſtitutum eſſe docens, si vanae voluptatis illecebris mansura sedes poneretur, neque aedificari porro, et, quod aedificatum eſſet, dirui oportere censuit. Multum prospexiſſe sapientiſſimi viri animum, sequentis aevi vecordia demonſtravit; quum, ingenti civitatis dedecore ac damno, theatralibus ludis, quidquid enervare virilem indolem, quidquid imbuere flatigiis, impudentia, seditionibus homines poteſt, spectandum publice, atque per hoc imitandum proponeretur. Tum autem necdum adeo degenerantibus a priſtina integritate mentibus persuasum eſt, ut senatusconsulto deſtrui affectum opus, subhaſtarique omnia, quae comparata theatro fuerant, juberentur; addito, *ne quis in urbe propiusve paſſus mille ſubſellia poſuiſſe, ludosve ſedens ſpectare vellet:* digno utique senatusconsulto, quod inter nobiliſſima Romanae gravitatis argumenta notaretur. *Scipio Nasica deſtrudi theatri auctor.*

XXVIII. Nequaquam eadem innocentia res in Hispania gerebantur: ubi Lucullus, bello cum Vaccaeis injuſſu senatus populique geſto, in Turdetania hiemabat. Ibi quum animum advertiſſet, Lusitanorum copias in propinquo negligentius agere, dimiſſa cum legatorum tribunorumque acerrimis expedita manu, circumvenit incautos, et ad millia quatuor interfecit. Iterum deinde, circa Gades magnum eorumdem hoſtium exercitum adeptus, occisis mille quingentis, ceteros, *Lucullus Lusitanos vincit.*

Cap. XXVI. Auctor. de Vir. illuſt. Cic. Bruto, c. 20. et Cat. c. 14. Cap. XXVII. Liv. Epit. Vell. 1, 15. Appian. Civil. l. 1. Aug. de Civ. Dei, l. 1. Oros. 4, 21. Val. Max. 2, 4. Tac. 14. Ann. 20. Cap. XXVIII. Appian. Iber.

U. c. 601. A. C. 151. in edita loca compulsos, quum rerum neceſſariarum inopia premerentur, in deditionem accepit. Poſt hos succeſſus, perterritis hoſtium animis, per Lusitaniam populabundus incedebat, nemine obsiſtere auso. quae res etiam Ser. Galbae fecit audaciam, ut et ipse ad vaſtandas hoſtium regiones liberius procurreret. Unde correpti poenitentia, qui defecerant, miserunt ad Galbam petitum, *ut iisdem legibus, quibus anno praeterito cum M. Atilio pacti fuerant, in amicitiam reciperentur.*

Galbae perfidum et crudele facinus in Lusitanos.

XXIX. Galba, minime laudabili arte, perfidia in perfidos uti cogitans, simulata comitate excipit legatos: *compertum sibi, non pravitate ingenii a prioribus pactis resiliſſe Luſitanos, ſed inopia coactos ob ſterilitatem ſuae regionis alienos agros incurriſſe. Id ne deinceps quoque facere neceſſum haberent, terram*, aït, *daturum bonam atque commodam: non quidem quae tantam multitudinem continenti ſpatio aleret; ſed, ſi tres in partes dividi paterentur, idoneas ſingulis ſedes aſſignari poſſe.* Credunt promiſſis propraetoris, accepta in id fide, barbari: desertisque domibus, ad eum locum, quem Romanus indicaverat, maximo numero confluunt. Eos in tria partitus agmina in lata planitie, satis magno alios ab aliis intervallo, considere jubet, ibique reditum suum praeſtolari. Tum proximos benigna oratione compellans, quando jam amici sociique eſſent, deponere arma jubet. barbari sine metu paruere. at ille vallo circumdari universos imperat, mox immiſſis armatis caedi. Eadem deinde fraude alteros oppreſſit; eadem tertios: nec ex tanta vi hominum evadere crudelem ejus perfidiam, nisi perpauci, potuere. quos inter Viriathus fuit, quem fortuna vindictae, sequutaeque vindictam celeberrimi nominis nobilitati servaverat. ceteros aut ferrum ſtatim hausit, aut captos in servitutem Galba vendidit, incertum avarior an crudelior, quibus rebus Lucullum, quum perfidia aequaret, superabat.

Ejusdem avaritia in magnis opibus.

XXX. Tum quoque praedae minima parte militi amicisque diſtributa, ceteram servavit sibi: inter immensas opes, quibus nemo tum Romae inſtructior fuit, semper egenus, et in pace quoque non mendacio, non perjuriis parcens, quoties ex his lucrum speraret. De numero Lusitanorum, qui Galbae dolo perierint, dissentitur; aliis novem fuiſſe millia, quibusdam, aucto

Cap. XXIX. Val. Max. 9, 6. 2. Appian. Cap. XXX. Val. Max. Suet. Galb. c. 3.

vehementer numero, triginta millia affirmantibus. Similimum vero est, hunc universae multitudinis numerum fuisse: ex eo interfectos novem millia, ceteros sub corona venisse. Et haec quidem in annum sequentem egressa sunt, qui T. Quintium T. F. T. N. Flamininum, M. Acilium L. F. K. N. Balbum consules, idemque initium tertii cum Poenis belli habuit; quod ut certius cognoscatur, quaedam illorum adversus Masinissam referenda gesta sunt, quando illa si non causam Romanis armis, occasionem certe praebuerunt. U. c. 601. A. C. 150. T. Quintio, M. Acilio Coss. *Initium tertii belli Punici.*

XXXI. Oroscopa vocatur oppidum; quod, Poenorum quum esset, a Numida obsidebatur. Mittitur ab urbe, quinque et viginti peditum millibus, equitibus urbanis quadringentis stipatus, Hasdrubal: adeo felici expeditionis principio, ut advenienti statim sex millia regiorum equitum a praefectis Anasi Jubaque adducerentur, qui ob contentiones quasdam cum Masinissae liberis fidem mutaverant. Unde plenus animorum Hasdrubal, castris propius hostem motis, premebat Masinissam, omnibus ferme levibus proeliis, quae ut inter vicinos exercitus crebra fiebant, superior. At rex, inveteratus belli artibus, ex ipso incommodo suo victoriam moliebatur. Tamquam igitur hostilibus armis resistere non posset, cedere paulatim, simulare metum, castrisque saepe mutatis, aliis atque aliis locis considere: donec in aridam planitiem pertraxit hostes, praeruptisque collibus undique cinctam. hic locus quum proelio placuisset, castra in eadem planitie posuit rex: Hasdrubal in tumulos, ut tutiores, subduxit copias. *Carthaginiensium cum Masinissa bellum.*

XXXII. Pridie, quam pugnaretur, missu L. Luculli ad Masinissam P. Scipio Aemilianus accessit, elephantos ad bellum Celtibericum ab eo petiturus. Rex, missis cum omni equitatu filiis, excipi venientem jubet: quominus ipse obviam proficisceretur, non tam aetate, quam imminente mox proelio, praepeditus, cui vires integras reservabat. is enim adhuc vigor duodenonaginta annos agenti aderat, ut nihil in eo ad ducis pariter militisque obeunda officia desideraretur. Neque labore ullo, neque victu duriore frangebatur: panem sine pulpamine mandere; iisdem in vestigiis, quoties opus videretur, totos dies persistere; itinera longa pedibus aut equo continenter, utro coe- *Scipio in castra regis venit.*

Cap. XXXI. Appian. Libyc. Cap. XXXII. Liv. Epit. 48. et 50. Polyb. apud Vales. Cic. Cat. c. 10.

U. c. 602. A. C. 150. piſſet modo, peragere, neque insolitum ipsi, neque moleſtum habebatur. senem se eſſe sola praeteritarum rerum recordatione sentiebat. Tum quoque summo mane, more Numidarum nudo insidens equo, copias eduxit, acieque inſtructa provocavit hoſtem. Neque moram pugnandi Hasdrubal fecit, aucto ex novis auxiliis animo, quae magno numero ad eum ex tota Carthaginiensium ditione confluxerant.

Pugna inter Masinissam et Poenos.

XXXIII. Id proelium P. Scipio ex locis editis velut in theatro spectavit: saepe poſtea profeſſus, nullum aliud tanta cum voluptate vidiſſe, quia cura omni exsolutus (tamquam amicus et hospes utrorumque) tantum vacaret notandis, quae a centenis denis hominum millibus facinora ederentur. *Neque ante se, niſi duobus, ſimili ſpectaculo frui licuiſſe*, praedicabat, *Jovi ab Ida, Neptuno e Samothracia.* Pugnatum eſt acerrimis animis ab orto sole ad occasum, magna utrimque caede, sed melioribus ad extremum Masiniſſae rebus. Cui a pugna redeunti Scipio se obtulit, ab eoque maxima cum amoris laetitiaeque demonſtratione eſt exceptus. Etiam Carthaginienses, audito Scipionis adventu, gavisi sunt, sperantes per illum se pacem impetrare poſſe. Ceterum, quum agro circum Emporium cederent Poeni, praetereaque praesentis pecuniae talenta ducenta daturos pollicerentur, et octingenta alia in certum tempus; rex ante omnia transfugas reſtitui poſtulabat. cujus rei mentionem quum nec ad aures admitteret Poenus, colloquium re infecta diremptum eſt. Scipio, acceptis elephantis, in Hispaniam renavigavit.

Poeni fame expugnantur.

XXXIV. At Masiniſſa, commeatum adempturus hoſti, collem, in quo Punica erant caſtra, foſſa circumdedit; quamquam ea etiam locorum natura eſſet, ut, quantumvis libera frumentatione, parum reperiri copiarum potuiſſet: adeoque ipsi quoque vix e longinquis locis necessaria parce afferebantur. Unde spes Hasdrubali fuit, (nam inſtructior ipse videbatur) priorem Numidam inopiae succubiturum eſſe. accedebat, quod ab Roma legati adventare dicebantur, quorum imperio solutum iri bellum putabat. Verum illi cum his mandatis advenerant, *ut, ſicubi laborare viderent Maſiniſſam, tollere controverſias ſtuderent, ſuperiorem uti fortuna hortarentur.* Ita fruſtratus exspectatione sua Has-

Cap. XXXII. Appian. Cap. XXXIII. Homer. Iliad. 8, 51. et 13, 12. Appian.

drubal, quum etiam erumpendi occasionem, attritis interim corporibus, amisisset, in maximam calamitatem incidit. Jam jumentis omnibus equisque in cibum absumptis, etiam amenta telorum coxerant. Ita fame afflictis, ut solet, morbi non pepercere, maxime quum ingens hominum vis, angusto loco clausa, praeter ceteras miserias, aestatis, quae per Africam ardentissima est, incommodis urgeretur. Esurientibus cibus, aegrotis fomenta, etiam sepultura morientibus deerat: quum neque cremari corpora lignorum penuria, (jam enim et scuta combusserant) neque efferri castris intentae hostium custodiae paterentur. ita languentes, semivivi, mortui, quum permixti jacerent, adeo totis castris increbuit pestilentiae malum, ut tolerari ultra nequiret. U. c. 602. A. C. 150.

XXXV. Masinissa conditiones imposuit, quales infensus et superbus victor potest. Transfugis redditis, vectigal talenta centena in annos quinquaginta pendere, exsulesque suos contra jusjurandum recipere, promiserunt. Ita cum singulis tunicis ignominiose dimissos Gulussa, periculi sui memor, et velut in auctores perfidiae ipsorum exemplo juste usurus, interfici a Numidis equitibus jussit: incertum, an inscio Masinissa. Illi, quum neque ad resistendum arma, nec ad fugiendum vires haberent, praeter paucos, qui cum ipso duce evaserunt, sunt interfecti. Hoc bellum exitio Carthagini fuit. nam et praetextum dedit Romanis, ut eos armis peterent, et victoriae fiduciam: quum exscindere attritas a Masinissa opes (hominum ad millia duodesexaginta perierant) neque periculosae admodum, neque diuturnae luctae videretur. *Clades maxima Poenorum: et extremi exitii caussa.*

Cap. XXXV. Zonaras. Suidas in *Ἀνδσαδις*. Appian.

EPITOME
LIBRI QUADRAGESIMI NONI.

Tertii Punici belli initium altero et sexcentesimo anno ab urbe condita, intra quintum annum, quam

Tertii Punici belli initium etc. *intra quintum annum, quam erat coeptum, consummatum omnino est] belli initium consummatum* esse, quid sibi velit, profecto difficile dictu est. neque injuria. est enim vitiosa locutio. Legitur autem in codice antiquo: *intra quintum annum, quam erat coeptum, consummati*, ut ad vocem *belli* referas, et sit sensus: Tertii Punici belli initium, intra quintum annum consummati, refertur. Sic supra [Epit. 16.] *Origo Carthaginiensium, et primordia urbis ejus referuntur.* Et infra [Epit. 68.] *Antequam Cimbricum bellum consummaretur.* Item [Epit. 109.] *Causae civilium armorum et initia referuntur.* SIG. Haud scio cujus [*consummatur.*] nam legebatur olim *consummatum omnino est:* quod quum merito displiceret Sigonio, monuit, in antiquo codice esse *consummati:* cui ipse addit *τὸ refertur.* Barberinae quoque et Gudianae membranae *consummati.* Neque est allinendum quicquam, cum sensus sermoni, ut in prologis et epitomis, abscisso satis constet; quod deest autem commode intelligatur, et a lectoris prudentia suppleatur. *Initium* (subaudi, hoc in libro est) *tertii belli Punici, anno altero et sexcentesimo ab urbe condita,* (subaudi coepti, et) *intra quintum annum, quam erat coeptum, consummati.* J. FR. GRON. *Tertii belli Punici* edidit Gronov. anno 1665. invitis omnibus scriptis, et excusis prioribus; quorum scripturam *Punici belli* reduxi. Tum *annum* exsulat a Leid. et Berg. quasi ea vox ex praecedenti *anno* hic repetenda foret. Deinde *quam erant capti, nundum consummatum* Leid. *qui erat, consummatum est* Boend. *quam erat coeptum, consummatum est* ed. Camp. *quam erat coepta, consummati* Voss. *quam erat coepti, consummati* Exc. Pithoei. *quam erat coeptum, consummati* Berg. et Lov. 2. quomodo recte Sigonius emendavit. Illud *omnino* esse ex particulis, quas librarii Epitomis his addere soliti sunt, videbimus ad Epit. 58. *consummatur.* quod, cujus foret, nesciebat Gronov. primum obcurrit in ed. Gruteri postuma; quae, periodum hanc in duas distrahens, ita praefert: *Tertii Punici belli initium altero et sexcentesimo anno ab urbe condita. intra quintum annum, quam erat coeptum, consummatur.* Ceterum Clariss. Jac. Perizonius ad marginem Livii monuit, non eam Sigonii mentem videri, *τὸ referret* in contextum recipiendum esse, sed ab eo tantum in expositione loci sensus caussa additum fuisse. Sane saepe quidem auctor Epit. hoc modo verbum *referre* vel simile quid addidit. Vide ad Epit. 1. verum etiam interdum omittitur. Vide ad Epit. 93.

erat coeptum, consummati. Inter M. Porcium Catonem et Scipionem Nasicam, quorum alter sapien-

Altero et sexcentesimo anno ab urbe condita] Sic etiam Eutropius 4, 10. quod in Orosio 4, 22. literis, numerorum notis, expressum est *DCII*. Sigonius in defensione Scholiorum suorum adversus Glareanum et Robortellum *altero* hic interpretatur *primo*. Pighius ad A. V. 1oc111. Orosium secutus *secundo*. Dudum non convenit inter viros doctos, *alter* in quibusdam locis scriptorum veterum *primus* sit, an *secundus*. Non potest dubitari, quin saepe sit *secundus;* ut in multis, quae in vulgatis Lexicis, et apud eos, qui de Particulis linguae Latinae scripserunt, leguntur; in quibus res ipsa non patitur, *alter* aliter accipi. Sed inde non consequitur, *alter* numeralibus, quae ordinalia vocant Grammatici, adpositum necessario esse *secundus:* veluti in vexato illo Virg. Ecl. 8, 39.

Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus.

in quo post Servium et alios etiam Passeratius ad Ciceronem pro Caecin. 9. et Graev. ad 1. Philipp. 13. *alter* pro *secundus* accipiunt, Sigonio l. d. et Perizonio cap. 7. Animadv. Hist. p. 282. dissentientibus. Nec ullo certo argumento demonstrari posse credo, in Cic. 12. Epist. Fam. 25. *Literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero vicesimo die, ut dicebat, reddidit:* diem *alterum vicesimum* esse *secundum et vicesimum;* quod Manutius, Graevius, et Cortius ibi volunt. Livius quidem 33, 21. Attalum *altero et septuagesimo* anno mortuum dicit, quem Polybius in Exc. Peirescianis pag. 102. et ex eo Suidas in Ἄτταλος, ἐτη δύο πρὸς τοῖς ἑβδομήκοντα vixisse tradunt; sed contra in Suetonii Tito c. 11. *Excessit altero et quadragesimo aetatis anno*, annum *alterum et quadragesimum* sine controversia esse *primum et quadragesimum*, ex ratione temporum ostendit Clar. Burmann. ad Petron. cap. 108. In hac Epitoma utrum *alter* et sexcentesimus annus sit *primus*, an *secundus* et sexcentesimus, non possum decernere. Sed certum est, auctorem illius, sive hoc, sive illud voluit, aliam rationem annos ab urbe condita numerandi secutum esse, quam auctores Fastorum: nam horum alii consulatum Aemilii et Censorini, quibus consulibus Carthaginem obsideri coepisse omnes historici consentiunt, in annum V. C. 1oc1v. alii et cum his Censorin. de Die Nat. cap. 17. in sequentem conferunt. DUK. Robortell. de Convenient. Supput. Liv. cap. 4. et lib. 1. Emend. 9. *altero et sexcentesimo anno* exponit secundo et sexcentesimo, et pro eo emendat *quarto et sexcentesimo anno*. Petr. Taffinus in Chronolog. nova Ludor. Secul. cap. 6. legendum putat *quinto et sexcentesimo anno*. Hanc lectionem veram esse secundum hypothesin Varronianam, contendit Hearnius; sed quum Livius secutus sit calculum Catonianum, *DCIII* rescribendum esse, idque e doctiss. Dodwelli tabulis constare. Clariss. Crevierius agnoscit, auctorem hujus epitomes initium tertii belli Punici repetere ab consulatu T. Quinctii et M. Acilii, ut ex eo probat, quod bellum hoc intra quintum annum consummatum esse dicat: id autem finitum esse Cn. Cornelio, L. Mummio consulibus, qui quinto abhinc anno

tissimus vir in civitate habebatur, alter etiam vir optimus a senatu judicatus erat, diversis certatum sententiis est; Catone suadente bellum, et ut tolleretur delereturque Karthago; Nasica dissuadente. Placuit tamen, quod contra foedus naves haberent, quod exercitum extra fines duxissent, quod socio po-

magistratum gesturi sunt. Annum etiam *alterum et sexcentesimum* intelligit de sexcentesimo primo: ipse tamen eum numerat sexcentesimum secundum, ne a Dodwelli chronologia, quam sequitur, discrepet. Illa tamen hanc sententiam adhuc premit difficultas, quod paullo post auctor epitomes referat, ludos seculares editos esse anno centesimo post proximos, qui editi erant *anno quingentesimo et altero ab urbe condita*, id est, anno sexcentesimo altero. Eo autem anno, quo facti sunt, ex sententia Livii consules fuisse *L. Marcium Censorinum et M.* (lege *M.?*) *Manilium*, docet Censor. de die Nat. 17. Quum autem auctor epitomes etiam initium belli Punici tertii in alterum et sexcentesimum annum ab urbe condita conferat, dicendum videtur, eum etiam hic intellexisse annum, non quo T. Quinctius et M? Acilius sed quo L. Marcius Censorinus et M? Manilius consules fuerunt. Ceterum alio ordine, *ab urbe condita anno* legunt Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Quorum alterum sapientissimum virum in civitate habebant, alter vir optimus a senatu judicatus erat] Vet. lib. *quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur, alter optimus vir etiam a senatu judicatus erat.* SIG. Idem scribit Diod. Sicul. in Exc. Peiresc. p. 382. Verosimile est, utrumque errasse, et hunc filium fuisse illius, qui vir optimus judicatus fuerat. Vide Rupert. ad Pompon. l. 2. §. 37. D. de Orig. Jur. DUK. In priori membro omnes nostri, et editio Campani adsentiuntur vet. lib. Sigonii. Posterius vero paullo aliter exhibent. *alter optimus etiam a senatu judicatus erat* Boend. et ed. Camp. omissa voce *vir*, quae modo praecessit; quasi inde commode repeti posset. *alter optimus vir etiam judicatus a senatu erat* Lov. 2. quomodo Gronov. anno 1665. edidit. *alter etiam optimus vir a senatu judicatus erat* Berg. *alter etiam vir optimus a senatu judicatus erat* Voss. et Leid. quod praefert postrema Gruteri editio, quam cum Freinsh. Doujatio, Clerico, et Crevierio secutus sum. Paullo ante vocem *Nasicam* perperam omittit Leid. Scriptum fuisse videtur *Scipionem Na.* ut exstat in Boend. et hinc librarius compendium illud *Na.* non adsecutus omisit. In sequentibus *certatum est sententiis* Voss. Leid. Exc. Pithoei, Norv. et edd. vett. pro quo Gronov. anno 1665. substituit *certatum sententiis est*, quod praeferunt Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Et ut omnino deleretur Karthago] Vet. lib. *et ut tolleretur delereturque Carthago.* SIG. Similiter Leid. Berg. et Lov. 2. Hinc postea barbare factum *et ut totaliter deleretur Carthago* in Voss. Boend. et ed. Camp. quod tandem mutatum est in *et*

puli Romani et amico Masinissae arma intulissent, quod filium ejus Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent, bellum iis indici. Priusquam ullae copiae in naves inponerentur, Uticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio, veluti omen, grata Patribus,

ut *omnino deleretur*, ut, praeter reliquas ante Sigonium edd. praefert Norvic. Sed de particula *omnino* vide ad Epit. 58.

Nasica dissuadente: placuit nihilominus, eo quod contra foedus] Vet. lib. *placuit tamen.* SIG. Distingue et scribe: *Nasica dissuadente. Placuit tandem.* J. FR GRON. *tamen* et *tandem* saepius a librariis confundi, vidimus ad 22, 2, 11. hic tamen omnes noſtri cum Exc. Pithoei, et ed. Camp. *placuit tamen* tuentur. Deinde particulam *eo* omittunt omnes iterum scripti noſtri, et typis inpressi usque ad Ascensium, qui anno 1513. addidit. Poteſt etiam commode abesse.

Naves haberent, quod extra fines exercitum duxissent] *exercitus* Leid. et Voſſ. *naves haberent et exercitus, et extra fines duxissent* Boend. et ed. Camp. *naves haberent, quod et extra fines exercitum duxissent* Norv. et, teſte Hearnio, ed. princeps. et vetuſtae, quibus usus sum, *τὸ quod* ignorant, eamque voculam Gruterus demum loco *τοῦ et* invexit. *quod exercitus extra fines duxissent* Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Et ita Gronov. anno 1665. edidit, nisi quod *exercitum* receperit.

Quod socio populi Romani] *quodque socio* Exc. Pithoei, Norv. Hearnii, et edd. ante Gruterum, qui copulam expunxit. Nec male. Tamdem enim ignorant Voſſ. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad verba seqq. Tum *socio populo Romano* Voſſ. De locutione *socius, amicus, hostis populo Romano* similibusque vide ad 39, 47, 10. Hic tamen ambigui vitandi caussa nihil muto.

Quod filium ejus Gulussam, etc. *in oppidum minime recepissent*] Vet. lib. *non recepissent.* SIGON. *et quod filium* Boend. Exc. Pithoei, Norv. Hearnii, et editiones ante Gruterum, qui *τὸ et* delevit, consentientibus Leid. Voſſ. Berg. et Boend. Toties voculam *quod ἀσυνδέτως* repeti, ex Livii ſtilo auctori Epitomarum adhaesiſſe videtur, quod librarii, et praesertim primi editores, ferre non potuerunt, et hinc particulis junxerunt. Vide ad 5, 35, 4. Praeterea *non recepissent* etiam Leid. Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Passim primi editores in his Epit. *minime* τῷ *non* supposuerunt. Exempla vide ad Epit. 22. 29. 38. 46. infra hac Ep. et praeterea Ep. 50. 51. 56. 67. 69. 88. 89. 101. 115. 116. et alibi. Mox vocem *ullae* non agnoscit Berg.

Veluti omen] Haec iterum lectio Grutero debetur; quum antea ederetur *veluti maximum belli omen*, adſtipulante solo Norv. Contra Grutero adhaeret Leid. nec aliter Berg. et Lov. 2. nisi quod *velut* praeferant. Eodem ducunt reliquorum veſtigia. Nam *veluti omnium* offert Voſſ. *veluti omnibus grata Patribus*

acerba Harthaginiensibus fuit. Diti patri ludi ad Terentum, ex praecepto librorum Sibyllinorum, facti: qui anno centesimo, primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab urbe condita, facti erant. Legati triginta Romam venerunt, per quos se Harthaginienses dedebant. Catonis sententia pervicit, ut in

Boend. *principibus*, pro *Patribus*, legit Voss.

Diti patri ludi ad Tarentum, ex praescripto librorum Sibyllinorum, facti] Lege *ad Terentum*, qui locus erat in Campo Martio, ex Festo [voc. *Saeculares*, et *Terentum*,] et Valerio lib. 2, 1. itemque lege apud Censorin. [17.] *Cum libros Sibyllinos decemviri adissent, renunciarunt, uti Diti patri et Proserpinae ludi Terentini in Campo Martio fierent.* Servius in 8. Aeneïd. [vers. 63] partem Tiberis *Terentum* a *terendo* dictam aït. SIG. Vocem *Sibyllinorum* scripti codices ignorant. J. FR. GRON. Livius saepe tantum *libros* vocat. 3, 10. 5, 50. 10, 47. 22, 36. 25, 12. 31, 12. et 34, 55. DUKER. *Ludi Diti patri* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Deinde perperam *ad Tarentum* omnes nostri, et Exc. Pithoei, ac Norv. Vide viros doctos ad Val. Max. 2, 4, 5. N Heins. ad Nason. 1. Fast. 501. et quos Celeb. Burm. ad eum locum laudavit. Alios tamen locum *Tarentum* vocasse, constat ex Zosim. lib. 2. in princ. qui τῷ κατὰ τὴν ἄκραν Ἰαπυγίαν ὁμώνυμον Τάραντι dicit. Praeterea vocem *Sibyllinorum* nulli meorum agnoscunt. *ex praecepto libri* perperam legit Boend.

Qui anno primo primi belli Punici, quingentesimo et altero anno ab urbe condita, facti erant] Foedissime se habet hic locus, quem nos, auctore vetere libro, sic restituimus: *qui anno centesimo, primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab urbe condita, facti fuerant.* Sensus est: Ludos seculares ad Terentum, qui centesimum ante annum, dum Punicum bellum gerebatur, anno ab urbe condita DI facti fuerant, hoc anno esse relatos. Id autem ita esse, ratione quoque possumus confirmare. Nam si anno ab urbe condita DI illi facti sunt, profecto P. Claudio Pulchro, L. Junio Pullo consulibus facti sunt. Nam in eos consules hic numerus incidit ad summam annorum Livianam. Censorinus autem, de his ludis loquens, aït [cap. 17.] *Tertii ludi fuerunt, Antiate Licioque auctoribus, P. Claudio Pulchro, L. Junio Pullo consulibus.* Praeterea si post centum annos, quam illi facti erant, relati sunt, profecto, anno DCI hi facti sint, necesse est; qui annus consules habuit L. Marcium Censorinum et M? Manilium. Itaque Censorinus idem [ibid.] aït: *De quartorum ludorum anno triplex opinio est: Antias enim, et Varro, et Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. Manilio consulibus, post Romam conditam anno sexcentesimo quinto.* Sequitur autem in numerandis urbis conditae annis alios auctores, quam Livium, eosdem prope, quos Ciceronem et Plinium secutos esse animadvertimus. SIG. Prorsus, ut Sigonius, Barberinae membranae,

decreto perstaretur, et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur. Qui ubi in Africam transierunt, acceptis, quos imperaverant, trecentis obsidibus, et armis, omnibusque instrumentis bellicis, si qua Karthagine erant; tunc, quum ex auctoritate Patrum juberent, ut in alium locum, dum

nisi quod *a primo*. Unde scribebam, *anno centesimo ante, primo Punico bello*. Nunc autem in Vossiano et Gudiano video: *qui annum centesimum, primo Punico bello*. Ergo: *qui ante annum centesimum, primo Punico*. Iidem *facti erant*. J.FR.GRON. Robortellus 1. Obs. cap. 7. fidem Sigonii, se *anno centesimo, primo Punico bello* in Mſtis invenisse adfirmantis, audacter sugillat, et *anno centesimo*, pro ante annum centesimum, Latine dici negat: ipse vero legendum conjicit *anno XVI. primi belli Punici*. Petrus Taffinus in Chronol. nova Ludor. Secul. cap. 5. emendat, *qui anno XVII. primi belli Punici, quingentesimo quinto ab urbe condita, facti erant*. Taffino adsentitur Hearne, nisi quod cum Dodwello, pro ratione Catoniana, *quingentesimo tertio* scribere malit. Verum *qui anno centesimo, primo Punico bello*, quod se in vet. lib. reperisse Sigonius teſtatur, mihi etiam obvium fuit in Berg. *qui annum primum Punico bello* in Boend. *qui annum centesimum a primo Punico bello* in Leid. *qui annum centesimum, primo Punico bello* in Voſſ. et Lov. 2. quibus consentiunt Excerpta Pithoei. Alterutra igitur Gronovii conjectura probanda videtur. Deinde *quingentesimo altero anno* Lov. 2. Quis autem sit annus *quingentesimus alter*, viri docti ad initium hujus Epit. docuerunt. Insuper *facti erant*, pro quo Sigonius dedit *facti fuerant*, in contextum revocavi, quia ita praeferunt omnes Mſti mei, Norv. Hearnii, et edd. priores.

Per quos se Karthaginienses dedebant] *Carthaginienses se dedebant* Boend. Norv. et edd. ante Gruterum; qui ordinem, ut nunc editur, mutavit, consentientibus Leid. Berg. et Lov. 2. *pro quos Carthaginienses dolebant* male Voſſ.

Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur] *devicit* Leid. Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Dein *ut decreto* Norv. et edd. usque ad Gruter. qui *ut in decreto* dedit, adprobantibus omnibus scriptis noſtris; quod Livio familiare eſt. Vide ad 8, 33, 6. et 37, 52, 10. Tum *perstaret* Boend. *praestaretur* Voſſ. Berg. a manu 1. et edd. Rom. anni 1472. ac Parm. scribarum errore, qui pariter lapsi sunt in Mſtis quibusdam 8, 33, 6. et 10, 13, 10. Mox *proficiscerentur ad bellum* Leidens. Voſſ. Norv. et edd. ante Gron. qui anno 1665. *ad bellum proficiscerentur* dedit. Nec aliter Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Et armis omnibus, instrumentisque belli, si qua Karthagine erant] Barber. *et armis, omnibusque instrumentis publicis*. Forte *bellicis*. J. FR. GRON. *et armis omnibus instrumentis bellicis* Boend. *et armis, omnibusque instrumentis belli* Leid.

a mari decem millia passuum, ne minus, remotum, oppidum facerent, indignitate rei ad bellandum Karthaginienses compulerunt. Obsideri obpugnarique coepta est Karthago ab L. Marcio, M? Manilio consulibus. In qua obpugnatione quum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum

Voſſ. Berg. Norv. omnesque editi ante Gruter. vulgati auctorem; quod in uno apud me Lov. 2. superfuit. Priscam igitur lectionem praetuli, nisi quod *bellicis*, pro *belli*, dederim. Tum *Karthagini erant* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad 28, 26, 1. Paullo ante *Qui ut in Africam* Boend. Praeterea *quos impetraverant* Voſſ. Berg. Lov. 2. et Boend. V. ad 35, 17, 7. Ad haec vox *trecentis* exsulat a Leid.

Ut in alio loco, procul a mari decem millia passuum, nec minus, remoto, oppidum facerent] Vet. lib. *ut in alium locum, dum procul a mari decem millia passuum, nec minus, remotum*. SIG. Lectio vulgata, vet. lib. auctoritate firmata, a Sigonio rejicienda non fuit. DELR. Lege, *ne minus*. Sic enim loquuntur. Fortassis et pro *facerent*, legendum *transferrent*. J. FR. GRON. Livius 28, 39, 19. *Ne minus dena millia aeris*. 32, 26, 18. *Ne minus decem pondo compedibus*. Sic *ne plus* 34, 6, 14. Vide Jac. Gronov. ad 38, 24, 5. DUK. *in alium locum* etc. *remotum* Leid. Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Qua lectione admissa, insuper *transferrent* cum Gronovio scribendum videtur, ubi omnes scripti et editi constanter *facerent* servant. Praeterea *locum, ut a mari* Boend. *locum, a mari* ed. Camp. *locum, dum a mari* Leid. Voſſ. Berg. et Lov. 2. Vocem itaque *procul*, quam nullus Mſtorum agnoscit, et sine quo optime sensus constat, delevi. Tum *ne minus* Leid. Voſſ. et Exc. Pithoei. Vide ad 38, 24, 5. Paullo ante *tum ex auctoritate* Leid et Lov. 2. *tunc ex auctoritate* Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Ad bellandum Karthaginienses compulerunt] *ad bellum* Lov. 2. *ad rebellandum* Leid. quod foret iterum bellandum. V. ad 35, 19, 7. Solent autem *bellare* et *rebellare* a librariis commutari. V. ad 40, 38, 5. Mox *obsidiari oppugnarique capta est* Boend. *coepta* deeſt in Berg.

Ab L. Martio, L. Manlio consulibus] Lege *L. Marcio, M? Manilio*. *M.* etiam *Manilius* dicitur in Bruto [cap. 15.] et a Valerio [5, 2. ext. 4.] et a multis aliis. Ipsum tamen praenomen *Manii* tulisse, indicat Capitolinus ejus consulatus. Itaque locus in principio Somnii Scipionis ita legendus: *Cum in Africam venissem, Manio Manilio consuli ad quartam legionem tribunus, ut scitis, militum*. Mendose enim legitur: *Anicio, Manilio consulibus*. Quidam *Marcio et Manilio* emendarunt, non recte. non enim ambobus consulibus Scipio venit tribunus, sed uni Manilio, ut Appianus et Valerius [ibid.] tradiderunt. SIGON. Gentis Marciae nomen per c, non per t, scribendum esse, vidimus ad 1, 32, 1. *L. Manlio* in nullo vel scripto, vel edito inveni, sed *M. Manlio* legunt Leid.

cohortibus suis inrupissent, et ab oppidanis graviter caederentur, a Scipione Africano expliciti sunt: per quem et castellum Romanorum, quod nocte expugnabant, paucis equitibus juvantibus, liberatum est: castrorumque, quae Karthaginienses, omnibus copiis ab urbe pariter egressi, obpugnabant, liberatorum is

Norv. et edd. *et Marco Manlio* Berg. *M. Manilio* Boend. et Lov. 2. *M. Manilio* Voss. *Μανίλιον Μανίλιον* vocat Appian. in Punic. pag. 42. Vide etiam Pighium in Annal. ad A. V. 1014. pag. 445. ubi etiam locum Cic. in principio Somnii Scipionis, sed aliter quam Sigonius, emendare conatur. Mox *τὸ muros* deest in Berg. contra *cum cohortibus suis*, addita ultima voce, legunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. quare recepi.

A Scipione Africano expliciti sunt] Lectio spuria. Nam certe tunc non sortitus id cognomen Scipio. Habet Pal. 1. *Orfitiano*. Quid? an id cognomen ei inhaesit a patre adoptivo? GRUTER. Delendum *τὸ Africano*, ut et in Epit. praecedente: nondum enim id cognomen habebat. J. FR. GRON. Vocem *Africano* tuentur Leid. Voss. Berg. et Boend. idque viri docti per prolepsin accipi posse docuerunt. Vide Clariss. Dukerum ad Flori 4, 3, 5. Alia ejus figurae exempla observat Celeberr. Burm. ad Suet. Clar. Rhet. 1. ejus loco *Orfitiano* praeferunt Exc. Pithoei. At *Aemiliano* Lov. 2. quod reliquis lectionibus praeferrem, si plures codd. id velle viderem.

Castellum, quod nocte obpugnabant] Scripti *expugnabant*. hoc est, expugnaturi videbantur, alioquin expugnaturi erant, parum aberat, quin expugnarent. Ut Cicero 4. Att. 10, *Ad eum postridie mane vadebam, cum haec scripsi*. i. e. iturus eram. l. 5, 15. *Iter Laodicea faciebam a. d. III. Non. Sext. cum has dabam*. Ep. 17. *Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem literas*. Hoc est facturus, habiturus eram. J. FR. GRON. Plura hujus generis vide ad 34, 1. Quia tamen Hearnius nullam varietatem scripturae ex aliis adnotat, vulgatum retineri tutius puto. DUK. *oppugnabant* demum Frob. anno 1535 recepit; quod verbum saepe pro *expugnare*, et vicissim, librarii substituerunt, ut vidimus ad 21, 57, 6. *expugnabant* hic verum existimo, quia in omnibus scriptis, quibus usus sum, omnibusque ante Frobenium edd. constanter supereſt, idque commode exponi posse Gronovius ad hunc locum docuit. *Expugnabant* igitur hic de conatu ac voluntate expugnandi intelligo, non de ipso actu. Ita 37, 53, 13. *Antiochus filiam suam in matrimonium mihi dabat; restituebat extemplo civitates, quae defecerant a nobis; spem magnam in posterum amplificandi regni faciebat*. Et ita auctor Epitomarum infra lib. 75. *L. Porcius consul, rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit*. Plura similia vide apud Clariss. Duker. ad Flori 1, 18, 12. et quae notavi ad 34, 1, 7.

Castrisque, quae Karthaginienses etc. *obpugnabant, li-*

ipse praecipuam gloriam tulit. Praeterea, quum ab irrita obpugnatione Karthaginis consul (alter enim Romam ad comitia erat) exercitum duceret adversus Hasdrubalem, qui cum altera manu iniquum saltum insederat, suasit primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret. victus deinde complurium, qui et prudentiae ejus et virtuti invidebant, sententiis, et

beratis, is praecipuam gloriam tulit] Vet. lib. *castrorumque, quae* etc. *liberatorum et ipse praecipuam gloriam tulit.* SIG. In ipso contextu Sigonius edidit *castrorumque, quae* etc. *liberatorum is ipse praecipuam gloriam tulit.* quod praeferunt etiam Leid. et Voss. Neque multum abeunt reliqui scripti, nisi quod Berg. perperam legat *castrorum quemque Karthaginienses.* Lov. 2. *praecipue gloriam tulit.* Boend. *castrorum, quae* etc. *oppugnabant, liberator exstitit, is ipse.* Cui consentit ed. Camp. ubi *que* elisum est a sequenti pronomine *quae.* Vide ad 41, 2, 11. Praeterea *ab urbe pariter egressi* Lov. 2. et Boend.

Ab irrita obpugnatione Karthaginis] Duae priores voces desunt in Voss. Tum *oppugnatione urbis Karthaginis*, addita media voce, legit Berg. Mox *Romae ad comitia erat* Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithoei. *erat* et *ierat* etiam alibi in Mstis commutantur. V. ad 39, 21, 6.

Exercitum duceret adversus Hasdrubalem] Ita Gruterus edidit, probantque hanc lectionem Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Neque aliter Norv. nisi quod *duceretur*, pro *duceret*, legat. Olim vulgatum fuit *exercitum ducere adversus Hasdrubalem vellet.* Et, ita Exc. Pithoei praeferre, Hearnius auctor est.

Qui cum altera manu iniquum saltum insederat] Primam vocem omittunt Voss Berg. Boend. et ed. Camp. quo etiam carere possumus, si verba haec parentheseos notis includimus. Secundam vocem ignorat Leid. Si plures codd. id vellent, ne eam quidem necessariam ducerem. Certe Livium in similibus locutionibus praepositionem *cum* omisisse, ubi vulgo addi solet, vidimus ad 1, 14, 7. et pluribus aliis locis. Tum *alterea manu* legit Boend. *alia manu* Voss. Vide ad Epit. 50. *alta manu* Lov. 2. Vide ad 21, 28, 5. *ampla manu* Exc. Pithoei, quod non videtur insuperhabendum. Supra Epit. 29. *Ex Africa et militum ampla manu missa, et pecuniae.* Et ibid. *Hannonem Hamilcaris filium cum ampla manu interemit.* Epit. 51 *Contracta clam exiguo tempore ampla classe.* Ita *amplissima dona* et *amplius scutum* Epit. 57. *amplius modus* Epit. 58. Deinde *saltum iniquum* Lov. 2. et Boend. Praeterea *insiderat* Voss. Boend. et quaedam veterum edd. pro quo *insideret* Berg. Sed vulgatum servant reliqui. Mox *suasit populo consul* inepte Voss. *suasit primo consul* Lov. 2. Insuper *ne tam inimico loco*

et ipse saltum ingressus est. quumque, sicut praedixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus, et duae cohortes ab hoste obsiderentur, cum exiguis equitum turmis in saltum reversus, liberavit eas, et incolumes reduxit. Quam virtutem ejus et Cato, vir promtioris ad vituperandum linguae, in senatu sic prosecutus est, ut diceret, reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere;

Lov. 2. et Exc. Pithoei. Vide ad 28, 29, 8.

Victus deinde complurium, qui et prudentiae ejus et virtuti invidebant, sententiis] quam plurium Voss. Vide ad 4, 31, 2. Hinc *et prudentiae et virtuti ejus* Voss. Berg. et Lov. 2. Mox *cum, sicut praedixerat, fusus* Boend. Lov. 2. et ed. Camp. *tum,* (*tunc* Voss.) *sicut praedixerat, quum fusus* Leid. Voss. et Berg. Paullo post *Romanus* ignorat, et *ab hostibus*, pro *ab hoste*, obfert Berg. Tandem *cum paucis equitum turmis* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Quam virtutem ejus et Cato, vir promtioris multo ad vituperandum linguae] Ex vet. lib. tollenda est vox *multo*. SIGON. *Quam ob virtutem* Leid. An voluit librarius? *Quam ob rem virtutem*. Sed potius nihil mutandum. Tum *ejus et* deest in Boend. sola vocula *et* in ed. Camp. Deinde vox *multo* exsulat a Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. quam proinde recte Sigonius expunxit. Vide ad Epit. 51. Insuper *vir promtior ad vituperandum lingua* Voss. Berg. Boend. et ed. Camp. Vulgatum tamen, quod servat Leid. et partim etiam Lov. 2. *vir promtae ad vituperandum linguae* praeferens, ab auctore Epitomarum, quam ab indoctis librariis, pro fectum esse, existimare malo. Mox voces *in senatu* desunt in Boend. et ed. Camp.

Qui in Africa militarent, umbris militare, Scipionem vigore] Antiqua lectio, pro *umbris*, habet *umbras*, pro *vigore*, *vigere*. Quod probo Nam (ut aït Appianus) est versus Homericus [ex Od. K. 495.] a Catone usurpatus hujusmodi. *Οἵοις πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν* id est, *solus sapit, reliqui umbrae ruunt*. SIG. Puto *volitare*. hoc enim est *ἀΐσσειν*. J. FR. GRON. *qui Africa militarent* Leid Sed praepositio *i*, vel *in*, ab ultima litera vocis praecedentis elisa est. Vide ad 37, 41, 8. *qui in Africam militarent* ed. Camp. Vide ad 10, 19, 3. Sed nihil muto. Perperam etiam *militarant* Boend. Tum *umbras* et *vigere* Leid. Voss. Berg. et Lov. 2 *vigere* etiam Boend et ed. Camp. *umbras vagantur*, duabus vocibus mediis omissis, Exc. Pithoei. Gronovii conjecturam *umbras volitare* non displicere Schulting. ad Senec. 1. Controv. monuit Hearnius.

Et illum complexus est] Pro quatuor his vocibus non nisi unam Voss. *compressus*, Gudiani *complexus* habent. Recte posterior, et idem, nescio quomodo exerrans, prior voluit Sic enim cohaeret oratio: *Quam virtutem ejus et Cato in sena-*

et populus Romanus eo favore complexus, ut comitiis plurimae eum tribus consulem scriberent, quum hoc per aetatem non liceret. Quum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitanis

tu sic prosecutus est, ut etc. *et populus Romanus eo favore complexus, ut* etc. Qui geminas ex una periodos fecerunt, reliqua addiderunt. J.FR.GRON. Vulgatum ex ultima Gruteri editione natum est. *eo favore illum complexus est* praeferunt antiquiores. Insuper, *illum* ab Exc. Pithoei, Norv. et prima ed. abesse, Hearne auctor est; quibus consentit Berg. Sed Gudianis Gronovii consentiunt Leid. Lov. 2. et Boend.

Ut comitiis complurimae eum tribus consulem scriberent] Aut *complures*, aut *quam plurimae*. Sed in Gud. et Voss. *ut comitiis plurimae eum tribus consulem scriberent, cum hoc per aetatem non liceret. To scriberent* ambigo, sitne ab auctoris errore, an reddiderint librarii pro *juberent*. Non potest enim id intelligi, nisi de suffragiis latis per tabellas. Agebantur autem haec anno V. C. 1ocv. At prima lex tabellaria Gabinia lata est anno V. C. 1ocxiv. ante quam suffragia pronunciabantur, non scribebantur. J. FR. GRON. *cum plurimae tribus* Berg. cujus librarius voluisse videtur *eum plurimae tribus*. At *plurimae eum tribus* Leid. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithoei.

Quum hoc per aetatem minime liceret] Vet. lib. *non liceret*. SIG. Pariter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide supra hac Epit. Praeterea *quum per aetatem hoc* Boend.

L. Scribonius tribunus plebis] *L. Trebonius* Berg. et Boend. sed male. Nam ex Valer. Max. 8, 1, 2. constat, Libonem tribunum plebis Lusitanorum patrocinium suscepisse, et Ser. Galbam pro rostris vehementer increpuisse, actioni autem tribuniciae M. Catonem subscripsisse. Ex Cic. etiam lib. 12. ad Attic. 5. patet, L. Libonem circa hoc tempus tribunum plebis fuisse. Denique ex sequentibus hujus Epit. certum est, tribuno plebis, qui rogationem de Lusitanis promulgavit, *Libonis* cognomen fuisse. *Libo* autem non Treboniae, sed Scriboniae gentis cognomen erat.

Qui, ex foedere populo Romano dediti, a Sergio Galba in Galliam venissent] Vet. lib. *qui, in fidem populi Romani dediti, a Ser. Galba*. Porro autem *in Gallia*, non *in Galliam*, sensu ita postulante, lego. *venissent* enim, pro *venundati essent*, accipiendum est. Nam, inquit Valer. lib. 9. cap. 6. *Galba trium Lusitaniae civitatum convocato populo, tanquam de commodis ejus acturus, novem millia electa, et armis exuta partim trucidavit, partim vendidit*. SIG. Non displicet, quod ex aliis adnotavit Hearnius, *in Galliam*. Sed desistuor exemplis e scriptoribus Latinis. E Graecis Casaub. et alii quaedam attulerunt ad Lucae Act. Apost. 7, 9. *ἀπέδοντο αὐτὸν εἰς Αἴγυπτον*. DUK. *qui, ex foedere populo Romano dediti* primus edidit Ascensius anno 1513. quum ipse triennio ante *qui foedere populi Romani*, at reliqui omnes *qui in foedere populi Romani* vulgassent, quod superest in Norv. Hearnii, et propius accedit ad lectionem, quam Sigonius ex vet. lib. recepit, *qui in fidem populi Romani*. Neque aliter inveni

tani, qui, in fidem populi Romani dediti, a Ser. Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato accerrime suasit. exstat oratio in Annalibus ejus inclusa. Q. Fulvius Nobilior, et sae-

in Leid. Voss. et Lov. 2. sed *qui in fidem po. Ro.* in Berg. *qui in fide po. Ro.* in Boend. et ed. Camp. Quum Sigonium secutae edd. *ex foedere populo Romano* retinuissent, Gruterus, ejus emendationem recepturus, partem tantum vulgati mutavit, ac dedit *in fidem populo Romano*, quod recentiores retinuerunt usque ad Crevier. qui tandem recte *in fidem populi Romani* ex mente Sigonii substituit. Livius 37, 45, 3. *Asiae civitates in fidem consulis sese tradebant.* 38, 31, 2. *Quum in fidem Achaeorum vicos tradidissent.* Tum *a Servio Galba* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithoei, et ed. Camp. V. ad 5, 29, 2. Deinde *in Galliam* omnes scripti nostri. Cujus locutionis exempla licet nec mihi suppetant, eam tamen praefero, et sensu etiam ab altera differre existimo. *in Gallia* enim venit, vel venumdat, qui in Gallia consistens vendit; sed *in Galliam*, qui alibi constitutus vendit ea conditione, ut in Galliam abducatur. Certe Galba, qui praetor Hispaniam ulteriorem obtinuit, non videtur Galliam, alterius provinciam, adiisse, ut in ea captivos Lusitanos venderet; sed id potius in ipsa Hispania ementibus Gallis fecisse, qui eos in Galliam adsumerent. Simili locutione *scribere legiones in Bruttios* est scribere eas Romae, quae deinde in Bruttios mittantur, supra 29, 13. Codicum igitur lectionem restitui. Mox *in libertatem restitueret* perperam Voss. *restituereteque* Boend. *restituerent* ed. Camp.

M. Cato acerrime suasit] Rogationi causam dedit perfidia Galbae in Lusitanos, quam Appian. in Iberic. p. 288. Cic. in Bruto cap. 23. (ubi in quibusdam edd. perperam est *T.* pro *L. Libo*) Valer. Max. 8, 1, 2. 9, 6, 2. et Sueton. in Galb. 3. narrant. Sed vel plura fuerunt hujus rogationis capita, vel alia rogatio separatim a Scribonio in Galbam lata est. Nam Cic. 1. de Orat. 53. Libonem in eum *quaestionem*, et in Brut. 23. *rogationem privilegii similem* tulisse, auctor est. De rogatione, qua Lusitani restituebantur, alibi nihil proditum inveni: eam, quae in Galbam lata erat, Catonem suasisse, addit Cic. in Brut. quod Valer. Max. 8, 1, 2. Catonem actioni tribuniciae subscripsisse dicit. Sed, eam non acceptam fuisse, ex iis apparet, quae Cic. ibi, et pro Muren. 28. Valer. Max. l. d. et Quintil. 2. Inst. Orat. 15. de ratione, qua Galba periculum evaserit, tradunt. Nam quod Livius 39, 40. Galbam a Catone ad populi judicium adductum, Plutarch. in vit. Caton. et Auct. de Vir. illustr. 47. a Catone accusatum scribunt, in hanc sententiam accipio, Catonem in suadenda rogatione Scribonia ita aspere et vehementer apud populum de Galba loquutum, quod Cic. dicit, et ita accusatorie crimen ejus exaggerasse, ut pro accusatore haberi potuerit. Nam Catonem in hac actione tribunicia non accusatoris, sed tantum suasoris partes egisse, ex Cic. patet, qui nihil aliud, quam eum hanc legem suasisse, dicit. Appian. in Iberic. pag. 289. Galbam accusatum damnationem pecunia effugisse scri-

pe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba. ipse quoque Galba, quum se damnari videret, complexus duos filios praetextatos, et Sulpicii Galli filium, cujus tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. exstant tres orationes ejus: duae adversus Libonem tribunum plebis rogationemque ejus, habitae de Lusitanis: una

bens, errat. DUK. Perperam *dissuasit* Leid.

Exstat oratio in annalibus ejus inclusa] *Origines* Catonis *Annales* vocat. Cic. in Bruto de hac oratione: *quam orationem in Origines suas retulit.* Vide Vossium 1. de Hiſtor. Latin. 5. *in Annalibus inclusa* hic forsitan dixerit Livius. Sed aliter loquitur 45, 25. *Ipsius oratio scripta exstat, Originum quinto libro inclusa.* DUK. *in Annalibus inclusa* Boend. *et in Annalibus ejus inclusa* Voſſ. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. *exstat oratio ejus in Annalibus ipsius inclusa* Leid.

Etiam ab eo in senatu laceratus] Vet. lib. *et saepe ab eo.* SIG. Similiter Leid. Voſſ. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. *et saepe etiam ab eo* ex Norv. et ed. principe, aliisque laudat Hearnius; quod mihi in nullo libro, vel edito, vel scripto, obvium fuit. Clariſſ. Crevierius ex conjectura malebat *et ipse saepe ab eo.* Mox *condemnari* Berg.

Et filium C. Sulpicii, cujus tutor erat] Voſſ. *et suplicali filium, cujus.* Gud. *et supplicalis filius, cujus.* Scribe *et Sulpicii Galli filium, cujus tutor erat.* J. FR. GRON. *et filium C. Sulpicii,* quod in Exc. Pithoei exſtare Hearne auctor eſt, primum in ed. Frob. anni 1531. inveni. Vetuſtiores praeferunt *et filium Galli Sulpicii,* quibus consentit Norv. *et Sulpitii filium,* voce omissa, Leid. et Berg. *et Sulpicii Galli filium* Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Tum *cujus ipse tutor erat* Boend. et ed. Camp.

Duae adversum Libonem tribunum plebis rogationemque ejus, habitam de Lusitanis] *adversus Libonem* Leid. Voſſ. et Boend. Vide ad Epit. 47. Tum *rogationesque ejus habitae* iidem cum Berg. Norvic. et vett. edd. pro quo Frob. anno 1531. vulgavit *rogationesque ejus habitas.* Ex eo tempore quum editores modo *habitae,* modo *habitas* adscivissent, Gronov. tandem anno 1665. vulgavit *rogationemque ejus habitam.* sed, *habere rogationem* neminem veterum dixisse, Crevierius monet. Reponit itaque *rogationemque ejus habitae,* quod inveni in Lov. 2. ac praeferunt Exc. Pithoei; ut *habitae* referatur ad *orationes,* quod praecedit. Et recte. Nam paullo ante etiam L. Scribonii tribuni plebis *rogationem,* non *rogationes,* ea de re promulgatam memorat. Tum *pro Lusitanis* Leid.

Propter sese castra habentes] Vet. lib. *prope se.* SIG. Excusi et MS. habent *propter sese castra habentes.* Sed *propter* pro *juxta* sumitur. Sisenna Hiſt. lib. 3. *Partem cohortium propter mare conlocat in litore.* Varro

contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos propter sese castra habentes caesos fatetur, quod compertum habuerit, equo atque homine suo ritu immolatis, per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse. Andriscus quidam, ultimae sortis homo, Persei regis se filium ferens, et mutato nomine Philippus vocatus, quum ab urbe Romana,

de Liberis educandis. *Attestatus est Fortunam, propter cujus aram mea hostia erat caesa.* Quae a Nonio [voc. *Propter*] adducuntur. DELR. *prope* ab Sigonio est, cum legeretur *propter sese castra habentes.* Cujus quis non videt alterum interpretationem esse? Cicero [pro Rosc. Amer. 23.] *Duo filii propter Patrem cubantes.* Nostr lib. 9, [2.] *Castra propter aquam vallo circumdant.* Et quis non? J. FR. GRONOV. Sigonio favent Voss. et Lovel. 2. *prope sese* praeferunt Boend. et ed. Camp. *propter se* Berg. *propter sese* Leid. et Norv. quod recte viri docti probarunt. Id auctori Epitomarum adhaesit ex stilo Livii, qui saepius eo modo loquitur. Ita 25, 23, 10. *Opportunus locus ad portum Trogiliorum propter turrim, quam vocant Galeagram, est visus.* 26, 8, 10. *Per Appiae municipia, quaeque propter eam viam sunt.* 28, 46, 16. *Propter Junonis Laciniae templum aetatem Hannibal egit.* 34, 22, 1. *Cum Bojorum manu propter Litanam silvam* etc. *conflixit.* 44, 3, 1. *Propter Octolophum diximus regis castra.* Aliorum scriptorum exempla vide apud Emmen. ad Virg. Ecl 8, 87. et Tennul. ad Front. 2, 3, 22. Alteram lectionem ex hujus interpretatione natam esse, recte Gronovius docuit. Ejusdem erroris exempla in plerisque Livii locis laudatis praeferunt Msti. Vide insuper ad 3, 60, 10. 5, 44, 6. 9, 2, 13. et Cort. ad Sall. Catil. 59. Mox *faceret*, pro *fateretur*, Voss. et Boend.

Quod compertum habuerit, equo atque homine suo immolatis] Vet. lib. *equo atque homine suo ritu immolatis.* SIG. Similiter Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et Exc. Pithoei. *homine suo dissimulatis* Leid. *homine sub ritu immolatis* ed. Camp. Praeterea *quidam compertum habuerunt* Boend. et ed. Camp.

Ultimae sortis homo, Persei regis se filium ferens] *extremae sortis* Boend. *infimae sortis* edd. variae Ascensii. Sed utrumque est ex glossa alterius, pro quo stant reliqui omnes scripti, et editi. *ultimae sortis* vocatur etiam apud Flor. 2, 14. *ultimae stirpis* apud Vell. Paterc. 1, 11. at *extremae sortis* apud Justin. 35, 1. Tum *Persici regis* Boend. *Persi regis* Voss. et ed. Camp. Vide Gronov. ad Liv. 42, 25, 2.

Quum ab urbe Roma] Voss. *Romam.* Gud. uterque *Romana.* quod plurimis locis Livio ex vett. codd. reddidimus. J. FR. GRON. *ab urbe Ro.* per compendium scripturae Berg. *ab urbe Romana* Leid. quod partim viri docti saepius Livio restituerunt, partim in Mstis, et edd. antt. inveni. Vide ad 2, 10, 2. 3, 7, 4. cap. 8, 7. 4, 7, 1. 5, 21,

quo illum Demetrius Syriae rex ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam ejus fabulam, velut ad veram, coëuntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Fabulam autem talem finxerat. Ex pellice se et Perseo rege ortum,

16. 7, 1, 10. 21, 35, 9. 23, 18, 13. cap. 29, 7. 26, 9, 8. c. 11, 2. c. 12, 12. cap. 13, 15. c. 37, 6. 27, 9, 14. cap. 22, 12. cap. 40, 6. 28, 11, 8. cap. 28, 15. 29, 4, 6. cap. 14, 13. et aliis locis. Vide etiam ad Epit. 7. 87. et 88. Adde viros doctos ad Salluſt. Catil. 18. Vellej. Pat. 2, 111. 118. et Duker. ad Flori 1, 13. in fine. Mox *ob ipsum mendacium* Leid. Vide ad 5, 43, 4. Reliqui tamen codd. vulgatum tuentur.

Multis ad falsam ejus famam, velut ad veram, euntibus] Vet. lib. *multis ad falsam ejus fabulam, velut ad veram, coëuntibus.* et recte. Nam paulo poſt infert: *fabulam autem ejusmodi finxerat.* SIG. Quod ſuſtulit Sigonius, *ad falsam ejus famam, velut ad veram*, retinet Gudianus. Tacitus 2. Ann. [39.] de Pseudo-Agrippa: *relinquebat famam, aut praeveniebat.* Poteſt tamen intelligi *fabula*, quam ipse de se serebat. Dein Voſſ. et Gudiani *coëuntibus.* Ut Juſtino, *dum auxilia coëunt.* Et [22, 5.] *Coïtura auxilia omnium adversus unam urbem.* J. FR. GRON. *ad falsam confabulam* Voſſ. *ad falsam ejus fabulam* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. Dein *velut ad verum* Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. Credo librariis displicuisse *veram fabulam*, quam non nisi *falsam* agnoscebant. At *fabulam* in genere esse sermonem, rumorem, qui vel verus, vel falsus esse poteſt, hodie conſtat. Tum *coëuntibus* Voſſ. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et edd. principes. Livius 26, 22, 3. *Gratulandi causa quum turba coïret.* Mox *fabulam autem talem finxerat* Voſſ. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp. quod tot codicum consensu probatum spernere non potui. Alibi etiam vocem *hujusmodi* auctori Epitomarum contra fidem Mſtorum primi editores obtruserunt. Vide ad Epit. 54.

Ex pellice se Perseo rege ortum] Vet. lib. *Ex pellice se et Perseo rege.* SIG. *Pellice se*, sine praepositione, Boend. de qua locutione vide ad 2, 6, 2. *E pellice se* ed. Camp. Sed reliqui vulgatum servant, quos sequor. Tum *et Perseo rege* Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei.

Traditum educandum Cyrthesae cuidam esse] Vetus lectio melior *traditum educandum Cretae se cuidam esse.* SIG. Ita etiam Lov. 2. et Exc. Pithoei. ut *Cretae* sit pro in Creta. Vide ad 33, 41, 6. *Circes et cuidam esse* Boend. *Cirtese cuidam esse* ed. Camp. *credent cuidam esse* Voſſ. *certe se cuidam esse* Berg. *Cretensi cuidam esse* Leid. Et ita Gruterus, ac poſt eum recentiores omnes ediderunt; cujus lectionis auctorem se nescire profitetur Crevierius.

Ut in belli casus, quod ille cum Romanis ageret] Vet. lib. *gereret.* SIG. Veteres *ageret*, quod vix ausim cum Sigonio mo-

traditum educandum Cretensi cuidam esse, ut in belli casus, quod ille cum Romanis gereret, aliquod velut semen regiae stirpis exstaret. Perseo demortuo, Adramytteï se educatum usque ad duodecimum annum aetatis, patrem eum esse credentem, a quo educaretur, ignarum generis fuisse sui. adfecto

vere. Vide Observationum lib. 2, 3. J. FR. GRON. *Το in* deest in Berg. Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithoei. Deinde *agere bellum*, aeque ac *gerere*, optimis scriptoribus in usu fuit. Ovid. 1. Art. Am. 182.

Bellaque non puero tractat agenda puer.

Mela 1, 16. *Aliena etiam bella mercede ageret.* Vide Celeberr. Burmann. ad Quinctil. 10. Inst. Orat. 1, 908 ad Vell. Paterc. 2, 109. ad Gratii Cyneg. vers. 334. et viros doctos ad Caesar. 3. B. G. 28. et Nepot. Hann. 8. Ita *agere pugnam, proelium;* de quo vide ad Livii 2, 47, 1. *male rem agere*, pro male bellum gerere, dixit Justin. 4, 5, 4. Passim autem *agere* et *gerere* a scribis commutari, vidimus ad Livii 22, 28, 1. Utrum igitur eorum hic admittendum sit, codices consulendi, eorumque testimonio standum est. Jam vero *ageret* praefert tantum Norv. contra *gereret* omnes scripti mei, Exc. Pithoei, et ed. Camp. unde eam lectionem praeferendam puto. Mox *stirpis regiae* Leid. Exc. Pithoei, Norv. et edd. usque ad Gronov. qui anno 1665. *regiae stirpis* vulgari curavit, concinentibus Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Perseo demortuo] Haec verba non video neque in Vossiano, neque in Gudianis. J. FR. GRON. Eadem verba exsulant a Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, et ed. Camp.

Adramytti se educatum usque ad duodecimum annum aetatis] In prima voce variant et scripti, et editi. *Idramiti* legunt Berg. Norv. et edd. principes. *Ydramiti* Lov. 2. *Hydramyti* Exc Pithoei. *Idrameti* Leid. *Adramiti* ed. Frob. anni 1531. *Adramytti* Gronov. anni 1665. *Adramitti* Clericus. *Demetrii* Voss. *a Demetrio* Boend. *et a Demetrio* ed. Camp. Unde credi posset, *Demetrium* adpellatum esse, a quo Andriscus educatus est. Potius tamen lectionem illam a librariis profectam credo, quia verisimile non est, reliquos satis notum Demetrii nomen, quod et supra, et infra hac Epit. memoratur, in alia quaevis monstra lectionum corrupisse. Credere igitur malo, sub ea lectione nomen urbis latere, in qua Andriscus enutritus sit. Quam si quis in Creta quaerendam censeat, quia Cretensi cuidam educandus traditus est, legi posset vel *Hierapytnae*, vel potius *Hydramiae*, quae utraque Cretae oppida apud Steph. Byz. et alios memorantur. Vide Meurs. Cretam lib. 1, 11. Si vero indicetur urbs extra Cretam, in qua Cretensis, Andrisci educator, habitarit, legendum dicam *Adramyttii*, vel potius *Adramittei*. Ita enim hanc urbem vocat Livius 37, 19, 8. *Adramytteum Aemilius et Eumenes venerunt.* Graecis Ἀδραμύττιον, vel Ἀδραμύττειον vocatur. Certe Andriscum ἐξ Ἀδραμυττίου fuisse, tradit Zo-

deinde eo, quum prope ad vitae finem ultimum esset, detectam tandem ibi originem suam, falsaeque matri libellum datum, signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, quum ad puberem aetatem venisset: obtestationesque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus servaretur. pubescenti libellum traditum: in quo relicti sibi duo thesauri a patre

nar. 11. Ann. 28. Praeterea *XI*, pro *XII*, ed. Camp. Tum *annum suae aetatis* Voſſ. *aetatis annum* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp

Patrem esse credentem, a quo educaretur] Vet. lib. *patrem eum esse credentem, a quo*. SIG. Additum a Sigonio *eum* servant Leid. Voſſ. Lov. 2. Berg. Boend. et edd. principes. *patrem ejus esse* Norv. et edd. prioribus proximae. *patrem esse* deinde Frob. anni 1535. Tum *dicentem et credentem* Boend. Praeterea *a quo educatum, ignarum generis fuisse sui* Voſſ. *generis sui fuisse* Berg.

Quum prope vitae finem ultimum esset] Vet. lib. *cum prope ad ultimum finem vitae esset*. SIG. Et hoc Sigonii: nam prioribus ignotum τὸ *ad:* et genus loquendi ab Livio accepit auctor. Vide ad 2, 48. et 6, 42. J. FR. GRON. Praepositio *ad*, quam interposuit Sigonius, non modo supereſt in omnibus Mſtis meis, Exc. Pithoei, et Norv. Hearnii, sed etiam in edd. antt. Primus Froben. anno 1535. eam omisit. Utrumque autem loquendi genus Livio in usu fuisse, vidimus ad 6, 42, 10. quare, tot teſtibus credendum arbitratus, vocem, a Gronovio expunctam, revocavi. Praeterea *ultimum vitae finem* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Detectam tandem originem] Vet. lib. *detectam sibi tandem*. SIGON. Quomodo *sibi*, cui non prius detecta res fuerat, quam poſtquam ad puberem aetatem venisset. Et hoc imprudenter inculcavit Sigonius. Si quid mutandum, scribe, *detectam tandem originem suam falsae matri, et libellum datum*. Nec in Vossiano conspicuum τὸ *sibi*. J. FR. GRON. Vocem *sibi* agnoscunt Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithoei, Norv. et priscae edd. omnes tamen alio ordine *tandem sibi* legunt: *detecta tandem sibi origine sua* etiam Boend. et ed. Camp. Primus Frob. anno 1535. pronomen omisit, iisdem verisimiliter rationibus inductus, quibus hic utitur Gronovius. Et sane ei locus esse nequit. Si tamen, tot codd. adversantibus, integram vocem expungere audacius videatur, pro *sibi* legerem *ibi*, ut Jac. Perizon. ad marginem Livii conjecit, totumque locum ita conſtituerem: *detectam tandem ibi originem suam falsae matri, et libellum datum. Ibi* autem erit *tum*. Vide ad 7, 23, 4. Solent saepe hae voculae commutari. Vide ad 26, 26, 1. Mox *Persae regis* Voſſ. et Boend. Vide Gronov. ad 42, 25, 2. Praeterea *in occupatos* Berg. *in occupato* Voſſ. et Boend. *in occultato* Exc. Pithoei.

Pubescenti libellum tradidit] Repone *traditum*, ut orationis consequutio conservetur, item ex vet. lib. SIG. *traditum* etiam Voſſ. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithoei. Prae-

dicerentur. tum scientem mulierem subditum se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus: atque obtestatam, ut prius, quam manaret ad Eumenem res, Perseo inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur. eo se exterritum, simul sperantem aliquod a Demetrio auxilium, in Syriam se contulisse: atque ibi primum, quis esset, palam expromere ausum.

terea *pubescenti sibi libellum* Leid.

Tum scientem mulierem subdititium se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus] Longe, mea quidem sententia, rectius legitur in scripto libro, qui fuit Philippi Torrentini, viri integerrimi: *Tum mulierem scienti subdititium se esse, sed veram stirpem ignoranti, edidisse genus.* DELR. Voss. *se subductum esse.* Gud. uterque *se subditum esse.* Glossae: *Subditus, ὑποβολιμαῖος.* Terentius Heaut. [5, 3, 12.] *Subditum se suspicatur.* J. FR. GRON. *se subductum esse* Berg. et Boend. *se subditum esse* ed. Camp. *subditum se esse* Leid. Lov. 2. Exc. Pithoei, Norv. Hearnii, et edd. principes, pro quo demum *subdititium* datum vidi in ed. Ven. anni 1498. Praeterea *tum*, vel *tunc*, *scienti mulieri* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithoei. Hinc legendum patet *tum scienti mulierem subditum se esse, veram stirpem ignoranti, edidisse genus. To sed*, quod insuper inserit Delrius, in nullo meorum inveni. Id autem adjectum fuisse potest in ejus exemplari ab eo, qui verba sine hac particula non satis cohaerere putabat. V. ad 6, 32, 8. Potuit etiam in reliquis Mstis elisum esse ab ultima syllaba vocis praecedentis. Vide aliud exemplum supra ad 39, 26, 12.

Priusquam manaret ad Eumenem res, Perseo inimicum] Hoc ordine voces edidit Gronov. anno 1665. Nec aliter legunt Berg. Lov. 2. et Boend. *manaret res ad Eumenem* ed. Camp. *ad Eumenem manaret* reliquae typis descriptae. Tum dictio *res* exsulat a Lov. 2. sed *ad Eumenem regem, Perseo inimicum* Berg. *ad Eumenem, regi Perseo inimicum* Voss. Boend. et ed. Camp. *ad Eumenem res, regi Perseo inimicum* Leid. Mox *abscederet iis locis* Leid.

Sperantem aliquod a Demetrio auxilium] Sic iterum vocum ordinem Gronov. anno 1665. constituit, consentientibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Sed priores praeferunt *auxilium a Demetrio*; a qua lectione stant Voss. Leid. et Exc. Pithoei.

Atque ibi primum, quis ipse omnino esset, palam expromere ausum] Voss. et Gudiani: *atque ibi primum, quis esset, palam expromere ausum.* Et sufficere hoc censeo. J. FR. GRON. *quis esset, palam exprimere* Voss. et ed. Camp. sollemni errore. Vide ad 34, 61, 8. *palam, quis esset, expromere* Boend. et ed. Camp. *quis esset, palam expromere* Leid. Berg. et Lov. 2. Inter illas voces, quas passim primi editores infarserunt, esse vocem *omnino*, videbimus ad Epit. 58. Praeterea *atque ibi primo* Boend. et ed. Camp.

JOHANNIS FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM LIVIANORUM LIBER XIV.

IN LOCUM LIBRI XLIX. T. LIVII.

U. c. 602. A. C. 150. *Bellum Punicum tertium.*

I. Tertium Carthaginiense bellum, sicut diuturnitate temporis et magnitudine proeliorum prioribus impar, ita longe maximum eventu nobilissimumque fuit. Siquidem hoc, quintum intra annum coepto finitoque, non modo gloria roburque Punici imperii, sed ipsa quoque sedes civitatis funditus excisa est. Post malam adversus Numidas pugnam, haud magis praesentium taedio, quam exspectatione futuri, sollicita consiliique incerta Carthago, jam tum imminentis exitii sensum desperatione et luctu praesumebat. Rex vicinus et victor ipsis urbis faucibus cum validis copiis instabat: et graviore adhuc metu senatus Romani numquam aequus Punicae genti animus, et praesentium rerum facie ad vindictam odio speque irritatus, timebatur. Atqui non alia Romae consilia, quam pro suspicione Poenorum agitabantur. Quamprimum enim de rebus Africanis auditum fuerat, senatus decrevit, ut per universam Italiam, quae quisque populus auxilia consuesset mittere, ea in parato haberet: non addito, quem ad usum imperarentur. Itaque Carthaginienses, ne tam publico consilio, quam instinctu paucorum, bellasse viderentur, Hasdrubalem ducem, et ex magistratibus Carthalonem, aliosque nonnullos, perduellionis reos publico praeconio pronunciarunt: missisque Romam legatis, in hos et Masinissam omnem actorum culpam conferentes, non minus de temeritate suorum, quam de injuriis Masinissae, querebantur. *hunc improbe lacessendo, illos praepropere vindicando, res in eum statum adduxisse.*

Legatio Punica in se-

II. Antiquas referre artes videbantur, ut, prospera publice agnituri, quia fortuna contra dederat, privato

Cap. I. Flor. 2, 15. Liv. Epit. Appian. Libyc. Zonaras. Appian.

ducum consilio coeptum gestumque bellum videri cuperent. Igitur a senatore quodam interrogati, *quid ita damnandis ducibus belli eventum exspectassent, nullo eousque signo edito, sibi consilia eorum displicere?* quum parum expedirent responsum, audivere: *populum Carthaginiensem, ob illatum contra foedus socio amicoque regi bellum, satis purgatum senatui populoque Romano non videri.* His perturbati oratores rogabant, *siquidem peccavisse respublica sua judicaretur, qua ratione corrigi delictum luique posset?* neque aliud responsum auferre potuerunt, nisi *dandum esse operam, uti senatui populoque Romano fiat satis.* Torsit ea res senatum Carthaginis, quid ea formula Romani praecepissent, plerisque ambigentibus. alii, *pecuniam adjiciendam videri*, dicebant, *summae, quam P. Cornelius Scipio suo foedere imperavisset:* alii, *Masinissae relinquendam esse regionem, de cujus jure pugnatum esset.* Postremo satius visum, denuo mitti cum precibus exploraturos, *quemadmodum senatus satisfieri vellet.* Nihil responsum, nisi *rem ipsis minime ignotam Carthaginienses frustra quaerere.* Quod ubi Carthaginem relatum, major in urbe consternatio pavorque esse coepit, quum, perplexis omnium animis, nihil jam nisi bellum, et hostis, et captarum urbium species, et extrema omnia obversarentur. U. c. 602. A. C. 150. *natu Romae nihil lastum audit.*

III. At eodem tempore, quemadmodum rigide cum Carthaginiensibus, ita cum Achaeis clementius actum: principesque eorum, longo exsilio absoluti, post septimum decimum, quam evocati fuerant, annum, minus trecenti rediere. ceteros (supra mille initio fuerant) parim morbus, alios, quum evadere ex custodia tentavissent, poena absumpserat. Dimissos in Polybii maxime gratiam, adnitente P. Scipione, constat, cui et antea et postea vir ille ob virtutem et egregias artes fuit gratissimus. Tum quoque Pietatis aedes in circo Flaminio exstructa est, memorabili de caussa. Mulier ingenua ob delictum tradita triumviro capitali fuerat, ut in carcere necaretur. Eam quum fame constituisset occidere, mulieris filia puerpera obtinuit a praefecto custodiae, ut ad matrem visendam admitteretur. Hoc quum factum aliquoties esset, morsque mulieris ultra, quam humana natura pati inediam possit, protraheretur, admiratus rem praefectus, quamvis puerperam minime suspectam haberet, quam semper di- *Achaeorum exsules remittuntur.*

Cap. III. Pausan. l. 7. Plut. Cat. Maj. Polyb. apud Val. Sul. Obseq. Val. Max. 5, 4.

U. c. 602. A. C. 150. ligentiſſime, ne quid ciborum inferret, excuſſer tamen attentius observare illam ſtatuit: deprehend que exserta mamma lactis alimenta reddentem an cujus ipsa lac aliquando juvenculae infans suxer Dignum erat spectaculum, quod ad triumvirum, et hoc ad praetorem referretur. Praetor ipse quoq re ad consilium judicum relata, ut poena mult condonaretur, impetravit. Addidit senatus utriq perpetua de publico alimenta: locumque carceris m tari juſſit in sedem Pietatis, velut ab ipso numine lectam.

Catonis et Nasicae controversia de Punica urbe exscindenda iterum agitatur.

IV. At in curia per eos dies sententiis de Pun belli fine certabatur, nobili jam inter duos civita principes controversia, quum M. Cato, *salvam esse r publicam posse stante urbe Punica*, negaret; P. Nasica, *Carthaginis excidium Romanis quoque rebus perniciem affer relinqui illam oportere* teſtaretur. Quod enim vide antiquos mores non jam paulatim exolescere, amore peregrinae luxuriae abjici expellique, vere tur, quod evenit, ne, remoto urbis aemulae timo veluti vinclis exsoluta, improbitas in omnia mag rum imperiorum vitia, et ex his in calamitates, pr ceps rueret. Carthaginis autem opes minores judicabat, quam ut Romanis nocere poſſent; amp res, quam ut deberent contemni. Atqui hoc ip Cato anceps eſſe reputabat, si morbis inteſtinis boranti reipublicae urbs, antiquitus nobilis pot que, et rebus adversis non tam fracta, quam ad p dentiam et severitatem erudita, immineret. Sen nequaquam facile erat ſtatuere, utrius sententiae f dum eſſet. Nam et majorem imperii gloriam m remque fructum inde redire videbant, si maxima urbium domini, quam si eversores, eſſe diceren satisque prospiciebant, crebriora deinceps pertina raque domi futura certamina: neque socios magi tuum Romanorum avaritiam superbiamque pari tientia perlaturos. Vicit ad extremum propior m adjutus insuper invidia, quod poſt duo graviſſima la non modo ſtabat adhuc Carthago, sed valebat.

Cato vincit, ut bellum

V. Irritatos etiam maximopere Catonis arti Patres ferunt, qui praecocem aliquando ficum in

Cap. III. Solin. c. 7. Val. Max. Plin. 7, 36. Feſtus in *tati*. Cap. IV. Cic. Cat. c. 6. Flor. 2, 15. Polyb. apud p. 153. Plin. 33, 11. Salluſt. Hiſt. l. 1. Plut. Cat. Maj. Vellejus, l. 12. Cap. V. Plut.

riam intulit; quumque senatores magnitudinem pomi pulcritudinemque mirarentur, interrogavit eos, *quando iemptum ex arbore putarent?* Illis recens videri affirmantibus, *Atqui*, inquit, *tertium ante diem fcitote decerptum Carthagine: tam prope ab hoſte abſumus.* His machinis expugnati Patres, quibus moris erat non nisi uſta bella suscipere, diuque ac multum considerare, ne quid temere decerneretur, quum in Capitolio coactus senatus eſſet, *bellum Poenis indicendum* censuere, *quod contra foedus naves haberent; quod extra fines exercitum duxiſſent; quod ſocio populi Romani et amico Maſiniſſae arma intuliſſent; quod filium ejus Guluſſam, qui cum legatis Romanis fuerat, non recepiſſent.* Hae inferendi belli causae in publicum sunt editae. U. c. 602. A. C. 150. *decernatur Poenis.*

VI. Ad senatusconsultum faciundum quum ultro senatus inclinaret, magnopere quoque impulsum ferunt ab Uticensibus legatis; qui, non exspectato adventu consulum, (L. Marcius C. F. C N. Censorinus, M? Manilius P. F. P. N. jam inierant) se suaque omnia in populi Romani fidem poteſtatemque dedidерunt. Peracerbum id Poenis accidit, urbium Libycarum poſt Carthaginem maximam, portu idoneo, passuum sex millibus paulo amplius diſtantem, odio superbae dominationis in tempore detegendo, rerum Punicarum imbecillitatem desperatione sua prodidiſſe. Romae etiam, tamquam certae et facilis victoriae omen, accepta deditio eſt. Neque diutius moram necterе consules juſſi, praeparatis omnibus, Lilybaeum transjecerunt. L. Marcio claſſis evenerat: pedeſtrem exercitum M? Manilius sortitus. equitum quatuor erant millia, peditum octoginta, lecta juventus, quod ad uberem claramque militiam civium sociorumque maximae copiae concurrerant, plerisque ultro nomina dantibus. Hic exercitus quinqueremibus quinquaginta, hemioliis centum vehebatur; aphractis praeterea, et cercuris, et onerariis permultis. Consulibus secreto mandatum, *ne quem bello finem, niſi diruta Carthagine, facerent.* *Utica deficit a Poenis.* U. c. 603. A. C. 149. L. Marcio, M? Manilio Coſſ. *Consules ad bellum Punicum ambo proficiscuntur.*

VII. Interea domi animis, ut in magnarum rerum exordiis consueverunt, ad religionum curam versis, decemviri, juſſu senatus libris Sibyllinis aditis, ex

Cap. V. Plin. 15, 18. Diodor. apud Vales. Appian. Liv. Epit. Cap. VI. Appian. Liv. Epit. Polyb. leg. 142. Strabo, 17. Appian. Liv. Epit. Diodor. apud Fulv. Ursin. Appian.

U. c. 603. A. C. 149. iis ediderunt, *Diti Patri ludos faciendos ad Terentum* (loci ad Tiberim haud procul urbe nomen est) *quales ante centesimum annum, flagrante primo bello Punico, celebrati fuerant.* Haec omnia quum Carthaginienses idem nuncius docuisset, qui et senatusconsultum belli indicendi, et classem jam profectam attulerat; maximis in angustiis constituti, quomodo praesentibus uterentur, deliberabant. Ad bellum erant imperatissimi. aequas conditiones pacis omnes desperabant: ne iniquas quidem Uticensium factum reliquerat; a quibus praeventi, etiamsi urbem dederent, parum habituri gratiae ad promerendam misericordiam videbantur. Post multas secretas consultationes, consilium, quod ipsa necessitas suggerebat, tenuit: delectique sunt ex primoribus triginta, quibuslibet conditionibus pacem impetraturi: quem ad finem liberam eis agendi, quae ex usu publico viderentur, potestatem concedebant. Horum principes Gisgo cognomento Strytanus, tum Hamilcar, et Misdes, et cum Magone Gillicas fuere.

Carthaginienses quibuslibet conditionibus pacem quaerunt.

De ea re discrepantes sententiae Catonis et Nasicae.

VIII. De hac quoque legatione inter se commissi sunt, consuetum his certaminibus par, P. Nasica et M. Cato. Cato, *neque revocari decretum de bello, neque admitti legatos*, volebat. Nasica obtinente admissi sunt, et miserabili oratione, *urbem Carthaginem, agrumque, et omnia sua populo Romano permittere*, dixerunt. Non improbabile est, quod quidam sentiunt, minime hanc sententiam legatis aut populo Carthaginiensi fuisse: (neque enim prioribus bellis, quamquam ad extrema redacti, mentionem deditionis aut facere, aut accipere sustinuerant) sed quia parum referre putabant, quantum promitterent, resilire a pactis, quamprimum occasio fuisset, atque interim praesens periculum quoquo modo avertere certi. Revocatis in curiam oratoribus senatus sententiam praetor exposuit; *Quando ad optimum tandem consilium adjecissent animos Poeni, Patres ipsis libertatem, leges suas, agrum omnem, sacra, sepulcra, quidquid denique publice privatimve possiderent, concederet.* Quae quum legati, ut in ejusmodi rebus satis optabilia, laeti audivissent, adjecit praetor, *ita compotes horum fore, si, antequam in Africam consules proficiscerentur,* (triginta dierum spatio id tempus definitum est) *obsides trecentos ex senatorum aut seniorum liberis Lilybaeum mi-*

Cap. VII. Zosim. l. 2. Val. Max. 2, 4. Liv. Epit. Appian. Polyb. Liv. Epit. Appian. Polyb. Cap. VIII. Zonaras. Liv. Epit. Diodor. Polyb. Zonaras. Polyb. Appian. Diod. Polyb.

fissent, et consulibus dicto audientes fuissent. Quod postremum quamvis angebat homines, quam habiturum interpretationem esset nescios, tamen, quia potius sperari nihil poterat, confestim ad renuncianda acta in patriam renavigarunt. U. c. 603. A. C. 149.

IX. Senatus, auctore Catone, *insistendum proposito nihilominus* censuit, misitque ad consules, *ut profectionem maturarent, neque aliter facerent, quam in urbe praesentibus senatus praecepisset.* Poenos tamen celeriores ad redeundum timor, quam Romanos ad solvendum, cupiditas effecerat. itaque, non exspectato die praestituto, cum obsidibus adfuerunt. Nam Carthaginienses, cognito senatus responso, cetera quidem haud male per legatos peracta credebant; uno mirifice affligebantur, quod inter multa, quae Romani concessuros dixerant, omissa fuisset urbium mentio, quum alia nominatim referrentur. Ibi quidam inter eos Mago, cui Brutio cognomen erat, prudenter et animose monuisse fertur: *ex duobus temporibus deliberandi, alterum jam cessisse, alterum nondum venisse. Nam, et priusquam se suaque in jus et ditionem Romanorum dederent, quaerendum fuisse, quid imperaturi consules, quove consilio praetermissa urbium mentio esset. Nunc nihil restare, nisi ut patienter ferant, quidquid imperatum fuerit, donec alterum illud tempus advenerit, ubi plura sibi sentientes injungi, quam tolerare possint, iterum consulturi, habere tale bellum, an facere imperata, malint.* *Carthaginiensium deliberatio.*

X. Ita non dubitatum est diutius, quin mitti obsides oporteret: conquisitique trecenti ex principibus juventutis, qui Lilybaeum aveherentur. Eos magna omnium tristitia dimissos referunt, prosequentibus propinquis necessariisque, miserabili praecipue matrum ejulatu; quae, matronalis decori parum inter hanc calamitatem memores, tamquam lymphatae discurrebant, modo liberos amplexu, modo naves, adhaerendo anchoris, praecidendo funiculos, retinentes. fuerunt, quas ipsas in aquas adigeret dolor, ut, quoad possent, natatu insequentes, velut postremo suorum adspectu potirentur. omnes, profuso fletu, evulsis comis, percussis pectoribus, suam pariter publicamque vicem miserabantur. nam et inter promiscuas querentium voces non defuere, quae praedicerent, *liberorum se suorum jacturam gratis facere, nullo inde ad patriam rediturо emolumento.* Ut Lilybaeum venerunt, ac- *Poeni trecentos obsides Romanis mittunt.*

Cap. IX. Liv. Epit. Appian. Polyb. Cap. X. Diod. Polyb. Appian. Polyb.

U. c. 603. A. C. 149. ceptos a legatis obsides Q. Fabio Maximo, qui praetor Siciliam regebat, tradidere consules, Poenisque dixerunt, *cetera, quae ad pacem pertinerent, Uticae se imperaturos.* Q. Fabius obsides in urbem misit. Consules navigarunt in Africam, exercituque iis in locis constituto, ubi olim P. Scipio castra habuerat, classis portum Uticensium ingressa est.

Poenorum legatio ad consules.

XI. Ejus rei nuncio Carthaginem perlato, plena erant omnia luctus et timoris ob mala, quaeque passi, quaeque passuri erant, nec quidquam satis expediebatur, nisi quod legandos constabat, qui a consulibus, *quid juberetur*, exquirerent, *civitatem prompte facturam imperata* pollicentes. Apud Romanos omnia consulto ad terrorem augendum praeparata erant. Tuba signo dato quum silentium factum esset, voce praeconis legati Carthaginiensium ad consulum tribunal jussi sunt accedere. Illi, media per castra et dispositos utrimque cum erectis comptisque signis ordines, ut multitudo nosceretur, adducti, consules in suggestu excelso sedentes repererunt, legatis tribunisque circumstantibus. Ibi intervallo, quod in morem Atticorum judiciorum praetensis funiculis effectum erat, disclusi, silentium tenuere: donec a consulibus, si quid vellent, dicere jussi, de antiquis populi utriusque foederibus coeperunt commemorare, deductaque per Carthaginis ipsius antiquitatem, frequentiam, opes, et amplissimum terra marique imperium oratione, subjecerunt, *non jactantiae causa haec referri, (neque enim suis temporibus eam convenire) sed ut nostris*, ajebant, *calamitatibus edocti, praesenti fortuna sapienter atque moderate utamini.*

Oratio legatorum.

XII. *Nam, ut quisque melior atque temperantior est, ita rebus aliorum afflictis celerius movetur ad misericordiam: sibique propitiam semper fortunam fore confidit, sciens in adversam aliorum nihil se per inhumanitatem peccavisse. Et haec quidem vobis maxime digna sunt vestraque religione, quam uni omnium hominum sanctissime vos colere profitemini. Quod si tamen mala quadam sorte nostra in hostes inexorabiles incidimus; sic quoque satietas aliqua nostrarum miseriarum esse deberet. Imperium terrae marisque ereptum est; ademptae naves; ferarum usu et venatione interdictum; obsides nobilissimi et olim, et nuper dati; vectigalia, quae ab aliis consueti eramus acci-*

Cap. X. Zonar. Appian. Oros. 4, 22. Polyb. Diod. Cap. XI. Polyb. Appian. Meurs. lect. Attic. Appian.

accipere, justo tempore soluta. Et his quidem contenti patres vestri fuere, quibuscum nostri bellaverant: foedusque in has leges factum, ut inter socios amicosque, pari utrimque religione firmatum. Atque illi, cum bello positis inimiciiis, placitas semel conditiones bona fide servavere. Vos vero, quibus nec oppositа umquam arma sunt, quam, quaeso, temporum horum noxam poreſtis coarguere? U. c. 603. A. C. 149.

XIII. *Idcone bellum et, priusquam audiremur decernendum, et, priusquam indiceretur, inferendum fuit, quia tributa ex fide solvimus? elephantos non domamus? nihil contra foedus antiquum facimus? an quia modo supra quinquaginta hominum millia fame nobis perierunt? At gessistis contra Masinissam bellum. Gessimus enim: sed lacessiti, sed coacti. diu enim patientissime quidlibet pertulimus, vos reveriti: donec ille, contra nos solumque, ubi educatus, ubi institutus est, nullum injuriarum finem faciens, regionem circa Emporium, et hac potitus, alias subinde aliasque invaderet, ac ad hoc foederis vestri caput negligendum vi ac necessitate nos subigeret. Haec igitur necessitas si apud vos vel in causſum armorum, vel in praetextum invaluit; nos certe et publico praeconio condemnavimus eos, qui Numidae vim repulerant, et Romam oratores ad factum purgandum misimus, postque paulo alios, quibus omnis potestas accipiendi leges, quas imponeretis, commissa fuit. Quorsum igitur classis tam instructa, quorsum tantus exercitus adductus est, si et, quod commisimus, Poeni fatemur, et luere commissum arbitrio vestro parati sumus? Nihil a nobis fingi rebus ipsis apparuit, quum obsides ejus nobilitatis, tanto numero, etiam ante diem dictam, quum frumentum a vobis bis diebus imperatum summo studio misimus. Quae quum ita sint, nosque ejusdem senatusconsulti partem alteram mittendis in tempore obsidibus expleverimus; alteram ut vos expleatis, supereſt; quae, datis obsidibus, libertatem nobis resque nostras reliquit.* *Bellum si. ne causſa inferri quaeruntur.*

XIV. Haec loquuti conticuerunt. Tum L. Marcius, *Causſas*, inquit, *belli, Carthaginienſes, quum legati vestri ab senatu intellexerint, quid opus est exponere? Quod autem senatusconsulto satis a vobis factum praedicatis, id vero argui jure debet. Nam et senatusconsulto comprehensum, et a nobis in Sicilia praedictum est, cetera mandata senatus Uticae nos edituros esse. De obsidibus quidem, cum delectu et diligentia adductis, consilium vestrum laudamus: sed, si nihil praeterea praestari creditis oportere, fallimini. Equidem si fraudulenter pacem petitis, per occasionem rebellaturi, non est* *L. Marcius respondet.*

Cap. XIII. Zonaras. Appian.

U. c. 603. A. C. 149. *nobis animus calliditati vestrae arma, per quae nocere possitis, relinquere. sin bellandi cogitationem omnem vere deponitis, jam aequis animis bellorum instrumento carebitis. Afferte igitur, quidquid vobis publice privatimque armorum est, telaque et catapultas: naves etiam, quas habetis, tradite.*

Hasdrubal patriae bellum infert.

XV. Non ausi repugnare Carthaginienses tantum oraverunt, *cogitarent consules, quid futurum urbi suae esset, si, exsulibus castra in propinquo habentibus, inermis ipsa relinqueretur.* Nam Hasdrubal, qui post infelix cum Masinissa bellum capitis fuerat damnatus, collectis hominum viginti ferme millibus, bellum patriae intulerat. Responsum est, *securitatem gentis Punicae senatui populoque Romano curae fore.* missique ad exurendam classem, et accipienda arma quaestores consulum P. Cornelius Scipio Nasica, Cn. Cornelius Hispallus. Tantam armorum vim fuisse traditam auctores quidam sunt, quanta toti armandae Africae sufficisset. illud relatione multorum constat, gravis armaturae millia ducenta, telorum innumerabilem copiam fuisse: catapultarum apud alios scriptores duo millia, apud alios tria inveni. Consulto fecerant consules, ut singula imperia seorsim ederent: ne, si tot res tamque graves simul juberentur, Carthaginienses ad bellum praeoptandum adigi desperatione possent. Exarmatis quidlibet tuto injunctum iri putantes, misere Carthaginem, qui delectos ex senatu arcesserent: *iis se postremum eorum, quae faciunda essent, denunciaturos.* Venerunt triginta ex illustribus, quos ultro comitata est alia principum et sacerdotum manus, patriae discrimine anxia, et consules adspectu suo reverentiaque permotura ad misericordiam.

Alia Romanorum postulata de Carthagine diruenda.

XVI. Hi omnes, eodem, quo accesserant, cultu ad consules introducti, quum taciti adstarent, iterum consurgens L. Marcius, (nam hujus facundiae senior collega concedebat) *Quod obsidibus armisque tradendis voluntati senatus celeriter et cum cura estis obsequuti, recte et ordine a vobis factum est, Carthaginienses. nunc, quia necessitatis minime verbosa est oratio, unum, quod restat, senatus mandatum magno animo capessite. Urbem aliam, ubicumque videbitur, sed decem minimum millia passuum a mari distan-*

Cap. XIV. Polyb. Zonaras. Cap. XV. Polyb. Appian. Diod. apud Fulv. Ursin. Appian. Flor. 2, 15. Pigh. Annal. Oros. 4, 22. Appian. et Diod. Strabo, l. 17. p. 833. Zonaras. Diod. Appian. Cap. XVI. Diod. Appian. Liv. Epit. Zonaras. Diodor.

sem, et fine muris, condite. nam hanc quidem Carthaginem solo aequare jussi sumus. Interrupit postrema consulis verba sublatus a Poenis ululatus clamorque, qualis in gravissima eadem et inexspectata calamitate esse debuit: quum modo, manibus in coelum extentis, invocarent Deos doli, quo appetiti essent, ultores; modo, conversa in Romanos voce, multa et acerba increparent, sive exitium taedio vitae provocantes, sive mentem dolor eripuerat. nam et multa faciebant insanientibus solita: abjicere se in humum, pugnis atque capitibus verberare terram, lacerare amictus, ne ipsis quidem corporibus abstinere infestas manus: postremo, ubi jam fatigatus remiserat dolor, mortuorum instar sine voce, sine motu jacebant. U. c. 603. A. C. 149.

XVII. Attoniti ad haec Romani stabant, commiseratione et exemplo sortis humanae stupentibus animis. ipsi quoque consules indulgebant hominibus, in subita consternatione primum animi impetum male sustinentibus, gnari hoc habere magnas calamitates, ut statim quidem audaciam injiciant mentibus; mox necessitate et assuetudine ferendi audacia in humilitatem vertatur. Quod etiam Carthaginiensibus tum contigit. quum enim aliquamdiu taciti mala sua considerassent, indignatione deposita, cum ploratu et lacrimis vicem suam liberorumque et conjugum deflebant ipsiusque patriae, et hanc quasi audientem nomine invocabant. At vero sacerdotes vocabula sacrorum numinumque ciere, ipsis quoque tamquam praesentibus communem interitum exprobrare: mixtusque et miserabilis luctus nunc privatas calamitates, nunc publicas deplorantium, ipsos quoque Romanos hostium infortunio illacrimari coëgerat. Consules, et ipsi rerum humanarum instabile fatum gementes, severo tamen vultu finem et horum questuum exspectabant. *Poenorum dolor in re stata rerum.*

XVIII. Poenos ubi, lamentis paulisper cessantibus, res ipsa suae sortis admonuit; urbem exarmatam, copias domesticas exiles, sociales nullas, ne tempus quidem aut spem parandarum esse, contra liberos suos, arma, agrum in potestate hostium, Romanorum navalem pedestremque exercitum in oculis, Masinissam in lateribus reputantes, omissa invidia tumultuque, infirmis adversorum solatiis, iterum ad preces confugerunt, et, qui praesentium nobilissimus erat, Hanno cognomento Gillas, impetrata dicendi venia, ita coe- *Hannonis miserabilis deprecatio.*

Cap. XVI. Appian. Diod. Appian. Cap. XVIII. Diod.

U. c. 603. A. C. 149. pit: *Siquidem iisdem de rebus iterare sermonem fas est, non ego de jure vobiscum contendam, Romani: (nam id quidem intempestivum est miseris) sed tantum ostendam, si miserioordia velitis uti, nihil praeter rationem atque decorum facturos esse. Nos enim, Africae quondam marisque domini, quum vobiscum de imperio diu certassemus, a Scipione victi, classem, elephantos, tributa dedimus. Per Deos igitur, qui tum jurati sunt, parcite nobis, parcite famae Scipionis, ne socios et amicos Romanis Carthaginienses fore falso juraverit. Neque enim est, quod contra foedus istud peccaverimus. tulimus, dedimus, fecimus, omisimus, quidquid illo comprehensum fuit. praeterea adversus tres reges, duos Macedoniae, unum Syriae, vobis auxilia misimus.*

Iterum foedera commemorat.

XIX. *Neque reprehendatis, si repeto, quae nuper etiam dicta sunt, quum a nobis arma postularentur. Loquaces miseriae faciunt; et in ore supplicum quid validius esse commemoratione foederum potest? aut ad quae potius argumenta confugere nos aequum est, qui horum intuitu vobis potentiae nostrae viriumque instrumenta tradidimus? Et sic quidem vetera habent, quorum nobis sponsor Scipio fuit. Horum vero recentium pactorum auctores iidemque testes ipsi estis, consules. Petiistis obsides; tradidimus lectissimos: petiistis arma; tradidimus omnia: quod ne in captis quidem urbibus, nisi ultima necessitate metuque, obtinetur. Moribus porro consuetudinique Romanae credidimus. nam et senatus literis, et vos sermone confirmabatis, suis legibus usuram esse Carthaginem, si obsides traderentur.*

XX. *Dicetis adjectum fuisse, ut, obsidibus traditis, et alia, quae imperaturi essetis, praestarentur. Certe. sed unde rem tam incredibilem conjiceremus, ut, quam Carthaginem in petendis obsidibus liberam fore dixissetis, ejus excidium accessionem acceptorum obsidum velletis facere? praesertim quum ex eo tempore tot alia, frumentum, naves, arma accepissetis. quibus omnibus prompte exhibitis, quum jam sive delicto nostro, sive infortunio satisfactum esse putaremus, hoc adeo acerbum et triste imperium additis, ut Carthago diruatur. Quam profecto si vobis evertere fas est, qui poteritis libertati legibusque suis relinquere, quemadmodum facturos affirmatis? Et haec quidem erant, quae tum de priori foedere, tum de praesenti diceremus. quod si vero ne haec quidem audire sustinetis, omittimus, omittimus omnia, quodque unum relictum est infelicibus, lamentis precibusque rem gerimus. Et horum quidem amplissimam materiem tanta nobis malorum vis suppe-*

Cap. XVIII. Appian.

U. c. 603. A. C. 149. *Misericordiam ciet ex urbis delendae vetustate etc.*

ditat. Sunt enim eae res in periculo, quarum nuda enumeratio humanum pectus possit ad misericordiam flectere: urbs pervetusta, Deorum imperio condita, potens, nobilissima: templa, quotquot in ea sunt, (sunt autem permulta et ornatissima) dicata numinibus, quae nihil utique adversum vos deliquerunt, quibusque ideo solennia sua religionesque non voletis adimere: quemadmodum nec sepulcra parentationesque mortuis invidebitis, quando neque ad hos odia vestra, aut supplicia cupietis extendere.

XXI. *Quod si nostri quoque vos miseret, (qui enim alibi quietam liberamque sedem conceditis, videmini misereri) parcite, quaesumus, iis, sine quibus vivere non possumus. nec enim aris focisque nostris, et foro, et Deae, quae curiae praesidet, denique omnibus, quae homini grata et veneranda habentur, superstites esse sustinebimus. Adde, quod nullus jam vobis a Carthagine metus superesse potest, ademptis navibus, elephantis, armis. Si quis autem est, qui abunde tributum misericordiae putet, quod alio loco, sed a mari remotius, exstruere urbem sinimur, is non satis aestimat, quam exiguum hoc esse possit solatium populo nautico, maximam partem constanti ex infinito mortalium numero, non aliunde quam ex re maritima viventium. Quapropter aliam vobis conditionem referimus, optabiliorem nobis, et vestro imperio minus invidiosam: ut hanc quidem urbem, nullius ream maleficii, sinatis intactam; nos vero, quibus alias conceditis sedes, jubeatis interfici. sic enim fiet, ut hominibus succensuisse videamini, non autem in fana, et Deos, et sepulcra, et innocentis urbis aedificia improbabilem iram effudisse.*

Nauticum populum loco a mari remoto vivere posse negat.

XXII. *Quam equidem saevitiem ultro deprecatur fama pietatis et virtutis, quam omnibus in operibus vestris quaesitis, Romani: eoque semper, ut quosque populos armis superastis, (superastis autem quam plurimos) studium vobis fuit, ut mansuetudinem vestram moderationemque orbi terrarum approbaretis. Ne igitur, per Jovem ceterosque Deorum, quum alios, tum qui Carthaginem adhuc habitant, ne, inquam, odiorum erga nos liberosve nostros memineritis: neve vestram ipsi gloriam in nobis primum sinatis intercidere, si partam tot monumentis clementiae existimationem tali facinore polluatis, quod et factu fuerit saevum, et auditu horrendum, cujusque ne quidem exemplum hactenus ullum humana vita tulerit. Quum enim et Graeci, et barbari bella multa gesserint, multa vero et vos, Romani; nemo tamen umquam urbem excidisse memoratur, quae et ante pugnam submiserit manus, et arma obsidesque principum liberos tradiderit, et, quamcumque mulctam aliam mortalitas invenire aut pati potest, subire parata fuerit.*

Novum esse, urbem omnia imperata facientem deleri.

U. c. 603. A. C. 149. sententiae, qua obsides erant dati; primosque hostilis doli architectos increpantes excruciabant lacerabantque. Alii pari crudelitate vexabant eos, qui arma tradenda censuerant. nec deerant, qui legatos lapidarent, ut ferales nuncios, raptarentque per urbem corpora. Statimque furentis vulgi impetus in Italici generis homines incubuit. erant autem adhuc ibi, ut in subito improvisoque malo, plures; in quos varia immanitate saevientes, *poenam se ab his obsidum, et armorum, et totius Romanae fraudis repetere*, dictitabant.

Maximus tumultus Carthagine.

XXXIII. Ita commota urbe, plena omnia luctus simul, et irae, et timoris, et minarum erant: strepebant viae clamoribus carissima quaeque nominibus cientium: in templa, tamquam asyla, confugiebatur: ibidem convicia ingerebantur numinibus, *quibus ne ad sui quidem defensionem ullae vires essent:* multi, quum in armamentaria se intulissent, vacua videntes, ploratum edebant: alii, ad navalia decurrentes, absentiam navium querebantur, quas hominibus perfidis tradidissent: erant, qui nomina elephantorum, tamquam adhuc praesentium, inclamarent. inter haec majores suos seque ipsos exsecrabantur, quod elephantos, naves, tributa, arma dedissent, quos una cum patria armata potius extrema quaequae pati decuisset. Inflammabant amentium iras matronae, quarum liberi traditi Romanis obsides fuerant. tragicarum Erinnyum instar crinibus passis urbem cum ululatu pervagantes, ut in quemque incurrerant, liberos ab amplexu matrum raptos spretasque miserarum preces exprobrabant. tum, insanos in cachinnos effusae, ita meritis vindictam hanc Deorum gratulabantur. Non multos, ut ex tanto numero, vidisses, qui mentis adhuc compotes crederentur. iis tamen claudere portas urbis curae fuit, et, quia catapultae deerant, ad arcendos aggressores vim lapidum in moenia comportare.

De bello gerendo fit decretum.

XXXIV. Eodem die, ut primum aliqua senatus esse forma potuit, decretum de gerendo bello factum est. ad quod quia praesidia omnia deerant, uno praeconio servos omnes ad libertatem et militiam vocari placuit. Proxima de exsulibus cura fuit; quorum dux Hasdrubal, exercitu viginti millium stipatus, haud procul urbe consederat. ad hunc missus est, qui ro-

---

Cap. XXXII. Zonaras. Appian. Cap. XXXIV. Liv. Epit. Flor. 2, 15. Zonaras. Appian.